





PUB. OVIDII NASONIS OPERUM

TOMUS TERTIUS.

INTERPRETATIONE ET NOTIS ILLUSTRAVIT

DANIEL CRISPINUS, HELVETIUS,

JUSSU

CHRISTIANISSIMI REGIS;

AD USUM

SERENISSIMI DELPHINI.

In pagina versa indicantur ea quæ in hoc tomo continentur.



Ex num. aer. Ill. Rondaninæ Romanæ. ap Sponhemium.




LUGDUNI,

Apud ANISSONIOS, JOANNEM POSUEL, ET CLAUDIUM RIGAUD.

M. DC. LXXXIX.

CUM PRIVILEGIO REGIS.



IN HOC TERTIO TOMO
Continentur





ANGELI POLITIANI
ELEGIA
DE EXILIO ET MORTE OVIDII.


T jacet Euxinis vates Romanus in oris:
Romanum vatem barbara terra tegit.
Terra tegit vatem, teneros qui lusit amores,
Barbara: quam gelidis alluit Ister aquis.
Nec te Roma pudet, quæ tanto immitis alumno,
Pectora habes ipsis barbariora Getis?
Ecquid, Io Musæ, Scythicis in finibus ægro
Tædia qui morbi demeret, ullus erat?
Ecquid frigidulos qui lecto imponeret artus,
Aut qui dulciloquo falleret ore diem?
Aut qui tentaret salientis tempora venæ,
Aut fomenta manu qui properata daret?
Conderet aut oculos mediâ jam morte natantes,
Aut legeret summam qui pius ore animam?
Nullus erat: nullus. veteres, tu dura, sodales,
Heu procul à Ponto, Martia Roma, tenes!
Nullus erat. procul ah conjux, parvique nepotes:
Nec fuerat profugum nata sequuta patrem.
Scilicet immanes Bessi flavique Coralli,
Aut vos pelliti saxea corda Getæ,
Scilicet horribili dederit solamina vultu
Sarmata, ab epoto sæpè vehendus equo?
Sarmata, cui rigidam demisso in lumine frontem
Mota pruinoso tempora crine sonant.
Sed tamen & Bessi extinctum, & flevêre Coralli,
Sarmataque: & duris contudit ora Getes.

Extinctum

Extinctum & montes flebant, & sylvæ, feræque,
Et flêsse in mediis dicitur Ister aquis.
Quin etiam pigro concretum frigore Pontum
Nereïdum lacrymis intepuisse ferunt.
Accurrêre leves Paphiâ cum matre volucres;
Arsuróque faces supposuere rogo.
Quem simul absumpsit rapidæ violentia flammæ,
Reliquias tecto composuere cado.
Impositúmque brevi signarunt carmine saxum:
Qui jacet hîc, teneri doctor amoris erat.
Ipsa locum latè sancto Cytherea liquore
Irrorat niveâ terque quatérque manu.
Vos quoque Pierides vati libastis adempto
Carmina, sed nostro non referenda sono.

P. OVIDII NASONIS
[a] TRISTIUM
LIBER I.
ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Per Prosopopeiam exul & infælix Poëta librum suum admonet, ut è Scythiâ ad Urbem profecturus, eo habitu accedat, quo exules utuntur: mandatque quid velit responderi sciscitantibus, quid ipse agat. Docet simul quomodo se excuset, si fortè carmina hæc minora videbuntur ejus ingenio. Postremò jubet, ut Palatium evitet, unde fulmen emissum in se fuisse commemorat.

PArve, (nec invideo) sine me, [b] Liber, ibis in Urbem:
(Hei mihi!) quò domino non licet ire tuo.
Vade, sed incultus; qualem [c] decet exsulis esse.
Infelix, habitum temporis [d] hujus habe.
Nec te purpureo velent [e] vaccinia [f] fuco:
Non est conveniens luctibus ille color.
Nec titulus [g] minio, nec [h] cedro charta notetur:
Candida nec nigrâ [i] cornua [k] fronte geras.

INTERPRETATIO.

HEi mihi! Libelle, proficiscêris in Urbem sine me, (neque æmulor) quò non conceditur vadere domino tuo. Discedito, sed neglectus, qualem decet esse libellum profugi. Miser indue habitum hujus temporis. Neque vaccinia tegant te succo purpureo: Iste color non est congruus mæroribus. Neque titulus inficiatur minio, neque papyrus cedro: neque feras cornua alba fronte atrâ.

NOTÆ.

[a] *Tristium*] Quia à tristi atque exsule Poëta conscripti; materiamque habent tristem.

[b] *Liber*] Hunc primum intellige; siquidem & in sequentibus Poëtam audies ad alios libros verba facientem.

[c] *Decet*] Habitâ ratione status scelicet; atque commiserationis movendæ causâ.

[d] *Hujus*] Quo non sine luctu maximo, Tomis, longissimè à Patriâ, inter barbarorum barbaros, vitam suam Naso trahebat. Quanquam autem in primis exsilii causam prudentissimè dissimulat, nullus dubito quin propter Juliæ amores illuc ab Augusto ablegatus fuerit.

[e] *Vaccinia*] Violas esse purpureì coloris scribit Servius: Plinius fruticem in Galliâ purpureum. Volunt nonnulli baccas esse nigras ligustri, quæ etiam scriptorio atramento inserviunt. Alii mora agrestia, quorum quidem succus purpureus. Salmasius Hyacinthum esse credidit qui *Iris* & *Gladiolus* dicitur. Nihil certi video.

[f] *Fuco*] Quo libri tegmen infectum esset.

[g] *Minio*] Minium pigmentum est seu color factitius cinnabari non absimilis ex Hispaniâ primùm allatus; quo inscriptiones seu titulos decorare consueverant.

[h] *Cedro*] Cedri succo, aut oleo liniri chartas diuturnitatis & conservationis à carie, & odoris ergo testatur Plinius.

[i] *Cornua*] Cylindri seu bacilli teretis extrema dicit quæ libro circumvoluto supernè atque infernè eminebant; auroque, & argento, vel etiâ aliis rebus decorabant. Scribebant enim veteres in alterâ tantùm paginarum facie, ad cujus partem infimam; cedrinum, eburneum aut ex ejusmodi materiâ bacillum illum agglutinabant. *Umbilicum* autem quòd plicato volumine esset medius dictũ voluerunt.

[k] *Fronte*] *Paginâ*, quæ ideò nigra quòd luctus indicia haberet.

Felices ornent hæc [l] instrumenta libellos.
Fortunæ memorem te decet esse meæ.
Nec fragili [m] geminæ poliantur [n] pumice frontes :
Hirsutus passis ut videare comis.
Neve liturarum pudeat. qui viderit illas,
De lacrymis factas sentiet esse meis.
Vade, Liber, verbisque meis [o] loca grata saluta.
Contingam certè [p] quo licet illa pede
Si quis, [q] ut in populo, nostri non immemor illic,
Si quis, qui, quid agam, fortè requirat, erit;
Vivere me dices : salvum tamen esse negabis.
Id quoque, quod vivam, munus habere [r] Dei.
Atque ita te [s] tacitus quærenti plura legendum,
Ne, quæ non opus est, fortè loquare, dabis.
Protinus admonitus [t] repetet mea [u] crimina lector,
Et peragar populi publicus ore reus.
Neu cave defendas, quamvis mordebere dictis.
Caussa patrocinio non bona [x] pejor erit.

INTERPRETATIO.

Hæc ornamenta decorent libellos beatos. Te decet non esse oblitum mei infortunii. Neque duplices paginæ lævigentur fragili pumice, ut videaris hispidus capillis sparsis. Neve pudeat liturarum. Qui illas aspexerit, cognoscet esse factas meis lacrymis. Proficiscere, Liber, atque impertire salute meo nomine loca placentia. Sanè tangam illa quo pede conceditur. Si quis illic, ut in turbâ, non erit oblitus nostri, si quis, qui fortè petat quid faciam, dices me superstitem esse; negabis tamen valere : atque habere etiam id Dei beneficio, quòd vitâ fruar. Tum tacitus te sic præbebis legendum sciscitanti plura, ne fortè effutias quæ non est utile. Continuò lector admonitus recordabitur meorum errorum; & palam arguar ore populi. Atque fuge agere causam tuam *quanquam lacessiveris verbis. Caussa non vincibilis erit pejor defensione.*

NOTÆ.

[l] *Instrumenta*] Ornamenta dicit.

[m] *Geminæ*] Interior & exterior.

[n] *Pumice*] Eo lapide in expoliendis chartis utbantur, ut & elegantiores & ad scribendum aptiores : namque asperitas cùm retardat stylum, tum etiam visu fœda.

[o] *Loca*] Propter homines præsertim amicos, puellas, &c.

[p] *Quo*] Carminum suorum in Urbem adventu aliquo modo sibi videtur Naso Romam appellere : neque temerè.

[q] Ut in pop.] *Ut fieri solet in magnâ hominum frequentiâ.*

[r] *Dei*] Augusti Cæsaris : namque eò usque processit assentatio & vesania.

[s] *Tacitus*] Hanc vocem ex vulgatis, quam removerat clar Heinsius, huc retraxi; quippe quæ apprimè ad scopum spectet, atque sequentibus respondeat, *ne fortè loquare.* Neque dubito quin ab judicio bene paratum virum assentientem habeam, postquam animum adverterit. Scilicet Nasonis liber eius est nuncius, qui plura neque proferre, neque scire debet quàm quæ. imperata sunt. Nugatur hic Commentator.

[t] *Repetet*] Id est, Cùm libellos à me quisquā viderit, continuò criminum meorum recordabitur; & fortè hæc nova esse criminabitur.

[u] *Crimina*] Quod scripsisset amatoria; & nescio quid vidisset. Illa namque esse ipse confessus est Naso, ne majora patescerent.

[x] *Pejor*] Tum quia defendendo irritatur adversarius : tum insuper, vincendo, atque ostendendo pœnâ tantâ ob rem, Ethnicorum judicio tantillam, dignum non esse Poëtam, ad exsilii exquirendam veram caussam quivis inducitur. Nasoni autem maximè cautum esse debuit, ne in vulgus exiret Juliæ amor; quem ne ipse Imperator quidem non potuisset non punire graviùs.

Invenies aliquem, qui me suspiret ademtum,
Carmina nec siccis perlegat ista genis:
Et tacitus secum, nequis [y] malus audiat, optet,
Sit mea lenito Cæsare pœna minor.
Nos quoque, quisquis erit, ne sit miser ille, precamur,
Placatos misero qui volet esse Deos.
Quæque [z] volet, rata sint; [a] ablatáque Principis ira
Sedibus in patriis det mihi posse mori.
Ut perages mandata, liber, culpabere forsan;
Ingenii que [b] minor laude ferêre mei.
Judicis officium est, ut [c] res, ita [d] tempora rerum
Quærere. quæsito tempore tutus eris.
Carmina proveniunt animo deducta [e] sereno:
[f] Nubila sunt subitis tempora nostra malis.
Carmina secessum scribentis & otia quærunt:
Me mare, me venti, me fera jactat [g] hyems.
Carminibus metus omnis [h] abest: ego perditus [i] ensem
Hæsurum jugulo jam puto jamque meo.
Hæc quoque, quod facio, judex mirabitur æquus;
Scriptaque cum veniâ qualiacumque leget.

INTERPRETATIO.

Reperies nonnullos, qui doleant quòd sublatus sim; neque evolvant istos versus oculis aridis; atque taciti, ne quis iniquus accipiat, voveant secretò ut meum supplicium sit levius Cæsare placato. Nos etiam, quisquis ille erit, qui cupiet Deos esse lenites mihi *misero, oramus ne sit infelix; & quæ volet sint firma, atque ira Principis sedata concedat mihi posse obire in ædibus paternis. Cùm exequeris jussa, Liber, fortè arguêris, & dicêris inferior laude mei ingenii. Est judicis exquirere, ut res, ità tempora rerum. Habitâ ratione temporis, securus eris. Versus fluunt deducti mente serenâ: tempora nostra sunt obnubilata malis repentinis. Versus amant secretum & pacem scribentis: Pontus, & venti, & sæva tempestas me agitat. Omnis timor procul esse debet à versibus: ego miser jam jamque arbitror gladiũ infixum iri faucibus meis. Judex integer mirabitur etiam quòd hos scribam; & leget cum indulgentiâ qualiacumq; scripta.*

NOTÆ.

[y] *Malus*] Qui continuò, quasi officij ergo, audita ad Imperatorem deferat.

[z] *Volet*] *In suum meumque commodum: omnia denique quæ cupit.*

[a] *Ablata*] Cautè admodum, verecundè, & callidè reditum precatur.

[b] *Minor*] Quia minus elegans stylus, &c. Quod tamen secus est: nam certè nemini cui mens sana fuerit, hæc sese non probaverint opuscula.

[c] *Res*] Quæ sine adjunctis aut circunstantibus nunquam satis judici apparet.

[d] *Tempora*] Ille verò maximè excusandus, cui neque spatium neque opportunitas concessa aliquid præstandi; aliis atque aliis urgentibus curis districtus.

[e] *Sereno*] Turbido enim minùs perspicuè quid rerum agatur, apparet: ut mirum sit eo ingenii vigore valuisse Poëtam, qui per tam asperam tempestatem hæc quæ scripsit perspicere potuerit.

[f] *Nubila*] Quia gravissimis malis per exilium urgebatur.

[g] *Hyems*] Vel tempestatem intelligit, siquidem hic liber in itinere scriptus fuit: vel allegoricè fortunæ iniquitatem arguit.

[h] *Abest*] *Abesse debet:* namque aliò distracta cura minima illa nequit expendere quæ ad legitimos versus requiruntur.

[i] *Ensem*] Vel ab inimicis exulem persequentibus, vel à Scythis, qui maximè barbari, immissum.

Da mihi[k] Mæoniden, & tot circumſpice caſus;
Ingenium tantis excidet omne malis.
Denique ſecurus famæ, Liber, ire memento;
Nec tibi ſit lecto diſplicuiſſe pudor.
Non ita ſe nobis præbet Fortuna ſecundam,
Ut tibi ſit ratio laudis[l] habenda tuæ.
Donec eram ſoſpes, tituli tangebar amore;
Quærendique mihi nominis ardor erat.
Carmina nunc ſi non ſtudiúmque, quod[m] obfuit, odi,
[n]Sit ſatis. ingenio[o] ſic fuga parta meo.
I tamen, i, pro me tu, cui licet, adſpice Romam.
Dî facerent, poſſem nunc meus eſſe liber.
Nec te, quod venias magnam peregrinus in Urbem,
Ignotum populo poſſe venire puta.
Ut titulo careas, ipſo noſcère[p] colore:
Diſſimulare velis te licet eſſe meum.
Clam tamen intrato; ne te mea carmina lædant.
Non ſunt, ut quondam plena favoris erant.
Si quis erit, qui te, quia ſis meus, eſſe legendum
Non putet, è gremio rejiciátque ſuo;
[q]Inſpice, dic, titulum, non ſum[r] præceptor Amoris.
Quas meruit, pœnas jam dedit illud opus.

INTERPRETATIO.

Prabe mihi Maeniden, & circumſpice tot infortunia; omne ingenium retundetur tantis malis. Denique, Liber, memento incedere haud quaquam fama anxius: neq; te lectum pudeat diſplicuiſſe. Fortuna non ità ſe dat nobis propitiam, ut sibi ſit curanda laus tua. Quandiu incolumus fui, motus ſum deſiderio laudis, & vehementer cupivi comparare famam. Sit ſatis, quòd nunc nō odio habeo verſus, & ſtudiū quod nocuit, eo modo paratum eſt exilium arte meâ. Proficiſcere tamen, tu, cui conceditur, proficiſcere Romam pro me. Dij annuerent, poſſem nunc eſſe meus liber. Neque arbitrare te poſſe venire ignotum populo, quia hoſpes accedis ad ingentem Urbem. Quamvis careas titulo, cognoſcèris ipſo colore; tametſi velis fingere te non eſſe meum. Furtim tamen accede, ne mei verſus tibi obſint. Non ſunt pleni gratia, ut olim erant. Si quis erit, qui arbitretur, te non eſſe inſpiciendum, quia ſis meus, atque repellat ex ſinu ſuo, Intuere, dic, titulum, non ſum doctor Amoris. Illud opus jam multatum eſt pœnâ quâ dignum fuit.

NOTÆ.

[k] *Maeniden*] *Homerum*: de quo in Arte. Nequidem illum Poëtarum principem in tantis ærumnis bonos poſſe verſus diducere innuit noſter.

[l] *Habenda*] Negliguntur minora mala, cùm majora urgent.

[m] *Obfuit*] Propter Amorum libros ſeſe patriâ pulſum fingit.

[n] *Sit ſatis*] Multùm ſeſe in Carminum gratiam dicit præſtare, quòd in totum non oderit; quan loquidem propter illa tam longè ablegatus fuerit.

[o] *Sic*] *Scribendo verſus.*

[p] *Colore*] Nigro atque lugubri; ſicut & verſuum caractere.

[q] *Inſpice*] Verba ſunt quibus Liber obvium quemvis qui ſeſe rejiciat, ad legendum hortari debeat.

[r] *Præceptor*] Qualem ſeſe in libris præſertim de Arte amandi præbuit Naſo.

Forſitan exſpectes, an in alta [f] Palatia miſſum
Scandere te jubeam, Cæſareámque domum.
Ignoſcant auguſta mihi loca, [t] Dîque locorum.
Venit in hoc illâ [u] fulmen ab arce caput.
Eſſe quidem memini [x] mitiſſima ſedibus illis
Numina : ſed timeo, qui nocuêre, Deos.
Terretur minimo pennæ ſtridore columba,
Unguibus, accipiter, ſaucia facta tuis.
Nec procul à ſtabulis audet ſecedere, ſi qua
Excuſſa eſt avidi dentibus agna lupi.
Vitaret cælum [y] Phaëton, ſi viveret ; & quos
Optarat ſtulte, tangere nollet [z] equos.
Me quoque, quæ ſenſi, fateor [a] Jovis arma timere :
Me reor infeſto, cum tonat, igne peti.
Quicunque Argolicâ de claſſe [b] Capharea fugit ;
Semper ab Euboïcis vela retorquet aquis.
Et mea cymba, ſemel vaſtâ percuſſa procellâ,
Illum, quo læſa eſt, horret adire locum.
Ergo, care Liber, timidâ circumſpice mente ;
Et ſatis à mediâ ſit tibi plebe legi.

INTERPRETATIO.

Fortè exſpectes, an jubeam te dimiſſum aſcendere in excelſa Palatia, & ſedes Cæſaris. Loca auguſta mihi pareant, cum Diis locorum : fulmen miſſum eſt in meum caput ab illâ arce. Recordor equidem Deos leniſſimos eſſe in illis ædibus ; verùm metuo Deos qui obfuerunt. Columba vulnerata tuis unguibus, Accipiter, trepidat ad leviſſimum ſtrepitum alæ. Neque agna, ſi qua eſt correpta dentibus rapacis lupi, audet longiùs abire à ſtabulis. Phaëton fugeret cœlum, ſi ſuperſtes eſſet ; neque vellet tangere equos, quos incautè cupiverat. Agnoſce me etiam metuere arma Jovis, quæ ſenſi : puto me peti flammâ infeſtâ, cùm tonat. Quiſquis ex claſſe Græcâ vitavit Caphareum, deflectit ſemper lintea ab aquis Euboïcis. Mea etiam navis ſemel impulſa ingenti procellâ, refugit accedere ad locum in quo afflicta eſt. Adeòque, dilecte Liber, circumſpice animo pavido ; & tibi ſatis ſit legi à turbâ ſortis mediæ.

NOTÆ.

[f] *Palatia*] Quæ ſplendida domus fuit in Palatino monte ab Auguſto excitata : de quâ jam ſæpiùs in aliis libris.

[t] *Dique*] Auguſtum intelligit præſertim, qui vivens divinos meruit honores ; uti quidem viſum impiis adulatoribus. Huic adde Tiberium, Germanicum, & totam Cæſarum familiam.

[u] *Fulmen*] De exilio ſuo loquitur, quo ab Auguſto, quaſi fulmine, proturbatus.

[x] *Mitiſſima*] Auguſti clementiam magis inſuper laudabit in ſequentibus.

[y] *Phaëton*] Qui Solis filius ex ejus excuſſus curru, quem per ambitioſam temeritatem regere aggreſſus eſt.

[z] *Equos*] Solis *ſcilicet*, qui illius currum trahere finguntur : de quibus in Metam.

[a] *Jovis*] De Auguſto loquitur.

[b] *Capharea*] Fuit Caphareus Euboeæ promontorium, ex quo Nauplius rex inſulæ, Palamedis filij injuſtam necem ulturus, faces quæ portus fidem facerent Trojâ redeuntibus Græcis oſtentavit, ut illi in ſcopulos impingerent. Quæ res ex voto Nauplio accidit.

Dum petit infirmis nimiùm ſublimia pennis
[c] Icarus, Icariis nomina fecit aquis.
Difficile eſt tamen, hîc [d] remis utaris an aurâ,
Dicere. conſilium reſque locúſque dabunt.
Si poteris [e] vacuo tradì; ſi cuncta videbis
Mitia; ſi vires fregerit ira ſuas;
Si quis erit, qui te dubitantem & adire [f] timentem
Tradat, & ante tamen [g] pauca loquatur; adi.
Luce bonâ, dominóque tuo felicior ipſe
Pervenias illuc; & mala noſtra leves.
Namque ea vel nemo, vel qui mihi vulnera fecit,
[h] Solus [i] Achillêo tollere more poteſt.
Tantùm [k] ne noceas, dum vis prodeſſe, videto.
Nam ſpes eſt animi noſtra timore minor.

INTERPRETATIO.

Dum Icarus nititur in excelſa pennis debilibus, dedit nomen fluctibus Icariis. Difficile eſt tamen dicere hic utaris remis an ventis. Res & locus oſtendent quid opus ſit facto. Si poteris offerri otioſo; ſi aſpicies omnia lenia; ſi ira minueris vires ſuas; ſi quis erit qui introducat te haſitantem, & verentem accedere, & tamen ante pauca dicat; accedo. Fauſtâ die, & ipſe beatior tuo domino, illuc accedas, & minuas noſtras ærumnas. Namque vel nullus, vel qui mihi impegit plagam poteſt conglutinare eam, more Achillêo. Proſpice tantùm ne efficias, dum vis juvare; nam ſpes noſtra eſt minor metu mentis.

NOTÆ.

[c] *Icarus*] Qui Dædali filius, cùm, neglecto patris præcepto, altiùs volare concupiſſet, liquefactis alarum ceris in mare cecidit, cui & nomen dedit. Verùm prolixè de eo in præcedentibus.

[d] *Remis*] Hâc præcipuè gratiâ hos libros conſcripſit Naſo, ut Auguſti iram leniret, atque in Urbem, ſi liceret, reverteretur. Dubius autem hærebat magiſne ex voto res procederet reditum ſuum ſollicitè procurando, an verò patienter opportunitatem exſpectando, poſtquam tempore Imperatoris lenitus animus eſſet. Illud eſt quòd jam allegoricè ſignificat: neque placent quæcumque in hunc locum ab aliis allata, ex iis ſaltem quæ oculis ſubjecta ſunt.

[e] *Vacuo*] Namque ille qui re aliquâ animum habet maximè occupatum ad alia vocari iniquè patitur. Quod ſedulò iis advertendum qui magna ad Principes procurant.

[f] *Timentem*] Ingenioſiſſimè iſtud; neque quicquam magis ad leniendum animum conferre poteſt, quàm hujuſmodi timor. Apud cordatos nihil probatione opus habet quod dico: cæteros nolim admonuiſſe.

[g] *Pauca*] In tuam gratiam, *ſcil.* quæque præſertim metum, de quo modò dixi, latenter & cautè inſinuent.

[h] *Solus*] Quàm callida eſt hæc adulatio; quamque apta ad Auguſti leniendum animum.

[i] *Achillêo*] Achilles nempe eâdem haſtâ quâ Telephum Herculis filium vulneraverat, reconciliatus ſanavit: ut in Amoris remedio vidimus.

[k] *Ne noceas*] Maximè cavere ſe teſtatur Cicero, cùm cujuſpiam cauſam defenderet, ne imprudens contra eum quicquam diceret. Quæ cautio quanta ſit, illis cenſendum relinquo qui experti ſunt; namque aliis vix unquam ſatis inculcari poſſit. Optimè dicunt noſtri, *A force de vouloir bien faire, on ne fait ſouvent rien qui vaille.* Quid quòd eo plerique ſunt ingenio, ut quò meliores ſunt rationes & ad rem aptiores, eò magis illas contemnunt atque reſpuunt? Id nuper expertus ſum ego, qui ſtultiſſimè apud Invidos, quos tamen eos eſſe neſcivi, optima certè, (namque erant) non ſine aliquo dedecore expoſui. Nudari ſibi pudenda arbitrantur quicumque virtutis expertes aliquid de alienis bonis audiunt. Illud in mentem venire mihi debuiſſet? neque mea proculcanda objeciſſem.

Quæque quiéſcebat, ne mota reſæviat ira,
Et pœnæ tu ſis altera cauſſa, cave.
Cum tamen in noſtrum fueris [l] penetrale receptus,
Contigeriſque tuam ſcrinia curva domum;
Adſpicies illic poſitos ex ordine [m] fratres,
Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.
Cætera [n] turba palam titulos oſtendet apertos;
Et ſua detectâ nomina fronte geret.
[o] Tres procul obſcurâ latitantes parte videbis.
Hi quoque, quod nemo neſcit, amare docent.
Hos tu vel fugias, vel, ſi ſatis oris habebis,
[p] Oedipodas facito [q] Telegonóſque voces.
Deque tribus, moneo, ſi quæ tibi cura parentis,
Ne quemquam, quamvis ipſe docebit, ames.
Sunt quoque mutatæ ter quinque [r] volumina formæ,
Nuper ab [ſ] exequiis carmina rapta meis:
His mando dicas, inter [t] mutata referri
Fortunæ vultum corpora poſſe meæ.
Namque ea diſſimilis ſubitò eſt effecta priori:
Flendáque nunc, aliquo tempore læta fuit.
Plura quidem mandare tibi, ſi quæris, habebam;
Sed vereor tardæ cauſſa fuiſſe moræ.

INTERPRETATIO.

Atque cave, ne ira quæ erat compoſita, provocata exardeſcat, & tu ſis altera cauſſa ſupplicij. Cùm tamen ſubieris noſtrum ſecretiorem ſeceſſum, & tetigeris ſcrinia cava tuas ſedes; videbis illic fratres ſuos ex ordine, quos omnes eadem cura abſolvit. Reliquum agmen apertè exhibebit titulos detectos, & habebit ſua nomina in fronte nudâ. Aſpicies tres procul ſeſe occultantes in loco obſcuro: Iſti etiam, ut omnes ſciunt, docent amare. Vel tu hos vites, vel ſi ſatis audens eris, fac appelles Oedipodas, & Telegonos. Et, ſi aliquis eſt tibi amor patris, hortor ne quemquam diligas ex tribus, tametſi ipſe docebit. Sunt etiam quindecim volumina Metamorphoſis, verſus nuper rapti ex funere meo: Hortor ut his dicas faciem fortunæ meæ poſſe recenſeri inter corpora transformata. Namque ea eſt repentè reddita diſſimilis præcedenti; & nunc lugenda aliquando læta fuit. Si exquiris, habebam equidem plura tibi imperanda; ſed metuo cauſſa eſſe lentæ cunctationis.

NOTÆ.

[l] *Penetrale*] Domus ſuæ ſecretiores partes dicit.

[m] *Fratres*] Libros dicit à Naſone cōſcriptos.

[n] *Turba*] *Librorum copia.*

[o] *Tres*] Illos dicit quibus artem amandi docuit; ſicut & alij docuerant.

[p] *Oedipodas*] Oedipo ſimiles, qui Laium patrem Thebanorum regem, quanquam neſcius illum eſſe, occidit.

[q] *Telegonos*] Quia etiam Telegonus Ulyſſis & Circes filius inſciens patrem interfecit. Quàm grave autem Poëtæ fuerit ſuum exilium ex eo patet quòd morti æquiparat.

[r] *Volumina*] Tot habemus etiam Metamorphoſeon libros.

[ſ] *Exequiis*] *Exilio*: ut eo quaſi ad rogum efferri viſus ſit Poëta.

[t] *Mutata*] Minor eſt mutatio corporis humani in lapidem, quàm felicis hominis in miſerum.

Quòd ſi, quæ ſubeunt, tecum, Liber, omnia ferres;
 Sarcina laturo magna futurus eras.
Longa via eſt; propera. nobis habitabitur orbis
 [u] Ultimus; à terrâ terra remota meâ.

INTERPRETATIO.

Quòd ſi, Liber, cuncta portares tecum quæ occurrunt animo, eſſes magnum onus illi qui te ferret. Iter longum eſt; feſtina. Extrema pars mundi, tellus diſſita à tellure meâ, à nobis incoletur.

NOTÆ.

[u] *Ultimus*] Invidioſè; quanquam certè longè tamen à Patriâ Româ Tomi.

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Dî maris & cœli.] *In exilium proficiſcens Poëta, jubente Auguſto, deprehenſuſque in medio mari, fluctibúſque pene obrutus, deos precatur, ut ipſi ſaltem igneſcant, nec cum Cæſare ipſum funditus perdant. Probátque multis exemplis poſſe eos id facere. Deſcribit deinde tempeſtatem: tum deos precatur, ut ſe incolumem ad Tomitas perducant.*

DI [a] maris & [b] cæli, (quid enim niſi vota ſuperſunt?)
 Solvere quaſſatæ parcite membra ratis:
Neve, precor, magni ſubſcribite Cæſaris iræ.
 Sæpe premente Deo [c] fert Deus alter opem.
[d] Mulciber in Trojam, pro Trojâ ſtabat [e] Apollo:
 Æqua Venus Teucris, [f] Pallas iniqua fuit.
Oderat Ænean propior [g] Saturnia Turno.
 Ille tamen Veneris numine tutus erat.

INTERPRETATIO.

Dii maris & cœli, (quid enim niſi preces reſtant) nolite disjungere partes navis afflictæ. Neu, quæſo, facite cum irâ Cæſaris: ſæpe Deo aliquo urgente alius Deus adeſt in auxilium. Vulcanus nitebatur adverſus Troiam, Apollo favebat Troiæ: Venus fuit propitia Trojanis, Pallas infenſa. Saturnia æquior Turno, habebat Ænean odio. Ille tamen erat ſecurus potentiâ Veneris.

NOTÆ.

[a] *Maris*] *In quibus Neptunus, Nereus, Oceanus, Glaucus,* &c.

[b] *Cœli*] *Jupiter, Apollo, Mercurius*, &c.

[c] *Fert*] Ridiculum equidem, Deos ſibi invicem oppoſitos! Cæterùm ità attemperatæ ſunt tamen Veri Dei virtutes inter ſe, ut neq; pereant omnes quos juſtitia malè perdere feſtinat. Præſidium nobis adverſus illam paravit miſericordia, modò ne ad extremum uſque ſollicitemus. Pœnitenti omnia ſunt conceſſa.

[d] *Mulciber*] Vulcanus ſeu ignis ferrum mulcens.

[e] *Apollo*] Quippe qui cum Neptuno ejus urbis poſuerat mœnia: quanquam hic moroſior adverſus Trojanos maximè fuit.

[f] *Pallas*] Ipſa Venus Æn.2. à ỷ.610. Æneæ ſuo Palladem, Junonem, Neptunum, Jovem ipſum oſtendit Urbem Trojam evertentes

[g] *Saturnia*] Juno Saturni filia Turno Rutulorum regi favebat.

Sæpe ferox cautum [h] petiit Neptunus Ulyſſem :
 Eripuit [i] patruo ſæpe [k] Minerva ſuo.
Et nobis aliquod quamvis diſtamus ab illis,
 Quid vetat irato numen adeſſe Deo ?
Verba miſer fruſtra non proficientia perdo :
 Ipſa graves ſpargunt ora loquentis aquæ.
Terribiliſque Notus jactat mea dicta ; precéſque,
 Ad quos mittuntur, [l] non finit ire Deos.
Ergo îdem venti, ne cauſsâ lædar in unâ,
 Veláque neſcio quò, votáque noſtra ferunt ?
Me miſerum, quanti montes volvuntur aquarum !
 Jam jam tacturos ſidera ſumma putes.
Quantæ diducto [m] ſubſidunt æquore valles !
 Jam jam tacturas [n] Tartara nigra putes.
Quocunque adſpicias, nihil eſt niſi pontus & aër ;
 Fluctibus hic tumidis, nubibus ille minax.
Inter utrumque fremunt immani turbine venti.
 Neſcit, cui [o] domino pareat, unda maris.
Nam modò [p] purpureo vires capit Eurus ab ortu ;
 Nunc Zephyrus ſero veſpere miſſus adeſt :
Nunc gelidus [q] ſiccâ Boreas bacchatur ab Arcto :
 Nunc Notus adverſâ prælia fronte gerit.

INTERPRETATIO.

Sæpe Neptunus atrox invaſit callidum Ulyſſem : Minerva abſtulit ſæpe cum *patruo ſuo. Quid etiam prohibet, quanquam inferiores ſumus illis,* aliquem *Deum nobis favere, Deo* Auguſto *irato ? Infelix nequicquam perdo voces inutiles : aquæ graves inſiliunt in ipſa ora loquentis. Et Auſter furens aufert mea verba ; neque patitur mea vota pervenire ad Deos ,* ad *quos diriguntur. Ergo iidem venti,ne offendar unâ cauſsâ rapiunt noſtras preces & noſtra carbaſa neſcio quò. Me infelicem , quanta moles aquarum tolluntur ! Jamjam credas* illas *tacturas ſuprema aſtra. Quanta valles ſubſidunt mari diſtracto! Jam jam credas tacturas atra Tartara. Quocumque oculos vertas, nihil eſt niſi mare & aër; illud minax undis elatis, hic nubibus. Venti ſonant inter utrumque turbine furenti. Fluctus maris incertus eſt cui domino obſequatur. Nam modò Eurus ſumit vires ab ortu purpureo; nunc Zephyrus inſtat à veſpertino Heſpero:Nunc frigidus Aquilo furit ab Arcto aridâ ; nunc Notus certat fronte oppoſitâ.*

NOTÆ.

[h] *Petiit*] Quia Palamedem Neptuni nepotem proditionis titulo perdiderat ; Polyphemum filium inſuper occæcaverat.

[i] *Patruo*]Fuit verò Neptunus Minervæ patruus;ſiquidē ipſa Jovis filia,ille Jovis frater.

[k] *Minerva*] Quæ ideò Ulyſſi favere dicta, quòd is ſummâ atque exquiſitâ prudentiâ ad omnia ſe accingeret.

[l] *Non ſinit*] Qualeſ fuerint illi Dii hinc conjicito.

[m] *Subſidunt*] Subſidere videntur , quando diducta eſt aqua.

[n] *Tartara*] Qui locus eſt inferorum à Poëtis decantatus ubi ſontes plectuntur.

[o] *Domino*] Ut hinc in omnes partes agitatas aquas atque erutas intelligas ; ex quo maximum periculum.

[p] *Purpureo*] Quia rutilo apparet colore Aurora in parte cœli quæ ad ortum ſpectat.

[q] *Siccâ*] Quia, ut in præcedentibus vidimus, Arctos Helice ſeu Urſa in quam mutata Caliſto Lycaonis filia, deinde Jovis beneficio in cœlum tranſlata , Junonis odio expers maris,in quod nunquam recipitur. Siccam inſuper dixeris, quia à parte Septentrionali venti ſunt maximè ſicci.

[r] Rector in incerto est : nec quid fugiátve petátve,
Invenit ; ambiguis ars stupet ipsa malis.
Scilicet occidimus, nec spes nisi vana salutis :
Dumque loquor, vultus obruit unda meos.
Opprimet hanc animam fluctus : frustráque precanti
Ore necaturas accipiemus aquas.
[s] At pia nil aliud quàm me dolet exsule conjux :
Hoc unum nostri scítque gemítque mali.
Nescit in immenso jactari corpora ponto :
Nescit agi ventis : nescit adesse necem.
Dî bene, quòd non sum mecum conscendere passus :
Ne mihi mors misero bis patienda foret !
At nunc, ut peream, quoniam caret illa periclo,
Dimidiâ certè parte superstes ero.
Hei mihi, quàm celeri micuerunt nubila flammâ !
Quantus ab æthereo personat axe fragor !
Nec levius laterum tabulæ feriuntur ab undis,
Quàm grave [t] balistæ mœnia pulsat onus.
Qui venit hic fluctus, fluctus supereminet omnes :
[u] Posterior nono est, undecimóque prior.
[x] Nec letum timeo : [y] genus est miserabile leti.
Demite naufragium ; mors mihi munus erit.

INTERPRETATIO.

Nauclerus dubius est ; neque reperit quid sequatur aut vitet : ipsa ars attonita est ancipitibus periculis. Nimirum periimus, neque spes est salutis nisi inanis: & dum verba facio, fluctus obruit meam faciem. Unda extinguet hanc animam, & admittemus aquas nos oppressuras ore frustrà orante. At pia uxor nullâ aliâ re luget, quàm quòd sim exul : Novit, atque queritur hoc unum nostra ærumna. Ignorat corpus agitari in vasto mari : ignorat impelli ventis . ignorat instare mortem : Dij bene, quòd non sivi ascendere mecum, ne mors mihi esset bis adeunda! At nunc, quamvis moriar, siquidē illa tuta est à discrimine, certè superstes ero dimidiâ parte. Hei mihi ! quàm rapidâ flammâ nubes fulserunt ! quantus strepitus personat à polo cœlesti ! Neque asseres laterum levius verberantur à fluctibus, quàm grave pondus balista quatit muros. Hæc unda quæ advolvitur excedit cæteras undas ; est posterior nonâ, & prior undecimâ. Neque expaveo mortem, genus mortis est lugubre. Tollite naufragium ; mors mihi erit donum.

NOTÆ.

[r] *Rector*] Navis, *scilicet*, qui ad gubernaculum sedet.

[s] *At*] Solatium verò est benevolos habere nostrarum miseriarum non participes quidem, sed iis commotos, qui precibus suis saltem & misericordiâ nos tantillum sublevent. Quanquam & illi quibus est cor maximè generosum, nequidem amicos volunt, si licet, conscios habere malorum, quibus mederi non possunt.

[t] *Balistæ*] Tormenta erant aut machinæ quibus saxa gravissima in hostes, aut illorum propugnacula mittebantur.

[u] *Posterior*] Decimum fluctum vulgò dicunt cæteris esse majorem, *decumanúmque* illum appellant.

[x] *Nec letum*] Nòn credo, Naso. Usque adeò non fuisti cæcus, ut mortem contemneres. Verùm hæc verba sunt ; eaque perquisita.

[y] *Genus*] Tum quia, ut narrat Homerus, anima ignea est, cui in aquâ contrario elemento extingui admodum grave : tum quia sic morientes, cùm piscium esca fiant, tumulique honore fraudentur, longis erroribus jactandi, priusquam Orco recipiantur.

Est aliquid, [z] fatóve suo ferróve cadentem
In solitâ moriens ponere corpus humo:
Est mandata suis aliquid sperare sepulcra,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.
Fingite me dignum tali nece: non ego solus
Hîc vehor. immeritos cur mea pœna trahit?
Pro Superi, [a] viridésque Dei, quibus æquora curæ!
Utraque jam vestras sistite turba minas.
Quamque dedit vitam mitissima Cæsaris ira,
Hanc finite infelix in loca jussa feram.
Si quam commerui pœnam me pendere vultis;
Culpa mea est ipso [b] judice morte minor.
Mittere me [c] Stygias si jam voluisset ad undas
Cæsar; in hoc vestrâ non eguisset ope.
Est illi nostri non invidiosa cruoris
[d] Copia: [e] quodque dedit, cùm volet, ipse feret.
Vos modò, quos certè [f] nullo puto crimine læsos,
Contenti nostris, Dî, precor, este malis.
Nec tamen, ut cuncti miserum servare velitis,
Quod periit, salvum jam caput esse potest.
Ut mare considat, ventísque ferentibus utar;
Ut mihi parcatis; num minùs exsul ero?

INTERPRETATIO.

Est aliquid occumbentem vel fato suo, vel ferro, demittere corpus moriens in terrâ solitâ. Est aliquid sperare tumulos imperatos suis, neque esse prædam piscibus marinis. Ponite me esse meritum hujusmodi letum; ego non hîc veher solus; quamobrem mea pœna rapiat indignos? Pro Dij superi, atque glauci, quibus maria curæ! utrumque agmen omittite jam vestras minas: atque concedite, ut miser portem in loca præscripta hanc vitam, quam ira lenissima Cæsaris indulsit. Siquidem cupitis me exsolvere pœnam quâ dignus sum, peccatum meum est levius morte, ipso judice. Si Cæsar jam cupivisset me deturbare ad aquas Stygias, non opus habuisset vestro auxilio. Ille habet potestatem non invidiosam in nostram vitam; & ipse tollet quando libebit quod indulsit. Vos tantùm, Dij, quos certè nullo flagitio arbitror violatos, estote contenti nostris malis. Neque tamen, utcumque omnes cupiatis incolumem præstare miserum, caput quod jam occidit, potest esse salvum. Quamvis mare quiescat, & habeam ventos secundos, quamvis mihi ignoscatis, anne minùs ero profugus?

NOTÆ.

[z] *Fato*] *Morte suâ naturali.*

[a] *Virides*] Quia viridi, vel potiùs cæruleo aut glauco colore apparet altum mare.

[b] *Judice*] *Augusto*, scilicet.

[c] *Stygias*] Hoc est *ad Inferos*, ubi Styx palus, de quâ jam toties.

[d] *Copia*] *Potestas est Augusto in meam vitam, cujus ademta nullum extimescat ultorem.*

[e] *Quodque*] *Vitam*, scilicet; quam ferre & adimere poterit, utcumque libuerit.

[f] *Nullo puto*] Immò, siquidem illi Dii, eò magis læsi, quòd Dii sunt, quàm Principes qui illorum tantùm sunt ministri. Ex vero namque Deo Principibus obsequi didicimus etiam propter conscientiam, quam illi mancipatam intelligimus.

Non ego divitias avidus sine fine parandi
Latum mutandis mercibus æquor aro:
Nec peto, quas quondam petii studiosus, Athenas:
Oppida non [g] Asiæ, non loca visa priùs.
Non ut, [h] Alexandri claram delatus in urbem,
Delicias videam, [i] Nile jocose, tuas.
Quòd faciles opto ventos, (quis credere possit?)
[k] Sarmatis est tellus, quam mea vota petunt,
Obligor, ut tangam [l] lævi fera littora Ponti;
Quodque sit à patriâ tam fuga tarda, queror.
Nescio quo videam positos ut in orbe Tomitas,
[m] Exilem facio per mea vota viam.
Seu me diligitis, tantos compescite fluctus;
Pronáque sint nostræ numina vestra rati:
Seu magis odistis, jussæ me advertite terræ.
Supplicii pars est in regione mei.
Ferte (quid hîc facio?) rapidi mea carbasa venti.
[n] Ausonios fines cur mea vela vident?
Noluit hoc Cæsar: quid, quem fugat ille, tenetis?
Aspiciat vultus Pontica terra meos.
Et jubet, & merui. nec, quæ damnaverit ille,
Crimina defendi fasve piúmve puto.

INTERPRETATIO.

Ego non trans vastum mare mercimoniis commutandis cupidus acquirendi opes sine modo: neque concedo Athenas, quas olim visi studio deditus: non tendo in urbes Asiæ, non in loca antè conspecta. Non ut appulsus ad urbem celebrem Alexandri, aspiciam tuas mollitias, Nile facete. Quòd voveo ventos propitios, (quis possit fidem adhiberet) terra Sarmatica est quam mea desideria expetunt. Obstringor votis, ut tangam sæva littora Ponti sinistri; & doleo quòd exilium sit tam lentum. Paro mihi iter breve per meas preces, ut aspiciam Tomitas sitos in nescio quâ parte mundi. Sive me amatis, reprimite tantas undas, & vestra numina sint propitia nostræ navi; sive potiùs odistis, applicate me terræ assignatæ. Pars mea pœna est in ipsâ mundi plagâ. Venti vehementes (quid hic ago?) abripite mea vela; quamobrem mea lintea cernunt fines Italos? Cæsar hoc noluit: cur retinetis quem ille expellit? Tellus Pontica videat meam faciem. Et imperat, & dignus sum: neque arbitror fas aut pium flagitia defendi, quæ ille arguerit.

NOTÆ.

[g] *Asiæ*] Quam cum Maximo viderat Naso, ut ipse testatur Pontic. lib. 2. Eleg. 10.

[h] *Alexandri*] Alexandriam dicit Alexandri Magni opus.

[i] *Nile*] Hunc Ægypti fluvium jocosum dicit, quia nocte dieque Alexandriâ proficiscebantur naviculæ virorum ac mulierum lascivientium plenæ ad Serapidis solemnia, quæ Canopi ubi eius templum erat, celebrabantur. Dissolutis autem moribus fuisse Ægyptios indicat etiam Martial. his verbis,

Nequitias tellus scit dare nulla magis.

[k] *Sarmatis*] Sarmatia regio est perampla cujus pars ad Europam, pars ad Asiam spectat. Tomos autem ablegatum Nasonem, quæ urbs in illâ fuit, suprà vidimus.

[l] *Lævi*] Quia Poëtæ mare Ponticum ingredienti à lævâ Tomos quam petebat.

[m] *Exilem*] *Compendiosam.*

[n] *Ausonios*] *Italos*: ab Ausonibus partim derivatos, ad quos vi tempestatis relicto priori cursu referebantur.

Si tamen acta Deos nunquam mortalia fallunt;
  A culpâ facinus scitis abesse meâ.
Immo ita; vos scitis. si me meus abstulit error,
  Stultáque mens nobis, non scelerata fuit:
Quamlibet è minimis, domui si [o] favimus illi;
  [p] Si satis Augusti publica jussa mihi;
Hoc Duce si dixi felicia sæcula; proque
  Cæsare [q] thura pius Cæsaribúsque dedi;
Si fuit hic animus nobis; ita parcite, Divi.
  Sin minùs; alta cadens obruat unda caput.
Fallor? an incipiunt gravidæ vanescere nubes,
  Victáque mutati frangitur ira maris?
Non casus, sed vos sub [s] conditione vocati,
  Fallere quos non est, hanc mihi fertis opem.

INTERPRETATIO.

Si tamen facta hominum unquam occulta sunt Diis, compertum habetis flagitium longè esse ab errore meo. Immò ita, vos nostis: si mea ignorantia me abripuit, & animus nobis fuit desipiens, non nefarius: si, quanquam ex tenuissimis, devoti fuimus illi domui. Si publica mandata Augusti satis mihi fuerunt: *si dixi secula beata hoc Imperatore; atque pius obtuli thura pro Cæsare, & Cæsaribus: si ea mens fuit nobis, ità ignoscite, Dii. Sin minùs, fluctus sublimis irruens demergat caput. Decipior? an nubes tumidæ incipiunt distrahi, & ira fracta mutati maris minuitur? Non fortuna, sed vos petiti sub conditione, quos non datur decipere, præbetis mihi istud auxilium.*

NOTÆ.

[o] *Favimus*] Nimiùm nimiúmque faverat, siquidem amare est favere.

[p] *Si satis*] Id est, *Si mihi Augusti semper nutus, & simplex voluntas pro lege fuit; ut nunquam quod ille publicè sanciverit ad me etiam spectare sine omni tergiversatione non crediderim.*

[q] *Thura*] Deorum illis conciliandi favoris causâ.

[r] *Cæsaribus*] *Caio* atque *Julio* Augusti nepotibus, itemque *Tiberio*, post illorum obitum ab Augusto adoptato; tum Germanico à Tiberio Augusti jussu pro filio assumto.

[s] *Conditione*] Callidissimè profectò sese toti Cæsaris domui amicum, quasi Diis testibus, ostendit.

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Quum subit illius.] *Miserabiliter exponit Poëta consternationem illam, quâ affectus est postea quam jussit eum Cæsar in exilium abire: quidque eâ nocte etiam egerit, quæ fuit illi in urbe novissima, declarat. Miserabilius deinde uxoris, & domesticorum lacrymas describit.*

CUm subit illius tristissima noctis imago,
  Quæ mihi supremum tempus in Urbe fuit;

INTERPRETATIO.

Quando recordor illius mœstissimæ noctis, quæ fuit mihi ultimum tempus in Urbe?

Cum repeto noctem, quâ tot mihi cara reliqui ;
Labitur ex oculis nunc quoque gutta meis.
Jam prope lux aderat, quâ me discedere Cæsar
Finibus extremæ jusserat [a] Ausoniæ.
Nec [b] mens, nec spatium fuerant satis apta paranti :
[c] Torpuerant longâ pectora nostra morâ.
Non mihi servorum, comitis non cura legendi :
Non aptæ profugo vestis opísve fuit.
Non aliter stupui, quàm qui Jovis ignibus ictus
Vivit ; & est vitæ [d] nescius ipse suæ.
Ut tamen hanc animo nubem dolor ipse removit,
Et tandem sensus convaluêre mei ;
Alloquor extremum mœstos abiturus amicos,
Qui modò de multis unus & alter erant.
Uxor amans flentem flens acriùs ipsa tenebat ;
Imbre per indignas usque cadente genas.
[e] Nata procul [f] Libycis aberat diversa sub oris :
Nec poterat fati certior esse mei.
Quocunque adspiceres, luctus gemitúsque sonabant :
Formáque [g] non taciti funeris intus erat.
Fœmina, virque, meo [h] pueri quoque funere mœrent ;
Inque domo lacrymas angulus omnis habet.

INTERPRETATIO.

quando mente revolvo noctem, quâ deserui res mihi dilectas, lacryma nunc etiam defluit ex oculis meis. Jam propè dies venerat, quo Cæsar mihi imperaverat egredi finibus ultimæ Italiæ. Neque animus, neque tempus fuerant satis idonea adornanti fugam : mens nostra elanguerat prolixo tempore. Non fuit mihi cura servorum, non sodalis legendi, non vestis aut auxilii idonei profugo. Non secus attonitus fui, quàm qui superstes est, afflatus flammis Jovis, & ipse est nescius suæ vitæ. Postquam tamen ipse dolor depulit hæc nubila ex animo, & denique mei sensus redierunt ; novissimè discessurus alloquor tristes amicos, qui erant unus & alter de modò plurimis. Conjux ipsa amans, lugens vehementiùs complectebatur lugentem, rore usque fluente per genas immeritas. Filia procul aberat dissita ad oras Libycas, neque poterat cognoscere meum infortunium. Quocumque oculos verteres, luctus & gemitus audiebantur ; & species erat intus funeris haudquaquam muti. Fœmina & vir, pueri etiam lugent infortunio meo, & omnis angulus in domo habet fletus.

NOTÆ.

[a] *Ausonia*] *Italia*, ut sæpe alibi : fuerunt namque Ausones antiqui Italiæ populi.

[b] *Mens*] Quæ repentino malo attonita, singula, quæ opus erat, suis temporibus dividere, per tantillum spatium non poterat.

[c] *Torpuerant*] Adeòque bonorum nostrorum pars sumus maxima ; qui illud maximè semper cogitare debemus, quomodo adversam fortunam feramus, minimóque indigeamus. Verùm quibus has narres fabulas!

[d] *Nescius*] Priusquàm spatium datum fuerit cogitandi, atque singula excutiendi quæ nec opinantem ex sede suâ dejiciunt, nullius animus huc illuc raptus consilij est capax.

[e] *Nata*] *Perilla*, quæ virum in Africam sequuta erat.

[f] *Libycis*] Libya pars est ampla Africæ ; quæ pro eâ totâ sæpissimè ponitur.

[g] *Non taciti*] Quia omnes apertè lugebant, & gemitus atque plangores edebant.

[h] *Pueri*] *Servuli.*

Si licet exemplis in parvo grandibus uti;
Hæc facies Trojæ, cùm caperetur, erat.
Jamque quiescebant voces hominúmque canúmque:
Lunáque nocturnos alta regebat equos.
Hanc ego suspiciens, & ab hac [i] Capitolia cernens,
Quæ nostro [k] frustra juncta fuêre [l] Lari;
[m] Numina vicinis habitantia sedibus, inquam,
Jamque oculis nunquam templa videnda meis,
Dîque relinquendi, quos Urbs habet alta [n] Quirini;
Este salutati tempus in omne mihi.
Et quamquam serò [o] clypeum post vulnera sumo;
Attamen hanc [p] odiis exonerate fugam;
[q] Cælestique viro, quis me deceperit error,
Dicite; pro [r] culpâ ne scelus esse putet.
Ut, quòd vos scitis, pœnæ quoque sentiat auctor.
Placato possum non miser esse [s] Deo.
Hâc prece adoravi Superos ego: pluribus uxor;
Singultu [t] medios præpediente sonos.
Illa etiam ante Lares passis prostrata capillis
Contigit exstinctos ore tremente focos:

INTERPRETATIO.

Si licet uti magnis exemplis in re tenui, hac erat species Troja cùm expugnaretur. Jamque sonus omnis hominum & canum repressus erat, & Luna sublimis agitabat equos nocturnos. Ego hanc suspiciens, & ab hâc videns Capitolia, qua nequicquam erant proxima nostris Penatibus; Dij, inquam, manentes in ade vicinâ, & templa jam nunquam conspicienda oculis meis, numináque deserenda, qua Urbs excelsa Quirini habet, estote salutata à me in omne avum. Et quamvis serò capio parmam post plagas, nihilominus absolvite hoc exilium odiis, & dicite viro divino, quis error mihi imposuerit; ne arbitretur flagitium esse pro aberratione: ut quod vos cognoscitis, auctor mei supplicii cognoscat etiam. Possum esse non infelix, Deo lenito. Ego precatus sum Deos hâc oratione; conjux pluribus, singultu abrumpente medias voces. Illa etiam procumbens coram Laribus, scissâ comâ, tetigit focos extinctos ore tremente.

NOTÆ.

[i] *Capitolia*] In Capitolio monte templum fuit Jovi dicatum.

[k] *Frustrà*] Quia tutum ab Augusti irâ non præstiterant. Quod quidem impiè dixit Naso.

[l] *Lari*] *Domui.* De Laribus diis suprà Metam. 15. ubi vide. Indicis compendio nihil faciliùs.

[m] *Numina*] Deos compellat, qui in Capitolio colebantur: ad quos etiam Manlius his verbis ex Livio: *Jupiter optime maxime, Junoque regina, ac Minerva, cæterique dij, deæque, qui Capitolium, arcemque incolitis,* &c.

[n] *Quirini*] *Romuli*, cui post suam consecrationem illud datum nomen.

[o] *Clypeum*] Deorum præsidium istoc appellat nomine. Quòd utinam multi seriò perpenderent.

[p] *Odiis*] *Ne me Cæsar odio persequatur.*

[q] *Cælesti*] *Augusto*, qui vivus etiam in Diis habitus.

[r] *Culpâ*] Contendit Naso se per imprudentiam, non malâ mente peccasse.

[s] *Deo*] *Augusto.*

[t] *Medios*] *Imperfecta verba:* singultibus abrumpentibus orationis cursum.

Multáque [u] in aversos effudit verba Penates,
Pro deplorato non valitura viro.
Jamque moræ spatium nox præcipitata negabat,
[x] Versáque ab axe suo [y] Parrhasis Arctos erat.
Quid facerem? blando patriæ retinebar amore:
Ultima sed jussæ nox erat illa fugæ.
Ah quoties aliquo dixi properante, Quid urges?
Vel [z] quò festines ire, vel [a] unde, vide.
Ah quoties certam me sum mentitus habere
Horam, propositæ quæ foret apta viæ.
Ter [b] limen tetigi; ter sum revocatus: & ipse
Indulgens animo pes mihi [c] tardus erat.
Sæpe, Vale dicto, rursus sum multa locutus;
Et quasi discedens oscula summa dedi.
Sæpe eadem mandata dedi: meque ipse fefelli,
Respiciens oculis [d] pignora cara meis.
Denique, Quid propero? Scythia est, quò mittimur, inquam:
Roma relinquenda est. utraque justa mora est.

INTERPRETATIO.

& protulit multa verba adversus infensos Penates, non profutura perdito marito. Jamque nox præterita recusabat tempus cunctandi, & Ursa Arcadica erat versa ab axe suo. Quid agerem? Retinebar grato desiderio Patriæ: verùm illa nox erat novissima exilio præscripto. Ah quoties dixi, cùm aliquis festinaret, Quamobrem festinas? Cogita vel quò properes, vel unde proficiscaris. Ah! quoties falsò dixi me habere horam constitutam, quæ esset idonea itineri decreto? Ter offendi in limen; ter repressi pedem, & ipse obsequens desiderio pes mihi erat segnis. Sæpe, Vale dicto, plurima denuò protuli, & tanquam proficiscens obtuli novissima suavia. Sæpe repetivi eadem jussa; & me ipse decepi, retorquens oculos meos ad dilecta pignora. Tandem dixi, Quamobrem festino? Scythia est ad quam pellimur, Roma est deserenda: utraque mora est justa.

NOTÆ.

[u] *In aversos*] Ea est naturæ perversitas, quæ hodieque humanum genus miserè perdit; ut Deum ipsum, quia supremus est Rerum arbiter, quàm sese, qui malorum omnium suorum sunt auctores, malint arguere. Quia omnia potest Deus, debere autumant; quasi suæ ipsius non esset Potentiæ sapientissimus idemque liberrimus Oeconomus, aut sese non deberet Numen ab injuriâ vindicare.

[x] *Versa*] Adeòque Aurora seu diluculum instabat.

[y] *Parrhasis*] Ursa, quæ Græcis *Arctos* dicitur, in quam Calisto Lycaonis filia mutata *Parrhasis* seu Arcadica dicitur à Patriâ, ubi ejus pater imperium tenuit. Sydus autem illud jam sæpe ad polum Septentrionalem esse diximus.

[z] *Quo*] In regionem teterrimam.

[a] *Unde*] Ex patriâ jucundissimâ: ut neutrâ de caussâ sit festinandum.

[b] *Limen*] Sinistrum usque adeò putarunt omen esse veteres, In limen impingere ingressuris vel egressuris, ut si fieret, quod tum facturi essent prosperè sibi contingere non posse crederent.

[c] *Tardus*] Ut quasi de industriâ limen offenderet; ne scilicet aliqua non esset diutiùs permanendi caussa.

[d] *Pignora*] Uxorem dicit, Amicos, aliaque sibi carissima.

[e] *Mora*] Pro caussâ moræ. *Seu, inquit Scythiæ barbariem respicit, seu in Roma jucunditate hæret, utrobique permanendi caussa est.*

Uxor in æternum vivo mihi viva negatur:
Et domus, & fidæ dulcia [f] membra domûs.
Quosque ego fraterno dilexi more sodales.
O mihi [g] Theseâ pectora juncta fide!
Dum licet, amplectar: nunquam fortasse licebit
Amplius. in lucro, quæ datur hora, mihi est.
Nec mora; sermonis verba imperfecta relinquo,
Complectens animo proxima quæque meo.
Dum loquor, & flemus; cælo nitidissimus alto
Stella gravis nobis [h] Lucifer ortus erat.
Dividor aut aliter, quàm si mea membra relinquam:
Et pars abrumpi corpore visa suo est.
[Sic Priamus doluit, tunc cum [i] in contraria versus
[k] Ultores habuit proditionis equus]
Tum verò exoritur clamor gemitúsque meorum;
Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.
[l] Tum verò conjux humeris abeuntis inhærens
Miscuit hæc lacrymis tristia dicta suis.
Non potes avelli. simul ah, simul ibimus, inquit!
Te sequar; & conjux exsulis exsul ero.

INTERPRETATIO.

Conjux superstes negatur in æternum mihi superstiti; itemque domus, & membra dilecta fidelis domus; & socii, quos ego amavi more fraterno. O Animi mihi connexi fide Theseâ! Quandiu conceditur, amplectar; forsitan nunquam ampliùs concedetur. Tempus quod mihi conceditur est in lucro. Et sine cunctatione omitto verba sermonis inexpleta, complectens animo meo quæque proxima. Dum loquor & lacrymas profundimus, Lucifer splendidissimus nobis molestus erat ortus in excelso cælo. Non aliter divellor, quàm si deseram meos artus; & pars visa est dividi à suo corpore. Eo modo doluit Priamus, tunc cùm equus proditor mutatus in contraria habuit vindices. Tum verò tollitur clamor & gemitus meorum; & manus tristes plangunt pectora aperta. Tum verò uxor incumbens humeris discedentis miscuit hæc mœsta verba suis lacrymis. Non potes abstrahi: unà ah, inquit, unà proficiscemur! Te comitabor, & uxor profugi ero profuga.

NOTÆ.

[f] *Membra*] Omnia intelligit, quæ ad vitæ solatium domi teguntur.

[g] *Theseâ*] *Antiquâ*, ut aiunt, & *firmâ*, cujusmodi fuit Thesei in Pirithoüm.

[h] *Lucifer*] Stella est Veneris, quæ cæteras fugare dicitur, quia Solis ortum præcedit, cujus lumen cæteras obscurat: tumque *Phosphorus* dicitur. *Hesperus*, *Vesper*, & *Vesperugo* appellatur, cùm Solis ejusdem subsequitur occasum.

[i] *In contraria*] Ineptè enim Sinoni crediderunt Trojani, equum ligneum muris suis, illo admonente, si reciperent,

Ultro Asiã magno Pelopeia ad mœnia bello Venturam:

cùm ea machina potiùs armatos in urbem Trojam invexerit, à quibus incensa atque funditus eversa est. Cæterùm ne dubites quin hoc distichon à manu sit alienâ.

[k] *Ultores*] Græcos dicit equi utero inclusos, in quem gravem hastam Laocoon intorserat, doli non ignarus; qui quidem Græci, incensâ urbe Trojâ, equi ultores etiam esse videntur.

[l] *Tum*] Profectò hæc ità accuratè recensentur atque referuntur, ut eadem videre atque audire credat qui hæc legit. Adeòque adolescentulis ut hæc evolvant opuscula multis de caussis consuluerim.

Et mihi facta via est: & me [m] capit [n] ultima tellus.
Accedam profugæ sarcina parva rati.
Te jubet è patria discedere Cæsaris ira;
Me pietas. [o] pietas hæc mihi Cæsar erit.
Talia tentabat: sic & tentaverat antè:
Vixque dedit victas utilitate manus.
Egredior (sive illud erat sine funere [p] ferri)
Squalidus immissis [q] hirta per ora comis.
Illa dolore mei [r] tenebris narratur obortis
Semianimis mediâ procubuisse domo.
Utque resurrexit, fœdatis pulvere turpi
Crinibus, & gelidâ membra levavit humo;
Se modò, desertos modò complorasse Penates;
Nomen & erepti sæpe vocasse viri:
Nec gemuisse minus, quàm si natæve meumve
Vidisset structos corpus habere [f] rogos:
Et voluisse mori; moriendo ponere sensus:
Respectúque tamen non posuisse mei.
Vivat: & absentem, quoniam sic fata tulerunt,
Vivat, & auxilio sublevet usque suo.

INTERPRETATIO.

Mihi etiam paratum est iter: extrema terra me etiam tenet. Ero parvum onus navi profugæ. Ira Cæsaris te jubet egredi ex patriâ: Pietas me jubet. *Hæc Pietas erit mihi Cæsar. Talia incipiebat: atque ità etiam anteà inceptaverat; & ægrè concessit superata utilitate. Exeo, (seu illud erat efferri sine funere) sentus, capillis sparsis per vultus hispides. Illa semiviva dicitur cecidisse in mediâ domo caligine inductâ mei dolore. Et postquam excitata est, comâ infectâ obscœno pulvere, atque sustulit artus terrâ frigidâ, deflevisse modò se, modò destitutos Penates, & sæpè citasse nomen mariti sublati: neque minùs gemuisse, quàm si vidisset pyras exstructas habere meum corpus, vel* corpus *filia: & voluisse mori, & amittere sensus moriendo; & tamen non amisisse in meam gratiam. Vivat; & siquidem ità fors tulit, vivat & semper sustentet absentem auxilio suo.*

NOTÆ.

[m] *Capit*] Propter maritum, qui in eâ terrâ erit, *scilicet.*

[n] *Ultima*] Quia maximè remota Scythia ad Septemtrionem.

[o] *Pietas*] Quid sentis Lector? Estne hæc ingenii magis, an commiserationis plena?

[p] *Ferri*] *Efferri, ad sepulturam portari, quanquam vivus essem.*

[q] *Hirta*] In luctu enim neque capillos, neque barbam tondebant.

[r] *Tenebris*] Caliginem dicit, quæ animi comitatur deliquium.

[f] *Reges*] Cremabant mortuorum cadavera veteres; ut millies dictum.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

Sese dicit Poëta mari tandem concreditum; tantámque in Ionio mari tempestatem coortam, ut ipsi etiam nautæ salutem suam desperaverint.

Tingitur Oceano [a] custos [b] Erymanthidos Ursæ,
Æquoreásque suo sidere turbat aquas:
Nos tamen [c] Ionium non nostrâ findimus æquor
Sponte: sed [d] audaces cogimur esse [e] metu.
Me miserum, quantis [f] increscunt æquora ventis;
Erutáque ex imis fervet arena vadis!
Monte nec inferior proræ puppíque recurvæ
Insilit, & pictos verberat unda [g] Deos.
Pinea texta sonant; pulsi stridore rudentes:
[h] Aggemit & nostris ipsa carina malis.
Navita confessus gelido pallore timorem
Jam sequitur victam, [i] non regit arte, ratem.

INTERPRETATIO.

Custos Ursæ Erymanthidos mergitur Oceano, & ciet aquas marinas suo sidere: Nos tamen sulcamus mare Ionium non ultro, sed cogimur esse audentes timore. Me infelicem; quàm vehementibus ventis maria tolluntur, & glarea educta ex profundu gurgitibus agitata est! Atque fluctus non minor monte invehitur in proram atque puppim recurvam, & percutit Deos pictos. Texta pinea gemunt; funes strident: atque ipsa navis queritur de nostris ærumnis. Nauta prodens pavorem frigido pallore, nunc sequitur navim superatam; non regit arte.

NOTÆ.

[a] *Custos*] Arctophilax est seu Bootes, in cujus Zonâ stella una cæteris lucens clariùs, quæ Arcturus dicitur, cujus ortus atque occasus gravissimas dicitur ciere tempestates. Aunus autem quo in exilium ejectus Poëta 760 fuit ab Urbe conditâ, & à Christo nato octavus. Mense Octobri, quo Arcturus occidit, navim conscendit.

[b] *Erymanthides*] Quia Calisto, quæ in Ursam mutata, Arcadica fuit, in cujus patriâ mons Erymanthus.

[c] *Ionium*] Quod inter Siciliam & Græciam.

[d] *Audaces*] Hic locus non est verborum sine re: quia quotidie ità evenit, ut metus audentissimos præstet. Cæterùm cordatos hoc modò afficit metus: namque alios omnino dejicit.

[e] *Metu*] Quia Italiâ Augusti jussu excedendum, nisi graviori pœnæ sese addicere vellet Poëta.

[f] *Increscunt*] Quia in altum tolluntur fluctus, & tumet mare, ventorum impetu.

[g] *Deos*] Quorum statuæ in puppi, ubi velut quoddam sacrarium erat: atque ab illis ceu insigni naves appellabantur.

[h] *Aggemit*] Invitâ fortunâ, atque urgentibus malis ingeniosus est tamen Naso. Solent autem naves tempestate actæ gravi, aut vi majore pressa ligna sonum quendam reddere, ex quo ea vim pati facilè cognoscitur.

[i] *Non regit*] Quanquam & ars in eo est, ventis & æstui navim permittere, quam adversus illorum impetum nequeas flectere. Ille naufragium suum acceleraret, qui usque obniti studeret.

Utque parùm validus non proficientia vector
  Cervicis rigidæ fræna remittit equo:
Sic non quò voluit, sed quò rapit impetus undæ,
  Aurigam video vela dedisse rati.
Quòd nisi mutatas emiserit [k] Æolus auras;
  In [l] loca jam nobis non adeunda ferar.
Nam procul, [m] Illyricis lævâ de parte relictis,
  Interdicta mihi cernitur Italia.
Desinat in vetitas quæso contendere terras,
  Et mecum magno pareat aura [n] Deo.
Dum loquor, & [o] cupio pariter timeóque revelli,
  Increpuit quantis viribus unda latus!
Parcite, cærulei vos parcite numina ponti;
  Infestúmque mihi sit satis esse [p] Jovem.
Vos animam sævæ fessam subducite morti.
  Si modò, qui [q] periit, non periisse potest.

INTERPRETATIO.

Et sicuti eques infirmus laxat habenas inutiles equo colli difficilis: ità cerno nauclerum permisisse lintea navi, non quò cupivit, sed quò vis fluctuum cogit. Quòd nisi Æolus emiserit ventos mutatos, vehar in loca jam nobis non tangenda. Nam Illyricis procul desertis à parte sinistrâ, Italia prohibita conspicitur à me. Ventus, precor, omittat petere terras interdictas, & mecum obsequatur magno Deo. Dum verba facio, & pariter opto & metuo revehi, quanto impetu fluctus verberavit latus. Ignoscite vos, ignoscite Dii glauci maris, sitque satis, Jovem esse mihi infensum. Vos subtrahite crudeli morti animam defatigatam; si modò qui occidit, potest non occidisse.

NOTÆ.

[k] *Æolus*] *Rex ventorum.*

[l] *Loca*] *Italiam* scilicet, ex quâ exilio ab Augusto pulsus.

[m] *Illyricu*] Illyris seu Illyria dicitur ea regio quæ Italiæ objecta à parte Septemtrionali, Adriatico interfuso mari. Illa verò Poëtæ in Pontum aut Scythiam tendenti à lævâ fuit: quam deserere, repetitâ interdictâ Italiâ, coorta vis ventorum cogebat.

[n] *Deo*] Deus verò fuisset, stupentibus omnibus, siquidem in ventos atque fluctus imperium habuisset Augustus.

[o] *Cupio*] Cupiebat verò Romam verti; sed metuebat propter Augusti iram. Nusquam non acutè Ovidius: atque ex isto verborum conflictu, quàm dolendæ sint vices nostræ, qui usque & usque Rerum jactamur repugnantiâ, licet intelligere, donec ad salutis portum ancoram nostram fixerimus.

[p] *Jovem*] *Augustum.*

[q] *Periit*] Augusti irâ, & ad Sarmatas exilio.

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

O mihi post ullos.] *Amici fidem laudat Poëta, quòd etiam in adversis eum nunquam deseruerit: quam rem raros admodum ex tam multis fatetur sibi præstitisse. Simul eum hortatur, ut in pristino amore persistat, nec Augustum timeat.*

O Mihi [a] post ullos nunquam memorande sodales,
O cui præcipuè sors mea visa [b] sua est;
Attonitum qui me (memini), carissime, primus
Ausus es [c] alloquio sustinuisse tuo;

INTERPRETATIO.

O Nunquam mibi recensende post ullos socios, ô cui sors mea visa est præsertim sua, qui primus non es veritus (recordor) dilectissime, solari me attonitum tuo alloquio.

NOTÆ.

[a] *Post ullos*] Siquidem primus sit fide in adversis probatâ.

[b] *Sua*] Ea est Christi & lex & conditio, & Spes, unde cætera fluant; ut omnes quotquot in ejus corpore verâ fide vivunt unum sint cor atque una anima, qui eadem sentiant, bona malâque juxta communia habeant. Promulgatum est insuper Decretum quod omnes improbos iu rem malam deturbet, novissimâ die repetendum, *Discedite execrandi*, *Quia enim neque esurienti cibum, neque sitienti potum præbuistis*, &c. namque satis superque docti sunt Christiani. Ex re ipsâ illos spectes. Postquam paucos Jesu servatoris discipulos exemeris; cæteros vafertimos invenias nebulones, plerosque, Pharisæos præsertim, atque in istis omnium pessimos qui de Veritate quam certè obtinent & profitentur, usque & usque gloriantur: quasi viam munitissimam, accensâmque maximè habere facem, satis fuerit, ut quoquam deveniatur. Græculorum nullum quos corripuit Poliphemus tantâ rabie afflixit; nullius tam asperè quassavit ossa, quanto cum Invidiæ furore frater fratrem vivum deglubit, aut illius vulneribus vescitur. Quanquam verò ità expertus sum, neque rabiosi calumniatores tanquam Socinianum & Patriæ Imminentem Pestem exagitaverunt, ut feris laniandum objicerent, scilicet; non ideò tamen istud conqueror ulciscendi causâ; sed magis hortandi ut in Charitatis viam, si potis est, redeant: namque hoc primum in resipiscente *iniquitatem suam agnoscere*. Cæterum, datâ occasione, ne cuiquam fuerim offendiculo; atque uti porrò, sicut institui, promovendo in adolescentibus JESU-CHRISTI regno operam meam ponere nihil prohibeat, ità bene faveas oro, Lector, atque hanc gratiam quovis pretio rependendam indulgeas, ut, contra quàm livor, & ex eo odium suasit, testificari liceat me per summam Dei misericordiam ità à pueritiâ imbutum, atque robustiore ætate, maturóque judicio, confirmatum, ut ab ejus Veritate quam publicè profiteor nullâ ex parte sim alienus.

[c] *Alloquio*] Verba quid possint illorum est æstimare, qui Verbi interni æterníque filii Dei vim incredibilem sincero Amore experti sunt. Pecora, cujusmodi passim reperias, in terris vagantia, cibúmque ex solo vanitatis halitu captantia, frustrà ad abditi illius Manna suavitatem perducere contendas: namque vacuis atque famelicis tantùm acceptum: Illa verò sui & luci usque adeò plena sunt, ut ad primos Veritatis bene monentis, & famem ex inopiâ conciliantis tota cohorrescant. Tandem tamen dicetur singulis, *Habuisti tua bona*. O Verba & Voces! Omnes si scirent quantùm habeant virium & jucunditatis!

Qui mihi [d] consilium vivendi mite dedisti,
  Cùm foret in misero pectore mortis amor;
Scis bene, cui dicam, positis pro nomine [e] signis;
  Officium nec te fallit, amice, tuum.
Hæc mihi semper erunt imis infixa medullis;
  Perpetuúsque [f] animæ debitor hujus ero.
Spiritus & vacuas priùs [g] hic tenuandus in auras
  Ibit, & in tepido deseret ossa rogo;
Quàm subeant animo meritorum oblivia nostro:
  Et longâ pietas excidat ista die.
Dî tibi sint faciles, & opis nullius egentem
  Fortunam præstent, dissimilémque meæ.
Si tamen [h] navis vento ferretur amico;
  Ignoraretur forsitan ista fides.
[i] Thesea Pirithoüs non tam sensisset amicum,
  Si non infernas vivus adisset aquas.
Ut foret exemplum veri [k] Phocæus amoris,
  Fecerunt Furiæ, tristis Oresta, tuæ.

INTERPRETATIO.

qui mihi dedisti lene consilium vivendi, cùm desiderium mortis esset in corde infelici; nosti quem alloquar, indiciis positis pro nomine; neque beneficium tuum te latet, amice. Hæ erunt semper infixa intimis medullis; & ero æternus debitor hujus vitæ: atque hæc anima antè feretur discerpenda in tenuem aërem, & relinquet ossa in rogo calido, quàm oblivia officiorum tuorum invadant mentem nostram, & iste Amor excidat longo tempore. Dii sint tibi propitii, & præbeant sortem nullâ re egentem, atque dissparem meæ. Si tamen hæc navis veheretur vento secundo, fortè hæc fides non esset perspecta. Pirithous non expertus esset Theseum tam amicum, nisi vivus subiisset aquas Stygias. Furiæ tuæ, luctuose Oresta, fecerunt, ut Phocæus esset exemplum sincerè amoris.

NOTÆ.

[d] *Consilium*] Quid commodi ex divitiis suis, ex fastu, ex ignorantiâ suâ capiant, qui in tenebris, in superbiâ, in creaturis vitam totam agunt, maximè velim illos dicere, cùm sese illa omnia produnt atque perditos esse eum illis demonstrant. Vidi ego adolescentem, & mille alii viderunt, pridie bene valentem, festivum, neque sodalium suorum, ut videbatur, ulli inferiorem, cui sibi postridie laqueo gulam frangere pulcrum visum est: atque id opus pulcrè exegit. Unde parabile fuit ad vitam remedium? Ex verbis; iisque quæ maximè à plerisque contemnuntur; paucissimi in promtu habeant.

[e] *Signis*] Quia amicum suum nomine appellare verebatur Naso, ne in Augusti incurreret offensionem, facto ipso aut benevolentiæ testimonio illum designat.

[f] *Animæ*] *Vita.*

[g] *Hic*] *Mens* scil. *Priùs moriar.*

[h] *Navis*] Per navim, vitam atque fortunas Poëtæ intellige. Allegoria est.

[i] *Thesea*] Hic Ægæi filius cum Pirithoo Ixionis filio, Proserpinæ illi in uxorem rapiendæ causâ, ad Inferos descendit: cujus amicitia in Proverbium abiit.

[k] *Phocæus*] Pylades est Strophij Phocensis filius, indissolubili amicitiæ vinculo cum Oreste conjunctus, qui furiis, ob Clytemnestræ matris necem, agitatum amicum ità nusquam deseruit, ut pro eo mori apud Colchos non dubitaverit. Quanquam Iphigeniæ auxilio uterque liberati sunt.

Si non Euryalus Rutulos cecidiſſet in hoſtes ;
  Hyrtacidæ [l] Niſo gloria nulla foret.
Scilicet ut fulvum ſpectatur in ignibus aurum ,
  Tempore ſic [m] duro eſt inſpicienda fides.
Dum juvat, & vultu ridet Fortuna ſereno ;
  Indelibatas cuncta [n] ſequuntur opes.
At ſimul [o] intonuit ; fugiunt : nec noſcitur ulli ,
  Agminibus comitum qui modò cinctus erat.
Atque hæc exemplis quondam collecta priorum ,
  Nunc mihi ſunt propriis cognita vera malis.
Vix duo treſve mihi de tot ſupereſtis amici.
  Cætera Fortunæ, non mea, turba fuit.
Quò magis, ô pauci, rebus ſuccurrite lapſis ,
  Et date naufragio littora tuta meo :
Neve metu [p] falſo nimiùm trepidate timentes ,
  Hac offendatur ne pietate [q] Deus.
Sæpe fidem adverſis etiam laudavit in armis ;
  Inque ſuis amat hanc Cæſar, in hoſte probat.
Cauſſa mea eſt melior, qui non contraria fovi
  Arma ; ſed hanc merui [r] ſimplicitate fugam.

INTERPRETATIO.

Niſi Euryalus deveniſſet in hoſtes Rutulos, nulla eſſet laus Niſo Hyrtacidæ. Nimirum, ut flavum aurum, probatur in ignibus, ſic fides eſt ſpectanda tempore adverſo. Dum utile eſt, & fortuna ridet vultu læto, omnia ſequuntur divitias intactas. At ſtatim atque intonuit, dilabuntur ; neque cognoſcitur ab ullo qui modò erat ſtipatus turbâ comitum. Atque hæc olim collecta exemplis veterum ſunt nunc mihi perſpecta certa meis ærumnis. Vix de tot amicis duo aut tres reliqui eſtis : cæterũ agmen fuit fortunæ non meum. Quò magis, ô pauci, ſubvenite rebus afflictis, & præbete littora tuta meo naufragio : neve nimiùm pavidi tremite vano timore, ne Deus lædatur hac Pietate. Sæpe approbavit fidem etiam in armis adverſis : & Cæſar hanc diligit in ſuis, laudat in hoſte. Cauſſa mea eſt potior, qui non ſequutus ſum arma adverſa, ſed merui hoc exilium ſimplicitate.

NOTÆ.

[l] *Niſo*] Trojanus quidam fuit Hyrtaci filius Virgiliano carmine notiſſimus, qui arctiſſimo quoque fuit amicitiæ vinculo cum Euryalo cõjunctus. Hi duo verò Rutulorum caſtra ingreſſi ſunt magnáque hoſtium ſtrage editâ, cùm die adventante, ſeſe reciperent, in illorum inciderunt equitatum, à quo circumventus Euryalus. Ille cùm amicum non poſſet eripere, certiſſimæ ſeſe maluit morti objicere, totúmque facinus in ſe derivare, quàm captum deſerere.

[m] *Duro*] Namque ille non nobis, ſed ſibi favet, qui, ſecundis noſtris rebus, iiſdem nobiſcum fruitur.

[n] *Sequuntur*] Omnia ex votis illis cedunt, quibus opes integræ, & nullo caſu imminutæ.

[o] *Intonuit*] Id eſt, *Cùm primùm aliquod malum impendet.*

[p] *Falſo*] *Qui veram cauſam non habeat.*

[q] *Deus*] *Auguſtus.*

[r] *Simplicitate*] Utcumque ſeſe excuſet Naſo, magis perſuadet ; tamen mitiùs ex innocentiâ quàm ex eo natam confidentiam, quòd ipſum Cæſarem aliam exilij cauſſam, quàm quæ vera erat, fingere advertiſſet. Cæterùm eo eſt ingenio Poëta, totque boni animi cernuntur ubique in ipſo indicia, ut tametſi reus maximè fuerit, vix quiſquam ità ſævus reperiatur, qui crimen intra gloriam ejus non ponat.

Invigiles igitur nostris [f] pro casibus oro;
  Diminui si quà numinis ira potest.
Scire meos si quis casus desideret omnes;
  Plus, quàm quod fieri res sinit, ille petat.
Tot mala sum passus, quot in æthere sidera lucent:
  Parváque quot siccus corpora pulvis habet.
Multáque credibili tulimus majora: ratámque,
  Quamvis acciderint, non habitura fidem.
[t] Pars etiam mecum quædam [u] moriatur oportet:
  Meque velim possit dissimulante tegi.
Si vox in fragili mihi pectore firmior ære,
  Pluráque cum linguis pluribus ora forent;
Non tamen idcircò complecterer omnia verbis:
  Materia vires exsuperante meas.
Pro [x] duce Neritio docti mala nostra Poëtæ
  Scribite: Neritio nam mala plura tuli.
Ille brevi spatio multis erravit in annis
  Inter [y] Dulichias [z] Iliacásque domos.
Nos freta sideribus notis distantia mensos
  Sors tulit in [a] Geticos Sarmaticósque sinus.

INTERPRETATIO.

Precor itaque, ut prospicias nostro infortunio, si ira Dei potest frangi aliquo modo. Si quis cupiat cognoscere omnia mea infortunia, ille quærat plus quàm quod res patitur fieri. Tot mala tuli, quot stellæ fulgent in cœlo, aut quot pulvis aridus habet exigua corpora. Atque passi sumus plurima graviora quàm credere est; neque inventura fidem certam, utcumque evenerint. Necesse est etiam aliquam partem mecum perire: atque optem posse celari, me dissimulante. Si vox mihi esset firmior ære in pectore fragili, & ora plura cum linguis pluribus, non ideò tamen comprehenderem omnia verbis, argumento exhauriente meas vires. Poëtæ eruditi, scribite nostras ærumnas pro duce Neritio; nam passus sum plura mala duce Neritio. Ille erravit per multos annos in exiguo spatio inter regiones Dulichias & Trojanas. Fortuna nos vexit in oras Geticas & Sarmaticas qui exaravimus maria dissita per sidera cognita.

NOTÆ.

[f] *Pro cas.*] Si fortè in gratiam redire posset.

[t] *Pars quædam*] Postquam hujus loci sensum diutiùs exquisivi, nullus dubito tandem quin ærumnarum suarum in parte ponat quod obstinatè dissimulat Naso, crimen ipsum cujus causâ relegatus: ut admisisse illud, aut quòd ejus fuerit conscius, in malorum seu ærumnarum suarum bonam partem traxerit. Atque id ad virtutem proximè.

[u] *Moriatur*] *Intercidat*; ut nulla sit ejus memoria.

[x] *Duce Nerit.*] Ulysses est, cui à Nerito Ithacæ insulæ monte, hoc datum nomen.

[y] *Dulichias*] Dulichii insulæ non procul ab Ithacâ in mari Ionio, cui etiam Ulysses imperavit.

[z] *Iliacas*] Per decem annos priusquam Trojâ seu Ilio domum ad Penelopen suam redux esset, Ulysses erravit.

[a] *Geticos*] Getæ ad Pontum magis quàm Daci in Orientem vergebant, gens dura, sæva, ferox, qua nulla truculentior in toto orbe, ut alicubi testatur Naso. Adeòque pejor illius quàm Ulyssis sors fuit, hic siquidem ad uxorem atque in regnum reverteretur.

Ille

Ille habuit fidámque [b] manum, sociósque fideles :
Me profugum comites deseruête mei.
Ille suam lætus patriam [c] victórque petebat.
A patria fugio victus & exsul ego.
Nec mihi Dulichium domus est, Ithacéve, [d] Saméve :
Pœna quibus non est grandis abesse locis.
Sed quæ de septem totum circumspicit orbem
Montibus, imperii Roma Deûmque locus.
Illi corpus erat durum patiensque laborum :
Invalidæ vires [e] ingenuæque mihi.
Ille erat assiduè sævis agitatus in armis :
Assuetus studiis mollibus ipse fui.
Me [f] Deus oppressit, nullo mala nostra levante :
[g] Bellatrix illi Diva ferebat opem.
Cúmque minor Jove sit tumidis qui regnat in undis ;
Illum Neptuni, me [h] Jovis ira premit.
Adde, quod illius pars maxima ficta laborum est ;
Ponitur in nostris fabula nulla malis.
Denique quæsitos tetigit tamen ille Penates ;
Quæque diu petiit, contigit arva tamen.
At mihi perpetuò patriâ tellure carendum est,
Nî fuerit læsi mollior ira Dei.

INTERPRETATIO.

Ille habuit & certos milites, & comites fidos : mei sodales destituerunt me exulem. Ille lætus & victor tendebat in suam patriam : ego victus & profugus auferor à patriâ. Neque Dulichium, vel Ithaca, aut Same sunt mihi sedes, à quibus locis procul esse non est magnum supplicium ; sed Roma locus imperij, & Deorum, quæ circumlustrat universum mundum ex septem collibus. Ille habebat corpus durum, & patiens laborum; mihi vires infirmæ & ingenuæ. Ille erat semper exercitus rigidis armis ; ego fui assuetus mitibus studiis. Deus me afflixit, nemine diminuente nostra mala : Dea belli illi auxilio erat. Et cùm ille *qui imperium habet in aquas turgidas sit minor Jove, ira Neptuni urget illum, me Jovis. Adde quòd pars maxima laborum illius est falsa ; nulla fabula recensetur in nostris malis. Denique ille tamen rediit ad sedes petitas ; & pervenit tamen in campos, quos diu quæsivit. At mihi in æternum carendum est terrâ patriâ, nisi ira Dei offensi fuerit lenior.*

NOTÆ.

[b] *Manum*] Copias *scilicet*, aut milites quos secum vehebat.

[c] *Victor*] Excisâ Trojâ.

[d] *Same*] De hac insulâ, quæ & Cephalenia, Ulyssis etiam imperio subditâ, jam sæpè dictum.

[e] *Ingenuaque*] Quales sunt viri urbani, atque otium sequentis.

[f] *Deus*] *Augustus.*

[g] *Bellatrix*] *Pallas* ; quam suprà Ulyssi vidimus operam navantem.

[h] *Jovis*] *Augusti*] Adverte autem quàm venustè contraria contrariis per totam hanc sui cum Ulysse comparationem pensaverit Naso : quæ plurimùm artis & eloquentiæ habent.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Nec tantum Clario.] *Uxoris fidem & industriam laudat Poëta: quòd, quum nonnulli avidissimè inhiarent ejus opibus, ipsa ingenio, & amicorum præsidio integra omnia servaverit. Unde Poëta verecundè tantum pollicetur, eam fere suis carminibus immortalem.*

NEc tantum [a] Clario Lyde dilecta poëtæ,
Nec tantum [b] Coo Battis amata suo est:
Pectoribus quantùm tu nostris, Uxor, inhæres,
Digna minùs misero, non meliore viro.
Te mea supposita veluti trabe fulta ruina est:
Siquid adhuc ego sum, muneris omne tui est:
Tu facis, ut spolium ne sim, neu nuder ab illis
Naufragii [c] tabulas [d] qui periere mei.
Utque rapax stimulante fame cupidúsque cruoris
Incustoditum captat ovile lupus:
Aut ut edax vultur corpus circumspicit ecquod
[e] Sub nulla positum cernere possit humo:
Sic mea nescio quis, rebus malefidus acerbis,
In bona venturus, si paterêre, fuit.
Hunc tua per fortes virtus submovit amicos,
Nulla quibus reddi gratia digna potest.

INTERPRETATIO.

NEque Lyde fuit tantùm amata à Poëta Clario; neque Battis tantùm dilecta à suo Coo; quantùm tu inhæres nostro cordi, ô conjux digna marito minùs infelici, non meliore. Meum excidium est sustentatum à te tanquam trabe submissâ: si ego sum adhuc aliquid, totum est ex dono tuo. Tu præstas, ut ne sim præda, neve spolier ab illis qui perierunt asseres mei naufragii. Et quemadmodum lupus vorax & avidus sanguinis insidiatur ovili minùs custodito, fame impellente: vel sicuti vultur rapax circumspicit num possit videre aliquod corpus insepultum: ità nescio quis perfidus fuit involaturus in mea bona, rebus adversis, si sineres. Tua virtus hunc depulit per cordatos amicos, quibus nulla par gratia potest referri.

NOTÆ.

[a] *Clario*] Antimachum dicit, Poëtam Græcum haud ignobilem, qui Lyde uxore mortuâ, quam egregiè animo charam habuit, Elegiam mœroris solandi causâ scripsit, *Lyden* nomine. Clarius dicitur à Claro Ioniæ civitate Apollinis oraculo nobili juxta Colophonem: Quia verò Poëta fuit Antimachus atque adeò Apollini sacer, *Clarium* à vicino oraculo quàm *Colophonium* dicere maluit.

[b] *Coo*] Philetas est Poëta Elegiographus Co insulâ oriundus, qui Battidem suam carminibus celebravit. Alex. Magni floruit ætate, corporéque dicitur fuisse adeò tenui, ut ne ventorum flatibus raperetur, ei necesse fuerit plumbum addere.

[c] *Tabulas*] Bona dicit quæ Augustus non sustulit, adeòque à naufragio & exilio supererant; quibus quoquo modo enatare, & aliquatenus ærumnas lenire posset.

[d] *Qui periêre*] Nullibi non sunt frequentes hujuscemodi corvi, qui vivorum etiam corpora distringunt.

[e] *Sub nulla*] *Insepultum.*

Ergo quàm misero, tam [f] vero, teste [g] probaris:
[h] Hic aliquod pondus si modò testis habet.
Nec probitate tua prior est aut [i] Hectoris uxor,
Aut [k] comes extincto Laodamia viro.
Tu si [l] Mæonium vatem sortita fuisses;
[m] Penelopes esset fama secunda tuæ.
Sive tibi hoc debes, nullâ pia facta magistrâ;
Cúmque [n] novâ mores sunt tibi luce dati:
Fœmina seu [o] Princeps, omnes tibi cultâ per annos,
Te docet exemplum conjugis esse bonæ:
Assimilémque sui longâ assuetudine fecit:
Grandia si parvis assimilare licet.
Hei mihi, non magnas quod habent mea carmina vires,
Nostráque sunt meritis [p] ora minora tuis!
Si quid & in nobis vivi fuit ante vigoris,
Exstinctum longis occidit omne malis:
Prima locum sanctas heroïdas inter [q] haberes:
Prima bonis animi conspicerêre tui.
Quantumcunque tamen præconia nostra valebunt;
Carminibus vives tempus in omne meis.

INTERPRETATIO.

Adeòque quàm infelici, tam certo laudaris teste, si modò hic testis habet aliquam dignitatem. Neque vel conjux Hectoris, vel Laodamia prosequuta maritum mortuum tibi praecellit probitate. Si tu nacta esses Poëtam Mæonium, laus Penelopes esset minor tuâ. Seu tibi istud debes facta pia nullâ docente, & virtus tibi est concessa cum primâ vitâ; sive fœmina Princeps, à te observata per totam vitam, te docet esse in exemplum piæ uxoris, & reddidit te sibi similem longo usu; siquidem conceditur componere magna cum parvis. Hei mihi quòd mei versus non sunt magni ponderis; & nostrum eloquium est minus tuis beneficiis. Si etiam aliquid fuit olim acris vigoris in nobis, oppressum diutinis ærumnis totum interiit. Obtineres primum locum inter pias heroïdas: prima conspicua esses laude pietatis tuæ. Quantumcumque tamen celebratio nostra poterit, vives in omne ævum meis carminibus.

NOTÆ.

[f] *Vere*] Quia afflictis succurrere veræ est virtutis. De se loquitur Poëta, qui uxoris virtuti testimonium perhibet.

[g] *Probaris*] *Bona & proba à me diceris.*

[h] *Hic*] Ubi rerum verò testimonia adsunt, nihil opus est verbis. Cave interpretes audias, qui ineptissimè, ut quidem videtur, hîc hallucinati sunt. De se inquam, loquitur Poëta.

[i] *Hectoris*] Andromache, quæ maritum ardentissimè amavit.

[k] *Comes*] Namque Laodamia, cùm Protesilaum suum ab Hectore interfectum didicisset, superstes ei esse noluit. Verùm pleniùs illam ex epistolâ sua cognoveris.

[l] *Mæonium*] *Homerum*, scilicet, Poëtarum Græcorum principem.

[m] *Penelopes*] Quæ Ulyssis uxor Homerico carmine aliisque notissima.

[n] *Novâ luce*] *Die natali peculiari quodam cœli dono exornate.*

[o] *Princeps*] Liviæ Augusti uxori adblanditur: neque persuadet Amerbachius, ut de Martiâ intelligamus.

[p] *Ora*] *Eloquentia.*

[q] *Haberes*] Pendet ex eo quod dixit, *Hei mihi non magnas*: quasi dicat, *Siquidem id præstaret eloquentia mea quę digna est tua fides & in maritum Pietas, Prima locum.*—

ELEGIA VII.

ARGUMENTUM.

Si quis habes nostri.] *Amicum admonet Poëta, ut gemmâ faciem suam insculptam intuens, ejus exilii recordetur, demátque illi coronam ex hedera: siquidem hujusmodi insignia conveniunt fœlicibus poëtis. Mandat tamen insculptæ imaginis loco legatur opus Metamorphoseon in quindecim libellos digestum: quos quamvis ipse in exilium proficiscens, in ignem conjecerit, tamen eosdem pluribus exemplis conscriptos extare intelligit. Postremo sex versus mandat conscribi in primâ libelli fronte: quo lector admoneatur, illud opus inemendatum subitâ ejus consternatione circumferri.*

SI quis habes nostris similes in imagine vultus;
Deme meis [a] hederas Bacchica serta comis.
Ista decent lætos felicia signa poëtas.
Temporibus non est apta corona meis.
Hæc tibi [b] dissimulas, sentis tamen, optime, dici,
In [c] digito qui me fersque refersque tuo.
Effigiémque meam fulvo complexus in auro
Cara relegari, quâ potes, ora vides.
Quæ quoties spectas, subeat tibi dicere forsan,
Quàm procul à nobis Naso sodalis abest!
Grata tua est pietas: sed carmina [d] major imago
Sunt mea; quæ [e] mando qualiacumque legas.

INTERPRETATIO.

SI quis habes faciem similem nostra in effigie, tolle ex meis capillis hederas, & coronas Bacchicas. Ista indicia conveniunt felicibus Poëtis: serta non sunt idonea meis temporibus. Dissimulas optime, qui fers atque refers me in digito tuo, advertis tamen hæc tibi dici. Atque complexus meam imaginem in flavo auro, intueris, quatenus licet, vultus dilectos profugi. Quos quoties intueris, fortè succurrat dicere, quàm longè à nobis abest Naso socius! Acceptus est tuus Amor; verùm mei versus sunt præstantior effigies, quos qualescumque jubeo ut legas.

NOTÆ.

[a] *Hederas*] Quæ Baccho etiam sacræ, quibusque Poëtæ coronari gestiebant. Neq; verò Bacchus doliaris quidam fuit nebulo apud veteres, qualem fingunt ineptissimi Pictores, & cum illis popinones hodierni. Illum in remotis rupibus carmina docentem vidit olim Flaccus, Nymphásque discentes. Verùm legas ipse Carminum lib. 2. Oden 19.

[b] *Dissimulas*] *Non profiteris apud omnes.* Generosi quippe est non minùs amicum adversis quàm prosperis rebus colere. At certè, læso Principe, cautione maximâ est opus. Cùm ergo palàm ad amicos scribere non auderet Naso, ne & illos perderet, notis atque indiciis quibusdàm illos designabat, ex quibus quinam illi essent facilè ipsi intelligebant.

[c] *Digito*] Poëtæ effigiem ex annuli gemmâ aliquis ejus amicus habebat, quam in digito domi forisque ferebat: namque illud, ni fallor, his verbis *fersque refersque*, significatur.

[d] *Major*] Namque certè illud sumus maximè quod animo sentimus. Quæ res, si otiosis nebulonibus qui nihil vident neq; sciunt, vel in transitu occurreret, sese fortè tam turpiter in malam rem ruere non sinerent.

[e] *Mando*] Ut, *scilicet*, & ex carminibus suavitatem, aliaque, quæ in Poëta amore digna erant animo subjiceret: amicus ille, ne fomite suo destituta amicitia languesceret; & eâdem operâ, ex præceptorum gravitate quæ passim in Nasonis scriptis occurrunt suum pararet commodum.

Carmina [f] mutatas hominum dicentia formas:
Infelix domini quod fuga rupit opus.
Hæc ego diſcedens, ſicut bene multa meorum,
Ipſe meâ poſui mœſtus in igne manu.
Utque cremaſſe ſuum fertur ſub ſtipite natum
[g] Theſtias, & melior matre fuiſſe [h] ſoror;
Sic ego non meritos mecum peritura libellos
Impoſui rapidis [i] viſcera noſtra rogis.
Vel quòd eram Muſas, ut crimina noſtra, peroſus:
Vel quòd adhuc creſcens & rude carmen erat.
Quæ quoniam non ſunt penitus ſublata, ſed exſtant;
Pluribus exemplis ſcripta fuiſſe reor.
Nunc precor ut vivant, & non ignava legentem
Otia delectent, admoneántque mei
Nec tamen illa legi poterunt [k] patienter ab ullo;
Neſciet his ſummam ſi quis abeſſe manum.
Ablatum mediis opus eſt [l] incudibus illud:
Defuit & ſcriptis ultima lima meis.

INTERPRETATIO.

Verſus docentes figuras hominum verſas; quod opus lamentabile exilium domini coëgit deſerere. Ipſe ego triſtis profecturus illud injeci in ignem meâ manu, ſicut bene multa meorum; & ut Theſtias dicitur cremaſſe ſuum filium ſub terre, atque fuiſſe melior ſoror matre: ità ego immiſi in aſperum focum noſtra pracordia libellos indignos mecum occidere: vel quia odio habebam Muſas, ut noſtra flagitia; vel quia carmen erat adhuc imperfectum & rude. Quæ quandoquidem non ſunt omnino deleta, ſed superſunt, arbitror fuiſſe exarata multis exemplis: Nunc oro ut extent, & otia non inertia oblectent legentem, & revocent me in memoriam. Neque tamen illa poterunt legi aquo animo ab ullo, ſi quis ignoret ultimam manum non eſſe illis adhibitam. Illud opus eſt abreptum mediis incudibus; & noviſſima lima deſideratur meis ſcriptis.

NOTÆ.

[f] *Mutatas*] De Metamorphoſi loquitur; quæ procul dubio ſeriò meditanti, opus eſt & excellentiſſimum & jucundiſſimum.

[g] *Theſtias*] Althea eſt Theſtii filia, Meleagri mater, quæ interemtorum ab eo fratrum dolore, ſtipitem fatalem quo filii fata continebantur in ignem injecit. Verùm de his in præcedentibus, ubi vide. Facile eſt per Indicem: quo tamen labore, ſi quis eſt, operâ noſtrâ levaveris, ſiquidem ille adornatus eſſet.

[h] *Soror*] Melior ſoror fuit, ſiquidem fratrum causâ filium perdidit.

[i] *Viſcera*] Perinde, neque temerè, ſolent auctores de ſuis libris loqui, ac ſi filii eſſent, qui, ut notum eſt, parentum etiam viſcera appellantur.

[k] *Patienter*] Quia plura culpabit, ut ſentit Naſo: quæ tamen magno non ſunt numero. Sed enim docto, accurato, & politioris litteraturæ aut majoris boni ſtudioſo facile non eſt in cogitationibus ſuis acquieſcere. Vulgus illos credit ſuperbos, quia illud quod ſciunt, ut & alii diſcant, ſeſe ſcire profitentur. Cæterùm nullus reverâ modeſtior perito; quippe qui Veritatis quam aſſequutus eſt illuſtratus lumine, temeritatem & cæcitatem ſuam magis perſpicit; ſublimiorem atque exquiſitiorem, quam nondum attigit, Veritatem ſuſpicit. Quamobrem, utcunque abuſus ſit, ſapienter tamen Terentianus ille ſenex, qui homine imperito nihil quicquam injuſtius eſſe pronunciavit. Stolidus namque, qui nihil videt, eo maximè quòd nihil videt, ſeſe omnia videre autumat: atque ſuperbit.

[l] *Incudibus*] Metaphora à re ferrariâ, cujus artifices ſub incude ferrum diducunt donec formam ex voto ſumſerit.

Et veniam pro laude peto: laudatus abundè,
Non fastiditus si tibi, Lector, ero.
Hos quoque sex versus, in primi fronte libelli
Si præponendos esse putabis, habe.
Orba parente suo quicunque volumina tangis;
His saltem vestrâ detur in Urbe locus.
Quoque magis faveas, non sunt hæc edita ab ipso,
Sed quasi de domini funere rapta sui.
Quicquid in his igitur vitii rude carmen habebit,
Emendaturus, si licuisset, eram.

INTERPRETATIO.

Atque posco veniam pro laude: Ero satis laudatus, Lector, si non contemtus à te. Habe etiam hos sex versus ab initio primi voluminis, si credideris esse præfigendos. Quisquis tangis libellos destitutos suo patre, concedatur saltem his sedes in vestrâ Urbe. Et quò magis faveas, hi non sunt editi ab ipso, sed quasi sublati ex rogo domini. Siquidem ergo concessum fuisset, eram correcturus quicquid in his versus non expolitus habebit vitii.

ELEGIA VIII.

ARGUMENTUM.

In caput alta suum.] *Queritur Poëta eum, quo cum diu familiariter vixerat, subita poëtæ consternatione, & exilii ruinâ fidem mutasse. Mox tamen illum admonet, ut in fide permaneat, quo ejus officium laudare queat.*

IN [a] caput alta suum labentur ab æquore retro
Flumina: conversis Solque recurret equis.
Terra feret stellas: cælum findetur aratro:
Unda dabit flammas: & dabit ignis aquas.
Omnia naturæ præpostera legibus ibunt:
Pársque suum mundi nulla tenebit iter.
Omnia jam fient, fieri quæ posse negabam:
Et nihil est, de quo non sit habenda fides.
Hæc ego vaticinor; quia sum deceptus ab illo,
Laturum misero quem mihi rebar opem.

INTERPRETATIO.

Magni fluvii retrò ferentur à mari in suos fontes; & Sol recurret, equis conversis. Tellus producet astra: cælum scindetur aratro: aqua emittet flammas, & ignis ejaculabitur aquas: omnia ferentur contra leges naturæ; neque pars ulla orbis servabit suum tenorem. Omnia jam evenient, quæ negabam posse evenire; neque est quicquam quod non debeat credi. Ego hæc prædico, quia sum elusus ab illo, quem credebam auxilio futurum mihi misero.

NOTÆ.

[a] *Caput*] *Fontes & Scaturigines.* Ex eo quòd amicus quidam fidem erga Poëtam tempore adverso mutaverat, omnia etiam nova, & incredibilia evenire posse contendit. Atque artificium hoc est Nasonis maximum, quòd arguendo, maximam testatur sese in eo amico collocasse fiduciam: ut hac laude ad officium retraharur.

Tantane te, fallax, cepêre oblivia nostri?
Afflictúmne fuit tantus adire timor?
Ut neque respiceres, nec solarêre jacentem;
Dure? nec [b] exsequias prosequerêre meas?
Illud amicitiæ sanctum ac venerabile nomen
Re tibi pro vili sub pedibúsque jacet?
Quid fuit, ingenti prostratum [c] mole sodalem
Visere, & [d] alloquii parte levare tui?
Inque meos si non lacrymam dimittere casus,
Pauca tamen [e] ficto verba dolore queri?
Idque, quod ignoti faciunt, valedicere saltem;
Et vocem populi publicáque ora sequi?
Denique lugubres vultus, numquámque videndos
Cernere supremo, dum licuítque, die?
Dicendúmque semel toto non ampliùs ævo
Accipere, & parili reddere voce, Vale?
At fecêre alii nullo mihi fœdere juncti;
Et lacrymas [f] animi signa dedère sui.
Quid nisi convictu caussísque valentibus essem,
Temporis & longi vinctus amore tibi?
Quid, nisi tot lusus & tot mea seria nosses,
Tot nossem lusus seriáque ipse tua?

INTERPRETATIO.

Tantane oblivia nostri te ceperunt, deceptor; fuitne tantus metus visere pretritum? ut neque respiceres, neque consolareris afflictum, crudelis? neque cohonestares meum funus? Illud sanctum & venerabile nomen amicitia proculcatum est à te pedibus tanquam res nullius pretii? Quid fuit visitare aqualem afflictum vastâ mole, & consolari parte sermonis tui? Et, si non exprimere lacrymam propter meum infortunium, proferre pauca verba per questum simulato dolore? Et saltem valedicere, id quod ignoti prastant; & imitari sonos plebis, atque ora omnium? Denique aspicere ultimo die tristem faciem, & nunquam aspiciendam, dum concessum fuit: & accipere, & reddere voce simili Vale proferendum semel non ampliùs totâ vitâ? At alii nullo fœdere mihi devincti id prastiterunt, atque profuderunt lacrymas indicia animi sui. Quid nisi essem tibi junctus comessationibus, & caussis optimus, & amicitiâ longi temporis? Quid, nisi nosses tot lusus, & tot mea seria, & ego nossem tot lusus, & tua seria?

NOTÆ.

[b] *Exsequias*] De exsilio loquitur; neque sine causâ in funus prodire debere amicos innuit Poëta dùm vivunt. Quorsum enim mortuis exsequiarum splendidus apparatus?

[c] *Mole*] Calamitatem suam cum mole confert, quâ oppressus esset.

[d] *Alloquii*] Qui cauti sunt in consolando, illi latenter ærumnis oppressum animum, ad alia norunt deflectere; tantúmque saltem præterlabitur temporis, quo minùs torquentur qui in luctu degunt. Verùm si quis verè fuerit amicus, is profectò audacter partem doloris sibi assumendo, eâdem amicum levat: & quanquam verba & id tantùm fuerint, dolor insuper intensissimus,

Sunt Verba & voces quibus hunc lenire dolorem
Possis, & magnam morbi deponere partem.

[e] *Ficto*] Non quòd fictas lacrymas cuperet Naso, utcumq; neque illæ in totum nihil esse videantur; sed ut sibimet minùs consuluisse infidum amicum ostendat, cujus amicitiam nullus præterea magni pendat.

[f] *Animi*] *Benevolentia.*

Quid, si duntaxat Romæ mihi cognitus esses,
  Adscitus toties in genus omne loci?
Cunctáne in [g] æquoreos abierunt irrita ventos?
  Cunctáne [h] Lethæis mersa feruntur aquis?
Non ego te placidâ genitum reor [i] urbe Quirini;
  Urbe, meo quæ jam non adeunda pede est.
Sed scopulis, Ponti quos [k] hæc habet ora sinistri;
  Inque feris Scythiæ Sarmaticisque jugis.
Et tua sunt silicis circum præcordia venæ;
  Et rigidum ferri [l] semina pectus habent.
Quæque tibi quondam tenero ducenda palato
  Plena dedit nutrix ubera, [m] tigris erat.
At mala nostra [n] minùs, quàm nunc, aliena putasses;
  Duritiæque mihi non agerêre reus.
Sed quoniam accedit fatalibus hoc quoque damnis,
  [o] Ut careant numeris tempora [p] prima [q] suis;
Effice, peccati ne sim memor hujus; & illo
  Officium laudem, quo queror, ore tuum.

INTERPRETATIO.

Quid si tantùm mihi cognitus fuisses Romæ, vocatus toties in omne genus loci? Omniane discerpta sunt inania in auras æquoreas? Omniane auferuntur mersa aquis Lethæis? Ego non arbitrer te natum in miti Urbe Quirini, Urbe, quæ nunc non est petenda meo pede: sed in cautibus, quas hæc ora Ponti levi habet, & asperis verticibus Scythicis, & Sarmaticis. Et venæ saxi sunt circum tua viscera, & semina ferri tenent tuum *sævum pectus. Atque nutrix, quæ olim tibi præbuit distentam mammam sugendam à tenero palato erat tigris. At arbitratus esses dolores nostros minùs alienos quàm nunc putas: neque argueris à me reus crudelitatis. Sed siquidem hoc etiam additur fatalibus malis, ut tempora prima careant suis numeris, fac ne recorder hujus flagitii; & prædicem tuum meritum illo ore quo queror.*

NOTÆ.

[g] *Æquoreos*] Quàm appositè! ut longissimè à terrâ & omni viventium commercio amicitiam atque humanitatem suam allegasse videatur quisquis ille est de quo hîc Naso queritur: quem, nisi silicem in pectore habuit, exquisitâ hâc illius exprobratione & enumeratione maximopere commotum oportuit.

[h] *Lethæis*] Quales fuerunt ex Lethe inferorum palude hauriendæ, quæ præteritorum omnium recordationem occludebant.

[i] *Urbe Q.*] *Româ*, à Romulo seu Quirino conditâ, ubi homines mitioribus atque humanioribus moribus prædtti.

[k] *Hæc*] Ponti sinistri ora *scilicet*, ad quam aut contendisse, aut appulsum veriùs esse jam tum credideris Nasonem, tametsi Tomos nondum pervenisset.

[l] *Semina*] *De la mine.* Nondum enim igne emollitum ferrum multò est rigidius.

[m] *Tigris*] Quas feras Armenia gignit sævissimas, Canis magnitudine.

[n] *Minùs*] *Utinam magìs tua credidisses;* sicuti ille alius, ad quem ità Naso,

O cui præcipuè sors mea *visa* sua est.

[o] *Ut careant*] *Ut nullam, vel non eandem quam antea mihi fidem præstet.*

[p] *Prima*] *Ex quo adversam fortunam sentio*, scilicet. Vel *prima* intellige omnino, quibus hic malè fidus amicus Romæ Nasoni favebat.

[q] *Suis*] Namque Poëtam hîc de quo ille queritur non minùs amplecti debuit in adversis quàm secundis rebus. Numeros vocat amoris testificationem quæ nulla fuit ex quo Poëta relegatus; atque adeò neque veteri amicitiæ respondit, neque ullam fuisse in Poëtæ adversis rebus indicavit.

ELEGIA IX.

ARGUMENTUM.

Detur inoffensæ.] *Queritur poëta vulgum sequi fortunam, & secundis tantum rebus adesse amico, at in adversis eum destituere: quod quidem re sibi cognitum fuisse docet. Siquidem antequam relegaretur ab Augusto, multos habuit amicos: ac postquam subitâ ruinâ corruit, neminem invenit, in cujus præsidio acquiesceret, quum multis per Cæsaris modestiam id præstare licuisset: quandoquidem ab eo hostilis erga amicum amor etiam probetur.*

DEtur [a] inoffensæ [b] metam tibi tangere vitæ,
Qui legis hoc nobis non inimicus opus.
Atque utinam pro te possint mea vota valere,
Quæ pro me duros non tetigêre Deos!
Donec eris felix, multos numerabis amicos:
Tempora si fuerint nubila, solus eris.
Aspicis, ut veniant ad candida tecta columbæ;
Accipiat nullas sordida turris aves.
Horrea formicæ tendunt ad inania nunquam:
Nullus ad amissas ibit amicus opes.
Utque comes radios per Solis euntibus umbra,
Cùm latet hic pressus nubibus, illa fugit;
Mobile sic sequitur Fortunæ [c] lumina vulgus:
Quæ simul inductâ nube teguntur, abit.
Hæc precor ut semper possint tibi [d] falsa videri:
Sunt tamen eventu vera fatenda meo.
Dum stetimus, turbæ quantùm satis esset, habebat
Nota quìdem, sed non ambitiosa, domus.
At simul impulsa est; omnes timuêre ruinam:
Cautáque communi terga dedêre fugæ.

INTERPRETATIO.

COncedatur tibi, qui legis hoc opus non infensus, pervenire ad metam vitæ inoffensæ: atque utinam meæ preces pro te possint esse ratæ, quæ pro me non moverunt Deos sævos! Quandiu eris beatus recensebis multos amicos: si tempora fuerint nebulosa, eris solus. Vides, ut columbæ coëant ad turres albas: tectum obsoletum nullas habeat aves. Formicæ nunquam petunt granaria vacua: nullus amicus concedat ad divitias perditas. Et sicut umbra est comes ambulantibus per radios Solis; cùm hic absconditur tectus nebulis, illa evanescit. Sic vulgus incertum comitatur splendorem fortunæ; qui statim atque velatur nebulâ immissâ, excedit. Oro, ut hæc tibi possint videri semper vana: attamen sunt agnoscenda vera experientiâ meâ. Domus cognita quidem, sed non superba, habebat turba quantùm satis esset, quandiu valuimus: at statim atque concussa est, omnes metuerunt ruinam, & verterunt dorsum providum in communem fugam.

NOTÆ.

[a] *Inoffensa*] Quam nulla turbet calamitas.
[b] *Metam*] Pro fine posuit.
[c] *Lumina*] Id est, *favorem*.

[d] *Falsa videri*] *Atque adeò vel nullâ obruaris calamitate; vel si id maximè te tamen amici eodem prosequantur amore.*

Sæva nec admiror metuunt si fulmina, quorum
Ignibus afflari proxima quæque solent.
Sed tamen in duris remanentem rebus amicum
Quamlibet inviso Cæsar in hoste probat.
Nec solet irasci (neque enim moderatior alter,)
Cùm quis in adversis, si quid amavit, amat.
De [e] comite Argolici postquam cognovit [f] Orestæ,
Narratur Pyladen [g] ipse probasse Thoas.
Quæ fuit [h] Actoridæ cùm magno semper Achille,
Laudari solita est [i] Hectoris ore fides.
Quòd pius ad manes Theseus comes isset [k] amico,
[l] Tartareum dicunt [m] indoluisse Deum.
[n] Euryali Nisique fide tibi, [o] Turne, relata,
Credibile est lacrymis immaduisse genas.
[p] Est etiam miseris pietas, & in [q] hoste probatur.
Hei mihi, quàm paucos hæc mea dicta movent.

INTERPRETATIO.

Neque miror, si timent fulmina, quorum ignibus proxima quæque solent corripi. Sed tamen Cæsar laudat in hoste maximè infesto amicum perstantem rebus adversis. Neque solet offendi (neque enim alius lenior) cùm quis diligit in duris rebus, *si quid dilexit. Postquam Thoas cognovit de socio Orestæ Argolici dicitur laudasse Pyladen. Fides quæ semper fuit Actoridæ cum magno Achille solita est probari ore Hectoris. Aiunt Deum Tartareum ægrè tulisse, quòd pius Theseus venisset comes amico ad manes. Credibile est genas tuas humectatas fuisse lacrymis, Turne, fide Euryali & Nisi tibi renunciatâ. Est etiam Pietas quæ spectat miseros, & laudatur in hoste. Hei mihi quàm paucos hæc mea verba tangunt.*

NOTÆ.

[e] *Comite*] Pylade Strophii Phocensis filio, quem cum esse Orestes ad Dianæ aras mactandus, ne aliquid mali pro se pateretur, *scilicet*, Thoanti Tauricæ regionis regi indicavit; cùm Oresten se esse contrà ille amici servandi gratiâ profiteretur. Uterque pro socio mori studebant.

[f] *Orestæ*] Hunc Agamemnonis filium jam suprà furiis, ob interfectam matrem, agitatum vidimus; illúmque denuò in scenam proferet Poëta.

[g] *Ipse*] Utcumque crudelissimus tyrannus, qui humanas hostias Dianæ aris admoveret: ut multò potiori ratione mitissimus Augustus amicorum ratam fidem probet.

[h] *Actoridæ*] Patroclus est, Actoris filius, Achilli amicitiâ conjunctissimus.

[i] *Hectoris*] Quanquam ille Priami filius Achillis atque Patrocli hostis esset.

[k] *Amico*] Pirithoo, scilicet; de quo jam suprà.

[l] *Tartareum*] *Plutonem*, qui Tartaro etiam Inferorum obscurissimo & frigidissimo loco in quo rei custodiuntur, jure præest.

[m] *Indoluisse*] Quia pius Theseus; quemque ideò minùs ulcisci licebat.

[n] *Euryali*] Repete suprà quæ de istis scripsimus.

[o] *Turne*] Rutulorum rex fuit, Virgiliano carmine, gravique adversus Ænean gesto bello notissimus.

[p] *Est*] *Pietas vocatur, eaque est virtus pretiosissima à Deo derivata quâ amplectimur miseros.* Verissimè, si quicquam aliud; magnáque est hujus virtutis merces.

[q] *Hoste*] *Hostem etiam laudaverit, qui miserorum hostiúmque movetur calamitatibus.*

ELEGIA X.

ARGUMENTUM.

Amico gratulatur quòd studio & doctrinâ magnam sibi laudem paraverit, gravioribus disciplinis intentus: cùm ipse ob lasciviorem Musam gravem in se calamitatem derivarit.

HIc status, hæc rerum nunc est fortuna mearum,
Debeat ut lacrymis nullus adesse modus.
At mea sunt, proprio quamvis mœstissima casu,
Pectora profectu facta serena tuo.
[a] Hoc eventurum jam tum, carissime, vidi,
Ferret adhuc [b] istam cùm minor aura [c] ratem.
Sive aliquod morum, seu vitæ labe carentis
Est pretium; nemo pluris habendus erit.
Sive per ingenuas aliquis caput extulit artes;
[d] Quælibet eloquio fit bona caussa tuo.
His ego commotus, dixi tibi protinus ipsi;
[e] Scena manet dotes grandis, amice, tuas.
Hæc mihi non ovium [f] fibræ tonitrúsve [g] sinistri,
[h] Linguáve servatæ [i] pennáve dixit avis.

INTERPRETATIO.

HIc est nunc status, hæc sors rerum mearũ, ut nullus debeat esse finis lacrymis. At quanquam meum cor est tristissimum proprio infortunio, exhilaratum est successu tuo. Sensi hoc futurum, dilectissime, jam tum cùm levior ventus adhuc impelleret istam navem. Seu laus est aliqua morum, seu vita integra, nullus erit pluris faciendus. Sive aliquis sustulit caput per artes liberales, omnis caussa fit bona eloquentiâ tuâ. Ego his inductus continuò dixi tibi ipsi, Amice, vasta scena debetur tuo ingenio. Non exta pecudum, aut tonitrua læva, aut lingua, vel penna alitis observata hæc mihi aperuit.

NOTÆ.

[a] *Hoc eventurum*] *Ut magnos progressus faceres.*

[b] *Istam*] *Tuam*, scilicet.

[c] *Ratem*] Vitam intellige. *Cùm minor aura ferret ratem*, id est, *cùm nondum quale esset ingenium tuum debiliori ætate omnibus patesceret.*

[d] *Qualibet*] *Cujuscumque sit generis, Demonstrativi, Deliberativi, aut Judicialis*: nisi insuper omnia ex hujus amici sui ore vera videri intendit Naso.

[e] *Scena*] *Ut magno in theatro spectanda sit tua virtus.*

[f] *Fibræ*] Ex quibus futura ante suum tempus stultissimè eruere nitebantur Ethnici.

[g] *Sinistri*] Quos prospera cur denuntiare crediderint ineptissimi conjectores, seu illa quæ nobis sinistra quia Deorum à dextrâ veniunt, seu caussâ aliâ, illis inquirendum relinquo, qui cum illis in dementiam prolabi cupiunt. Ipse quidem alia qui longè meliora suboleo, quæ primis labiis delibare vix contigit ad illa propero: quisquilias datâ operâ contemno: bonos insuper adhortor omnes, ne putidis hujusmodi fœtoribus pectus suum inquinari patiantur.

[h] *Linguáve*] Ex cantu enim & garritu avium, si diis placet, aut illorum licet contemnere futilitatem, futura etiam aucupabantur: Neque verò hodieque desunt, qui ex picarum garrulitate omina captanda autumant.

[i] *Penna*] Namque & præpetes relatu dabant auguria.

Augurium ratio eſt, & conjectura futuri:
Hâc divinavi, notitiámque tuli.
Quæ quoniam rata ſunt; totâ mihi mente tibíque
Gratulor, ingenium non latuiſſe tuum.
At noſtrum tenebris utinam latuiſſet in imis!
Expediit ſtudio lumen abeſſe meo.
Utque tibi proſunt artes, facunde, ſeveræ;
[k] Diſſimiles illis ſic nocuêre mihi.
Vita tamen tibi nota mea eſt: ſcis artibus [l] illis
Auctoris mores abſtinuiſſe ſui.
Scis vetus hoc [m] juveni luſum mihi carmen: & iſtos,
Ut non laudandos, ſic tamen eſſe jocos.
Ergo ut defendi nullo mea poſſe colore,
Sic [n] excuſari crimina poſſe puto.
Quâ potes, excuſa: nec amici deſere cauſſam.
Quo bene cœpiſti, ſic pede ſemper eas.

INTERPRETATIO.

Ratio eſt vaticinium, & omen futuri: hâc conjeci, & conſequutus ſum cognitionem. Quæ ſiquidem certa ſunt, gratulor mihi atque tibi toto animo, tuas dotes non occultas fuiſſe. At utinam noſtra ſepulta eſſent in profundiſſimis tenebris! Utile fuit lumen abeſſe meo ſtudio. Et ſicuti artes ſeveræ te juvant, diſerte, ſic illis diſpares mihi obfuerunt. Vita tamen mea tibi eſt perſpecta: ſcis mores auctoris ſui abſtinuiſſe illis artibus. Scis hoc vetus carmen ſcriptum à me adoleſcente; atque iſtos, ut non probandos, ita tamen eſſe luſus. Sicut ergo arbitror mea peccata nullo colore poſſe defendi, ità opinor poſſe excuſari. Excuſa quatenus licet; neque deſtitue cauſſam amici. Perge ſemper eodem pede quo bene ingreſſus es.

NOTÆ.

[k] *Diſſimiles*] *Mollieres*, ſcilicet, atque *in laſciviam prona.*

[l] *Illis*] *Diſſimilibus & impuris* ſcil. Cæterùm non perſuadet Naſo: namque illud os profert quod cor amat aut odit. Odiſſe verò nullus credat qui legerit.

[m] *Juveni*] Atque adeò, ſiquidem illud unum fuiſſet; vel jam pridem vel nunquam exilio pulſus eſſet Naſo.

[n] *Excuſari*] Eſto iſtud, ſiquidem pœnitet, & vetus crimen, neque aliud.

ELEGIA XI.

ARGUMENTUM.

Eſt mihi, ſitque precor.] *Laudat navem Ovidius quam in ſinu Corinthiaco accepit : & quum altera navis diu eundem curſum tenuiſſet, quem navis poëta : quumque poſteà ex Samothraciâ ſolverent, utriuſque navigationem & loca deſcribit. Optat deinde, ut incolumis Tomum navis eum perferat. quod ſi contigerit, Minervæ ſe agnam immolaturum pollicetur. Poſtremò Caſtorem & Pollucem precatur, ut utrique navi adſint.*

Eſt mihi, ſitque, precor, flavæ [a] tutela Minervæ
  Navis ; & à picta [b] Caſſide nomen [c] habet.
Sive opus eſt velis ; minimam bene currit ad auram :
  Sive opus eſt remo ; remige carpit iter.
Nec comites volucri contenta eſt vincere curſu ;
  Occupat egreſſas quamlibet antè rates.
Et patitur fluctus, fertque aſſilientia longè
  Æquora, nec ſævis icta fatiſcit aquis.
Illa Corinthiacis primùm mihi cognita [d] Cenchris
  Fida manet trepidæ duxque comeſque fugæ.
Perque tot eventus, & iniquis concita ventis
  Æquora, Palladio numine tuta fugit.

INTERPRETATIO.

Eſt mihi navis, ſitque oro, tutela flavæ Minervæ ; & habet nomen à pictâ galeâ. Sive opus eſt carbaſis, fertur bene minimo vento ; ſive opus eſt remis, impellitur remige. Neque illi ſatis eſt ſuperare ſocias celeri curſu ; attingit naves multò antè egreſſas. Et fert undas, & firma eſt adverſus maria è longinquo irruentia, neque ſolvitur verberata feris aquis. Illa primùm mihi cognita Cenchris Corinthiacis, ſtat fidelis dux & comes pavidi exilii. Atque per tot caſus, & maria turbata ventis adverſis evaſit ſecura numine Palladio.

NOTÆ.

[a] *Tutela*] Jam ſuprà monuimus veteres in puppi ſacrarium quoddam habuiſſe in quo Dii locati navis præſides atque cuſtodes, qui *Tutelæ* dicebantur. Adeòque hìc Navis *Tutela* appellatur per appoſitionem, quaſi dicat Poëta ſibi navim eſſe & Tutelam Minervæ, cùm navis in tutelâ Minervæ.

[b] *Caſſide*] Hinc patet non ſemper à Diis ſub cujus tutelâ eſſent, navibus impoſita eſſe nomina : crediderímque in prorâ inſigne ſculptum pictúmque fuiſſe ut plurimùm ex quo nomen ſumeretur : quomodo divus Paulus à Caſtore & Polluce illam deſignat, quâ in Italiam vectus eſt. *Corbitæ* dicebantur communiter naves onerariæ, quæ in ſummo malo corbes pro ſigno gerebant. Galeam inſigne habebant quæ bello paratæ : Mercurij petaſum quæ ad celeritatem : Caduceum pacificatoriæ. Singulis verò etiam ſuum nomen, ab inſigni aliquo extante, ut dixi, quod nomen & illi loco inſcribebatur, quem dixerunt *Oculum*.

[c] *Habet*] *Navis* ſcilicet ; namque perperam ad Minervam retulit Commentator ; neque id patitur Poëtæ ingenium.

[d] *Cenchris*] Cenchreæ pagus fuit & navale Corinthiorum ad ſinum Saronicum. Per ſynizeſim autem triſyllabum *Cenchreis* pro diſſyllabo poſitum.

Nunc quoque tuta precor vasti secet [e] ostia Ponti;
Quásque petit, [f] Getici litoris intret aquas.
Quæ simul [g] Æoliæ mare me deduxit in Helles,
Et longum [h] tenui limite fecit iter;
Fleximus in lævum cursus: & ab [i] Hectoris urbe
Venimus ad portus, [k] Imbria terra, tuos.
Inde levi vento [l] Zerynthia littora nactis
Threïciam tetigit fessa carina [m] Samon.
[n] Saltus ab hac terrâ brevis est [o] Tempyra petenti.
Hac [p] dominum tenus est illa secuta suum.
Nam mihi [q] Bistonios placuit pede carpere campos:
Hellespontiacas illa [r] relegit aquas.
[s] Dardaniámque petît auctoris nomen habentem:
Et te [t] ruricolâ Lampsace tuta Deo.

INTERPRETATIO.

Nunc etiã oro secura pervadat aditus vasti Ponti, & subeat aquas littoris Gotici, quò contendit. Quæ postquam me deduxit in mare Helles Æolia, & superavit longũ iter angusto limite, fleximus cursus in sinistram partem, & ab urbe Hectoris venimus ad portus tuos, terra Imbria. Inde navis lassa pervenit ad Samon Thraciam postquam legissemus littora Zerynthia levi aurâ. Trajectus exiguus est ab hâc terrâ petenti Tempyra. Illa comitata est dominum suum huc usque. Nam mihi placuit iter facere per agros Bistonios: illa repetivit aquas Hellespontiacas. Atque contendit Dardaniam nactam nomen ædificatoris, & te Lampsace secura Deo agricolâ:

NOTÆ.

[e] *Ostia*] Thracius Bosphorus, ni fallor, per hæc ostia intelligitur, siquidem per illum aditus est ad Pontum, Pontique insuper aquæ in Propontidem per eundem defluunt. Somniasse mihi videntur qui *aditus fluminum in mare* hîc meminerunt.

[f] *Gotici*] Fuerunt Getæ in Scythiâ ad Ponti Euxini oram occidentalem.

[g] *Æolia*] Fuit Helle Athamantis Thebarum regis & Nepheles filia, quæ novercæ insidias metuens, cùm accepto à patre ariete aureo Pontum vellet trajicere, periculi magnitudine perterrita, in mare decidit quod ab eâ *Hellespontus* dictum est. Illa autem *Æolia* ab Avo Æolo, Athamantis patre vocata est.

[h] *Tenui*] Quia per Hellesponti angustias coarctatur mare.

[i] *Hectoris urbe*] *Trojâ*, scilicet: neque hîc quicquam video difficultatis, quod interpretem tantùm morari potuerit.

[k] *Imbria*] *Imbros* vel *Imbrus* insula est non longè à Lemno & Samo, Thraciæ oræ ferè adjacens.

[l] *Zerinthia*] Fuit Zerinthus oppidum Samothraciæ insulæ, quæ Poëtæ ab Imbro in Thraciam tendenti occurrit.

[m] *Samon*] Plures fuerunt eo nomine insulæ; quamobrem hæc *Thracia* dicitur, quam illi regioni adjacere modò observavimus.

[n] *Saltus*] *Trajectus*: proxima namque Thracia.

[o] *Tempyra*] Urbs est Thraciæ, quæ Antonino *Timpirum* dicitur, non longè à Trajanopoli.

[p] *Dominum*] *Nasonem* scilicet.

[q] *Bistonios*] Quibus à Bistone lacu, aut Bistoniis seu Bistonibus populis illud datum nomen. Illos verò ingressus est Naso, cùm primùm è navi descendit, deinceps pedes iter facturus.

[r] *Relegit*] Hanc vocem quam in textum retrahendam suspicatus erat Micyllus, atque in Medoniano invenit clariss. Heinsius, non cunctanter arripui, siquidem omnem difficultatem tollit. Ab Hellesponto cursum suum in sinistram partem flexerant, ut ad Bistonia littora Naso appelleret: nunc institutum cursum relegit seu repetit navis.

[s] *Dardaniam*] Quæ urbs est ad Hellesponti angustias non longè ab Ilio, à Dardano condita.

[t] *Ruricolâ*] Priapus est Bacchi & Veneris filius, hortorum Deus. Lampsaci natum volunt; unde obscœnitatis causâ pulsus: quanquam & postea eidem Lampsaceni templa posuerunt.

[u] Quaque per angustas vectæ malè [x] virginis undas
[y] Seston Abydenâ separat urbe fretum.
Hincque [z] Propontiacis hærentem [a] Cyzicon oris;
Cyzicon [b] Hæmoniæ nobile gentis opus:
Quaque tenent Ponti [c] Byzantia littora fauces,
Hîc locus est [d] gemini janua vasta maris.
Hæc precor evincat, propulsáque flantibus Austris
Transeat instabiles strenua [e] Cyaneas:
[f] Thyniacósque sinus, & ab his per [g] Apollinis urbem
Alta sub [h] Anchiali mœnia tendat iter.
Inde [i] Mesembriacos portus, & [k] Odesson, & [l] arces
Prætereat dictas nomine, Bacche, tuo:
Et quos [m] Alcathoi memorant à mœnibus ortos
Sedibus his profugum constituisse [n] Larem.

INTERPRETATIO.

& quâ fretum sejungit Seston ab urbe Abydenâ per arctas aquas puella malè vecta. Hincque Cyzicon positam ad oras Propontiacas, Cyzicon inclytũ opus nationis Hæmoniæ; & quâ littora Byzantia occupant angustias Ponti. Hic locus est vastum ostium duplicis maris. Oro ut ista superet, & acta Austris adspirantibus, fortis pervadat fluctuantes Cyaneas, & sinus Thyniacos, & ab his flectat iter per urbem Apollinis, sub excelsos muros Anchiali. Inde prætereat portus Mesembriacos, & Odesson, & arces appellatas nomine tuo, Bacche; & quos dicunt ortos ab urbe Alcathoi posuisse Larẽ exulẽ in his domibus:

NOTÆ.

[u] *Quáque*] Angustias designat Hellesponti, ubi Helle ariete vecta in mare decidit.

[x] *Virginis*] *Helles, Athamantis filiæ.*

[y] *Seston*] Europæ est arx hodie, urbs olim, è regione Abydi in Asiâ: inter quas Hellespontus. Appellantur hodie *los Dardanelles.*

[z] *Propontiacis*] *Propontis* dicitur mare quod ab Hellesponto ubi coarctatur, latiùs in partem Septemtrionalem diffunditur.

[a] *Cyzicon*] Ad Propontidem verò oppidum illud fuit arce, mœnibus, portu, turribúsque marmoreis Asiaticæ plagæ littora illustrans: ut scripsit Florus.

[b] *Hæmoniæ*] Quia Cyzicus Rex, Ænei Hæmonii, seu Thessali ex Ænipe vel Ænete Thracum regis natâ, fuit filius; qui Cyzico urbi nomen, cùm priùs *Arctonesus, Dolionis, & Dyndimus* diceretur, Plinio teste, mutavit.

[c] *Byzantia*] Quæ à Byzantio *Constantinople*, urbe in Europâ munitissimâ atque amplissimâ ad Thracium Bosphorum, nomen habuerunt.

[d] *Gemini*] *Propontidis*, quâ ad mare Ægæum descenditur, & *Ponti-Euxini.*

[e] *Cyaneas*] Duæ fuerunt insulæ aut scopuli ad ostia Ponti-Euxini, quas instabiles, & concurrentes etiam ideò finxerunt, quòd ex adverso intrantibus geminæ, mox ex obliquo intuentibus, quasi conjunctæ viderentur.

[f] *Thyniacos*] A Thyniâ urbe & promontorio, in Ponti orâ sinistrâ, non longè ab Apolloniâ.

[g] *Apollinis*] Apollonia est, de quâ modò, quæ etiam ad Ponti oram sita est: Hodie *Sissopoli* dicitur.

[h] *Anchiali*] Urbs fuit *Anchialus* ab Apolloniatis condita, ad oram Getici littoris; quæ hodieque *Anchialo* dicitur, & Turcis paret.

[i] *Mesembr.*] Urbis Mesembriæ, quæ ad Pontum-Euxinum sita, in extremo angulo Thraciæ, & Mœsiæ inferioris confinio.

[k] *Odesson*] Hæc Mœsiæ est inferioris.

[l] *Arces*] Dionysiopolim dicit in eodem Mœsiæ tractu, ad Pontum-Euxinum.

[m] *Alcathoi*] Fuit Alcathous Pelopis filius, qui Megaris regnavit; unde orti qui *Calatim* seu *Callatiam* urbem in littore Getico tenuerunt. Quanquam enim Pomponius Milesiorum, Strabo Heracliensium Coloniam eam esse scripserint, cùm nullum aliud oppidum in eo de quo agitur tractu magìs opportunum occurrat, ibi consedisse etiam Megarenses conjiciendum est.

[n] *Larem*] Lares jam sæpiùs Deos fuisse diximus domesticos.

A quibus adveniat [o] Miletida ſoſpes ad urbem,
Offenſi quò me compulit ira Dei.
Hanc ſi contigerit, [p] meritæ cadet agna Minervæ.
Non facit ad noſtras hoſtia [q] major opes.
Vos quoque [r] Tyndaridæ, quos [ſ] hæc colit inſula, fratres,
Mite precor [t] duplici numen adeſte viæ.
Altera namque parat Symplegadas ire per arctas,
Scindere Biſtonias [u] altera puppis [x] aquas.
Vos facite, ut ventos, loca cùm diverſa petamus,
Illa ſuos habeat, nec minùs iſta ſuos.

INTERPRETATIO.

à quibus incolumis contingat urbem Miletida, quo ira Dei læſi me miſit. Si illuc perveneris, agna mactabitur Minervæ meritæ. Major victima non ſpectat ad noſtras facultates. Vos etiam Tyndaridæ fratres, quos hæc inſula veneratur, oro adeſte numen propitium duplici itineri. Namque altera navis intendit ire per anguſtas Symplegadas, altera ſulcare aquas Biſtonias. Vos præſtate, ut, cùm tendamus in loca diverſa, illa fruatur ſuis ventis, neque minùs iſta ſuis.

NOTÆ.

[o] *Miletida*] Tomos dicit Mileſiorum coloniam, quò relegatus Poëta.

[p] *Meritæ*] Siquidem navem quæ exilii ſolatia, ipſumque Poëtam priùs vexerat, ad optatum portum perduxerit.

[q] *Major*] Namque, niſi exul, & minùs potens vacca mactanda fuit, ut in 4. Metam. ipſe Naſo indicavit.

[r] *Tyndaridæ*] Caſtor & Pollux, qui Tyndari eſſe putabantur uterque, (cùm Jovis alter ſaltem eſſet) quia Leda mater Tyndaro nupta. Illi autem nautis faventia numina eſſe credebantur.

[ſ] *Hæc*] Samothracia *ſcil.* ſeu Samothrace, in quâ Caſtor & Pollux, Cabiri, Dioſcori, & Dii magni Ethnicis, culti: atque hinc in eâ ſcriptam hanc Elegiam fuiſſe apparet.

[t] *Duplici*] Quia navis, quâ ſarcinæ atque inſtrumenta vehebantur per Helleſpontum Symplegadas & Pontum Tomos petere cogebatur: ipſe verò Poëta qui pede carpere iter conſtituerat per Biſtonios campos tranſibat.

[u] *Altera puppis*] De ſe ipſo loquitur Poëta; quomodo & ſuprà *ratem* uſurpavit pro amico, ad quem verba faciebat.

[x] *Aquas*] Horatius de Ulyſſe,
—*adverſis rerum immerſabilis undis.*

ELEGIA XII.

ARGUMENTUM.

Littera quæcunque eſt.] *Excuſat ſe Ovidius, ſi quid fortè in eius carmine incultum fuerit & minùs elegans: culpámque hujus rei omnem rejicit in tempeſtatem & fluctus, quibus obſtrepentibus ſe hæc ſcripſiſſe narrat.*

Littera quæcunque eſt toto tibi lecta libello,
Eſt mihi ſollicitæ tempore facta viæ.

INTERPRETATIO.

Littera, quæcumque eſt à te lecta toto libello, eſt conſcripta à me tempore viæ anxiæ.

Aut

Aut hanc me, gelidi tremerem cum mense Decembris,
Scribentem mediis [a] Hadria vidit aquis:
Aut, postquam bimarem cursu superavimus [b] Isthmon:
Alteráque est nostræ sumta carina fugæ.
Quod facerem versus inter fera murmura ponti,
[c] Cycladas Ægæas obstupuisse puto.
Ipse ego nunc miror, tantis animíque maríſque
[d] Fluctibus ingenium non cecidisse meum.
Seu stupor [e] huic studio, sive huic insania nomen;
Omnis ab [f] hac curâ mens relevata mea est.
Sæpe ego nimbosis dubius jactabar ab [g] Hædis:
Sæpe minax [h] Steropes sidere pontus erat,

INTERPRETATIO.

Vel Adriaticum mare me vidit hanc exarantem, cùm tremerem mense frigidi Decembris in mediis aquis: vel postquam evicimus cursu Isthmon bimarem, & altera navis capta est in nostrum exilium. Arbitrer Cycladas Ægæas attonitas fuisse, quòd scriberem carmina inter sævos mugitus maris. Ipse ego nunc miror, ingenium meum non lapsum esse tantis undis mentis & maris. Seu stupor, seu vesania est *nomen huic curæ, tota mea mens est sustentata ab hoc studio. Sæpe ego trepidans agitabar ab Hædis imbriferis: sæpe mare erat minax stellâ Steropes:*

NOTÆ.

[a] *Hadria*] Mare est Adriaticum, ab Adriâ urbe non longè à Venetiis sitâ, sic dictum.

[b] *Isthmon*] Corinthiacum dicit, qui Ægæo & Ionio mari alluitur. *Isthmus* autem dicitur terræ angustia inter duo maria coarctata.

[c] *Cycladas*] Ægæi maris sunt insulæ duodecim in orbem positæ; κύκλος enim *orbis* est.

[d] *Fluctibus*] Percellitur verò gravissimè & distrahitur animus etiam rerum adversarum tempestate.

[e] *Huic*] *Poëtico*; de quo Davus ille Horatianus ad dominum

Aut insanit homo, aut versus facit.

Arbitratur nimirum stupidum vulgus dementes omnes eos esse, qui juxtà cum illis ad easdem terræ feces animum non demittunt, eæcoque impetu in brutas voluptates non feruntur.

[f] *Hâc*] Quam faciebat exilium. Studia verò etiam adversis perfugium ac solatium præbent: ut docuit Cicero. Immò sine illis, modò suo sensu intelligas, hominem necesse est in propriis volutari cæcis, obscœnis, irrequietis, & miseris cogitationibus, donec ad Tartara deturbetur. Lumine omnino opus est illi, eoque qui à Sole est Justitiæ, quisquis ad æternam vitam assurgere nititur. Verùm hæc omnia apud plerosque pro fabulis veniunt. Christus Jesus mortuus est pro illis. Istud satis est: namque decreta Dei sunt immutabilia. Pecora quorum non immeritò jam diu nefariam irrisionem dæmonibus ulciscendam tradidit æquissimus Terræ Judex.

[g] *Hædis*] Hædi dicuntur stellæ duæ in humero aut brachio Aurigæ seu Erichthonii, quæ ortu atque occasu suo tempestates ciere dicuntur.

[h] *Steropes*] Una fuit ex septem Pleiadibus, Pleiones & Atlantis filiabus: quæ Pleiades in cœlum translatæ & ante Tauri collum positæ cùm circa Æquinoctium vernum oriantur atque æstatem & navigandi tempus significent, Græcis à πλέω *navigo* nomen sortitæ sunt, *Vergiliæ* Latinis à, vere dictæ. Occasu autem suo hyemem atque tempestates indicant, Poëtis saltem si fidem habeas.

Fuſcabátque diem [i] cuſtos [k] Erymanthidos Urſæ;
 Aut [l] Hyadas ſævis [m] auxerat Auſter aquis:
Sæpe maris pars intus erat; tamen ipſe trementi
 Carmina ducebam qualiacunque manu.
Nunc quoque contenti ſtridunt Aquilone rudentes;
 Inque modum tumuli [n] concava ſurgit aqua.
Ipſe gubernator tollens ad ſidera palmas
 Expoſcit votis immemor artis opem.
Quocunque adſpicio, nihil eſt, niſi mortis imago:
 Quam dubiâ timeo mente, timénſque precor.
Attigero portum, portu terrebor ab ipſo.
 Plus habet infeſtâ [o] terra timoris aquâ.
Nam ſimul inſidiis hominum pelagíque laboro;
 Et faciunt geminos enſis & unda metus.
[p] Ille meo vereor ne ſperet ſanguine prædam:
 Hæc titulum noſtræ mortis habere velit.
Barbara pars [q] læva eſt, avidæ [r] ſubſtrata rapinæ,
 Quam cruor & cædes belláque ſemper habent.
Cúmque ſit hibernis agitatum fluctibus æquor;
 Pectora ſunt ipſo [ſ] turbidiora mari.

INTERPRETATIO.

& cuſtos Urſæ Erymanthidós obſcurabat diē; vel Auſter cumulabat Hyadas foris aquis. Sæpe pars maris erat intus: tamen ego ſcribebam verſus qualeſcumq; manu incertâ. Nunc etiā rudentes ſonant diſtenti Boreâ, & aqua curva tollitur tanquam tumulus. Ipſe nauclerus tendens manus ad aſtra oblitus artis petit auxilium. Quocūque oculos verto, nihil eſt niſi imago mortis, quam metuo incerto animo, & metuens oro. Appulero ad littus, metuam ab ipſo littore. Tellus plus habet metûs inimicâ aquâ. Nam ſimul urgeor inſidiis hominum & maris; & gladius & aqua pariunt duplicem timorem. Metuo ne ille ſperet exuvias ſanguine, hæc cupiat conſequi laudē ex noſtrâ morte. Pars ſiniſtra eſt barbara, devota rapaci furto, quam ſanguis & ſtrages & certamina ſemper tenent. Et cùm mare ſit turbatum undis hibernis, cor eſt magìs agitatum quàm ipſum mare.

NOTÆ.

[i] *Cuſtos*] Arctophylax eſt ſeu Bootes, in cujus zonâ cæteris clariùs lucens ſtella, quæ *Arcturus* dicitur; ortu atque occaſu ſuo pluvias & tempeſtates ciens.

[k] *Erymanthidos*] Ab Erymantho Arcadiæ monte Calliſto Lycaonis filia in Urſam à Junone mutata, deinde in cœlum Jovis beneficio tranſlata, Erymanthis dicitur.

[l] *Hyadas*] Ex ſtellæ quas in Tauri capite numero ſeptem finxerunt, à pluendo, quod Græcis eſt ὕειν dictæ ſunt. Latinis *Suculæ*; quæ Hyantem fratrem à leone interfectum poſtquam inſolabiliter in terris luxerunt, ex cœlo in quod Jovis miſeratione tranſlatæ, lacrymas ſuas, imbriferâ virtute inſignitæ, ſpargunt.

[m] *Auxerat*] Auſter enim ventus eſt pluvius, ut notum.

[n] *Concava*] Non aqua quidem, ſed fluctus ex eâ.

[o] *Terra*] Propter monſtra quæ gignit, homines ſcilicet ſævos atque ſibi invicem inſidiantes.

[p] *Ille*] Non enſis quidem, ſed qui eum tractat obvius quilibet barbarus.

[q] *Leva*] Namque eam Thraces incolunt.

[r] *Subſtrata*] Alii habent *ſubjecta*; ut Thraces ſceleri deditos atque mancipatos intelligas.

[ſ] *Turbidiora*] Nullus dubito adeòque, quin navem ſuam denuò conſcenderit Naſo.

Quò magis his debes ignoſcere, candide lector,
Si ſpe ſunt, ut ſunt, inferiora tuâ.
[t] Non hæc in noſtris, ut quondam, ſcribimus hortis:
Nec conſuete meum lectule corpus habes.
Jactor in indomito brumali luce profundo:
Ipſáque cæruleis charta feritur aquis.
Improba pugnat hyems, indignatúrque, quod auſim
Scribere, ſe rigidas incutiente minas.
[u] Vincat hyems hominem, ſed eodem tempore quæſo
Ipſe modum ſtatuam carminis; illa ſui.

INTERPRETATIO.

Quò magis debes his veniam dare, Lector, ſi ſunt minora tuâ exſpectatione,ut ſunt: Non hac pangimus, ut olim,in noſtris hortis: neque tenes meum corpus, lectule aſſuete. Agitor in ſævo mari die hiberno: & ipſa papyrus verberatur aquis glaucis. Hyems aſpera certat, & iraſcitur,quòd non verear ſcribere, ſe intentante ſævas minas. Tempeſtas ſuperet hominem: ſed precor eodem tempore ego faciam finem carminis, illa ſui.

NOTÆ.

[t] *Non*] Scilicet compoſitus animus,nulliſque curis vexatus, aut objectis impetitus eſſe debet,qui minima maxima conſectari,optima quæque componere,& curioſè ordinare ſatagit. Quid ille agat, quem prope in fruſta ſua væſania aut mille monſtra conſciderunt?

[u] *Vincat*] Ingenioſè certè; quaſi eâ cauſâ ſæviat tempeſtas tantùm, ut Poëtam à ſcribendo abſterreat; quæ ſævitiam omnem compeſcere teneatur, poſtquam ipſe ſtilum poſuerit.

P. OVIDII NASONIS
TRISTIUM
LIBER II.

ARGUMENTUM.

Quid mihi vobiſcum eſt.] *Precatur Auguſtum Ovidius, ut ſi non reditum velit, mitius tamen, ac tutius exilium concedat. Dicitque ſe tentare, ſi fortè carmina quæ illi antea nocuere, nunc poſſint ſalutem reddere: quemadmodum Achillis haſta, quæ Telephum & vulneravit & ſanavit. Longo igitur & artificioſo carmine conatur Cæſarem placare, oſtendens ſe multa de eo ſcripſiſſe. Enumerátque poëtas alios quamplurimos, qui nunquam ulla clade affecti ſunt, quamvis mordacia aut turpia poëmata ediderint.*

ELEGIA I.

QUid mihi vobiſcum eſt, [a] infelix cura, libelli,
Ingenio perii qui miſer ipſe meo?

INTERPRETATIO.

Quid mihi eſt vobiſcum,libelli ſtudium miſerum, qui infelix ipſe occidi meo ingenio?

NOTÆ.

[a] *Infelix*] Quia infeliciter per ejuſmodi curas in exiliũ & maximas calamitates compulſus.

Cur modò damnatas repeto mea crimina Musas?
An semel est pœnam commeruisse parum?
[b] Carmina fecerunt, ut me cognoscere vellent
Omine non fausto fœmina virque, mea.
Carmina fecerunt, ut me moresque notaret
Jam demum visâ Cæsar ab Arte meos.
Deme mihi studium; vitæ quoque crimina demes.
Acceptum refero versibus, esse nocens.
Hoc pretium curæ vigilatorúmque laborum
Cepimus. ingenio pœna reperta meo.
Si saperem, doctas odiissem jure [c] sorores,
Numina [d] cultori perniciosa suo.
At nunc (tanta meo comes est insania morbo)
Saxa malum refero rursus ad ista pedem.
Scilicet & victus repetit gladiator arenam;
Et redit in tumidas naufraga puppis aquas.
Forsitan, ut quondam [e] Teuthrantia regna tenenti,
Sic mihi res eadem [f] vulnus opémque feret:
Musáque, quam movit, motam quoque leniet iram:
Exorant magnos carmina sæpe Deos.
Ipse quoque Ausonias Cæsar matrésque nurúsque
Carmina turrigeræ dicere jussit [g] Opi.

INTERPRETATIO.

Quamobrem revertor ad Musas modò profligatas, mea crimina? An leve est dignum fuisse semel multâ. Versus mei caussa fuerunt ut puella atque viri cupierint me cognoscere infelici præsagio. Versus causa fuerunt, ut Cæsar damnaret me & meos mores, ab arte jam denique visâ. Remove à me studium, removebis etiam opprebria vitæ. Debeo carminibus esse noxius. Hanc reportavimus mercedem ex studiis & laboribus indefessis. Supplicium inventum meo ingenio. Si saperem, meritò odio haberem doctas sorores, deas exitiales suo cultori. At nunc (tanta insania juncta est meo morbo) denuo refero pravum pedem ad istas cautes. Nimirum gladiator etiam superatus redit in arenam, & navis naufraga repetit aquas turbatas. Fortè res eadem mihi feret vulnus & remedium, sicuti olim obtinenti regna Teuthrantia, & Musa mulcebit iram quam excitavit: versus flectunt sæpe magnos Deos. Ipse etiam Cæsar jussit matronas atque puellas Italas cantare versus Opi turriferæ.

NOTÆ.

[b] *Carmina*] Non abs re clariss. Heinsius suspectum habuit hoc distichon.

[c] *Sorores*] *Musas* quæ pro studio, aut mollioribus literis positæ.

[d] *Cultori*] *Mihi Ovidio.*

[e] *Theutrantia*] Theutranti regis Mysiæ; qui virili stirpe carens Argiopen filiam Telepho Herculis filio despondit, eumque reliquit regni sui successorem.

[f] *Vulnus op.*] Jam sæpius hunc Telephum Achillis hastâ vulneratum, ejusdémque rubigine sanatum vidimus.

[g] *Opi*] *Ops*, quæ & *Cybele* dicitur, *Rhea*, *Bona Dea*, *Magna Deûm mater*, ipsaque est Terra, plurimis insuper insignita nominibus. Turrita etiam, quia turritas urbes sustinet, Romæ in Palatio templum suum habuit, in cujus honorem ludi instituti, quorum curam gerebant Ædiles curules. Maximo sumtu atque superbo apparatu celebrabantur *Megalenses* illi per sex dies à pridie nonas April. matronásque spectatæ pudicitiæ in his psallere memoriæ proditum est. Cùm itaque Italia Augusti tempore fame premeretur, non abs re illius credideris, ut mortalibus redderet Dea alimenta vitæ, in cantandis ejus sacrificiis collocatam aliquam curam.

[h] Jusserat & [i] Phœbo dici ; quo tempore ludos
Fecit, quos ætas adspicit una semel.
His precor exemplis tua nunc, mitissime Cæsar,
Fiat [k] ab ingenio mollior ira meo.
Illa quidem justa est, nec me meruisse negabo.
Non adeò nostro fugit ab ore pudor.
Sed, nisi peccassem, quid tu concedere posses?
[l] Materiam veniæ sors tibi nostra dedit.
Si, quoties homines peccant, sua fulmina mittat
Jupiter ; exiguo tempore inermis erit.
Hic ubi detonuit strepitúque exterruit orbem,
Purum discussis aëra reddit aquis.
Jure igitur genitórque Deûm rectórque vocatur :
Jure capax mundus nil Jove majus habet.
Tu quoque, cùm Patriæ rector dicare Patérque ;
Utere more Dei nomen habentis [m] idem.
Idque facis : neque quisquam [n] moderatiùs unquam
Imperii potuit fræna tenere sui.
Tu veniam parti superatæ sæpe dedisti,
Non concessurus quam tibi victor erat.

INTERPRETATIO.

Jusserat etiam cantari Apollini, quo tempore fecit ludos, quos una ætas videt semel. Oro, ut his exemplis, Cæsar lenissime, jam tua ira deliniatur meo ingenio. Illa quidem est justa ; neque diffitebor me dignum esse : Verecundia non adeò recessit à vultu nostro. Verùm nisi deliquissem, quid tu posses ignoscere? Sors nostra tibi obtulit materiam veniæ. Si Jupiter jaculetur sua fulmina quoties homines delinquunt, brevi erit spoliatus armis. Postquam ille detonuit, & terrorem incutiit mundo tonitru, serenat cœlum aquis disjectis. Adeòque meritò appellatur pater & rex Deorum : meritò vastus orbis nihil habet majus Jove. Tu etiam, cùm voceris Pater & moderator Patriæ, imitare consuetudinem Dei obtinentis idem nomen. Atque id facis ; neque ullus unquam potuit tractare leniùs se habenas sui imperii. Tu sæpe pepercisti partibus victis, quæ superiores tibi non pepercissent.

NOTÆ.

[h] *Jusserat*] Ad præconis alludit consuetudinem, qui ad ludorum secularium spectacula convocato populo, ita dicebat. *Hos ludos qui facturi sunt nemo vestrûm vidit, nec visurus est.*

[i] *Phœbo*] Apollini & Dianæ tanquam Diis malorum depulsoribus, & vitæ atque incolumitatis præsidibus canebatur carmen seculare, ludis qui in illorum honorem post *undenos decies per annos* referebantur, docente Horatio, in egregio illo carmine, quod horum gratiâ conscripsit. Anno autem V.C. 736. ante C. natum 15. hos ludos Augustus retulit, quater ante ipsum celebratos.

[k] *Ab ingenio*] *Siquidem ipsos Deos carminibus flexisti ò Cæsar, cùm illis dici jussisti ; tu quoque meis flecti patiaris.*

[l] *Materiam*] Illi verò multùm tribuitur, cui per Clementiam Deo proximum, quatenus patitur natura, esse licet : at enim cautione maximâ, in hâc exercendâ virtute opus est ; ne pravitatem invehat.

[m] *Idem*] *Pater* siquidem appellatur.

[n] *Moderatius*] Principem etiam in civitate locum tenere passus est Augustus plurimos diversarum partium veniâ & incolumitate donatos, ut testatur Tranquillus.

Divitiis etiam multos & honoribus auctos
Vidi, qui tulerant in caput arma tuum.
Quæque dies bellum, belli tibi sustulit iram:
[o] Parsque simul templis utraque dona tulit.
Utque tuus gaudet miles, quod vicerit hostem;
Sic, victum [p] cur se gaudeat, hostis habet.
Caussa mea est melior: qui nec contraria dicor
Arma, nec hostiles esse secutus opes.
Per mare, per terras, per [q] tertia numina juro,
Per te præsentem conspicuúmque Deum;
Hunc animum favisse tibi, Vir maxime: meque,
Quâ [r] solâ potui, mente fuisse tuum.
Optavi peteres cælestia sidera [s] tardè;
Pársque fui turbæ parva precantis idem.
Et pia thura dedi pro te: cumque omnibus unus
Ipse quoque adjuvi publica vota meis.
Quid referam libros, illos quoque, crimina nostra,
Mille locis [t] plenos nominis esse tui?
Inspice [u] majus opus, quod adhuc sine fine reliqui,
In non credendos corpora versa modos;
Invenies vestri præconia nominis illic:
Invenies animi pignora multa mei.

INTERPRETATIO.

Cognovi etiam multos cumulatos opibus & honoribus, qui sumserant arma adversus tuum caput. Atque dies qua profligavit *bellum, delinivit tuam iram: & pars utraque simul portavit munera in templa. Et quemadmodum tuus miles lætatur, quòd domuerit hostem; sic hostis habet quamobrem lætetur cùm victus sit. Caussa mea est potior, qui neque perhibeor sequutus arma adversa, nec copias hostiles. Juro per Pontum, per Tellurem, per tertia numina, per te Deum præsentem atque conspicuum, hanc mentem tibi benevolam fuisse, Vir maxime, meque fuisse tuum animo, quo solo licuit esse. Vovi, ut serò adires astra ætherea, & fui pars exigua multitudinis voventis idem. Atque obtuli pia thura pro te: & ego unus cum omnibus meis promovi etiam communia desideria. Quamobrem recenseam illos etiam libellos mea peccata, plenos esse nominis tui mille locis? Vide majus opus, quod etiam deserui imperfectum, corpora mutata in species non credendas: Ibi reperies laudes nominis tui: reperies multa pignora mea benevolĕtia.*

NOTÆ.

[o] *Pars utraque*] Augustus quia à Diis servatus; Conjurati quia ipse pepercerat: namque sæpius ejus vitam insidiis petitam constat.

[p] *Cur se gaud.*] Quia nempe non ampliùs infensus Cæsar.

[q] *Tertia*] *Cœlum*, & qui in eo est *Jovem*.

[r] *Solâ*] Re ipsâ namque Augusto favendi nulla oblata occasio, sicuti cogitabat Ovidius: quanquam favisset, siquidem castus fuisset.

[s] *Tardè*] Eadem propè vovisse etiam reperias Horatium Flaccum, virum quidem quem inter Ethnicos haud temerè à judicio cuiquam inferiorem dixeris: cæterùm aliter loqui malim.

[t] *Plenos nominis*] Hoc verò minimè prolatum oportuit.

[u] *Majus*] *Metamorphosin.*

Non tua carminibus major fit gloria, nec quo,
Ut major fiat, crescere possit, habet.
Fama Jovis superest. tamen hunc sua facta referri,
Et se materiam carminis esse, [x] juvat:
Cúmque [y] Gigantêi memorantur prælia belli;
Credibile est lætum laudibus esse suis.
Te celebrant [z] alii quanto decet ore, tuásque
Ingenio laudes uberiore canunt.
Sed tamen, ut fuso taurorum sanguine centum,
Sic capitur [a] minimo thuris honore Deus.
Ah ferus, & nobis nimiùm crudeliter hostis,
[b] Delicias [c] legit qui tibi cumque meas!
[Carmina ne nostris sic te venerantia libris
Judicio possint candidiore legi.
Esse sed irato quis te mihi posset [d] amicus?
Vix tunc ipse mihi non inimicus eram.
[e] Cùm cœpit quassata domus subsidere; partes
In proclinatas omne recumbit onus:
Cunctáque Fortunâ rimam faciente dehiscunt.
Ipsa suo quondam pondere tecta ruunt.

INTERPRETATIO.

Laus tua non fit amplior versibus, neque habet quo possit augeri, ut fiat amplior. Laus Jovis precellit, tamen ille amat sua acta memorari, & se esse argumentum carminis: & cùm recensentur certamina belli Gigantai, credere est illum oblectari preconiis suis. Alii te laudant quantâ facundiâ decet, & prædicant tuam gloriam ingenio feliciore. Verùm tamen ut Deus tangitur cruore centum taurorum, ità movetur *minimo honore thuris.*

Ah! crudelis, & nimiùm inhumanè nobis hostis, quisquis legit tibi nostros Amores! ne carmina sic te reverentia nostris libris possint legi judicio æquiore. Verùm quis posset mihi esse amicus, te infenso? Vix ego non eram tunc mihi inimicus. Cùm domus impulsa cœpit inclinari, totum pondus cadit in partes subsidentes: & omnia dissolvuntur fortunâ aperiente rimam. Ipsa tecta olim cadunt suâ mole.

NOTÆ.

[x] *Juvat*] Nulla re equidem Deus augetur; at tamen cùm fieri non possit ut temerè & sine scopo quicquam incipiat, eo ipso quòd Deus est, Naturæque & Gloriæ suæ vindex, rationes induxit atque respectus per suam communicationem, quibus ut de suo largiri, ita & ejusdem perinde videtur repetere usum, quasi compendio aliquo lætaretur. Quæ altioris sunt meditationis quàm ut hîc in transcursu accuratè exponi queant.

[y] *Gygantêi*] Jovem clarum Gyganteo triumpho scripsit Flaccus, itemque alii Poëtæ. Cæterum quàm ridiculum fuerit certamen Deorum adversus terrigenas illos qui cœlum ipsum affectarunt, vide apud Apollodorum.

[z] *Alii*] Maro præsertim, Horatius, &c.

[a] *Minimo*] Quia mens ipsa, non donum spectatur, quod maximum semper fuerit, si ea bona.

[b] *Delicias*] *Libros Amatorios* ex quibus, utcumque sedulò dissimulaverit, ne neptis suæ magis patesceret probrum, Augustus Poëtæ intellexit furta.

[c] *Legit*] *Atque adeò iniquè interpretatus est, quæ ipse solus si legisses, non tantopere damnasses.*

[d] *Amicus*] *Qui sequiori sensu atque in alienam sententiam acceptos versus, leniùs exponat.*

[e] *Cum cœpit*] Sese Augusti irâ perditum, quemque omnia premant, hâc comparatione innuit Poëta.

Ergo hominum quæsitum odium mihi carmine: quaque
Debuit, est vultus turba secuta tuos.
At (memini) vitámque meam morésque probabas
Illo, quem dederas, [f] prætereuntis equo.
[[g] Quòd si non prodest, & honesti gratia nulla
Redditur; at nullum crimen adeptus eram.]
[h] Nec malè commissa est nobis fortuna reorum,
Lísque [i] decem decies inspicienda viris.
Res quoque [k] privatas [l] statui sine crimine judex:
Deque meâ [m] fassa est pars quoque victa fide.
Me miserum! potui, si non extrema nocerent,
Judicio tutus non semel esse tuo.
Ultima me perdunt: imóque sub æquore mergit
Incolumem [n] toties una procella ratem.
Nec mihi pars nocuit de gurgite parva: sed [o] omnes
Pressêre hoc fluctus, Oceanúsque caput.
Cur [p] aliquid vidi? cur noxia lumina feci?
Cur imprudenti cognita culpa mihi?

INTERPRETATIO.

Adeòque odium hominum mihi paratum est versibus: & multitudo sequuta est tuos vultus quà debuit. At, recordor, laudabas vitam meam & mores, cùm transveherer illo equo quem dederas. Quod si non juvat, & nulla est gratia honesti, at nullo crimine tenebar. Neque fors reorum, & lis cognoscenda à centumviris est nobis malè concredita. Compesui etiam res privatas judex sine crimine: & pars etiam superata agnovit meam fidem. Me infelicem! potui, nisi ultima obessent, esse securus non semel judicio tuo. Novissima me perimunt, & una procella deturbat in profundum gurgitem navem toties salvam. Neque pars exigua Ponti mihi obfuit; sed omnes undæ obruerunt meum caput cum Oceano. Quamobrem aliquid intuitus sum: quamobrem in culpam traxi meos oculos? Quamobrem peccatum intellectum à me inconsiderato?

NOTÆ.

[f] *Prætereuntis*] Idibus Quintilibus transvectio fiebat Equitum Romanorum ab æde Honoris in Capitolium, Ordinis ejus recognoscendi probandique gratiâ: de quâ transvectione Tranquillus his verbis: *Augustus Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis.*

[g] *Quòd si*] Semibarbarum dixit hoc Distichon cl. Heinsius: mihique videtur putidum.

[h] *Nec malè*] Adeòque in Centumviris fuit, quorum judicio testamentariæ, hæreditariæ, capitales etiam causæ subjiciebantur.

[i] *Decem decies*] Siquidem terni ex singulis tribubus, quæ Romæ 35 fuerunt numero, quinque fuerunt suprà centum in centumviris: verùm, ut hodieque mos est apud omnes, faciliùs numero absoluto nominabantur.

[k] *Privatas*] Ubi civis cum cive; cùm publicæ de proditionibus in Patriam, ambitu, atque hujusmodi habeant controversiam.

[l] *Statui*] Quando sorte electus judex ad cognoscendam cujusquam causam de more.

[m] *Fassa*] Ut hinc Poëtæ fidem optimam fuisse intelligas.

[n] *Toties*] Hinc conjicias non temerè, multa etiam in Republicâ gessisse Ovidium non parvi momenti, quæ ad Augustum delata.

[o] *Omnes*] Quia, ut mos est, Poëtâ à Principe profligato, omnes in illum conspiraverunt.

[p] *Aliquid*] Quid istud sit aliquid, quod silentio tam alto pressit Poëta difficile est conjicere: nam de incesto Augusti cum Juliâ quod conjiciunt, mihi quidem non videtur probabile, siquidem illam in exilium ejecerit. Neque verò placabilius fuisset rem eam toties commemorare, aut infenso Augusto objicere magis quàm errorem suum excusare. Inepta est curiositas, in majoribus etiam compescenda.

Inscius

Inſcius [q] Actæon vidit ſine veſte Dianam:
Præda fuit canibus non minùs ille ſuis.
Scilicet in Superis etiam [r] fortuna luenda eſt;
Nec veniam læſo numine caſus habet.
Illâ namque die, quâ me malus abſtulit [s] error,
Parva quidem periit, ſed ſine labe, domus.
Sic quoque parva tamen, [t] patrio dicatur ut ævo
Clara, nec ullius nobilitate minor:
Et neque divitiis, nec paupertate [u] notanda:
Unde fit [x] in neutrum conſpiciendus eques.
Sit quoque noſtra domus vel cenſu parva, vel ortu;
Ingenio certè non latet illa meo.
Quo videar quamvis nimiùm juveniliter uſus;
Grande tamen toto nomen ab orbe fero.
Turbáque doctorum Naſonem novit, & audet
Non faſtiditis annumerare viris.
Corruit hæc igitur Muſis accepta, ſub uno,
Sed non exiguo, crimine lapſa domus.
Atque ea ſic lapſa eſt, ut ſurgere, ſi modò læſi
Ematuruerit Cæſaris ira, queat.

INTERPRETATIO.

Actaon vidit imprudens Dianam ſine amictu; non minùs ille fuit præda ſuis canibus. Nimirum cùm agitur de Diis, etiam caſus eſt plectendus, neque ſorti ignoſcitur numine offenſo. Namque illâ die, quâ improbus error me rapuit, domus quidem tenuis, ſed ſine vitio, corruit. Itâ etiam nihilominus tenuis, ut dicatur illuſtris ætate patris, neque inferior nobilitate ullius: & neque arguenda opibus, neque inopiâ: unde eques ſit in neutrum conſpiciendus. Sit etiam noſtra domus tenuis vel divitiis, vel genere, certè illa non obſcura eſt ingenio meo. Quæ tametſi videar uſus nimis leviter, conſequutus ſum tamen famam non parvam toto mundo. Atque chorus doctorum novit Naſonem, neque veretur recenſere illum inter viros eruditos. Hæc igitur domus grata Muſis ſubverſa eſt, jacens ſub uno peccato, ſed magno. Atque ea ſic jacet, ut poſſit excitari, ſi modò ira Cæſaris offenſi reſederit.

NOTÆ.

[q] *Actæon*] Hujus in cervum Metamorphoſin lib. 3. vidimus.

[r] *Fortuna*] Plectuntur etiam à Diis, qui neſcii & caſu peccant.

[s] *Error*] Non ſcelere, ſed errore, ut in fortunam ſeu caſum transferenda ſit culpa, peccaſſe dicit.

[t] *Patrio*] Hoc dicit, ut ſuo ævo protritam, miſericordiâ motus Auguſtus, ſublevet.

[u] *Notanda*] Cenſus equeſtris ad quadringēta ſeſtertia, ſeu decem millia coronatorum aſſurgebat, ut vel ex illo Horatii compertum eſt

Si quadringentis ſex ſeptem millia deſunt,
Plebs eris.

Neque verò ob flagitia tantū publicus equus in tranſvectione adimebatur; verùm etiam ſi quis de patrimonio tantùm conſumſiſſet, ut equeſtri cenſu non frueretur. Cæterùm neque equitum tamen tam ampla res erat, ut Senatorum opes duplo majores æquaret.

[x] *In neutrum*] Neque divitiis amplioribus Senatorum conſpiciendus eques, neque plebis aut capite cenſorum paupertate.

[g] Cujus in eventu pœnæ clementia tanta eſt,
Ut fuerit noſtro lenior illa metu.
Vita data eſt, citráque necem tua conſtitit ira,
O Princeps parce viribus uſe tuis.
Inſuper accedunt, te non adimente, paternæ
(Tanquam vita parum muneris eſſet, opes.
Nec mea decreto damnaſti facta Senatûs:
Nec mea [h] ſelecto judice juſſa fuga eſt.
Triſtibus invectus verbis (ita Principe dignum)
Ultus es offenſas, ut decet, ipſe tuas.
Adde, quod edictum, quamvis immane minaxque,
Attamen in pœnæ nomine lene fuit.
Quippe relegatus, non [i] exul dicor in illo:
Parcáque fortunæ ſunt data verba meæ.
Nulla quidem ſano gravior mentiſque potenti
Pœna eſt, quàm tanto diſplicuiſſe viro.
Sed ſolet interdum fieri placabile numen:
Nube ſolet pulsâ candidus ire dies.
Vidi ego pampineis oneratam vitibus ulmum,
Quæ fuerat ſævi fulmine tacta Jovis.
Ipſe licet ſperare vetes; ſperabimus æquè.
Hoc unum fieri te prohibente poteſt.
Spes mihi magna ſubit, cùm te, mitiſſime Princeps;
Spes mihi, reſpicio cùm mea fata, cadit.
Ac veluti ventis agitantibus æquora non eſt
Æqualis rabies, continuúſque furor;

INTERPRETATIO.

Cujus elementia eſt tanta in eventu pœnæ, ut illa fuerit mitior noſtro timere. Vita data eſt, & ira tua conſtitit citra cædem, ò Princeps uſe moderatè poteſtate tua. Facultates paternæ inſuper adduntur, te non tollente, quaſi vita eſſet exiguum donum. Neque damnaſti mea acta ſententiâ Senatus; neque meum exilium eſt decretum judice ſelecto: Tu ipſe invectus aſperis dictis ultus es, ut decet, injurias tuas: ità dignum Principe. Adde, quòd mandatum, tametſi atrox & minax, attamen fuit mite in nomine ſupplicii. Nempe dicor relegatus non exul in illo; & pauca voces ſunt aſſignata ſorti meæ. Nullum quidem ſupplicium majus integro & animi compoti, quàm diſplicuiſſe tanto viro. Verùm numen ſolet nonnunquam fieri placabile: Dies ſolet precedere purus nebulâ diſjectâ. Ego vidi ulmum preſſam vitibus pampineis, quæ fuerat icta fulmine irati Jovis. Quanquam tu prohibeas ſperare, æquè ſperabimus. Hoc unum poteſt fieri te interdicente. Magna ſpes mihi incidit, Princeps leniſſime, cùm te intueor, ſpes mihi incidit *cùm* intueor *meam ſortem. Et ſicut ſævitia non eſt æqualis, neque impetus continuus ventis turbantibus maria;*

NOTÆ.

g *Cujus*] *Auguſti.*

h *Selecto*] *Selecti Judices* dicebantur ii, qui à Prætoribus urbanis, iiſque juratis, vel ex Senatorio, vel Equeſtri ordine, vel Tribunis ærariis ſeligebantur: non enim idem ſemper Ordo præfuit rebus judicandis.

i *Exul*] *Exilium* eſt perpetuum; *Relegatio* ad tempus.

Sed modò subsidunt, intermisísque silescunt,
Vímque putes illos deposuisse suam;
Sic abeunt redeúntque mei variántque timores:
Et spem placandi dántque negántque tui.
Per Superos igitur, qui dent tibi longa, dabúntque,
Tempora, Romanum si modò nomen amant;
Per Patriam, quæ te tuta & secura [k] Parente est;
Cujus, ut in populo, pars ego nuper eram;
Sic tibi, quem semper factis animóque mereris,
Reddatur gratæ debitus Urbis amor.
[l] Livia sic tecum sociales compleat annos,
Quæ, nisi te, nullo conjuge digna fuit.
Quæ si non esset, cælebs te vita deceret:
Nulláque, cui posses esse maritus, erat.
Sospite sic te sit [m] natus quoque sospes; & olim
Imperium regat hoc cum seniore senex:
Utque tui faciunt sidus juvenile [n] nepotes,
Per tua pérque [o] sui facta parentis eant.
Sic assueta tuis semper Victoria castris
[p] Nunc quoque se præstet, notáque signa petat:
[q] Ausoniúmque Ducem solitis circumvolet alis:
Ponat & in nitidâ [r] laurea serta comâ.

INTERPRETATIO.

sed interdum componuntur, & per vices quiescunt, & credas illos omisisse vim suam; ità mei pavores discedunt & recurrunt, atque fluctuant, & spem faciunt atque denegant tui leniendi. Per Deos igitur, qui præbeant tibi longum ævum, quique præbebunt, si saltem diligunt nomen Romanum; Per Patriam, quæ est tuta & secura, te Patre, cujus, ut in populo, ego nuper pars eram: sic semper tibi præbeatur factis & animo debitus amor Urbis, quo dignus es. Sic Livia impleat tecum annos feclet, quæ digna fuit nullo marito præter te. Quæ nisi esset, vita cælebs te deceret, nulláque erat, cui posses esse maritus, filius sit etiam incolumis te incolumi; & senex olim regat hoc imperium cum seniore: & sicut faciunt tui nepotes sidus adolescent incedant per acta tua & sui patris. Sic Victoria semper addicta tuis castris, se præbeat nunc etiã, & concedat in signa nota: & circumvolitet Ducem Italum alis solitis; & ponat coronas laureas in odoratis capillis;

NOTÆ.

[k] *Parente*] Augustissimo titulo *Pater Patriæ* dictus est Augustus.

[l] *Livia*] Augusti uxor, de quâ jam suprà.

[m] *Natus*] Tiberium dicit: Post nepotum enim suorum Caii atque Lucii obitum, Augustus illum privignum adoptavit; ut testatur Dio.

[n] *Nepotes*] *Germanicum* dicit Drusi, Tiberii fratris, filium, quem Tiberio Augustus adoptandum dedit, veritus ne animo elatus ad res novas consurgeret: deinde & *Drusum*, qui Tiberii filius fuit. Turpiter hîc hallucinati sunt qui de Caio & Lucio, jam dudum mortuis hoc loco mentionem fieri arbitrati sunt; sicuti optimè observavit clariss. Heinsius.

[o] *Sui*] *Tiberii*, scilicet.

[p] *Nunc*] Quo tempore gravissimum à Dalmatis & Pannoniis bellum motum fuerat: de quibus Dio. Commentator nullam temporis habuit rationem.

[q] *Ausonium*] *Tiberium*, scil. quem etiam bellum consultò trahere suspicatus est Augustus, ut legionibus diutiùs succinctus esset: quamobrem novum exercitum legit, & Germanicum etiam in Pannoniam misit.

[r] *Laurea*] Imperator ac milites triumphantes laureati urbem ingrediebantur.

Per quem bella geris, cujus nunc corpore pugnas;
[f] Auspicium cui das grande, Deósque tuos.
[t] Dimidióque tui præsens es, & aspicis Urbem:
Dimidio procul es, sæváque bella geris.
Hic tibi [u] sic redeat superato victor ab hoste;
Inque coronatis fulgeat altus equis;
Parce, precor: fulménque tuum fera tela reconde,
Heu nimiùm misero cognita tela mihi!
Parce, Pater Patriæ: [x] nec nominis immemor hujus
Olim placandi spem mihi tolle tui.
Nec precor, ut redeam: quamvis majora petitis
Credibile est magnos sæpe dedisse Deos.
Mitius exsilium si das, propiúsque roganti;
Pars erit è pœnâ magna levata meâ.
[y] Ultima perpetior medios projectus in hostes:
Nec quisquam patriâ longius exsul abest.
Solus ad [z] egressus missus septemplicis [a] Istri,
Parrhasiæ gelido [b] virginis axe premor.

INTERPRETATIO.

per quem bella geris, cujus corpore nunc certas; cui das magnum auspicium, & Deos tuos: & dimidio tui ades, & intueris Urbem, dimidio es longè, & geris atrocia bella. Sic ille ad te revertatur victor ab hoste victo; & excelsus splendeat in equis coronatis. Ignosce oro; & depone fulmen tuum sæva tela, seu tela nimiùm cognita mihi misero! Ignosce Pater Patriæ: neque oblitus hujus nominis mihi adime spem tui molliendi. Neque oro, ut revertar; quanquam credibile est magnos Deos sæpe præbuisse potiora petitis. Si indulges oranti exilium tolerabilius & propius, magna pars erit sublata ex supplicio meo. Tolero extrema relegatus in hostes medios: neque quisquam exsul longiùs est remotus à Patriâ. Pulsus solus ad ostia Danubii septemflui, urgeor frigido cardine puellæ Parrhasiæ.

NOTÆ.

[f] *Auspicium*] Nihil nisi captatis ante auspiciis incipiebant Ethnici; illiusque dicebantur, qui rem gerendam tanquam Auctor curabat. Pugnavit igitur Tiberius, non suis, sed Augusti auspiciis.

[t] *Dimidio*] Sic etiam Horatius Amicum *dimidium animæ suæ* vocitavit. Hic verò Tiberio adblanditur Naso, quem tamen, nisi vehementer fallor non ità charum habuit.

[u] *Sic*] Usitata formula vovendi, quasi dicat, *Ità revertatur Tiberius, ita victoria sua signa ponat, &c. uti mihi ignoscas.*

[x] *Nec immemor*] Memorem vult esse Augustum Naso, quod Pater sit Patriæ, ut paternâ indulgentiâ sibi quoque parcat.

[y] *Ultima*] *Extrema atque acerbissima mala.*

[z] *Egressus*] *Ostia, Les Embouchures.*

[a] *Istri*] *Danubiò*, qui maximus Europæ fluvius septem vastis fluminibus in Pontum devolvitur.

[b] *Virginis axe*] Polo Septemtrionali, cœloque frigidissimo; cui à Calisto Parrhasiâ seu Arcadicâ, in ursam mutatâ, deinde in cœlum translatâ, ut jam sæpe dictum, illud datum nomen.

[c] Jazyges, & [d] Colchi, [e] Metereâque turba, [f] Getæque,
Danubii mediis vix prohibentur aquis.
Cùmque alii caussâ tibi sint graviore fugati,
Ulterior nulli, quàm mihi, terra data est.
Longiùs hac nihil est, nisi tantùm frigus & hostis;
Et maris adstricto quæ coït unda gelu.
Hactenus Euxini pars est Romana sinistri:
Proxima [g] Basternæ [h] Sauromatæque tenent.
Hæc est Ausonio sub jure novissima, vixque
Hæret in imperii margine terra tui.
Unde precor supplex ut nos in tuta releges:
Ne sit cum patriâ pax quoque ademta mihi.
Ne timeam gentes, quas non bene submovet [i] Ister:
Neve tuus possim civis ab hoste capi.
[k] Fas prohibet Latio quemquam de sanguine natum.
Cæsaribus salvis barbara vincla pati.

INTERPRETATIO.

Jazyges, & Colchi, & agmen Meterêum, & Getæ vix arcentur interfusis aquis Istri. Cùmque alii sint à te relegati caussâ majore, nulli tellus assignata est remotior quàm mihi. Nihil est ulteriùs hâc, quàm frigus tantùm & hostis, & aqua quæ concrescit glacie firmâ. Hactenus pars sinistri Euxini est Romana. Basternæ & Sarmatæ habent proxima. Hæc tellus est ultima sub ditione Italâ, vixque est in extremâ orâ tui imperii. Unde ero humilis, ut nos submoveas in loca tuta: ne pax sit mihi sublata etiam cum Patriâ. Ne metuam nationes, quas Danubius non satis arcet; neve tuus civis possim tolli ab hoste. Fas vetat quemquam ortum ex sanguine Latino ferre catenas barbaras Cæsaribus incolumibus.

NOTÆ.

[c] *Jazyges*] Populi Sarmatiæ Europeæ.

[d] *Colchi*] Populi Asiæ ad Ponti-Euxini oram Orientalem; quos siquidem Danubii aquis prohibitos dicere non potuit Naso, optimè, ni fallor de iis interpretatus est Micyllus qui Medeam sequuti, cùm illam apprehendere non potuissent circa Tomos consederunt ut habet Comment. Apollonii, lib 4.

[e] *Metereâque*] Gens fuit Scythiæ Europeæ, de quâ vix alibi mentionem factam comperias: quâ re hunc locum corruptum suspicantur. Merula *Neurea* legi mavult; eò fortè adductus quòd *Neuros* & Jazyges conjunxit Val. Flaccus hoc versu,

Neuros & expertes canentes Jazyges ævi.

[f] *Getæque*] Hos Strabo in Orientem ad Pontum-Euxinum transtulit, quos alii cum Dacis confuderunt: vultque hos Germaniam versus ad Istri fontes collocatos, Davósque olim dictos.

[g] *Basternæ*] Populi fuerunt ultra Danubium, quos Germanis an Sarmatis ascribat, dubitat Tacitus.

[h] *Sauromatæ*] Hi ad Borysthenem porrecti erant.

[i] *Ister*] Qui alio nomine dicitur Danubius: de quo jam suprà.

[k] *Fas proh.*] Ut quidem Romanæ superbiæ videbatur.

Perdiderint cùm me duo crimina, [l] carmen & [m] error;
Alterius facti [n] culpa silenda mihi.
[o] Nam non sum tanti, ut renovem tua vulnera, Cæsar;
Quem nimio plus est indoluisse semel.
Altera pars superest: quâ turpi crimine tactus
Arguor obscœni doctor adulterii.
Fas ergo est aliquâ [p] cælestia pectora falli;
Et sunt notitiâ multa minora tuâ?
Utque Deos, cælúmque simul sublime tuenti
Non vacat exiguis rebus adesse Jovi;
A te pendentem sic dum circumspicis orbem,
Effugiunt curas inferiora tuas.
[q] Scilicet imperii, Princeps, statione relictâ
[r] Imparibus legeres carmina facta modis?
[s] Non ea te moles Romani nominis urget,
Inque tuis humeris tam leve fertur onus;
Lusibus ut possis advertere numen ineptis;
Excutiásque oculis [t] otia nostra tuis.

INTERPRETATIO.

Cùm duo peccata me prediderint, versus, scilicet, & error; pravitas alterius facti est mihi prætereunda. Nam non sum tanti, ut aperiam tuas plagas, Cæsar, quem semel offensum fuisse est plus nimio. Altera pars restat, quâ accusatus de obscœno flagitio, damnor doctor turpis adulterii. Adeòque fieri potest ut mentes cælestes aliquâ decipiantur: & multa sunt leviora quàm ut subjiciantur tuæ cognitioni. Et quemadmodum non licet Jovi aspicienti simul Deos & cælum immisceri parvis rebus; sic dum circumspicis mundum à te pendentem, minima surripiuntur tuis cogitationibus. Quasi verè, Princeps, omisso gradu Imperii, legeres carmina ducta modis inæqualibus. Non id pondus Romani nominis te premit, & tam leve onus incumbit tuis humeris; ut liceat demittere numen levibus jocis, & expendas nostra otia tuis oculis.

NOTÆ.

[l] *Carmen*] Libros dicit de Amoribus & Arte amandi.

[m] *Error*] Imprudentia & casus, de quo jam sæpius.

[n] *Culpa*] Cogitavit aliquando de Agrippâ nepote ab exilio revocando Augustus, neque ejus rei conscium quenquam habuit præter Fabium maximum virum Consularem. Hic ad uxorem suam Martiam illud statim effutivit; quæ idem continuò ad Liviam Augusti, conjugem detulit. Acerbè verò ea cum Cæsare de hâc re expostulavit: quamobrem iratus Fabium jussit mori. Nasonis conjux illi Martiæ fuit conjunctissima. Forsitan ergo nimiùm sese Poëta in domum Augustam immiscuerat. Cæterùm crediderim semper alia omnia crimina obtentui, amores veram exilii causam fuisse.

[o] *Nam non*] Callidissima atque honestissima ratio: cæterùm magìs Rhetorica quàm solida.

[p] *Cælestia*] Quale est Augusti, qui aliis negotiis districtus, ad levissima ea quæ de Amore scripsit: Naso non potuit animum demittere. Meliùs verò non potuit Naso caussam suam defendere; si modò bona fuisset. Sed Augusto imponere difficile fuit.

[q] *Scilicet*] Indicio perverso alterius, non Augusti judicio damnatum sese innuit Poëta.

[r] *Imparibus*] Quia Pentametrum brevius Hexametro.

[s] *Non ea*] *Major est rerum moles, quàm ut tibi liceat de ineptis ludu cogitare.*

[t] *Otia*] *Quæ per otium scripsimus: quæque adeò vel nobis ipsis levissima.*

Nunc tibi [u] Pannonia est, nunc [x] Illyris ora domanda:
[y] Rhætica nunc præbent [z] Thraciáque arma metum.
Nunc petit [a] Armenius pacem: nunc [b] porrigit arcus
Parthus eques, timidâ captáque signa manu.
Nunc te [c] prole tuâ juvenem Germania sentit;
Belláque pro magno Cæsare Cæsar obit.
Denique, [d] ut in tanto, quantum non exstitit unquam,
Corpore, pars nulla est quæ labet imperii;
Urbs quoque te & [e] legum lassat tutela tuarum,
Et morum, similes quos cupis esse tuis.
Nec tibi contingunt, quæ gentibus otia præstas;
Belláque cum multis irrequieta geris.
Mirer in hoc igitur tantarum pondere rerum
Unquam te nostros evoluïsse jocos?
At si (quod mallem) vacuus fortasse fuisses,
Nullum legisses crimen in Arte meá.

INTERPRETATIO.

Nunc Pannonia, nunc ora Illyris est tibi submittenda: arma Rhætica atque Thracia nunc incutiunt timorem: Nunc Armenius poscit pacem: nunc eques Parthus offert manu trepidâ arcus, & signa ablata. Nunc Germania sentit te adolescentem filio tuo; & Cæsar gerit bella pro magno Cæsare. Denique, ut in tanto corpore quantum non fuit unquam, nulla est pars imperii quæ fatiscat. Urbi etiam, & custodia legum tuarum, & morum, quos optas esse similes tuis, te fatigat. Neque otia quæ præbes populis tibi obveniunt; & geris bella sollicita cum multis. Obstupeam ergo te in mole tantarum rerum unquam perlegisse nostros lusus. At si, quod magis cuperem, fortè otiosus fuisses, nullum flagitium invenisses in Arte meâ.

NOTÆ.

[u] *Pannonia*] Jam suprà adversus Pannonios (*les Hongrois*) Tiberium atque Germanicum missos diximus.

[x] *Illyris*] Regio est Italiæ opposita, ultra mare Adriaticum. Mazæos, autem Dalmaticam gentem, quæ magis ad ortum Illyriæ, multis damnis affecerat Germanicus: qui denique cum Pannoniis fame, morbo, & bello afflicti de pace ineundâ legatos miserunt eo ipso anno quo in exilium missus Naso. Sed ea pax infida fuit.

[y] *Rhætica*] Rhæti, *les Grisons*, ad Italiam usque pertinent. Non hos tamen, sed illis conterminos Noricos rebellasse scripsit Florus: quem vide omnino libri 4. cap. 12.

[z] *Thracia*] Hæc à Pisone perdomita fuit.

[a] *Armenius*] Armenia regio est ultra Cappadociam ad Euphraten. Adversus Armenios alterum ex Cæsaribus nepotibus antea miserat Augustus; qui ex vulnere in eâ expeditione accepto in Syriâ obiit. Adeòque si Justino credimus ipse Augustus Orientis statum composuit.

[b] *Porrigit*] *Parthi quoque & Armeniam vindicanti facilè cesserunt; & signa militaria quæ M. Crasso, & M. Antonio ademerant reposcenti reddiderunt: obsidesque insuper obtulerunt.* Tranquillus in Augusti vitâ.

[c] *Prole*] Nisi vehementer fallor, non patitur ratio temporum ut de Druso Tiberii fratre istud intelligatur: nullúsque dubito quin de Tiberio agat Naso, ad quem missum ab Augusto Germanicum, ex Dione suprà annotavimus. Vide Dionem & Velleium.

[d] *Ut*] Mirum esse innuit quòd in tanto corpore, quale fuit Imperii Romani, nulla pars labet, ut Cæsaris curis illud totum adscribat; cui adeò Nasonis otia & nugas non concessum fuerit inspicere.

[e] *Legum*] Non modò leges retractavit, sed quasdam ex integro sanxit, ut testis est Suetonius: qui omnino videndus.

Illa quidem fateor [f] frontis non esse severæ
Scripta, nec à tanto Principe digna legi:
Non tamen idcirco legum contraria jussis
Sunt ea; Romanas [g] erudiúntque nurus.
Neve quibus scribam possis dubitare; libellus
Quatuor hos versus è tribus unus habet:
Este procul, [h] vittæ tenues, insigne pudoris;
Quæque tegis medios instita longa pedes:
Nil, nisi legitimum, concessáque furta, canemus;
Inque meo nullum carmine crimen erit.
Ecquid ab hac omnes rigidè submovimus Arte,
Quas [i] stola contingi vittáque sumta vetat?
[k] At matrona potest [l] alienis artibus uti;
Quoque [m] trahat, quamvis non doceatur, habet.
[n] Nil igitur matrona legat: quia carmine ab omni
Ad delinquendum doctior esse [o] potest.
Quodcunque attigerit, si qua est studiosa sinistri,
Ad vitium mores [p] instruet inde suos.
Sumserit Annales; (nihil est [q] hirsutius illis)
Facta sit unde parens [r] Ilia nempe leget.

INTERPRETATIO.

Agnesce equidem illa scripta non esse vultus gravis, neque digna legi à tanto Principe: neque tamen idee ea sunt contraria statutis legum, & docent puellas Romanas. Neve possis incertus esse, quibus scribam, unus libellus ex tribus habet hos quatuor versus: Longè estote vitta subtiles, indicium castitatis; atque fascia longa qua velas medios pedes: nihil scribemus nisi legitimum & furta licita: neque ullum flagitium erit in meo carmine. Annon severè repulimus ab hac Arte omnes, quas stola & vitta capta prohibet tangi? At matrona potest uti artibus alienis; & habet qua accipiat, tametsi non doceatur. Matrona ergo nihil legat, quia potest esse instructior ad peccandum ex omni poëmate. Si qua est amans obliqui, inde instituet mores suos ad crimen. Coeperit Annales; (nihil est asperius illis) nimirum illa videbit ex quo Ilia sit facta mater.

NOTÆ.

[f] *Frontis*] *Qua severitatem titulo aut primâ paginâ præ se ferant.*

[g] *Erudiunt*] Immo maximè: Cùm rem videas, censeas. Scilicet ea scripta non viderint puellæ Romanæ, quia illis non dicata!

[h] *Vittæ*] Id est, *Virgines pudicæ*, quæ vittis utuntur.

[i] *Stola*] Quæ fuit matronarum vestis propria.

[k] *At matrona*] Objectio est quam sibi ex parte Augusti fingit, minùs à commentatore intellecta.

[l] *Alienis*] Id est, *quæ non sibi scripta.*

[m] *Trahat*] *Sua faciat.*

[n] *Nihil igitur*] Non respondes Naso: neque verò quod satisfaciat quisquam proferre possit. Vix enim ulla, utcumque sapiens & sapientissima Nasonis Artes possit legere, quæ non corrupta discedat. Ipsemet fugâ sibi in amore consulendum esse suasit; Vinci adeòque cupit, qui lenociniis, quæ ille habet, animum suum attentum præbet.

[o] *Potest*] Verum equidem. Cæterùm non fuerit illud crimen carminis scripti sed ingenii legentis. Tua verò ità adornata, ut eo ipso mentem deleniant quòd illam tangant.

[p] *Instruet*] A contrario scilicet.

[q] *Hirsutius*] Horrido enim ac prisco genere sermonis, nullis deliciis, scripti Annales Romani.

[r] *Ilia*] Quæ virgo Vestalis ex Marte Romulum & Remum genuit.

Sumserit, Æneadum genitrix [s] ubi prima; requiret,
Æneadum genitrix [t] unde sit alma Venus.
Persequar inferiùs, (modo si licet ordine ferri)
Posse nocere animis carminis omne genus.
Non tamen idcirco crimen liber omnis habebit.
Nil prodest, quod non lædere possit idem.
Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta
Comparat, audaces instruit igne manus.
Eripit interdum, modò dat medicina salutem:
Quæque juvans monstrat, quæque sit herba nocens.
Et latro, & cautus præcingitur ense viator:
Ille sed insidias, hic sibi portat opem.
Discitur innocuas ut agat facundia caussas:
Protegit hæc sontes immeritósque premit.
Sic igitur carmen, rectâ si mente legatur,
Constabit nulli posse nocere meum.
At quiddam vitii quicunque hinc concipit, errat:
Et nimiùm scriptis abrogat ille meis.
Ut tamen hoc fatear: Ludi quoque semina præbent
Nequitiæ. [u] tolli tota theatra jube:
Peccandi caussam quæ multis sæpe dederunt,
[x] Martia cùm durum sternit arena solum.

INTERPRETATIO.

Ceperit poëma, *in quo prima mater Æneadum, petet ex quo alma Venus sit mater Æneadum. Probabo inferiùs, (si modò conceditur* singula suo *ordine referre)omne genus carminis posse obesse animis. Non ideo tamen omnis liber erit pravus, nihil juvat, quod idem non queat obesse. Quid est utilius igne? Si quis tamen instituit incendere domos, instruit manus temerarias igne. Medicina nonnunquam tollit prosperam valetudinem, aliquando confert: atque indicat quod gramen prosit, quodve noceat. Et latro, & viator providus cingitur gladio: verùm ille* struit *insidias, hic sibi parat præsidium.* Compara*tur eloquentia ut tueatur caussas justas; hæc defendit noxios, & urget insontes. Ità ergo patebit meos versus nemini posse obesse, si modò legantur puro animo. At quisquis hinc in animum inducit aliquid scelesti, fallitur; & nimiùm detrahit meis scriptis. Quanquam verò hoc agnoscam: Ludi etiam exhibent fomites lascivia; Jube omnia theatra removeri, qua frequenter præbuerunt multis ansam peccandi, cùm arena Martia sparsa est in duro solo.*

NOTÆ.

[s] *Ubi prima*] *Sumserit librum, in quo prima mater Æneadum.* Maronis dicit Æneidem. Somniasse videtur interpres hoc in loco.

[t] *Unde*] *A quo* nimirum ab Anchise: ut hinc cognoscat quælibet ex adulterio ortos Romanorum Proceres. Quod an satis cautè dictum fuerit aliis judicandum relinquo.

[u] *Tolli*] Quasi dicat, *siquidem omnia removenda quæ habent semina nequitiæ, etiam theatra prorsus tollenda: atqui istud posterius non fit; neque igitur Carmina profliganda.*

[x] *Martia*] Quia eâ spargebantur loca ubi gladiatores Martem exercebant, & pugnas inibant.

Tollatur [y] Circus; non tuta [z] licentia Circi:
Hîc sedet ignoto juncta puella viro.
Cùm quædam spatientur in hac, ut amator eadem
Conveniat, [a] quare porticus ulla patet?
Quis locus est templis augustior? hæc quoque vitet,
In culpam si qua est ingeniosa suam.
Cùm steterit Jovis æde; Jovis succurret in æde,
[b] Quàm multas [c] matres fecerit ille Deus.
Proxima adoranti Junonia templa subibit,
[d] Pellicibus multis hanc doluisse Deam.
Pallade conspectâ, natum de crimine [e] virgo
Sustulerit quare quæret [f] Erichthonium.

INTERPRETATIO.

Diruatur Circus: licentia Circi non est secura: puella hîc assidet viro non cognito. Quamobrem ulla porticus aperta est, siquidem nonnulla deambulent in eâ, ut amator eodem accedat? Quis locus est venerabilior templis? Si qua est callida in suum crimen, effugiat hac etiam. Cùm fuerit in templo Jovis, recordabitur in templo Jovis, quàm multas matres ille Deus fecerit. Occurret veneranti proxima templa Junonis, hanc Deam ægrè passam multas adulteras. Minervâ visâ, petet quamobrem virgo eduxerit Erichthonium ortum ex crimine.

NOTÆ.

[y] *Circus*] Locus fuît Romæ à Tarquinio Prisco ludis celebrandis extructus; cui à formâ, ovi specie orbiculatâ, aut circulari, illud datum nomen.

[z] *Licentia*] Ubi passim juvenes cum puellis, noti ignoti sedent promiscuè, & quælibet effutiunt.

[a] *Quare*] Siquidem Porticus amantibus etiam faveant, qui illuc amoris causâ conveniunt, claudi debere aut omnino everti eas contendit Poëta; siquidem tamen ex rerum abusu, legitimum usum tollendum quisquam censuerit. Atque eò spectat ejus oratio, ut ne suæ Artis amatoriæ deliciæ & lepores damnentur, quia illis ad nequitiam abuti possint matronæ. Quæ omnia ad fucum faciendum summâ arte sunt exquisita; ad persuadendum non verò satis idonea.

[b] *Quàm multas mat.*] Hinc vides Lector, qualis potuerit esse religio hujus generis hominum: quamque abhorrendus omnis Ethnicorum cultus, si pauculos excipias, qui istas nequitias supremo *Enti* in totum abjudicaverunt.

[c] *Matres*] In Metamorphosi passim videre licet Jovis adulteria.

[d] *Pellicibus*] Qualis Europa, Io, Alcmena, Ægina, Danaë, Calisto, Leda, aliæ sine numero.

[e] *Virgo*] *Pallas*, scilicet.

[f] *Erichthonium*] Hic ex Vulcani semine, à Pallade repulsam passi ortus est puer draconum pedibus horribilis. Dictus est ἀπὸ τ ἔριδος, ϗ χθονὸς, ex contentione & humo, hâc causâ. Jupiter per infernam paludem Vulcano juraverat se nihil negaturum, quòd Diis arma adversus gigantes fecisset. Ille Palladis postulavit nuptias. Abnuere non potuit qui sese tantâ religione constrinxerat: adeòque turpissimi fabri libidini eam objicere coactus est. Minervam igitur, quod reliquum fuit, hortatus est, ut pudicitiam defenderet, quod ea egregiè præstitit: sed per eam luctam Vulcani semen in terram decidit. Inde Erichthonius: quamquam alii aliter. Minervæ verò curas in eo tollendo vide in Metam.

Venerit in magni templum [g] tua munera Martis,
Stat Venus Ultori [h] juncta viro ante fores.
Isidis æde sedens [i] cur hanc Saturnia quæret
Egerit Ionio Bosphorióque mari.
In Venere [k] Anchises, in Lunâ [l] Latmius heros,
In Cerere [m] Iasion, qui referatur, erit.
Omnia perversas possunt corrumpere mentes.
Stant tamen illa suis omnia [n] tuta locis.
At procul ab scriptâ solis meretricibus Arte
Submovet ingenuas pagina prima nurus.
[o] Quæcumque irrumpit, quo non sinit ire sacerdos;
Protinus hoc vetiti criminis acta rea est.
Nec tamen est facinus molles evolvere versus:
Multa [p] licet castæ non facienda legant.
Sæpe supercilii nudas matrona [q] severi
Et Veneris stantes ad genus omne videt.

INTERPRETATIO.

Venerit in ædem Martis ingentis quæ tua munera; Venus est juncta viro Vindici ante januam. Sedens in templo Isidis, petet quamobrèm Saturnia illam agitaverit per mare Ionium & Bosphorium. Anchises erit qui memoretur in Venere, heros Latmius in Lunâ, Jasion in Cerere. Cuncta possunt perdere animos corruptos. Attamen illa omnia stant suis sedibus. At prima pagina arcet honestas matronas ab Arte scriptâ solis scortis. Quæcumque per vim accedit quò sacerdos prohibet accedere, eâ re continuò arguitur interdicti sceleris. Neque tamen est flagitium perlegere lasciva Poëmata; licet pudica evolvant plurima non admittenda. Matrona frequens casti supercilii intuetur nudas meretrices, *& sese præbentes ad omne genus* Veneris.

NOTÆ.

g *Tua*] Quia Marti ultori illud templum; quod bello pro ultione patris suscepto voverat extruxit Augustus.

h *Juncta*] Quia Veneris genitricis ædes Martis templo proxima: ut hinc pronum sit ejus cum illâ adulterium recordari: tum nequitias ejusmodi aucupari. Cæterùm observa, Lector, quantâ industriâ voces conquisierit Poëta, quæ maximè instituto faveant. Ut rem ipsam narrat, non videtur quisquam posse ad Martis ædes accedere, quin illum adulteria suadentem audiat aut videat.

i *Cur*] Quia *scilicet* Io pellex fuit, Juno eam, in vaccam mutatam, toto orbe agitavit, donec in Isin in Ægypto conversa est. Quam fabulam vide in Metam. namque frustrà toties easdem quisquilias everteremus. Festinanter, & earum rerum tollendarum causâ, quæ bonæ sunt, cætera perstringenda. In iis non immorandum.

k *Anchises*] Qui ex Venere Æneam suscepit.

l *Latmius*] *Endymion*, à Latmo Cariæ monte sic dictus, quem Luna amavit.

m *Jasion*] Qui Jovis & Electræ filius ex Cybele uxore Corybantum genuit: ex Cerere verò per adulterium Plutonem.

n *Tuta*] Neque porticus, neque templa evertuntur, quia ex illis, aut in illis, ingeniosæ ad nequitiam mulieres, malè faciendi ansam præripiunt: adeòque neque Amatorii libelli tollendi, aut eorum Auctor profligandus. Atque hic verus est sensus hujus loci, ni fallor: neque placent quæ in eum alii, quos quidem vidi protulerunt.

o *Quæcumque*] Neque se vatem, neque Veneris sacerdotem reum esse à simili arguit Naso; sed eam quæ prohibita inspexerit.

p *Licet*] Verùm. Sed nequitias docere, atque libidinem protitare non licet.

q *Severi*] Si credere fas est: Catone namque theatrum ingresso, non ausus est populus ut nudarentur mulieres poscere, quamobrem discessisse testatur Valer. Maximus, ne præsentiâ suâ spectaculi consuetudinem impediret. Si quæ ergo essent supercilii severi matronæ, Florales ludos certè non spectassent, quibus turpissimæ meretrices lasciviam suam ostentui haberent.

Corpora Vestales oculi meretricia cernunt :
Nec [r] domino pœnæ res ea caussa fuit.
[s] At cur in nostrâ nimia est lascivia Musâ ?
Curve meus cuiquam suadet amare liber ?
Nil nisi peccatum manifestáque culpa, fatendum est :
Pœniret ingenii judiciique mei.
Cur non [t] Argolicis potiùs quæ concidit armis
[u] Vexata est iterùm carmine Troja meo ?
Cur tacui [x] Thebas, & mutua vulnera [y] fratrum ?
Et septem portas sub duce quamque [z] suo ?
Nec mihi materiam bellatrix Roma negabat :
Et pius est patriæ facta referre labor.
Denique, cùm meritis impleveris omnia, Cæsar,
[a] Pars mihi de multis una canenda fuit.
Utque trahunt oculos radiantia lumina Solis ;
Traxissent animum sic tua facta meum.

INTERPRETATIO.

Oculi Vestales spectant corpora meretricia: neque ea res fuit caussa multæ à Domino. At quamobrem nimia est mollities in nostrâ Musâ ? Vel cur meus liber consulit cuiquam amare ? Nihil est *nisi delictum & crimen evidens, agnoscendum est : Piget ingenii & judicii mei. Quare Troja quæ diruta est telis Argolicis, non agitata est denuò meis versibus ? Quamobrem silentio prætermisi Thebas, & mutua vulnera fratrum ? & septem portas, singulas sub duce suo ? Neque Roma bellicosa recusabat mihi argumentum atque pium est labor memorare acta Patriæ. Denique, Cæsar, siquidem cumulaveris omnia beneficiis, una pars de multis fuit mihi describenda. Et quemadmodum lumen coruscum Solis ducit oculos ; tua acta ità duxissent meam mentem.*

NOTÆ.

[r] *Domino*] *Pontifici Maximo*, qui in Vestales animadvertebat, si castitatem violassent. Quanquam suspectus est erroris hic versus.

[s] *At cur*] Se ipsum damnat Poëta : quod quidem non meritò tantùm, sed Oratoriè, & arte ad impetrandam veniam accommodatissimâ.

[t] *Argolicis*] A Græcis eversam Trojam cantaverat Maro. Illud idem argumentum potuisse assumere se de novo, non sine callidâ sui commendatione dicit Poëta.

[u] *Vexata*] Quia Trojæ labores Virgiliano describuntur carmine, ideò *vexata* dicitur.

[x] *Thebas*] Quæ urbs Bœotiæ, aut certè bellum ad eam gestum Statio Poëtæ egregii operis præbuit argumentum.

[y] *Fratrum*] Eteoclis & Polynicis, qui mutuo vulnere, ad singulare certamen congressi, occubuerunt. Filij fuerunt Oedipi Thebanorum regis ; quorum passim reperitam historiam, huc frustrà transcribere visum est.

[z] *Suo*] Eâ lege Oedipus regnum suum Eteocli atque Polynici reliquerat, ut alternis annis regnarent. Majori natu Eteocli priores partes Polynices concesserat : verùm ille, expleto anno, regno cedere fratri recusavit. Quare hic ad Adrastum Argivorum regem confugit, qui paratis maximis copiis cum Amphiarao, Hippomedonte, Capaneo, Tydeo, Parthenopæo, & Polynice ipso, in generum assumto, adversus Eteoclem bellum gessit. Horum ducum unusquisque portam sibi oppugnandam ceperat : namque Thebis septem fuerunt. Illud nunc agitur.

[a] *Pars*] *Meritorum tuorum, ô Cæsar.* Nunc verò &. summâ arte, & veris rationibus causam suam agit Poëta.

[b] Arguor immeritò. [c] tenuis mihi campus aratur:
[d] Illud erat magnæ [e] fertilitatis opus.
[f] Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audet in exiguo ludere cymba lacu.
Forsitan & dubitem, numeris [g] levioribus aptus
Sim satis; in parvos sufficiámque modos.
At si me jubeas domitos [h] Jovis igne [i] Gigantas
Dicere; conantem debilitabit [k] onus.
Divitis ingenii est immania Cæsaris acta
[l] Condere; [m] materiâ ne superetur opus.
Et tamen ausus eram: sed [n] detrectare videbar,
Quodque nefas, damno [o] viribus esse tuis.
Ad leve rursus opus [p] juvenilia carmina veni;
Et [q] falso movi pectus amore meum.

INTERPRETATIO.

Accusor indignè: exiguus ager à me colitur. Illud opus erat magna copia. Si qua navicella non reformidat ludere in parvo stagno, non debet idcirco se committere mari. Fortè etiam incertus sim, an sim satis paratus ad versus tenuiores, & par sim levibus modis. At si me cogas cantare Gigantes pretritos fulmine Jovis, onus franget nitentem. Est ingenii fertilis scribere facta ingentia Cæsaris; ne carmen vincatur argumento. Et tamen aggressus eram: sed videbar detrahere, &, quod nefas, esse detrimento tuæ virtuti. Rursus redii ad opus tenue & versus juveniles; & perculi animum meum ficto amore.

NOTÆ.

[b] *Arguor*] Correctio est ingeniosissima, tum ad facti sui excusationem, tum ad Cæsaris laudem.

[c] *Tenuis*] Metaphora aptissima, quâ se levioribus tantùm idoneum esse agnoscit Poëta. Per tenuem campum enim, leve argumentum aut materia intelligitur.

[d] *Illud*] *Quodcumque ex Augusti præclaris factis in Poëmatis argumentum desumsisses.*

[e] *Fertilitatis*] *Fertilis atque uberis ingenii.*

[f] *Non ideo*] Alia Allegoria eodem spectans.

[g] *Levioribus*] *Elegiis*, quibus levior materia tractatur.

[h] *Jovis igne*] *Fulmine.*

[i] *Gigantas*] Qui bellum adversus Deos ausi movere: de quibus in Metam.

[k] *Onus*] *Operis difficultas.*

[l] *Condere*] *Componere, Scriptis ad Posteros transmittere, & quasi æterna renovare.* Hinc verò apparet disticho superiore per Jovem, Augustum allegoricè intelligendum: per Gigantas, eos omnes qui adversus illum bello congressi.

[m] *Materia*] Dicta factis exæquanda oratori esse docuit Crispus: quantò magis Poëtæ, cujus opus materiam exornare, & superare debet?

[n] *Detrectare*] *Tuæ laudi detrahere.*

[o] *Viribus*] *Virtuti.*

[p] *Juvenilia*] *Quæ juvenum lusus, materiâ ingenio meo tenui accommodatâ, exponerent.*

[q] *Falso*] Quasi ipse non amaverit, sed aliorum ineptos Amores scripserit.

Non equidem vellem: ſed me [r] mea fata trahebant,
Inque meas [ſ] pœnas ingenioſus eram.
Hei mihi, quòd [t] didici! quòd me docuêre parentes,
Literáque eſt oculos ulla morata meos!
Hæc tibi me inviſum laſcivia fecit, ob Artes,
Quas ratus es [u] vetitos ſollicitaſſe toros.
Sed neque me nuptæ didicerunt [x] furta magiſtro:
Quodque [y] parùm novit, nemo docere poteſt.
Sic ego delicias, & mollia carmina feci,
Strinxerit ut nomen [z] fabula nulla meum.
Nec quiſquam eſt adeo mediâ de plebe maritus,
Ut [a] dubius [b] vitio ſit pater ille meo.
[c] Crede mihi; mores [d] diſtant à carmine noſtro.
Vita verecunda eſt, Muſa jocoſa mihi.

INTERPRETATIO.

Nellem equidem, ſed fors mea me cogebat, & eram ſolers in meum ſupplicium. Hei mihi, quòd profeci in litteris! quòd parentes erudierunt me, & ulla littera detinuit oculos meos! Hac laſcivia reddidit me tibi odioſum, propter Artes, quas credidiſti appetiiſſe lectos prohibitos. Verùm neque matrimonio juncta edocta ſunt adulteria me præceptore: & nullus poteſt docere quod non intelligit. Ego ità ſcripſi amores, & laſcivos verſus, ut nulla fabula tetigerit nomen meum. Neque adeò ullus eſt vir de medio populo, ut ille ſit pater incertus meâ culpâ. Fidem mihi adhibe: mores differunt à noſtris verſibus. Vita eſt mihi honeſta, Muſa feſtiva.

NOTÆ.

[r] *Mea fata*] *Ipſe quidem pol ſapiens fingit fortunã ſibi*: ſiquidẽ memineris, Naſo. Verùm & ità loquuntur noſtri homines plerique. Si quid ipſi contra Gratiæ inſtinctum turpiſſimè admiſerunt, *Oh! Deus ſic voluit*, inquiunt: *Mihi gratiã efficacẽ non indulſit: Namque ſi indulſiſſet, procul dubio ejus decreta ſunt immutabilia. Ille omnia poteſt: neque ceſpitaſſem. Nobis ignoſcat*. Si quid exſuperans gratia, neſcientibus illis fortè, præſtitit; tunc id totum in ſeſe derivant. Atque eo modo, ſive bene, ſive malè agant, ſuperbiunt ipſi, Deum non tantùm debito honore ſpoliant, ſed & illi nequitiam ſuam affingunt. Scelera & genera ſacrilega! Sed quod magìs dolendum, Theologaſtri quidam, cùm hanc materiam enarrandam aſſumſerunt, non audent loqui; videntur aſperos carduos commedere. Atque ità quiſque ad ingenium ſuum redit. Deus omnia præſtiterit; homines ſinguli per Averni deſcenſum cœlos penetrabunt. Vapida pectora & vanitatis ludibria! Scilicet ipſi vivimus per gratiam; non Deus.

[ſ] *Pœnas*] Quia exſilio pulſus propter Amorum libellos, uti quidem ille credendũ ſuadet.

[t] *Didici*] Non litteræ, ſed ingenium laſcivum obfuit.

[u] *Vetitos*] *Matronarum*, ſcilicet.

[x] *Furta*] *Inconceſſam Venerem*.

[y] *Parùm novit*] Quaſi verò ille matronam neſciat corrumpere, qui aliam quamvis puellam! Iſta ad ludendum, quòd optimè noverat Naſo, non ad perſuadendum ſunt apta.

[z] *Fabula*] Scilicet ideò fuerit ille caſtiſſimus, quia in ore non fuerit omni populo? Aliter ipſe docuit Naſo.

[a] *Dubius*] *Quod illius conjugem tetigerim.*

[b] *Vitio*] *Adulterio*. Non *præceptis*, ut expoſuerunt.

[c] *Crede mihi*] Non credo tamen: namque nimius es in Cogitandis, Probandis, atque Amandis quibuſque Veneris illecebris atque deliciis. Fugâ conſulendum ſibi ipſe frequens indicaſti, vix aliter: neque aliter ſuadet Ratio & Veritas. Jamdiu periit, qui à Cogitatione voluptariâ Mentem revocare non potuerit: neque in medio præcipitio conſtiterit, qui pedem in aditu reprimere nequiverit.

[d] *Diſtant*] Seſe dicit non illud feciſſe quod ſuaſit. Cæterùm & *ſuadere* ipſum eſt in moribus: & ille jam fecit qui amavit.

Magnáque pars operum [c] mendax & ficta meorum
Plus sibi permisit compositore [f] suo.
[g] Nec liber indicium est animi, sed honesta voluptas,
Plurima mulcendis auribus apta ferens.
[h] Accius esset [i] atrox; [k] conviva Terentius esset;
Essent pugnaces, qui fera bella canunt.
Denique composui teneros non solus amores:
Composito pœnas solus amore dedi.
Quid nisi cùm multo Venerem confundere vino
Præcepit Lyrici, [l] Teïa Musa senis?
[m] Lesbia quid docuit Sappho, nisi amare puellas?
Tuta tamen Sappho, tutus & ille fuit.
Nec tibi, [n] Battiade, nocuit, quod sæpe legenti
Delicias versu fassus es ipse tuas.
Fabula jucundi nulla est sine amore [o] Menandri:
Et solet hic pueris virginibúsque legi.

INTERPRETATIO.

Magnáque pars scriptorum meorũ & falsa & ficta amplius sibi indulsit suo auctore. Neq; liber est indicium mentis, sed est voluptas honesta exhibens plurima idonea ad capiendas aures. Accius esset crudelis; Terentius esset popino; qui scribunt sæva bella essent bellicosi. Denique non solus scripsi molles Amores: solus lui pœnas Amore scripto. Musa Teia senis Lyrici quid docuit nisi miscere Venerem multo mero? Sappho Lesbia quid docuit nisi puellas amare? Tamen Sappho secura, & ille fuit securus. Neque tibi obfuit, Battiade, quòd sæpe ipse confessus es carmine tuas voluptates legenti. Nulla est Comœdia faceti Menandri sine Amore: atque hic solet legi ab adolescentulis & puellis.

NOTÆ.

[c] *Mendax*] Fortè istud verum: sed fallaciam esse in Vero magìs adhuc crediderim.

[f] *Suo*] *Ovidio*, qui plura dixit, quàm fecit.

[g] *Nec liber*] Verissimè, si quicquam aliud. Superest ut honestam voluptatem esse probaveris, ultro ad libidinem & nequitiam pronum humanum ingenium, deliciis insuper ad easdem acuere.

[h] *Accius*] Poëta qui Tragœdias scripsit, & ex Sophocle in Latinum vertit; Duriusculè, ut Ciceroni visum: quod in temporis vitium rejicit Quintil.

[i] *Atrox*] Quia Tragœdiarum suarum tale argumentum. Adeòque huc denique redit Nasonis oratio. *Ego non sum arguendus, siquidem lasciviora quædam scripsi in Amoribus: namque illud, non meum, sed Argumenti & Amoris fuerit vitium. Non dicitur Accius crudelis, qui tyrannorum atrox ingenium & similia scripsit: Ergo neque ego lascivus, qui Amatorum indolem aliaque id genus pro ratione argumenti, expolivi.* Cujus generis sit ista ratio non ambigent qui Terentium legerint, aut Ædilium fuisse meminerint priùs fabulas excutere quàm ad populum referrentur. Quædam omnino silentio prætereunda suadet pudor. Alia vituperanda, non laudanda, Virtus, &c.

[k] *Conviva*] Quia in ejus Comœdiis de adolescentum compotatiunculis agitur; in quibus Syrus præsertim lautè munus administravit suum.

[l] *Teïa*] Anacreontis Poëtæ, qui Teon, urbem & portum Ioniæ patriam habuit.

[m] *Lesbia*] Lesbon Ægæi maris insulam, è regione Trojæ, patriam habuit Sappho; quæ libris suis poëmata lasciva, Elegias, Epigrammata, aliaque comprehendit: de quâ in præcedentibus.

[n] *Battiade*] Callimachus est, qui à Batto generis sui auctore, qui Cyrenen condidit, illud nomen accepit. Lyden puellam amavit, de quâ etiam scripsit Elegias.

[o] *Menandri*] Is fuit Atheniensis Comœdiarum scriptor, quarum nonnullas Terentius Latinas fecit.

[p] Ilias [q] ipsa quid est, nisi turpis [r] adultera, de qua
Inter [s] amatorem pugna [t] virúmque fuit ?
Quid priùs est illi flammâ [u] Chryséidos ? utque
Fecerit iratos rapta [x] puella duces ?
Aut quid [y] Odyssêa est, nisi [z] fœmina, propter amorem,
Dum vir abest, multis una petita procis ?
Quis nisi [a] Mœonides Venerem Martémque ligatos
Narrat in obscœno corpora [b] prensa toro ?
Unde nisi indicio magni sciremus Homeri,
[c] Hospitis igne duas incaluisse [d] Deas ?
Omne genus scripti gravitate Tragœdia vincit :
Hæc quoque materiam semper amoris habet.
Nam quid in [e] Hippolyto, nisi cæcæ flamma novercæ ?
Nobilis est [f] Canace fratris amore sui.

INTERPRETATIO.

Quid est ipsa Ilias, nisi obscœna meretrix, de quâ certamen fuit inter Amatorem & maritum? Quid priùs est illi Amore Chryseidis? & ut puella sublata moverit iram ducum? Vel quid est Odyssea, nisi una fœmina expetita à multis procis, propter Amorem, dum maritus abest? Quis nisi Mæonides refert Venerem & Martem junctos corpora deprehensa in turpi lecto? Unde sciremus nisi declaratione magni Homeri, duas Deas correptas Amore hospitis? Tragœdia est supra omne genus scripti, gravitate: hæc etiam semper habet argumentum ex Amore. Nam quid in Hippolyto, nisi Amor cæca novercæ? Canace est celebris Amore fratris sui.

NOTÆ.

[p] *Ilias*] Quæ Homeri opus, de Ilio seu Trojâ, à Græcis, ob raptam Helenam, subversâ.

[q] *Ipsa*] Maximam laudem habet hoc in loco hæc vocula; ut Homeri Iliadem omnium faciat Pœmatum præstantissimum.

[r] *Adultera*] Quia ob turpissimam illam, Helenam scilicet, à Paride raptam, bello conflagravit tota Asia, in quam conjuraverunt omnes Græciæ Principes.

[s] *Amatorem*] *Paridem.*

[t] *Virum*] *Menelaum.*

[u] *Chryseïdos*] In principio statim Iliados Agamemnonis erga Chryseïda, seu Astynomen, Chrysæ Sacerdotis filiam, amor describitur.

[x] *Puella*] Briseis est, quam Achilli eripuit Agamemnon, postquam Astynomen suam patri coactus est restituere: quâ re gravissimæ inter eos ortæ inimicitiæ.

[y] *Odyssea*] Quæ alterum Homeri opus, de Ulyssis erroribus, à quo Græcè nomen habuit.

[z] *Fœmina*] *Penelope*, Ulyssis conjux; quam multi, absente marito, expetiverunt, uti dictum in Epistolis.

[a] *Mœonides*] *Homerus.*

[b] *Prensa*] Tenuissimis retibus comprehensos Vulcanus Veneris maritus Diis omnibus, sese insuper deridendum præbuit. Quâ de re in Metamorphosi.

[c] *Hospitis*] *Ulyssis* scil.

[d] *Deas*] *Calypso*, quæ naufragum Ulyssem hospitio excepit; *Circen*: de quibus in Metam.

[e] *Hippolyte*] Tragœdiam dicit, quæ de Hippolyto à quopiam Poëta Græco conscriptâ: ubi Phædræ novercæ illius amor descriptus. Quæ omnia, & in Epistolis vidimus, & in Metam.

[f] *Canace*] Hujus scelestum amorem vide in ejus ad Macareum fratrem epistolâ.

Quid,

Quid, non [g] Tantalides agitante Cupidine [h] currus
  [i] Pisæam [k] Phrygiis vexit [l] eburnus equis?
Tingeret ut ferrum natorum sanguine [m] mater,
  Concitus à læso fecit amore dolor.
Fecit amor subitas volucres cum pellice [n] regem,
  Quæque suum luget nunc quoque mater [o] Ityn.
Si non [p] Æropen frater sceleratus amasset;
  [q] Aversos Solis non legeremus equos.
Impia nec tragicos tetigisset [r] Scylla [s] cothurnos,
  Ni patrium crinem desecuisset amor.
Qui legis [t] Electran, & [u] egentem mentis Oresten,
  [x] Ægysti crimen [y] Tyndaridósque legis.
Nam quid de tetrico referam domitore [z] Chimæræ,
  Quem leto fallax [a] hospita pænè dedit?

INTERPRETATIO.

Quid, annon Tantalides eburnus duxit Pisæam equis Phrygiis, Amore regente currus? Dolor motus ab amore offenso caussa fuit ut genitrix inficeret cultrum cruore filiorum. Amor mutavit in aves repentinas regem & pellicem, & matrem quæ nunc etiam deflet suum Ityn. Si frater scelestus non amasset Æropen, non legeremus equos Solis retroactos. Neque Scylla impia tetigisset cothurnos Tragicos, nisi Amor totondisset crinem patrium. Qui legis Electran, & Oresten mente captum, legis crimen Ægysthi & Tyndaridis. Nam quid dicam de sæve domitore Chimæræ, quem dolosa hospita ferè morti tradidit?

NOTÆ.

[g] *Tantalides*] Pelops Tantali filius, cujus videsis fabulam in Metam. namque ineptum foret subinde easdem nugas inculcare.

[h] *Currus*] Nimirum Amoris caussâ curule certamen cum Oenomao, non sine gravissimo periculo, iniit: ut videre est in Metam.

[i] *Pisæam*] *Hippodamiam*, Oenomai filiam, ex Pisâ Arcadiæ urbe, quæ patre victo, Pelopi in uxorem cessit.

[k] *Phrygiis*] Quia Pelops Phrygius.

[l] *Eburnus*] Quia eburneum humerum, in ejus locum quem Ceres comederat, Dii, quibus illum Tantalus pater epulandum apposuerat, restituerunt.

[m] *Mater*] *Medea*, cujus Amor veneficæ non ex Tragœdiis modò, sed ex obviis quibusque Poëmatibus cognoscitur.

[n] *Regem*] *Tereum*, cujus ut & Philomelæ pellicis, & Prognes fabulam vide in Metam.

[o] *Ityn*] Filius fuit Terei ex Progne.

[p] *Æropen*] Atrei fuit uxor, quæ cum Thyeste Atrei fratre concubuit; Tragicisque scriptoribus argumentum insigne præbuit.

[q] *Aversos*] Illud dicit quia Thyesti fratri comedendum filium Atreus, ut uxoris stupratæ injuriam ulcisceretur, apposuit. Quod nefas Sol ne videret, currum retrò egisse dicitur.

[r] *Scylla*] Ejus crimen, atque patri sublatum crinem vide in Metam.

[s] *Cothurnos*] Cothurnus propriè calceamentum est, quo in tragœdiis agendis utebantur; qui etiam pro stylo subliniore non semel ponitur.

[t] *Electran*] Fuit hæc Agamemnonis filia, adeòque Orestæ soror; quæ Sophocli, atque Euripidi Tragœdiæ argumentum præbuit.

[u] *Egentem mentis*] Hujus insaniam Pyladisque amici fidem non multò antè vidimus.

[x] *Ægysti*] Qui Thyestis filius Agamemnonem obtruncavit.

[y] *Tyndaridos*] *Clytæmnestra*, Tyndari filiæ, atque Agamemnonis uxoris.

[z] *Chimera*] Quod monstrum indomabile Leonis capite terribile, pedibúsque draconibus horrendum suprà habuimus in Metam. Bellerophon verò sustulit, qui hîc ejus domitor dicitur.

[a] *Hospita*] *Sthenobœa*, Prœti regis uxor, quæ Bellerophontem ad furtivum concubitum cùm pellicere non potuisset, illum apud regem, quasi se de stupro interpellasset, accusavit. Quæ res, nisi virtutis eximiæ fuisset, Bellerophontem propè perdidit. Quam fabulam prolixè habet Apollodorus.

Quid loquar [b] Hermionem? quid te, [c] Schœnëia virgo;
Teque, [d] Mycenæo Phœbas amata duci?
Quid [e] Danaën, Danaësque [f] nurum, [g] matrémque Lyæi?
[h] Hæmonáque, & [i] noctes quæ coïere duas?
Quid [k] generum Peliæ? quid [l] Thesea? quidve Pelasgum
Iliacam tetigit qui rate [m] primus humum?
Huc [n] Iole, Pyrrhique [o] parens; huc Herculis [p] uxor,
Huc accedat [q] Hylas, [r] Iliadésque puer.
Tempore deficiar, tragicos si persequar [f] ignes,
Víxque meus capiat [t] nomina [u] nuda liber.

INTERPRETATIO.

Cur memerem Hermionem? Cur te puella Schœneia, teque Phœbas dilecta à duce Mycenæo? Quid Danaën, & nurum Danaës, & matrem Lyæi? Et Hæmonem, & noctes duas quæ junctæ sunt? Quid generum Peliæ? Quid Theseum? quidve illum, *qui primus Græcorũ tetigit nãve terram Iliacam? Huc addatur Iole, & mater Pyrrhi; huc conjux Herculis, huc Hylas, & puer Iliades. Tempus me deficiat, si recenseam amores Tragicos, & vix liber meus contineat sola nomina.*

NOTÆ.

[b] *Hermienen*] Quæ Menelai & Helenæ filia Oresti Agamemnonis, d. sponsata; deinde ab Ægistho Pyrrho Achillis filio promissa, Tragœdiarum scribendarum fuit etiam Argumentum.

[c] *Schœneia*] Atalanta est Schœnei regis filia, cujus fabulam habes Metam. 10.

[d] *Mycenæ*] *Agamemnoni*, Mycenarum regi; qui quidem Cassandram Priami filiam, Apollinis seu Phœbi Sacerdotem fatidicam amavit, atque Mycenas captivam captivus ipse duxit.

[e] *Danaën*] Quam Jupiter amavit, atque in pretium, seu aureum imbrem versus, stupravit.

[f] *Nurum*] Andromeden designat, quam Perseus Danaës filius, habuit uxorem; uti dictum in Metam.

[g] *Matrémque*] Semele est, quæ Bacchi seu Lyæi aut Liberi patris mater: de cujus cum Jove concubitu, itémque Junonis zelotypiâ vide in Metam.

[h] *Hæmona*] De isto Hæmone in Sophoclis Antigone; cujus hæc est fabula. Illa contemto edicto ne quis Polynicen sepeliret, eum, quia frater erat, humavit. Deprehensa, Creontis regis jussu, ad Polynicis tumulum jugulatur. Hæmon qui eam perditè amabat, ibidem, pectore ense perfosso, sibi mortem conscivit: quem & sequuta est Eurydice mater doloris impatiens.

[i] *Noctes*] Tres alii dicunt, quibus continuis cum Alcmenâ Herculis matre Jupiter consuevit.

[k] *Generum*] Admetus est, qui Alcesten, Peliæ filiam duxit uxorem, de quâ Euripidis Tragœdia.

[l] *Thesea*] Qui heros Tragœdiarum scriptoribus, non levia præbuit argumenta.

[m] *Primus*] Protesilaum indicat; qui Thessalus fuit, atque adeò *Pelasgus* ab iis qui primi Thessaliam tenuerunt, appellatur. Illum verò in Laodamiæ uxoris epistola primum ab Hectore mactatum diximus.

[n] *Iole*] Quæ Euryti Oechaliæ regis filia, ab Hercule adamata, atque ab eodem, occiso patre, sublata, Hyllo filio in uxorem cessit.

[o] *Parens*] Deidamia est, Lycomedis Scyri insulæ regis, filia; apud quem Thetis Achillem sub muliebri habitu celavit, hic verò Pyrrhum ex illâ genuit.

[p] *Uxor*] Megaram dicit, Creontis Thebanorum regis filiam, quam Iolao postea concessit. Per illam autem Tragœdia est intelligenda, in quâ non gesta tantùm, sed & Herculis Amores legebantur.

[q] *Hylas*] *Tragœdia* in quâ Hylas puer, Herculis comes & deliciæ.

[r] *Iliades*] Ganymedes est Trojanus, Troïs regis filius, qui Jovis pincerna, Junonis etiam zelotypiam movit.

[f] *Ignes*] Amores, qui in Tragœdiis continentur.

[t] *Nomina*] Eorum quorum Amores etiam Tragœdiis argumentum luctuosum præbuerunt.

[u] *Nuda*] Sine omni vitæ eorum narratione, quorum Amores in Tragœdiis describuntur.

Est & in obscœnos deflexa Tragœdia [x] risus,
Multáque [y] præteriti verba pudoris habet.
Nec nocet auctori, [z] mollem qui fecit Achillem,
[a] Infregisse suis fortia facta modis.
Junxit [b] Aristides [c] Milesia crimina secum;
Pulsus Aristides nec tamen urbe suâ.
Nec qui descripsit corrumpi [d] semina matrum;
[e] Eubius impuræ conditor historiæ.
Nec [f] qui composuit nuper [g] Sybaritida, fugit:
Nec [h] quæ concubitus non tacuêre suos.
Suntque ea doctorum monumentis mista virorum,
[i] Muneribúsque Ducum publica facta patent.
Neve [k] peregrinis tantùm defendar ab armis;
Et Romanus habet multa jocosa liber.
Utque suo [l] Martem cecinit gravis [m] Ennius ore;
Ennius ingenio maximus, arte rudis;

INERPRETATTIO.

Tragœdia est etiam deducta in turpes risus, & habet multa dicta pudoris omissi. Neque obest auctori, qui fecit suis carminibus amantem Achillem intermisisse egregia facinora. Aristides composuit crimina Milesia: neque tamen Aristides ejectus urbe suâ. Neque Eubius scriptor turpis historia, qui docuit semina matrum corrumpi. Neque exulavit qui descripsit nuper Sybaritida; nec quæ non silentio prætermiserunt suos concubitus. Atque ea sunt mista monumentis doctorum virorum: & aperta sunt, facta publica muneribus ducum. Neve tegar tantùm armis extraneis; liber Romanus habet etiam multa lasciva. Et quemadmodum gravis Ennius cantavit Martem suo ore, Ennius maximus ingenio, rudis arte;

NOTÆ.

[x] *Risus*] Contra decorum, siquidem luctuosa in Tragœdiis tractantur.

[y] *Præteriti*] *Neglecti* atque *violati.*

[z] *Mollem*] *Briseidis amatorem.*

[a] *Infregisse*] Dicitur verò Achilles, ob raptam sibi ab Agamemnone Briseïda, bello abstinuisse, atque adeò fortia facta infregisse.

[b] *Aristides*] Milesius Poëta fuit, qui Milesiaca poëmata, & de rebus impudicis scripsit: de quo Plutarchus & Lucianus.

[c] *Milesia*] *Milesiorum*, deliciis atque lasciviâ infamatorum, qui denique Miletum florentissimam Ioniæ urbem perdiderunt.

[d] *Semina*] Atque adeò immaturum fœtum ejici.

[e] *Eubius*] Quis hic fuerit, aliunde non novi.

[f] *Qui composuit*] Hemithæonis, & Misthonis Sybaritarum, turpissimorúmque scriptorum meminit Lucianus.

[g] *Sybaritida*] Fuit Sybaris oppidum Calabriæ inter Crathim & Sybarim fluvios, cujus incolæ lasciviâ perditi.

[h] *Quæ*] Quales Philœnis & Elephantis, quarum fœdissima scripta versúsque spurcissimi passim circumferebantur.

[i] *Muneribus*] *Concedentibus Imperatoribus, omnibus exposita ea scripta, & aperta sunt.*

[k] *Peregrinis*] *Græcorum scriptis*, quæ recensuit Naso.

[l] *Martem*] *Bella, & arma.*

[m] *Ennius*] Annales, Satyras, Comœdias, atque Tragœdias scripserat, quæ omnia, exceptis aliquot versibus passim citatis, perierunt.

Explicat ut caussas rapidi Lucretius [n] ignis,
Casurúmque [o] triplex [p] vaticinatur opus;
Sic sua lascivo cantata est sæpe Catullo
Fœmina, cui [q] falsum Lesbia nomen erat.
Nec contentus eâ, multos vulgavit amores,
In quibus ipse suum fassus adulterium est.
Par fuit [r] exigui similísque licentia Calvi,
Detexit variis qui sua furta modis.
Quid referam [s] Ticidæ, quid [t] Memmi carmen, apud quos
Rebus abest omnis nominibúsque pudor?
[u] Cinna quoque his comes est, Cinnâque procacior [x] Anser:
Et [y] leve Cornifici, párque [z] Catonis opus.
Et [a] quorum libris modò dissimulata Perillæ
Nomine, nunc legitur dicta, Metelle, tuo.
[b] Is quoque, [c] Phasiaeas Argo qui [d] duxit in undas,
Non potuit Veneris furta tacere suæ.

INTERPRETATIO.

quemadmodum Lucretius exponit caussas violenti ignis, & prædicit triplex opus interiturum; sic sua puella, cui Lesbia erat fictum nomen, est sæpe laudata à lascivo Catullo. Neque expletus eâ, publicos fecit multos amores, in quibus ipse agnovit suum adulterium. Lascivia parvi Calvi fuit similis atque æqualis, qui vulgavit sua adulteria diversis modis. Quamobrem memorem poëmata Ticidæ, quamobrem Memmii, apud quos omnis verecundia abest rebus & nominibus? Cinna est etiam horum socius, atque Anser lascivior Cinnâ: & opus jocosum Cornificii, & simile Catonis: & quorum libris, modò tecta nomine Perillæ, legitur appellata tuo nomine, Metelle. Ille etiam, qui duxit Argo in aquas Phasiacas, non potuit tegere adulteria sui Amoris.

NOTÆ.

[n] *Ignis*] Seu de nostro elementari, seu de fulmineo intelligas, utriusque causas enarrat Lucretius Poëta in egregio illo quod hodieque extat opere de rerum naturâ.

[o] *Triplex*] Cœlum. *scil.* Terra, & Mare.

[p] *Vaticinatur*] Quia interiturum mundum disputat Lucretius, contra eos qui æternum dicebant.

[q] *Falsum*] Quia non *Lesbia*, sed *Clodia* dicebatur, uti quidem scripsit Merula.

[r] *Exigui*] Quia parvæ staturæ. Catulli amicus fuit; non Poëta modò sed Orator clarus; violentus accusator, & concitatus.

[s] *Ticida*] Hic Metellam amasse dicitur, quam falso nomine *Perillam* in Elegiis vocitabat.

[t] *Memmi*] Poëta fuit & Orator; de quo Plinius in Epistolis, itémque Tranquillus; qui illum C. Cæsari objecisse testatur, quòd ad Nicomedis regis cyathum & vinum stetisset.

[u] *Cinna*] Q. Helvius Cinna Smyrnam scripsit, quam decem annis elimavit.

[x] *Anser*] Hic Antonii Poëta fuit, cujus laudes scripsit.

[y] *Leve*] Quia Amatoria scripsit hic Cornificius. Galeatos lepores milites fugientes sæpius appellaverat; quamobrem ab illis destitutus interiit.

[z] *Catonis*] De Valerio Catone sermo est, qui Bisenni cujusdam libertus fuit ex Galliâ. Grammaticen docuit; visúsque est peridoneus præceptor maximè ad Poëticam tendentibus. Is, præter Grammatices libellos Poëmata etiam scripsit; in quibus præcipuè probata Lydia & Diana: de quibus hic agitur.

[a] *Quorum*] Metri ratione, aut honoris gratiâ quorundam nomen reticet Poëta, qui Metellam, quam Ticida aut aliquis alius Perillæ nomine celaverat, apertè celebraverunt.

[b] *Is*] Varronem Attacinum intelligit, qui Leucadiam amavit. Ille enim Argonautica ex Apollonio scripsit.

[c] *Phasiacas*] *Colchicas*, à Phasi ejus regionis fluvio.

[d] *Duxit*] Argo navem duxisse dicitur Poëta in Colchos ad vellerem aureum tollendum, quia ejus errores scripsit.

Nec minùs [e] Hortensî, nec sunt minùs improba Servî
Carmina. quis dubitet nomina tanta sequi?
Vettit [f] Aristiden [g] Sisenna: nec obfuit illi
Historiæ turpes inseruisse jocos.
Nec fuit opprobrio celebrasse [h] Lycorida [i] Gallo,
Sed linguam nimio non tenuisse mero.
Credere [k] juranti durum putat esse Tibullus;
Sic etiam de se quod neget illa viro.
Fallere [l] custodem demum docuisse fatetur;
Seque suâ miserum nunc ait arte [m] premi.
Sæpe velut gemmam dominæ signúmve probaret,
[n] Per caussam meminit se tetigisse manum.
Utque refert, digitis sæpe est nutúque locutus,
Et tacitam mensæ duxit in orbe [o] notam.

INTERPRETATIO.

Neque versus Hortensii, neque Servii sunt minùs impuri. Quis vereatur imitari tantos Auctores? Sisenna interpretatus est Aristiden: neque illi nocuit immiscuisse lascivos ludos illi historia. Neque pudori fuit Gallo cantasse Lyceridem, sed non repressisse linguam nimio vino. Tibullus arbitratur esse difficile fidem habere puellæ juranti, quòd illa neget etiam de se marito. Denique agnescit se docuisse custodem decipere; &, dicit se infelicem nunc urgeri suis præceptis. Scribit se tetigisse manum dominæ per caussam, quasi laudaret gemmam aut sigillum ejus. Et, ut memorat, sæpe est loquutus digitis & nutu, & duxit indicium secretum in orbe mensæ.

NOTA.

[e] *Hortensii*] Hortensius & Sulpitius celeberrimi fuerunt Oratores, qui nihilominus mansuetioribus Musis operam dederunt. Posterioris prurire poëmа scripsit Ausonius; propter lasciviam carminis, *scilicet*.

[f] *Aristiden*] Qui Græcè Milesios turpissimos libellos, de quibus suprà, scripserat.

[g] *Sisenna*] Hunc inter Oratores recenset Cicero. Doctus vir erat, & studiis optimis deditus, gnarus Reipublicæ, non sine facetiis. Historiam Romanam insuper composuerat.

[h] *Lycerida*] Hanc Servius Citheridem fuisse scripsit, Voluminii libertam; de quâ libros quatuor scripsit.

[i] *Gallo*] Hic Ægypti procurator, cùm civitatem Thebanam, plurimis peremtis, exhausisset, & furti accusaretur, sibi manus violentas intulit; docente Ammiano Marcellino. Sed veriùs alii eò compulsum volunt, quòd, cùm in ipsum Imperatorem amicum, multa, inter pocula præsertim intemperanter jactasset, aliaque patrasset, huic domo & provinciis suis Augustus interdixisset; Senatus graviore sententiâ bona omnia sustulisset.

[k] *Juranti*] Deliæ amicæ Tibullus difficile credere scripserat, quæ sese cum nullo alio tem habere juraret; siquidem de ipso ad maritum pejeraret. Hinc igitur Naso Tibullum de turpibus scripsisse probat; quæ illi tamen fraudi minùs fuerunt. Hi verò sunt Tibulli versus:

Illa quidem tam multa negat: Sed credere durum est.
Sic etiam de me pernegat usque viro.

[l] *Custodem*] Cui puellæ cura credita.

[m] *Premi*] Qui fallatur etiam.

[n] *Per caussam*] Siquidem manum tangeret, gemmæ aut sigilli inspiciendi causâ.

[o] *Notam*] Diductâ vini guttâ; sicuti in Amoribus vidimus. Adeundus verò est Tibullus, apud quem omnia hæc invenias de quibus agit Naso.

[p] Et quibus è succis abeat de corpore livor,
Impresso fieri qui solet ore, docet.
Denique ab incauto nimiùm petit ille marito.
Se quoque uti [q] servet: peccet ut illa [r] minùs.
[s] Scit cui latretur, cùm solus obambulat ipse:
[t] Cur toties clausas excreet ante fores.
Multáque dat talis furti præcepta: docétque
Quâ nuptæ possint fallere ab arte viros.
Nec fuit hoc illi fraudi; legitúrque Tibullus,
Et placet, & jam te Principe notus erat.
Invenies [u] eadem blandi præcepta [x] Properti:
Districtus minimâ nec tamen ille [y] notâ est.
His ego [z] successi, [a] quoniam præstantia candor
Nomina vivorum dissimulare jubet.
Non timui, fateor, ne, quà tot iêre [b] carinæ,
Naufraga servatis omnibus [c] una foret.
Sunt aliis scriptæ, quibus alea [d] luditur, artes.
Hæc est ad nostros non leve crimen avos.

INTERPRETATIO.

Atque indicat ex quibus succis livor, qui consuevit fieri ore impresso, excedat ex corpore. Denique ille poscit maritum nimis improvidum, ut custodiat se quoque, ut illa minùs peccet. Novit cui latretur, cùm ipse solus exspatiatur, cur toties expuat ante januam obseratam. Atque prabet multa pracepta hujusmodi adulterii; & docet quibus dolis nupta possint decipere maritos. Neque hoc fuit illi damno; & Tibullus legitur, & gratus est, & cognitus erat te jam Imperatore. Comperies eadem pracepta lenis Propertii: neque tamen ille est mulsatus minimâ nosâ. Ego his successi, quandoquidem candor jubet praterire excellentia nomina superstitum. Non veritus sum, agnosco, ne, quà tot naves transiverunt, una esses naufraga, omnibus incolumibus. Artes, quibus alea luditur, sunt consignata ab aliis. Hac est non parvum peccatum ad Majores nostros.

NOTÆ.

[p] *Et quibus*] Tibullus hoc modo
Tūc succos herbásq; dedi, queis livor abiret,
Quem facit impresso mutua dente Venus.

[q] *Servet*] Ut gratior sit voluptas, quæ denegata; & invito marito capta.

[r] *Minùs*] Siquidem ejus Amator servatus, non possit ad illam accedere.

[s] *Scit*] Tibullus de se ità profitetur;
Ille ego sum; nec me jam dicere vera pudebit,
Instabat totâ, cui tua nocte Canis.

[t] *Cur*] *Et simulat transire domum, mox deinde recurrit*
Solus, & ante ipsas excreat usque fores.
Tibullus.

[u] *Eadem*] Eadem docentia, quæ Tibullus docuit.

[x] *Properti*] Hic Elegiacorum Poëtarum Princeps; quem qui non amat, neque illum profectò Musæ amant: quanquam optandum foret, ut ad aliam potiùs quàm amatoriam materiam felicem & candidam illam ingenii venam contulisset.

[y] *Notâ*] Infamiâ.

[z] *Successi*] Quia Amatoria etiam scripsit Naso.

[a] *Quoniam*] Quasi præstantiores vixerint suo tempore Poëtæ, quos sibi prætulerit Naso, nisi illorum Amores dissimulare candor suaserit.

[b] *Carinæ*] Pro Poëtis qui Amatoria scripserant.

[c] *Una*] *Mea*, scilicet. De seipso loquitur Poëta.

[d] *Luditur*] *Describitur*. Quid valeant tali, verbi gratiâ; quis tesserarum usus.

Quid valeant [d] tali; quo possis [e] plurima jactu
[f] Fingere; damnosos effugiásve canes.
Tessera quot numeros habeat: [g] distante vocato
[h] Mittere quo deceat, quo [i] dare missa modo.
[k] Discolor ut recto grassetur limite miles,
Cum medius gemino calculus hoste perit.
[l] Ut mage velle sequi sciat, & revocare [m] priorem;
Ne tuto fugiens incomitatus eat.
[n] Parva sed & ternis instructa tabella lapillis;
In qua vicisse est, continuasse suos.
Quique alii lusus (neque enim nunc persequar omnes)
Perdere rem caram tempora nostra solent.
Ecce canit [o] formas alius jactúsque pilarum.
Hic [p] artem nandi præcipit, ille trochi.

INTERPRETATIO.

Quid tali valeant; quo jactu possis exhibere plurima; aut vites canes exitiales; quot numeros tessera habeat; quomodo oporteat mittere distante vocato, quomodo dare missa. Quomodo calculus discolor incedat rectâ viâ, cùm miles medius cadit ab hoste duplici. Ut magis sciat velle sequi, & repetere priorem, ne securè fugiens procedat incomitatus. Parva est tabella, sed & instructa ternis calculis, in quâ in eandem seriem digessisse suos est vicisse. Atque alii lusus, (neque verò jam omnes referam) solent terere rem pretiosam nostra tempora. Ecce alius scribit figuras & jactus pilarum. Hic docet artem natandi, ille trochi.

NOTÆ.

[d] *Tali*] Talorum facies seu superficies fuerunt quatuor; sex tesserarum. Talorum facies prima *Canis* dicebatur, quæ infelicissima. Illi opposita *Senio* dubia. Reliquæ duæ ternario & quaternario numero notabantur. Binarius & quinarius numerus in talis non erant. Quatuor autem talis, tribus ferè tantùm tesseris ludere consueverant.

[e] *Plurima*] Seniones putà, non Canes.

[f] *Fingere*] Ut Senionum facies non Canum exhibeantur.

[g] *Distante*] Solent qui ludunt tesseris, eum sibi maximè expetere numerum, atque voce indicare, quo ad vincendum opus habent. Cæterùm cùm nostra ludendi ratio à veterum ratione valdè discrepet, facilè non est dicere, quid per distantem numerum intelligendum sit. Certum equidem nihil ad rem protulisse Commentatores plerosque: verùm quid certi dicam non occurrit: nisi fortè per distantem illum intelligas numerum qui minùs frequenter caderet, aut numero antè ab adversario jacto, contrarium esset.

[h] *Mittere*] In pyrgum, *scilicet*: quod ex Horatiano Scurrâ liquet, mercede diurnâ conductum pascente qui pro se tolleret atque in pyrgum mitteret talos. Somniarunt hoc in loco Interpretes, nisi ipse scribens dormio; quod spero non evenerit.

[i] *Dare*] In alveum ex pyrgo mittere interpretor.

[k] *Discolor*] Scilicet diverso colore debent esse latrunculi, *les Echecs*: quorum jam tangit ludum Poëta. Quanquam enim circa illum non omnino eædem leges veterum atque ætatis nostræ hominum, plurima sunt tamen quæ eundem esse horum atque illorum non obscurè demonstrent.

[l] *Ut mage*] Locus mendosus auctore clariss. Heinsio quem prorsus non intelligo.

[m] *Priorem*] Calculum, *scilicet*; ne fortè longiùs elapsus ab hoste capiatur.

[n] *Parva*] De eo ludo in Amoribus, ubi vide.

[o] *Formas*] Fuerunt enim Trigonales pilæ durissimæ, atque omnium minimæ, pilo plenæ fuerunt *Paganicæ*, laxiores & plumis refertæ, quibus pagani atque rustici utebantur. Additum est tertium genus, ex pellibus, spiritu inflatis. Fiebant insuper ex panno aut pelle lanâ seu tomento refertis.

[p] *Artem nandi*] Quasi verò ea cum Arte Amandi conferenda sit.

Composita est aliis fucandi cura coloris:
Hic [q] epulis leges hospitióque dedit.
Alter humum, de qua fingantur pocula, monstrat;
Quæque docet liquido testa sit apta mero.
Talia [r] fumosi [s] luduntur mense Decembris;
Quæ damno nulli composuisse fuit.
His ego deceptus non tristia carmina feci;
Sed tristis nostros pœna secuta jocos.
Denique nec video de tot scribentibus unum,
Quem sua perdiderit Musa: repertus ego.
Quid si scripsissem [t] mimos obscœna jocantes,
Qui semper vetiti [u] crimen amoris habent?
In quibus assiduè cultus procedit adulter;
Verbáque dat stulto callida nupta viro.
Nubilis hos virgo, matronáque, vírque, puérque
Spectat: & è magnâ parte Senatus adest.
Nec satis incestis temerari vocibus aures:
Assuescunt oculi multa pudenda pati.
Cúmque fefellit amans aliquâ novitate maritum,
Plauditur; & magno palma favore datur.
[x] Quoque minùs prodest, [y] pœna est lucrosa poëtæ:
Tantáque non parvo crimina [z] Prætor emit.

INTERPRETATIO.

Ars fucandi coloris descripta est ab aliis: hic posuit leges dapibus atque hospitio. Alius indicat terram ex quâ fingantur pocula: & monstrat quodnam fictile sit idoneum vino liquido. Ejusmodi scribuntur mense fumidi Decembris, quæ collegisse nemini obfuit. Ego his falsus composui jocosos versus; sed supplicium non jocosum sequutum est nostros lusus. Denique neque aspicio quemquam de tot scribentibus, quem sua Musa afflixerit: ego inventus. Quid si scripsissem Mimos ludentes turpia, qui semper habent crimen amoris prohibiti? in quibus semper adulter ambulat ornatus, & nupta astuta decipit ineptum maritum. Puella viro matura, & matrona, & maritus, & puer hos videt; & Senatus præsens est magnâ ex parte. Neque satis est aures inquinari verbis nefariis: oculi assuescunt ferre multa erubescenda. Et cùm amator decepit maritum aliquâ novitate, plauditur; & palma præbetur magno favore. Et quò minùs est utilis, pœna est fructuosa Poëtæ: & Prætor emit tanta flagitia pretio non vili.

NOTÆ.

[q] *Epulis*] Quomodo lautè apparandum convivium.

[r] *Fumosi*] Quia mense Decembri maximè focus colitur.

[s] *Luduntur*] *A Poëtis scribuntur* festis Saturnalibus quibus maxima licentia. Hæc maximè ad excusationem faciunt.

[t] *Mimos*] Versus qui sermones aut facta aliorum imitantur cum lasciviâ. Eo nomine appellabantur etiam auctores ejusmodi versuum; itemque Actores qui illos versus aut fabulas referebant.

[u] *Crimen*] *Criminationem.*

[x] *Quoque*] Viderunt alii latère hîc mendum; atque suo quisque modo illud correxerunt: sed longiùs à veteri scripturâ abire videntur. *Mimis* pro minùs in uno Mediceo legi testatur clariss. Heinsius. Illud arripio & minimâ mutatione lego, *Quæ mimis*, &c.

[y] *Pœna*] Pœna, inquit, Actorum & Poëtæ qui Mimos scripsit est lucrum. Atque hæc est optima Poëtæ ratio: neque dubium est; quin impunè Amatoria scripsisset, siquidem id unum admisisset.

[z] *Prætor*] Ad Ædiles magìs ludorum cura spectabat, qui à Poëtis fabulas non vili pretio emebant, quas ludorum die recitari, postquam sedulò antè inspexissent, curabant.

Inſpice ludorum ſumtus, Auguſte, tuorum :
Emta tibi magno talia multa leges.
Hæc tu ſpectaſti, ſpectandáque ſæpe dediſti :
Majeſtas adeò comis ubique tua eſt.
Luminibúſque tuis, torus quibus [a] utimur orbis,
[b] Scenica vidiſti [c] lentus adulteria.
Scribere ſi fas eſt imitantes turpia mimos ;
Materiæ minor eſt debita pœna meæ.
An genus hoc ſcripti faciunt [d] ſua pulpita tutum ;
Quodque libet, mimis ſcena licere dedit ?
Et mea ſunt populo ſaltata poëmata ſæpe :
Sæpe oculos etiam detinuêre tuos.
Scilicet [e] in domibus veſtris ut priſca virorum
Artifici fulgent corpora picta manu ;
Sic quæ concubitus varios Venerísque figuras
Exprimat, eſt aliquo [f] parva tabella loco.
Utque ſedet vultu faſſus [g] Telamonius iram,
Inque oculis facinus barbara [h] mater habet :
Sic madidos ſiccat digitis [i] Venus uda capillos :
Et modò [k] maternis tecta videtur aquis.

INTERPRETATIO.

Vide expenſam tuorum ludorum, Auguſte, invenies plurima ejuſmodi à te parata magno. Tu ea ſpectaviſti, & ſæpe prebuiſti ſpectanda : adeò Majeſtas tua eſt ubique civilis. Atque quietus intuitus es ſtupra ſcenica tuis oculis quibus totus mundus fruimur. Siquidem licet componere Mimos exhibentes obſcœna, levior pœna eſt debita argumento meo. An ſua pulpita reddunt hoc genus ſcripti ſecurum ; atque ſcena præbuit Mimis conceſſum eſſe quod libet ? Mea etiam carmina ſunt ſæpe ſaltata plebi : ſæpe etiam morata ſunt oculos tuos. Nimirum, ſicuti antiqua corpora hominum picta manu doctâ ſplendent in veſtris ſedibus, ità eſt alicubi exigua tabella quæ exhibeat diverſos coitus atque figuras Veneris. Et quemadmodum Telamonius ſedet, prædens iram vultu, & mater barbara exhibet ſcelus oculis ; ita Venus madida exſiccat comam humidam digitis ; & modò velata aquis maternis conſpicitur.

NOTÆ.

[a] *Utimur*] Quique adeò te auctorem ſequendo peccare non credimus.

[b] *Scenica*] *Quæ à Mimis in Scenâ recitata.*

[c] *Lentus*] *Abſque irâ aut indignatione.*

[d] *Sua pulpita*] Quæ erant ante Scenam, ubi ludicra exercebantur.

[e] *Domibus*] *Palatinâ porticu præſertim.*

[f] *Parva*] Tiberius verò *Cubicula plurifariam diſpoſita tabellis ac ſigillis laſciviſſimarum picturarum ac figurarum adornavit*, ut refert Tranquillus.

[g] *Telamonius*] Ajax eſt Telamonis filius, qui ex eo quòd Achillis arma Ulyſſi adjudicata eſſent, non ad iram modò ſed & væſaniam compulſus eſt. Hujus autem & Medeæ tabulas Cæſar ante ædem Veneris genitricis dicaverat ; ut autor eſt Plinius.

[h] *Mater*] *Medea*, quæ in Jaſonis odium qui pellicem Glaucam ſeu Creuſam Creontis filiam, uxorem duxerat, filios ex illo ſuſceptos mactare non reformidavit : ut prolixè vidimus in Epiſtolis.

[i] *Venus*] Illam ab Apelle pictam è mari exeuntem Divus Auguſtus in patris Cæſaris delubro dicavit, quæ *Anadyomene* dicta eſt.

[k] *Maternis*] Venerem enim ferunt, Cœli pudendis à Saturno abſciſſis & in mare dejectis, ex maris ſpumâ procreatam.

Bella ſonant alii telis inſtructa cruentis:
Párſque [l] tui generis, pars tua facta canunt.
Invida me ſpatio Natura coërcuit arcto,
Ingenio vires exiguáſque dedit.
Et tamen ille tuæ felix Æneïdos auctor,
Contulit in [m] Tyrios [n] arma virúmque toros:
Nec legitur pars ulla magis de [o] corpore toto,
Quàm [p] non legitimo fœdere junctus amor.
[q] Phyllidis hic idem teneróſque Amaryllidis ignes
Bucolicis juvenis luſerat ante modis.
Nos quoque jam pridem ſcripto peccavimus [r] iſto:
Supplicium patitur [ſ] non nova culpa [t] novum.
Carmináque edideram, cùm te [u] delicta notantem
Præterii toties jure quietus eques.
Ergo quæ juveni mihi non nocitura putavi
Scripta parùm prudens, nunc nocuêre ſeni?
[x] Sera redundavit veteris vindicta libelli;
Diſtat [y] & à meriti tempore pœna ſui.

INTERPRETATIO.

Alii canunt bella instructa armis ſanguinolentis, & pars ſcribunt acta tua ſobolis, pars tua. Natura maligna conclusit me exiguo limite, & prabuit parvas doses ingenio. Et tamen ille beatus auctor tua Æneidos, deduxit arma virúmque in lectos Tyrios: neque pars ulla magis legitur de toto opere, quàm amor ligatus fœdere vetito. Hic idem adoleſcens priùs ſcripſerat verſibus Bucolicis lentos Amores Phyllidis & Amaryllidis. Nos etiam jam olim deliquimus iſto poëmate. Peccatum non novum mulctatur pœnâ novâ. Atque vulgaveram verſus, cùm meritò eques ſecurus præterii toties te inquirentem in peccata. Adeòque verſus, quos parùm cautus arbitratus ſum non obfuturos mihi adoleſcenti, nunc obfuerunt ſeni? Tarda ultio antiqui libelli redundavit: ſupplicium diſtat etiam à tempore meriti ſui.

NOTÆ.

[l] *Tui generis*] Lucii, Caii, Tiberii, Germanici, atque aliorum.

[m] *Tyrios*] Quia Ænean ſuum Virgilius in Didonis Tyriæ lectum ſuis verſibus deduxit: ut vidère eſt in ejus Æneide.

[n] *Arma*] Ad Æneidos alludit initium, *Arma virumque cano*, &c.

[o] *Corpore*] Æneidos, *ſcilicet*: namque quartus ejus liber artis & ſuavitatis habet plurimùm.

[p] *Non legitimo*] Legitimus videtur ſiquidem Junonis & Veneris conſilio conglutinatus: at Jovis juſſu & urgentibus fatis perturbatus fuit.

[q] *Phyllidis*] Ejus & Amaryllidis Amores in Virgilii Bucolicis deſcribuntur.

[r] *Iſto*] Amatorio, de quo agitur.

[ſ] *Non nova*] Quia jam olim Poëtæ amatoria ſcripſerunt, ex quibus nullus pœna aliquâ affectus.

[t] *Novum*] Quo in neminem ante me ob hanc cauſam animadverſum.

[u] *Delicta*] Naſo ſeſe prætereuntem equitem ab Auguſto Cenſore nuninè notatum dicit in tranſvectione, de quâ ſuprà; tametſi jam diu Amatoria luſiſſet.

[x] *Sera*] Quod contrà eſſe debet; ut ad morum correctionem faciat vindicta.

[y] *Et à*] Ut ſic à merito quo ut diſtare pœnam quàm graviorem fecit Auguſtus intelligas.

Ne tamen omne meum credas opus esse [z] remissum;
Sæpe dedi nostræ [a] grandia vela rati.
Sex ego Fastorum scripsit [b] totidemque libellos;
Cumque suo finem mense volumen habet.
Idque tuo nuper scriptum sub nomine, Cæsar,
Et tibi sacratum sors mea [c] rupit opus.
Et dedimus tragicis scriptum [d] regale [e] cothurnis:
Quæque gravis debet verba cothurnus [f] habet.
Dictáque sunt nobis, quamvis manus ultima cœpto
Defuit, [g] in facies corpora versa novas.
Atque utinam revoces animum paulisper ab irâ,
Et vacuo jubeas hinc tibi pauca legi!
Pauca, quibus primâ surgens ab origine mundi,
In tua deduxi tempora, Cæsar, opus:
Aspicias, quantùm dederis mihi [h] pectoris ipse;
Quoque favore animi teque tuósque canam.
[i] Non ego mordaci destrinxi carmine quemquam;
Nec meus ullius crimina versus habet.
Candidus à [k] salibus suffusis felle refugi:
Nulla venenato litera mista joco est.

INTERPRETATIO.

Ne tamen arbitreris omnia mea Poëmata esse mollis ingenii, sæpe aptavi majora lintea nostra navi. Ego composui sex & totidem libros Fastorum; & volumen habet finem cum mense suo. Atque fortuna mea abrupit nuper illud opus dicatum tuo nomini, Cæsar, & tibi sacratum. Præbuimus quoque poëma regale cothurnis tragicis; & cothurnus gravis habet voces quas par est habere. Corpora etiam mutata in novas figuras cantata sunt à nobis, tametsi manus novissima defuit incœptum. Atque utinam absolvas paulisper mentem ab irâ, atque imperes inde pauca legi tibi otioso! Pauca, quibus deduxi opus incipiens à primo exordio mundi ad tua tempora, Cæsar: videas, quantùm ipse mihi addideris animi; & quâ benevolentiâ mentis laudem te atque tuos. Ego neminem laceravi versibus satyricis; neque mea carmina continent cujusquam flagitia. Innocens vitavi lepores tinctos felle. Nulla littera est juncta facetiis virulentis.

NOTÆ.

[z] *Remissum*] Animi soluti & lascivientis.

[a] *Grandia*] Quia heroïco carmine plurimas Metamorphoses scripsit; deinde & Fastos adornavit.

[b] *Totidémque*] Qui injuriâ temporum perierunt.

[c] *Rupit*] Atque adeò non Augusto, sed Germanico, qui pro se ad illum ageret, Fastos suos inscripsit Naso.

[d] *Regale*] Quia in Tragœdias reges, aut ejus generis personæ inducuntur.

[e] *Cothurnu*] Per illud calceamentũ quo in Tragœdiis agendis utebãtur Tragœdiæ ipsæ sunt intelligendæ. Medeam autem scripserat Naso, quæ, Fabio auctore, quantùm vir ille præstare potuerit, si ingenio suo temperare quàm indulgere maluisset, ostendere videtur.

[f] *Habet*] Tragœdiam Medeam gravi stilo scripsisse dicit.

[g] *In facies*] Metamorphosim indicat.

[h] *Pectoris*] *Animi & facundiæ.*

[i] *Non ego*] Certè equidem, si Amatoria excipias, vix in homine Ethnico quidquam desideres, quod in Nasone non reperias.

[k] *Salibus*] Neminem mordaci carmine distrinxisse aut lacerasse ait.

Inter tot populi, tot [l] scripti millia nostri,
Quem mea [m] Calliope læserit, unus ego.
Non igitur nostris ullum gaudere Quiritem
Auguror, at multos indoluisse, malis.
Nec mihi credibile est quenquam insultasse jacenti;
Gratia [n] candori si qua relata meo est.
His precor, atque aliis possint tua numina flecti,
O Pater, ô Patriæ cura salúsque tuæ.
Non ut in [o] Ausoniam redeam, nisi forsitan olim,
Cùm longo pœnæ tempore victus eris.
Tutius exsilium paulóque quietius oro:
Ut [p] par delicto sit mea pœna suo.

INTERPRETATIO.

Ego solus sum cui mea Musa nocuerit tot scriptis nostris inter tot millia populi. Adeòque non credo ullum Romanum lætari nostris ærumnis; sed plurimos ægrè tulisse. Neque mihi credibile est ullum insultasse mihi protrito; si qua Gratia est relata meæ innocentiæ. Oro, ut tua Majestas possit moveri his atque aliis, ô Pater, ô cura & salus Patriæ tuæ. Non ut revertar in Italiam, nisi forsitan olim, cùm flexus eris longo tempore supplicii. Precor exsilium securius, & paulò quietius, ut pœna mea sit æqualis suo crimini.

NOTÆ.

[l] *Scripti*] *Scriptis nostris* corrigendum voluit emunctissimæ naris Tanaquillus Faber, vir de bonis litteris optimè meritus, præceptor olim meus, atque amicus carissimus. Neque verò in his ab ejus sententia ausim discedere.

[m] *Calliope*] Musa pro carmine ipso posita.

[n] *Candori*] Quæ virtus nullum scelus, nihil obscuri, aut maligni patitur.

[o] *Ausoniam*] *Italiam*, ut sæpe alibi a Ausonibus antiquis Italiæ populis.

[p] *Par*] *Levis*, scilicet, quale suum crimen esse innuit.

P. OVIDII NASONIS
TRISTIUM
LIBER III.
ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Miſſus in hanc venio.] *Librum Romam mittit Poëta incultum quidem, & ſordidum : inducitque illum errare per varia urbis loca, precarique Auguſtum, ut patri exuli & poëta det veniam. Sed cum nuſquam recipi ſe videat, rogat manus plebeias, ut eum illa ſaltem accipiant, ut habeat ubi poſſit divertere.*

MIſſus in hanc venio timidi liber [a] exſulis [b] urbem.
  Da placidam feſſo, lector amice, [c] manum ;
Neve reformida, ne ſim tibi fortè pudori.
  Nullus in hac chartâ verſus amare docet.
Nec domini fortuna mei eſt, ut debeat illam
  Infelix ullis diſſimulare jocis.
Id quoque, quod [d] viridi quondam malè luſit in ævo,
  Heu nimiùm [e] ſerò damnat & odit opus.
Inſpice quid portent : nihil hîc niſi triſte videbis ;
  Carmine temporibus conveniente ſuis.
[f] Clauda quod [g] alterno [h] ſubſidunt carmina verſu,
  Vel pedis hoc ratio, vel via longa facit.

INTERPRETATIO.

LEctor amice, ego liber exſulis pavidi venio miſſus in hanc urbem ; porrige blandam manum laſſo. Neve metue, ne ſim fortè tibi opprobrio : Nullus verſus in hâc papyro docet amare. Neque eſt ſors mei domini, ut miſer debeat tegere illam ullis jocis. Improbat etiam & odit, heu nimis tardè, illud opus, quod olim malè cecinit ætate juvenili. Vide quid feram : nihil hic invenies niſi lugubre ; verſibus congruentibus ſuis temporibus. Quòd verſus claudi cadunt alterno carmine, vel ratio pedis, vel longum iter hoc præſtat.

NOTÆ.

[a] *Exſulis*] *Ovidii*, ſcilicet.
[b] *Urbem*] *Romam*, quæ ſimpliciter *Urbs* dicitur, cùm aliæ oppida tantùm Romanis viderentur.
[c] *Manum*] Fidei & auxilii ſymbolum.
[d] *Viridi*] Cùm juvenis eſſet Poëta.
[e] *Serò*] Quia poſtquam Amorum cauſsâ in exilium miſſus.
[f] *Clauda*] Feſtivè claudicare ait Elegiacum carmen quo utitur.
[g] *Alterno*] Alternis vicibus Hexametrum atque Pentametrum recurrunt.
[h] *Subſidunt*] Cadere videtur verſus Pentameter, ex eo quòd uno pede ſit brevior Hexametro.

Quòd neque sum [i] cedro flavus, nec pumice lævis;
Erubui domino cultior esse meo.
Litera suffusas quòd habet maculosa lituras;
Læsit opus lacrymis ipse poëta suum.
Si qua videbuntur casu non dicta Latinè;
In qua scribebat, barbara terra fuit.
Dicite, lectores, si non grave quâ sit eundum;
Quásque petam sedes hospes in Urbe liber.
Hæc ubi sum linguâ furtim [k] titubante locutus;
Qui mihi monstraret vix fuit unus iter.
[l] Dî tibi dent, nostro quod non tribuêre [m] parenti,
Molliter in patriâ vivere posse tuâ.
Duc age: namque sequor, quamvis terráque maríque
Longinquo referam lassus ab orbe pedem.
Paruit; & ducens, Hæc sunt [n] Fora Cæsaris, inquit:
Hæc est à [o] Sacris quæ via nomen habet.
Hîc [p] locus est Vestæ; qui [q] Pallada servat & ignem:
Hîc fuit antiqui regia parva [r] Numæ.
Inde petens dextram, Porta est, ait, ista [s] Palati:
Hîc [t] Stator: hoc primùm condita Roma loco est.

INTERPRETATIO.

Quòd neque sum flavus cedro; nec expolitus pumice, me puduit ornatiorem esse domino meo. Quòd littera sordidata habet lituras aspersas; ipse Poëta fœdavit opus suum fletibus. Si fortè nonnulla videbuntur non Latinè prolata; tellus in quâ scribebat fuit barbara. Dicite, lectores, si non molestum, quâ sit eundum; & quas domos subeam libellus peregrinus in Urbe. Postquam hæc clanculum dixi linguâ vacillante, vix fuit unus qui mihi ostenderet viam. Dii tibi præbeant, quod non indulserunt nostro patri, posse traducere leniter ævum in tuâ patriâ. Duc, quæso, namque sequor: tametsi defessus veniam terrâ & mari à plagâ remotissimâ. Obsequutus est; & ducens me, Hæc, ait, sunt fora Cæsaris: hæc est via quæ nacta est nomen à sacris. Hæc sedes est Vestæ, quæ custodit Minervam & ignem: hic fuit parva aula veteris Numæ. Inde petens dextram, Ista, inquit, est porta Palatii: Hic Stator: Roma est primùm posita in hoc loco.

NOTÆ.

[i] *Cedro*] Quis usus fuerit olei cedrini in adornandis libris suprà diximus.

[k] *Titubante*] Præ metu.

[l] *Dî tibi*] Verba sunt libri ad illum qui iter monstrabat.

[m] *Parenti*] *Ovidio*, qui libelli pater.

[n] *Fora*] Plura fuerunt Romæ; hîc de foro Augusti intelligitur.

[o] *Sacris*] Quia in eâ viâ fœdus inter Romulum & Tatium ictum, perque eam sacra in arcem feruntur.

[p] *Locus Vestæ*] Templum ejus dicit rotundum à Numâ exstructum, ubi ignis perpetuus à Vestalibus summâ cautione servabatur.

[q] *Pallada*] Palladium dicit, ab Æneâ in Italiam allatum, quo Imperii fata contineri volebant.

[r] *Numæ*] Qui Romanorum rex fuit secundus, justitiâ & Pietate magis quàm dignitate suâ cognitus.

[s] *Palati*] Quæ & *Saturnia*, & *Pandania* priùs dicta.

[t] *Stator*] Jovis Statoris ædem intelligit, quam illi Romulus ideò ponendam curavit, quòd fœdam suorum fugam stiterit, cum adversus Sabinos pugnaret.

Singula dum miror; video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, tectáque digna Deo.
Et, Jovis hæc, dixi, domus eſt. quod ut eſſe putarem,
Augurium menti [a] querna corona dabat.
Cujus ut accepi dominum, [x] Non fallimur, inquam:
Et magni verum eſt hanc Jovis eſſe domum.
Cur tamen appoſitâ velatur janua lauro;
Cingit & auguſtas arbor opaca fores?
Num quia perpetuos meruit domus iſta [y] triumphos?
An quia [z] Leucadio ſemper amata Deo?
Ipſane quòd [a] feſta eſt, an quòd facit omnia feſta?
Quam tribuit terris, Pacis an iſta nota eſt?
Utque viret ſemper laurus, nec fronde caducâ
Carpitur; æternum ſic habet [b] illa decus?
Cauſa [c] ſuperpoſitæ ſcripto teſtata coronæ
Servatos cives indicat [d] hujus ope.
Adjice ſervatis [e] unum, Pater optime, civem;
Qui procul extremo pulſus in orbe jacet.
[f] In quo pœnarum, quas ſe meruiſſe fatetur,
Non facinus cauſam, ſed ſuus error habet.

INTERPRETATIO.

Dum miror omnia, aſpicio poſtes inſignes armis coruſcis, & ædem dignam Deo. Atque, inquam, hæc eſt ſedes Jovis. Quod ut eſſe crederem, corona querna faciebat indicium animo. Cujus poſtquam audivi dominum; Non decipimur, dixi; & verum eſt has eſſe ſedes magni Jovis. Quamobrem tamen porta tegitur lauro adjuncta; & arbor umbroſa ambit ſplendidam januam? Anne quia iſtud palatium dignum eſt æterno triumpho? an quia ſemper dilectum fuit Deo Leucadio? Ipſumne quòd feſtum, an quòd reddit omnia læta? an iſtud eſt ſignum Pacis quam præbet orbi? Et quemadmodum laurus ſemper vireſcit, neque habet folia decidua; ſic illud habet honorem perpetuum. Cauſa coronæ ſuperpoſitæ elogio declarata teſtatur cives liberatos hujus auxilio. Pater optime, adde unum civem ſervatis, qui longè relegatus protritus eſt in plagâ remotiſſima. In quo non flagitium, ſed error ſuus habet titulum pœnarum, quibus agnoſcit ſe dignum eſſe.

NOTÆ.

[a] *Querna*] Quercus enim Jovi ſacra.

[x] *Non fallimur*] Quia Auguſtum pro Jove accipiebat. Quæ deteſtabilis adulatio neque etiam hodie in totum profligata eſt.

[y] *Triumphos*] *Laurus*, inquit Plinius, *triumphus propriè* dicatur, vel gratiſſima domibus janitrix Cæſarum Pontificúmque, quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.

[z] *Leucadio*] *Apollini*, cui Laurus ob Daphnen in eam arborem mutatam, cariſſima, ut dictum in Metam. Auguſtus verò in Ambracii ſinus ore, non longè à Leucate promontorio, ad Actium oppidum, urbem amplam quam Nicopolim dixit, cum templo Apollini ſacro excitavit. Inde ille *Leucadius*.

[a] *Feſta*] Perperam ad laurum retulerunt quod de Cæſaris domo intelligendum.

[b] *Illa*] *Domus*, ſcil. *Auguſti*.

[c] *Superpoſita*] Superior pars januæ frondibus Lauri ornata erat, cui ſubjecta corona querna, illis dari ſolita qui civem ſervaſſent; atque *civica* dicebatur.

[d] *Hujus*] *Auguſti*.

[e] *Unum*] *Naſonem*, ſcil.

[f] *In quo*] *Orbe*, inquiunt: De Naſone intellige.

Me miserum, verecórque [g] locum, venerórque potentem,
Et quatitur trepido litera nostra metu.
Aspicis exsangui chartam pallere colore?
Aspicis [h] alternos [i] intremuisse pedes?
[k] Quandocunque precor, nostro placata [l] parenti
Isdem sub dominis aspiciare domus.
Inde [m] tenore pari gradibus sublimia celsis
Ducor ad [n] intonsi [o] candida templa Dei.
Signa [p] peregrinis ubi sunt alterna columnis
[q] Belides, & stricto [r] barbarus ense pater:
[s] Quæque viri docto veteres cepêre novíque
Pectore, lecturis inspicienda patent.
Quærebam [t] fratres, exceptis scilicet [u] illis,
Quos suus optaret non genuisse parens.
Quærentem frustra [x] custos me sedibus illis
Præpositus [y] sancto jussit abire loco.

Interpretatio.

Me infelicem, & timeo locum, & honoro dominum; & nostra littera percellitur timore trepide. Videsne papyrum pallere colore exsangui? Videsne pedes alternos trepidasse? Oro ut domus quandocumque delinita nostro patri, videaris sub iisdem dominis. Inde ducor æquali incessu sublimibus gradibus ad templa alta candida Dei intonsi; ubi Belides, & genitor barbarus gladio nudato sunt statuæ alternæ peregrinis columnis: atque ea conceduntur videnda lecturis, quæ antiqui atque recentiores viri comprehenderunt docto pectore. Pervestigabam fratres, illis videlicet relictis, quos suus pater vellet non produxisse. Custos præfectus sancto loco imperavit me frustra pervestigantem excedere illâ domo.

Notæ.

[g] *Locum*] Propter Augustum, cjus potentem, atque Dominum.

[h] *Alternos*] Quia alternis hexametro & pentametro usus est Poëta.

[i] *Intremuisse*] Istud dicit propter Pentametri brevitatem, quasi incedere vereatur.

[k] *Quandocumque*] Quando placuerit Cæsari. Non enim definit tempus.

[l] *Parenti*] *Nasoni*, scil. qui auctor seu pater hujus libelli.

[m] *Tenore*] Incessu atque ordine.

[n] *Intonsi*] *Apollinis*, non Capitolini, ut scripserunt, sed *Palatini*, cui in domus suæ parte templum, unà cum bibliothecâ Augustus ædificavit.

[o] *Candidâ*] Ex candido marmore.

[p] *Peregrinis*] Quia ex marmore peregrino.

[q] *Belides*] *Danai filiæ* 50, ab avo ità dictæ; quæ patrueles suos eosdémque sponsos, unà nocte patris jussu interfecerunt, nisi quòd Lynceo suo Hypermnestra pepercit. Hæ alternis columnarum vicem magnificam præstabant in Palatinâ porticu, ut dictum in Amoribus.

[r] *Barbarus*] *Danaus*, scil. qui jugulandos tradidit filiabus suis Ægypti fratris filios.

[s] *Quæque*] Bibliothecam designat, quam suprà modò diximus.

[t] *Fratres*] *Cæteros libros à Nasone compositos.*

[u] *Illis*] *De amore*, quorum caussâ exilio pulsum sese suadet Naso.

[x] *Custos*] *Bibliothecæ præfectus.*

[y] *Sancto*] Quia quoddam quasi Sapientiæ templum erat Bibliotheca illa: deinde ad Augustum spectabat.

Altera

[z] Altera templa peto vicino juncta theatro:
Hæc quoque erant pedibus non adeunda meis.
Nec me, quæ doctis patuerunt [a] prima libellis,
Atria [b] Libertas tangere passa sua est.
In [c] genus auctoris miseri fortuna redundat;
Et patimur nati, quam tulit ipse, fugam.
Forsitan & nobis olim minus asper, & [d] illi
Evictus longo tempore Cæsar erit.
Dî, precor, atque adeò, [e] (neque enim mihi turba roganda est)
Cæsar, ades voto, maximè Dive, meo.
Interea, statio quoniam mihi publica clausa est;
[f] Privato liceat delituisse loco.
Vos quoque, si fas est, confusa pudore [g] repulsæ
Sumite [h] plebeiæ carmina nostra manus.

INTERPRETATIO.

Concedo ad alia templa vicina proxime theatro: Hac etiam non erant calcanda meis pedibus. Neque Libertas passa est me adire atria sua, quæ prima aperta sunt doctis libris fortuna recidit in prolem infelicis auctoris: atque liberi patimur exilium quo ille multatus est. Fortasse etiam aliquando Cæsar delinitus prolixâ morâ erit minus sævus in nos atque in illum. Dii atque adeò Cæsar, maxime Dive; (neque enim mihi multitudo oranda est) oro, adesto meo desiderio. Interea, siquidem sedes publica mihi est denegata, concedatur latitasse in privatâ domo. Vos etiam, si licet, manus vulgi, accipite versus nostros suffusos pudore repulsæ.

NOTÆ.

[z] *Altera*] Sunt qui Veneris victricis, Pompeij theatro vicini, hoc esse templum putent. Alii Herculis Musarum (quem Græci *Musagetem* dixerunt) à Fulvio nobiliore extructum, deinde à Martio Philippo instauratum. Alii aliud, sed absque fundamento.

[a] *Prima*] *Ante alias Bibliothecas. Nam Asinii Pollionis, hoc Romæ inventum, qui primus Bibliothecam dicando, ingenuam hominum Rempublicam fecit*: ut scribit Plinius.

[b] *Libertas*] Cui ædes sacra, in quâ Bibliotheca olim.

[c] *Genus*] Atque adeò in Ovidii libros.

[d] *Illi*] *Ovidio, parenti.*

[e] *Neque*] Quia solus ignoscere Augustus poterat.

[f] *Privato*] *Privati alicujus hominis.*

[g] *Repulsæ*] Neque enim cultos bibliothecæ Palatinæ, neque libertas excipere libellum voluit.

[h] *Plebeia manus*] *Plebs.*

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Ergo erat in fatis.] *In hac elegia, quam plerique perperam jungunt cum superiore, queritur Poëta, quòd fata eum in Scythiam compulerint: nec sacerdoti suo opem tulerint aut Apollo, aut Pierides. Deinde dicit, se in Scythia in assiduo fletu & mærore degere. Postremo deos precatur, ut tandem ei mori liceat.*

ERgo erat in fatis Scythiam quoque visere nostris,
Quæque [a] Lycaonio terra sub axe jacet?

INTERPRETATIO.

ERgo erat etiam in nostris fatis visitare Scythiam, atque terram, quæ sita est sub polo Lycaonio.

NOTÆ.

[a] *Licaonio*] *Septemtrionali*, cui à Callisto Lycaonis filiâ in Ursam mutatâ, deinde in cœlum, non longè ab axe, translatâ, illud datum nomen.

Nec vos, [b] Pierides, nec [c] ſtirps Latoïa, veſtro
Docta ſacerdoti turba tuliſtis opem?
Nec mihi, quod luſi [d] vero ſine crimine, prodeſt;
Quodque magis vitâ Muſa jocoſa meâ eſt?
Plurima ſed pelago terrâque pericula paſſum
Uſtus ab aſſiduo [e] frigore Pontus habet.
Quique fugax [f] rerum, ſecuráque in otia natus,
Mollis & impatiens ante laboris eram;
Ultima nunc patior. nec me mare [g] portubus orbum
Perdere, diverſæ nec potuêre viæ.
Suffecitque malis animus. nam corpus ab illo
Accepit vires; víxque ferenda tulit.
Dum tamen & terris dubius jactabar & undis;
[h] Fallebat curas ægráque corda labor.
Ut via finita eſt, & opus requievit eundi;
Et pœnæ [i] tellus eſt mihi tacta meæ;
Nil niſi flere libet. nec noſtro parcior imber
Lumine, de vernâ quam nive manat aqua.
Roma domúſque ſubit, deſideriúmque locorum,
Quidquid & amiſsâ reſtat in Urbe mei.
Hei mihi, quod noſtri toties [k] pulſata ſepulcri
Janua, ſed nullo tempore aperta fuit!

INTERPRETATIO.

Neque vos, Pierides, neque proles Latoïa, agmen doctum auxilium præbuiſtis veſtro vati! Neque me juvat, quòd jocatus ſum ſine vero crimine; & quòd mea Muſa eſt magis laſciva vitâ meâ! Sed Pontus rigens frigore perpetuo tenet me paſſum multa diſcrimina mari & terrâ. Atque ego, qui fugitans negotia, & natus ad tutam pacem, priùs eram delicatus & minùs ferens laborem, jam tolero extrema: neque mare importuoſum, neque variæ peregrinationes potuerunt me tollere. Et animus par fuit ærumnis. Nam corpus mutuatum eſt robur ab ille, & toleravit vix ſufferenda. Dum tamen incertus agitabar terrâ marique, labor decipiebat ærumnas & mæſtum pectus. Poſtquam iter abſolutum eſt, & labor iter faciendi emiſſus, & terra mei ſupplicii eſt ta[cta] à me, nihil volo niſi lacrymari: neque humor parcior fluit ex noſtris oculis, quàm aqua de nive vernâ. Roma & ſedes meæ recurrunt, & amor locorum, & quidquid mei ſupereſt in Urbe relictâ. Hei mihi! quod [fo]res noſtri tumuli toties pulſæ, ſed nunquam reſeratæ ſunt!

NOTÆ.

[b] *Pierides*] Muſæ, quibus ſtuduit Naſo; quæ vel a Pierio Theſſaliæ monte ubi natæ, vel à Pieri filiabus ſuperatis, & in picas mutatis, illud nomen habent.

[c] *Stirps*] Apollo, Latonæ & Jovis filius, cui Poëtæ ſacri, Muſarum ſacerdotes.

[d] *Vero*] Verum tamen creditum eſt; quod exſilii vera cauſſa fuit.

[e] *Frigore*] Ponti enim regio multùm ad Septemtrionem porrecta, adeòque frigore aſpera; homini præſertim à meridionali plagâ venienti.

[f] *Rerum*] Fori, litium, omniúmque rerum quæ otium turbare valent.

[g] *Portubus orbum*] Euxinus enim & Geticum littus in primis eſt deſertum & petroſum, ut docet Strabo.

[h] *Fallebat*] Quippe præſentioribus malis diſtinebatur.

[i] *Tellus*] *Tomitana*, ſcilicet.

[k] *Pulſata*] Quia maximis periculis jactatur.

Cur ego tot gladios fugi, totiésque minata
Obruit infelix nulla procella caput?
Dî, quos experior nimiùm constanter iniquos,
[l] Participes iræ quos Deus [m] unus habet;
[n] Exstimulare, precor, cessantia fata; meique
Interitûs clausas esse vetate fores.

INTERPRETATIO.

Quamobrem ego vitavi tot enses, & tēpestas toties minata non demersit miserum caput? Dii, quos sentio nimis constanter infestos, quos unus Deus habet participes iræ, instigate, quaso, mortem tardantem; & prohibete januam mei lethi esse obseratam.

NOTÆ.

[l] *Participes*] Quanquam aliter precatus erat lib. I. Eleg. 2.

[m] *Unus*] *Augustus.*

[n] *Exstimulate*] *Ut denique moriar.*

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Hæc mea si conjux miraris epistola.] *Ad uxerem scribens ex Scythia Poëta, se excusat, quod aliena manu scriptam miserit epistolam: quod aliter non potuisse fieri ostendit, ob adversam valetudinem, qua conflictabatur: simulque incommoda commemorat. Sed præter cætera illud fatetur esse maximum, quod careat ipsius uxoris aspectu. Mandat, ut ejus ossa Romam deferantur in parva urna, & signentur epitaphio à se composito.*

HÆc mea, si casu miraris, epistola quare
Alterius digitis scripta sit: æger eram.
Æger [a] in extremis ignoti partibus orbis;
[Incertúsque meæ penè salutis eram.]
Quid mihi nunc animi dirâ regione jacenti
Inter Sauromatas esse Getásque putes?
Nec [b] cælum patior, nec aquis assuevimus istis:
[c] Terráque [d] nescio quo non placet ipsa modo.

INTERPRETATIO.

Si fortè miraris, quamobrem hæ meæ litteræ sint exaratæ digitis alterius, ægrotabam. Eram morbo affectus, & propè dubius meæ vitæ in remotissimis partibus mundi ignoti. Quid credas me afflictum in ferâ plagâ, inter Sauromatas & Getas nunc cogitare? Neque tolero aërem, neque assuevimus istis aquis: & tellus ipsa nescio quo modo non grata est. Habitatio non satis idonea:

NOTÆ.

[a] *In extremis*] Ut ex eo maximè ægrum tibi fingas Poëtam.

[b] *Cælum*] *Aëris inclementiam.*

[c] *Terra*] Atque adeò omnia elementa contraria.

[d] *Nescio*] Ità loquimur cùm plura cognoscimus. Nimirum incultam, sterilem, inamœnam, pigram terram, Româ distantem præsertim sentiebat Naso.

Non domus apta ſatis : non hîc cibus utilis ægro :
Nullus, [e] Apollineâ qui levet arte malum.
Non qui ſoletur, non qui labentia tardè
Tempora narrando [f] fallat, amicus adeſt.
[g] Laſſus in extremis jaceo populiſque lociſque :
Et ſubit [h] affecto nunc mihi, quicquid abeſt.
Omnia cùm ſubeant ; vincis tamen omnia, conjux :
Et [i] plus in noſtro pectore parte tenes.
Te loquor abſentem : te vox mea nominat unam.
Nulla venit ſine te nox mihi, nulla dies.
Quin etiam ſic me dicunt [k] aliena locutum,
Ut foret amenti nomen in ore tuum.
Si jam deficiat ſuppreſſo lingua palato,
Vix inſtillato reſtituenda mero ;
Nunciet huc aliquis [l] dominam veniſſe ; reſurgam :
Spéſque tui nobis cauſſa vigoris erit.
Ergo ego ſum vitæ dubius : tu forſitan illic
Jucundum noſtri neſcia tempus agis ?
Non agis, adfirmo : liquet, ô cariſſima, nobis,
Tempus agi ſine me non niſi triſte tibi.
Si tamen implevit mea ſors, quos debuit, annos ;
Et mihi vivendi tam citò finis adeſt ;
[m] Quantum erat, ô magni, perituro parcere, Divi ;
Ut ſaltem patriâ contumularer humo !

INTERPRETATIO.

eſca non hîc apta ægroto : nemo qui leniat morbum ope Apollineâ. Sodalis non adeſt qui conſoletur, non qui decipiat tempora ſegniter fluentia fabulando. Defeſſus proſtratus ſum in populis atque locis ultimis ; & quicquid non adeſt recurrit nunc mihi ægroto. Cùm omnia occurrant, ſuperas tamen omnia, uxor, & occupas plus parte in noſtro corde. Nuncupo te abſentem : vox mea citat te ſolam : nulla nox, nulla dies mihi oritur ſine te. Quin etiam aiunt, me ità protuliſſe delira, ut nomen tuum eſſet in ore inſano, ſi jam lingua me deſtituat faucibus occluſis, vix recreanda vino infuſo ; atque aliquis narret dominam huc appuliſſe, ſuſciter, & ſpes tui erit nobis cauſſa vigoris. Ego igitur ſum vitæ incertus ; tu fortè illic tranſigis tempus lætum noſtri ignara ? Non facis, aſſevero ; certus ſum, ô nobis dilectiſſima, tempus à te non tranſmitti niſi mœſtum ſine me. Si tamen mea ſors abſolvit tempora, quæ debuit ; & finis vivendi tam properè mihi adeſt ; quàm exiguum erat, ô magni Dii, ignoſcere interituro ; ut ſaltem conderer terrâ patriâ !

NOTÆ.

[e] *Apollineâ*] Medicâ; cujus Auctor Apollo.

[f] *Fallat*] Jucundis ſermonibus multum ſublevantur ægri, illi præcipuè quos tædium afflixit.

[g] *Laſſus*] *Exhauſtus, Confectus.* Quod maximum eſt malum.

[h] *Affecto*] *Graviter ægrotanti.*

[i] *Plus parte*] *Maximam partem,* ergo.

[k] *Aliena*] Quæ non ad rem & abſurdè proferuntur, cùm aliò mens decurrat. Quod ſæpius illis evenit, qui graviori aliqua cura correpti ſunt.

[l] *Dominam*] De uxore loquitur.

[m] *Quantum erat*] Quaſi dicat *minimum.* Vehementiſſimum autem affectum habet iſta commemoratio.

Vel pœna in mortis tempus dilata fuiſſet,
Vel [n] præcepiſſet mors properata fugam.
[o] Integer hanc potui nuper bene reddere lucem:
Exſul ut occiderem, nunc mihi vita data eſt.
Tam procul ignotis igitur moriemur in oris;
Et fient ipſo triſtia fata loco?
Nec mea conſueto langueſcent corpora lecto?
[p] Depoſitum nec me qui fleat, ullus erit?
Nec dominæ lacrymis in noſtra cadentibus ora
[q] Accedent animæ tempora parva meæ?
Nec mandata dabo? nec cum [r] clamore ſupremo
Labentes oculos [ſ] condet amica manus?
Sed ſine funeribus caput hoc, ſine honore ſepulcri
Indeploratum barbara terra teget?
Ecquid, [t] ut audieris, totâ turbabere mente;
Et feries pavidâ pectora fida manu?
Ecquid, in [u] has fruſtra tendens tua brachia partes,
Clamabis miſeri nomen [x] inane viri?
Parce tamen lacerare genas; nec ſcinde capillos.
Non tibi [y] nunc primùm, lux mea, raptus ero.

INTERPRETATIO.

Vel ſupplicium pretractùm fuiſſet in tempus obitus; vel mors accelerata occupaſſet exilium. Intactus potui nuper bene obire hunc diem: nunc vita mihi conceſſa eſt, ut morerer profugus. Ergo cademus tam procul in plagâ ignotâ; & mors erit luctuoſa ipſo loco? Neque meum corpus ſolvetur in lecto aſſueto? Neque quiſquam erit qui me lamentetur? Neque brevis mora ſuperveniet animæ meæ lacrymis dominæ fluentibus in noſtra ora? Neque juſſa dabo? Neque amica manus claudet oculos morientes cum clamore ultimo? Sed tellus fera obruet hoc caput indefletum, ſine exequiis, ſine honore ſepulcri? Nonne, poſtquam acceperis, percelléris totâ mente, & planges fidum pectus manu turbatâ? Nonne porrigens fruſtra tuas ulnas verſus has plagas, citabis vacuum nomen infelicis mariti? Noli tamen diſcerpere genas, neque lacera comam. Non tibi ero primùm ſublatus, mea vita.

NOTÆ.

[n] *Præcepiſſet*] *Mortuus eſſem priuſquam in exilium ejectus.*

[o] *Integer*] Et vitæ, & honoris; omnibúſque bonis cumulatus.

[p] *Depoſitum*] *Rogo impoſitum.*

[q] *Accedent*] Quaſi conjugis lacrymæ atque Amor diſcedentem animam tantillum morari valeant. Cujus rei nullus dubiam fidem crediderit qui aliquando amaverit.

[r] *Clamore*] Cujuſmodi audiri ſolent, ubi quis inter amicos & propinquos moritur.

[ſ] *Condet*] Jam ſæpius à propinquioribus mortuorum claudi ſolere oculos vidimus.

[t] *Ut audieris*] Non tam ad dolorem uxori creandum, quàm ad amicorum imò & Augusti movendam miſericordiam hæc adornata ſunt: quæ certè ad eam rem maximè idonea.

[u] *Has*] *Septemtrionales Scythiæ.*

[x] *Inane*] Siquidem ipſe Naſo nullus ſit.

[y] *Nunc primum*] Quia antea per exilium ſublatus.

Cùm patriam amisi, tum me periisse putato :
Et prior & [z] gravior mors fuit illa mihi.
Nunc, si fortè potes, sed non potes, optima conjux,
Finitis gaude tot mihi morte malis.
Quàm potes, [a] extenua forti mala corde ferendo ;
Ad quæ jampridem non rude pectus habes.
[b] Atque utinam pereant animæ cum corpore nostræ,
Effugiátque avidos pars mihi nulla [c] rogos !
Nam si morte carens vacuam volat altus in auram
Spiritus, & [d] Samii sunt rata dicta senis ;

INTERPRETATIO.

Cùm excidi patriâ, tum crede me sublatum fuisse : Ille meus fuit obitus & prior, & molestior. Nunc, si forsitan potes, sed non potes uxor optima, lætare tot ærumnis mihi leto exhaustis. Minue quantum potes ærumnas, ad quas habes jam diu cor preparatum, tolerando strenuâ mente. Atque utinam animæ nostræ cadant cum corpore, neque ulla pars mei vitet rapaces flammas! Nam si Anima immortalis sublimis erumpit in inanem aerem, & verba senis Samii sunt certa,

NOTÆ.

[z] *Gravior*] Quia decus, fama, libertas, quarum rerum privatio animam ipsam pro tempore videtur suo modo extinguere, ingenuo viro cariora sunt multò, quàm ipsa hæc habitatio corporea. Ego quidem, ut obiter dicam, infensos minùs, minùsque infestos latrones crediderim qui pecuniolæ imò & vitæ insidiati fuerint, quàm scelestos atque nefarios illos calumniæ artifices, qui me nuper tanquam Socinianum monstrúmque Religioni profligandæ subornatum, bonis omnibus detestandum, & quasi jure malè perdendum buccinaverunt. Quantùm enim in illis fuit non vitam modò ; sed eam per summum dedecus ; atque inter dignos cruciatus sustulerunt : quam Deus servavit. Non hanc vitam sustulerunt, sed amabilem illam atque spiritualem quæ inter fratres & verè Christianos, quodam quasi æternæ præludio, ducitur. Non spiritualem, sed æternam, spe cujus animam meam deturbare per invidiæ suæ machinamenta aggressi sunt, nisi Dominus præsidium inexpugnabile in sanguine suo obtulisset. Quæ quidem adversus malè feriatos illos non odio aut pravâ vindictæ cupidine conqueror : sed ut Gratiæ precones quæ est in Christo JESU, reipsa membra ejus fovere non omnibus modis lacerare condiscant : mihi insuper concorditer, & eodem Veritatis Spiritu cum bonis agere liceat.

[a] *Extenua*] Verba hæc sunt, quæ quidem quid opus sit facto indicant, præstandi pariter facultatem non præbent. Avida est quietis & felicitatis Mens omnis intelligendi capax, neque in arbitrio cujusquam posuit summus omnium rerum Opifex, ut beatum esse percupiat, necessitate naturæ omnes esse volunt. Quare qui miser est, eo ipso quod sese miserum cognoscit, absque quo miser non foret, non malo torquetur, modò, sed, ut cautior est, eò magis annititur ut illud effugiat. Ex suo adeòque ipsius conatu, quo vires exhaurit in dies crescit dolor, nisi is contrario bono levetur. Itaque potiora illa Maronis, quæ non sine ratione animi fortitudinem inculcant,

Durate, & vosmet rebus servate secundis,
O passi graviora ; Dabit Deus his quoque finem.

Sed enim ex Religione solâ, eâque verè Christianâ, peti possunt caussæ quæ Mentem adversus omnem ærumnam confirment.

[b] *Atque utinam*] Nisi fortè quoquo modò odium quo in Barbaros ferebatur Naso indicare voluit, turpiter hic de animarum naturâ sentire videtur : quasi illæ, post fata, alieno vitio obnoxiæ esse possint. Quod contrà est ; maximóque nobis solatio esse debet.

[c] *Rogos*] In quibus defunctorum cadavera cremare consueverant.

[d] *Samii*] Pythagoram dicit, Samo oriundum ; cujus doctrinam ex Metam. repetas licet.

Inter Sarmaticas [e] Romana vagabitur umbras;
[f] Perque feros manes hospita semper erit.
Ossa tamen facito parvâ referantur in urnâ.
[g] Sic ego non etiam mortuus exsul ero.
Nec vetat [h] hoc quisquam fratrem. [i] Thebana peremptum
Supposuit tumulo Rege vetante soror.
Atque ea cum foliis & [k] Amomi pulvere misce:
Inque suburbano condita pone solo.
Quosque legat versus oculo [l] properante viator,
Grandibus in tumuli marmore cæde notis.
Hîc ego qui jaceo tenerorum lusor amorum,
Ingenio [m] perii Naso poëta meo.
At tibi qui transis, ne sit grave, quisquis amasti,
Dicere, Nasonis [n] molliter ossa cubent.
Hoc satis in titulo est. etenim majora libelli,
Et diuturna magis sunt monumenta mei.
Quos ego confido, quamvis nocuêre, daturos
Nomen, & auctori tempora [o] longa suo.

INTERPRETATIO.

Manes Romani errabunt inter Sarmaticos, & semper erunt peregrini inter sævas Umbras. Cura tamen, ut ossa reportentur in exiguâ urnâ. Ita ego non ero profugus etiam post fata. Neque quisquam istud vetat. Soror Thebana sepelivit fratrem occisum Rege prohibente. Atque ea condito cum foliis & pulvere Amomi: & colloca composita in solo suburbano. Atque insculpe majoribus litteris marmori sepulcri carmen quod viator legat oculo festinante. Ego, Naso Poëta, qui hic jaceo lusor mollium Amorum occidi ingenio meo. At tibi qui prateris, quicumque amasti, ne sit molestum dicere, Ossa Nasonis molliter quiescant. Hoc satis est in titulo: namque libri sunt monumenta mei majora, & magis durabilia. Quos ego credo; quamquam obfuerunt, præbituros famam & diuturnam ætatem suo auctori.

NOTÆ.

[e] *Romana*] Nasonis Romani, inter quem & Barbaros minimè convenit.

[f] *Perque*] Neque satis istud cum cæterorum doctrinâ de Inferis congruit. Verùm ut insinuatum supra de industria videtur errare Poëta, ut magis quod cupit efficiat.

[g] *Sic ego*] Quanto Patriæ desiderio teneretur Poëta, ex hoc loco maximè colligitur.

[h] *Hoc*] *Ut mea ossa in Patriam referantur.*

[i] *Thebana*] Antigonen dicit, quæ Eteoclem fratrem Oedipi, Thebanorum regis filium, Creonte rege invito, sepelivit.

[k] *Amomi*] Frutex est exoticus, qui ex Assyriâ, atque Armenia præsertim afferebatur; cujus in condendis corporibus multus usus fuit. Itâ autem inter se dissentiunt auctores qui ejus reliquerunt descriptionem, ut vix cognosci hodie possit.

[l] *Properante*] Namque viatoribus in singulis non licet diu immorari.

[m] *Perii*] Videtur istud Augusto creare invidiam: Verùm, quid id nostrâ? Potiùs fuerit ex eo intelligere, ingeniosis ad Amorem periculum maximum impendere; ne præter quam quas ipse molestias habet addamus.

[n] *Molliter*] In cippis verò hæ litteræ inscribebant r S. T. T. L. *Sit tibi terra levis*.

[o] *Longa*] Vix enim alia magis leguntur Poëtæ opera, quàm quæ de Amoribus, utcumque nocerant,

Tu tamen extincto [p] feralia munera ferto;
Deque tuis lacrymis humida serta dato.
Quamvis in cinerem corpus mutaverit ignis;
[q] Sentiet officium mœsta favilla pium.
Scribere plura libet: sed vox mihi fessa loquendo
Dictandi vires siccáque lingua negat.
Accipe supremo dictum mihi forsitan ore,
Quod, tibi qui mittit, [r] non habet ipse, Vale.

INTERPRETATIO.

Tu tamen prabe dona funebria mortuo, & offerto coronas madidas tuis lacrymis. Tametsi flamma verterit corpus in favillas, tristis cinis cognoscet pium officium. Vellem plura mittere; verùm vox mihi lassa loquendo, & lingua arida subtrahit vires dictandi. Accipe Vale, tibi forsitan dictum novissimo ore, quod qui tibi mittit, ipse non habet.

NOTÆ.

[p] *Feralia*] Inferias dicit; de quibus Fastorum 2.

[q] *Sentiet*] Gratum saltem viventibus & morientibus benevolos circum se habere, certò obitus suus desiderium creare possit.

[r] *Non habet*] Ubique est acutus Poëta, qui quidem nunc dat quod non habet.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

O mihi chare quidem.] *Amicum charissimum, quem propter Augustum non audet nominare, poëta admonet, ut magna atria & potentes fugiat: qui quamvis possint plurimum prodesse, non prosunt: sed potius nocent. Laudat deinde amici fidem, quam sibi in adversis rebus nunquam defuisse cognovit: simulque enumerat exilii sui incommoda, rogat postremo, ut quam possit illi opem ferat.*

O Mihi care quidem semper, sed tempore duro
Cognite, res postquam procubuêre meæ;
[a] Usibus edocto si quidquam credis amico;
[b] Vive tibi, & longe [c] nomina magna fuge.
Vive tibi, quantúmque potes prælustria vita.
Sævum prælustri fulmen ab arce venit.

INTERPRETATIO.

O mihi quidem semper dilecte, sed cognite tempore adverso, postquam res meæ afflictæ sunt. Si quam fidem habes amico experientia instituto, Vive tibi, & longè vita clara nomina. Vive tibi, & fuge splendida quantùm potes: ferum fulmen mittitur ob arce coruscâ. 3

NOTÆ.

[a] *Usibus*] Rebus, atque experientiâ. Illis verò maximè credendum, qui non tam verba, quàm res ipsas exhibere videntur.

[b] *Vive tibi*] *Ne sis alterius*: namque hic est verus hujus loci sensus, non quem alii dederunt.

[c] *Nomina*] *Potentes*, quorum, si paucujos excipias, mancipia esse oportet, quicumque cum illis vivunt.

[Nam

[d] [Nam quamquam soli possunt prodesse potentes ;
Non prosit potiùs si quis obesse potest.]
[e] Effugit hibernas demissa antenna procellas,
Latáque plus parvis vela [f] timoris habent.
Aspicis, ut summâ [g] cortex levis innatet undâ,
Cum grave nexa simul retia mergat [h] onus.
Hæc ego si monitor monitus priùs ipse fuissem,
In qua debueram forsitan Urbe forem.
Dum tecum vixi, dum me [i] levis aura ferebat,
Hæc mea per placidas [k] cymba cucurrit [l] aquas.
Qui cadit in [m] plano (vix hoc tamen evenit ipsum)
Sic cadit, ut tactâ [n] surgere possit humo:
At miser [o] Elpenor tecto delapsus ab alto
[p] Occurrit Regi debilis umbra suo.
Quid fuit, ut tutas agitaret [q] Dædalus alas ;
Icarus immensas nomine [r] signet aquas ?

INTERPRETATIO.

Nam tametsi soli potentes possunt juvare, non juvet si quis possit potiùs nocere. Antenna demissa vitat tempestates hibernas, & vasta carbasa habent plus metus quàm parva. Vides, ut levis cortex feratur super aquas extremas, cùm pondus grave in profundum secum trahat retia alligata. Si ego monitor priùs ipse essem de his admonitus, fortè essem in Urbe, in quâ esse debueram.

Quandiu vixi tecum, quandiu lenis ventus me agebat, hac mea navis lata est per aquas tranquillas. Qui cadit in plano (vix tamen hoc ipsum accidit) ità cadit, ut possit se erigere, terrâ tactâ: at infelix Elpenor devolutus ex sublimi tecto obtulit se Umbram levem Regi suo. Quare evenit, ut Dædalus moveret alas intactas; Icarus insigniat nomine suo *vastas aquas?*

NOTÆ.

[d] *Nam*] Nugatoris alicujus esse hoc Distichon non temerè censuit clariss. Heinsius. Quanquam aliquid boni animo videtur concepisse: sed proferre nescivit.

[e] *Effugit*] Egregiâ comparatione à re nauticâ desumtâ, quam Flaccus aliíque inculcaverunt, alta petentibus maxima imminere pericula ostendit..

[f] *Timoris*] Quia illum creant, quæ nimium ventum capiunt vela.

[g] *Cortex*] Per eum tenues fortunæ homines intellige, qui demissi in obscuro vitam agunt.

[h] *Onus*] Plumbum dicit, quod retibus alligari solet, ut fundum petant; per quod onus Potentes intelligendi sunt, à quibus imminet parvis periculum.

[i] *Levis*] Quali quidem illi opus est qui sibi vivit.

[k] *Cymba*] Pro vitâ, aut Poëtâ ipso.

[l] *Aquas*] Fortunam intellige, rerúmque statum quietum.

[m] *Plano*] Id est, *supra sortem suam non sublatus.*

[n] *Surgere*] Quia à mediocris ejusdémque fortunæ hominibus, rebúsque levibus dejectis, sese atque illas facilè est erigere.

[o] *Elpenor*] Qui Ulyssis comes nimius mero atque ex altis scalis lapsus cervicem fregit.

[p] *Occurrit*] Cùm ad Inferos descendisset Ulysses: ut narrat Homerus.

[q] *Dædalus*] Ahteniensis faber, quem sibi atque Icaro filio alas aptasse, quibus ex Cretâ aufugeret, in Metam. vidimus.

[r] *Signet*] Quippe qui Icario mari in quod decidit, cùm altius volare contendisset, nomen suum dedit.

Nempe quod hîc altè, demissiùs ille volabat.
 Nam pennas ambo nonne habuêre [f] suas?
Crede mihi; bene qui latuit, bene vixit: & infra
 Fortunam debet quisque manere suam.
Non foret [u] Eumedes orbus, si filius ejus
 Stultus Achillêos non adamasset equos.
Nec [x] natum in flammâ vidisset, in [y] arbore natas,
 [z] Cepisset genitor si Phaëtonta [a] Merops.
Tu quoque formida nimiùm sublimia semper;
 Propositique memor [b] contrahe vela tui.
Nam pede inoffenso spatium decurrere vitæ
 Dignus es: & faro [c] candidiore frui.
Quæ pro te ut voveam miti pietate mereris;
 Hæsurâque mihi tempus in omne fide.
Vide ego te [d] tali vultu mea fata gementem,
 Qualem credibile est ore fuisse meo.
Nostra tuas vidi lacrymas super ora cadentes;
 Tempore quas uno, fidáque verba, [e] bibi.
Nunc quoque sub motum studio defendis amicum;
 Et mala vix ullâ parte levanda levas.

INTERPRETATIO.

Nimirum quia hic sublimiter, ille volabat inferiùs: nam uterque non habebant alas suas? Crede mihi, qui bene celavit vitam, bene vixit: & unusquisque debet manere infra fortunam suam. Eumedes non esset orbus, si ineptus ejus filius non concupisset equos Achillis. Neque, si Merops pater suscepisset Phaëtontem, vidisset filium in igne, & filias in arbore. Tu etiam time semper nimiùm excelsa, & recordans tui instituti collige lintea. Nam meritus es absolvere spatium vitæ pede illæso; & frui sorte lætiore. Quæ ut optem pro te dignus es blande amore. & fide mihi mansurâ in omne tempus. Ego te vidi dolentem meam sortem eo vultu, quem credere est fuisse in meâ facie. Aspexi tuas lacrymas defluentes in nostros vultus, quas simul hausi cum fidelibus vocibus. Nunc etiam tueris benevolentiâ amicum sublatum, atque minuis ærumnas vix minuendas ullâ arte.

NOTÆ.

[f] *Suas*] Sed cerâ compactas, quæ, postquam calore Solis emollita esset, dissolvebantur, nullæque erant.

[t] *Bene*] Oraculum Apollinis ore dignum, & majus quàm à mortali ut unquam satis intelligatur. Felices, quibus iis quæ bona habet, tantisper frui contigit!

[u] *Eumedes*] Dolonis filius; qui pactus Achillis equos ut speculator ad Græcorum castra descenderet, in Diomedem & Ulyssem incidit, à quibus trucidatus est: ut in Epistolis vidimus.

[x] *Natum*] Phaëtontem dicit, qui Jovis fulmine de patris curru deturbatus.

[y] *Arbore*] Namque Heliades Phaëthontis sorores in populos mutatæ.

[z] *Cepisset*] Atque adeò genitore Merope, qui matris Clymenes maritus fuit, contentus vixisset Phaëthon. Is verò suâ maximâ clade Solem patrem esse didicit: ut ex Met. liquet.

[a] *Merops*] Clymenes maritus, ex qua Sol Phaëtontem suscepit.

[b] *Contrahe vela*] Id est, *Ne affecta quæ magna sunt aut splendida. Cave ne altioribus rebus immiscearis.*

[c] *Candidiore*] *Lætiore fortunâ.*

[d] *Tali*] *Mœstissimo*, scilicet.

[e] *Bibi*] *Bibit aure vulgus.* Horat.

Vive [f] sine invidiâ ; [g] mollésque inglorius annos
Exige : amicitias & tibi junge pares.
Nasonísque tui, quod adhuc non exsulat unum,
[h] Nomen ama. Scythicus cætera Pontus habet.
[i] Proxima sideribus tellus [k] Erymanthidos Ursæ
Me tenet ; adstricto terra perusta gelu.
[l] Bosporos & [m] Tanaïs superant, Scythicæque [n] paludes ;
Vixque satis noti nomina pauca loci.
Ulterius nihil est, nisi non habitabile frigus.
Heu quàm [o] vicina est ultima terra mihi !
At longè patria est, longè carissima conjux :
Quidquid & hæc nobis post [p] duo dulce fuit.
Sic tamen hæc absunt ; ut quæ contingere non [q] est
Corpore, sint animo cuncta [r] videnda meo.
Ante oculos Urbísque domus & forma locorum est ;
Succedúntque suis singula [f] facta [t] locis.
Conjugis ante oculos, sicut præsentis, imago est.
Illa meos casus ingravat, illa levat.

INTERPRETATIO.

Vitam age sine invidia ; & traducito in obscure leve avum ; atque concilia tibi amicitias aquales. Dilige etiam nomen Nasonis tui, quod unum nondum est profugum : Pontus Scythicus tenet reliqua. Terra vicina stellis ursa Erymanthidos me habet, terra perusta arcte frigore. Bosporus & Tanaïs & paludes Scythica sunt ulteriùs, cum nominibus paucis loci vix satis cogniti. Nihil est ulteriùs prater frigus non tolerabile. Heu quàm proxima mihi est tellus novissima ! At patria est remota, uxor dilectissima, & quidquid nobis fuit gratum post hac duo est procul. Hac tamen ità sunt remota, ut qua non datur tangere corpore sint omnia aspicienda menti mea. Et domus Urbis, & species locorum est pra oculis : & omnia qua facta sunt suis locis sese offerunt suo ordine: Forma uxoris tanquam prasentis est pra oculis. Illa auget meum infortunium, illa minuit.

NOTÆ.

[f] *Sine invidiâ*] Atque adeò sine ambitione & splendore vitæ, qui invidiam ciet.

[g] *Molles*] *Quietos.*

[h] *Nomen*] *Famam atque Gloriam.*

[i] *Proxima*] Quia magis ad polum Septemtrionalem vergit Scythia, quàm Italia.

[k] *Erymanthides*] *Arcadica.* Callisto namque Lycaonis filia, in ursam mutata, deinde à Jove in cœlum translata, Arcadica fuit. Arcadiæ verò ab Erymantho monte illo nomine dicitur.

[l] *Bosporos*] Cimmerium intellige, non Thracium. Ille nimirum ultra Tomos, magísque ad Septemtrionem spectat ; & Mæotidi paludi committitur,

[m] *Tanaïs*] Fluvius qui à Septemtrione in mediam ferè Mæotidem paludem defluens Europam ab Asiâ disterminat.

[n] *Paludes*] Mæotis est.

[o] *Vicina*] Ità loquitur ad commiserationem movendam. Quanquam enim veteribus non satis cognitus orbis terrarum, plura cognoscebat Naso quàm nunc fatetur.

[p] *Duo*] *Patriam & uxorem.*

[q] *Est*] *Licet, Conceditur.*

[r] *Videnda*] *Ut eorum absentiâ torquear.*

[f] *Facta*] Pejus est autem habuisse, atque præterita bona recordari, quàm nihil habere, neque bonis sese oblectasse.

[t] *Locis*] Objecta siquidem movent sensus, hæc singulorum commemoratio vim habet maximam ad Nasonis dolorem ex inopiâ creandum : atque hinc Lectoris misericordiam eliciendam.

[u] Ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod præstat amorem:
[x] Impositúmque sibi firma tuetur onus.
Vos quoque pectoribus nostris hæretis, amici;
Dicere quos cupio nomine quemque suo.
Sed [y] timor officium cautus compescit; & ipsos
In nostro poni carmine nolle puto.
Ante volebatis; gratíque erat instar honoris,
Versibus in nostris nomina vestra legi.
Quod quoniam est [z] anceps, intra mea pectoraqu emque
Alloquar: & nulli caussa timoris ero.
Nec meus indicio latitantes versus amicos
[a] Protrahet. occultè, si quis amavit, amet.
[b] [Scite tamen, quamvis longâ regione remotus
Absim, vos animo semper adesse meo.]
Et, quam quisque potest, aliquâ mala nostra levate:
Fidam [c] projecto neve negate manum.
Prospera sic vobis maneat Fortuna: nec unquam
[d] Contacti simili sorte rogetis opem.

INTERPRETATIO.

Istud auget quòd dissita est; istud minuit, quòd reddit amorem, & constanter fert onus sibi impositum. Vos etiam, amici, manetis in nostro corde, quos vellem appellare singulos suo nomine. Verùm providus timor reprimit officium, & arbitror illos nolle inseri nostris versibus. Priùs cupiebatis; atque erat decorì vestra nomina legi in nostro carmine. Quod quandoquidem est dubium, compellabo singulos intra cor meum; neque ero cuiquam caussa metus. Neque carmen meum prodet indicio amicos latentes. Si quis clàm dilexit, diligat. Intelligite tamen, vos semper præsentes esse animo meo, tametsi absim dissitus vastis regionibus. Et quantùm singulis licet minuite aliquâ nostra mala; nolite recusare certam manum afflicto. Sic fortuna perstet vobis propitia; neque unquam petatis auxilium afflati simili infortunio.

NOTÆ.

[u] *Ingravat*] Rationem ejus rei mox ipse reddet Poëta.

[x] *Impositum*] In Poëtæ bonis tuendis, atque ejusdem reditu procurando.

[y] *Timor*] Ne si ab Augusto cognoscerentur, in ejus offensionem incurrerent.

[z] *Anceps*] Seu Amicorum Nasonis desiderium spectes, seu ad Augusti animum referas.

[a] *Protrahet*] *Per vim in periculum adducet.* Neque istud sine aliquâ in Cæsarem invidiâ prolatum est.

[b] *Scite*] Non abs re importunè inculcatum hoc Distichon arbitratus est clariss. Heinsius.

[c] *Projecto*] *Neglecto atque contemto.*

[d] *Contacti*] *Ut exules, & calamitatibus omnis generis afflicti, amicorum opem implorare cogamini.*

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

Usus amicitiæ tecum.] *Amici fidem perspectam & cognitam, in adversis præcipuè rebus, laudat Ovidius, quam dicit nunquam abituram ex ejus animo. Demum fatetur se ali exigua spe, ut aliquando Augustus mitior fiat, & magis placidum tribuat exilium.*

USus amicitiæ tecum mihi [a] parvus, ut illam
Non ægrè posses [b] dissimulare, fuit:
Ni me complexus vinclis [c] propioribus esses;
[d] Nave meâ vento [e] forsan eunte suo,
Ut cecidi, cunctíque metu fugêre ruinæ,
Versáque amicitiæ terga dedêre meæ;
Ausus es [f] igne Jovis percussum tangere corpus,
Et deploratæ limen adire domûs.
Idque [g] recens præstas, nec longo cognitus usu,
Quod [h] veterum misero vix duo tresve mihi.
Vidi ego confusos [i] vultus, visúsque notavi;
Osque madens fletu, pallidiúsque meo:
Et lacrymas cernens in singula verba cadentes,
Ore meo lacrymas, auribus illa bibi:
Brachiáque [k] accepi mœsto pendentia collo,
Et singultatis oscula mista sonis.

INTERPRETATIO.

Consuetudo mihi levis fuit tecum, ut facilè posses dissimulare, nisi me complexus esses nodis arctioribus; nave meâ fortè currente curâ secundâ. Postquam sum impulsus, & omnes dilapsi sunt timore ruinæ, & verterunt terga meæ amicitiæ, non veritus es accedere ad corpus afflatum igne Jovis, atque intrare limen domus afflictæ. Idque facis novus, neque cognitus diutinâ familiaritate, quod vix duo aut tres antiquorum præstiterunt *mihi infelici. Ego adverti faciem turbatam, & observavi visus, & os humidum lacrymis, & pallidius meo: & videns lacrymas fluentes ad omnes voces, hausi lacrymas meo ore, voces* verò *auribus: & amplexus sum lacertos pendentes tristi collo, & oscula mista vocibus abruptis per singultus.*

NOTÆ.

[a] *Parvus*] Familiariter cum hoc amico non vixerat Naso. Nupera amicitia fuerat, quæ consuetudine nondum ità arctè confirmata.

[b] *Dissimulare*] *Ne in Cæsaris odium incurreres.*

[c] *Propioribus*] Atque adeò arctioribus, amicitiæ scilicet.

[d] *Nave*] Navis pro ipso Nasone ponitur.

[e] *Forsan*] Fortunæ favori magis quàm merito suo adscribendum esse insinuat Naso; quòd amicus suus constanter in benevolentiâ suâ perstiterit.

[f] *Igne Jovis*] *Augusti irâ.*

[g] *Recens*] *Nuper mihi cognitus.*

[h] *Veterum*] *Amicorum* scil.

[i] *Vultus*] *Tuos* supple, *ex quibus dolorem, atque adeò Amorem intellexi tuum.*

[k] *Accepi*] *Amplexus sum.*

Sum quoque, Care, tuis defensus viribus absens:
Scis [l] Carum veri nominis esse loco.
Multaque præterea manifesti signa favoris
Pectoribus teneo non abitura meis.
Dî tibi posse tuos tribuant defendere semper,
Quos in [m] materia prosperiore juves.
Si tamen interea, quid in his ego perditus oris,
(Quod te credibile est quærere) quæris, agam?
Spe trahor exiguâ (quam tu mihi demere noli)
[n] Tristia leniri numina posse Dei.
Seu temerè exspecto, sive id contingere fas est;
Tu mihi, quod cupio, fas (precor) esse [o] proba.
Quæque tibi linguæ est facundia, confer in illud,
Ut [p] doceas votum posse valere meum.
[q] Quò quis enim major, magis est placabilis iræ;
Et faciles motus mens generosa capit.
Corpora magnanimo satis est prostrasse leoni:
Pugna suum finem, cum jacet hostis, habet.
At lupus, & turpes instant morientibus ursi;
Et quæcunque minor nobilitate fera est.
Majus apud Trojam forti quid habemus Achille?
[r] Dardanii lacrymas non tulit ille senis.

INTERPRETATIO.

Sum defensus etiam absens tuis viribus, Care; Scis Cārum esse pro vero nomine. Habeo insuper multa indicia benevolentiæ aperta, non excessura meo corde. Dii tibi dent posse semper tueri tuos, quibus prosis in causâ latiore. Si tamen interea petis, quod verisimile est te petere, quid ego infelix faciam in his regionibus? Ducor spe levi, quam ne mihi adimas, Deum infensum posse mitigari. Seu frustrà spero, sive id potest fieri, Tu ostende, quæso, fieri posse quod volo. Atque confer te eloquentiam quâ polles in id, ut probes meum desiderium posse impleri. Quò enim quis major, magis est ira superabilis; & animus nobilis facilè flectitur. Satis est generoso leoni dejecisse corpora; certamen finitur, cùm hostis prostratus est. At lupus, & obscœni ursi, & quæcunque fera minùs est generosa, premunt morientes. Quid habemus majus strenuo Achille apud Trojam? Ille non tulit fletus senis Dardanii.

NOTÆ.

[l] *Carum*] Hoc dicit quia eo proprio nomine nonnulli Romæ appellabantur; cùm sit hoc in loco amicitiæ, magisque ad amici verum celandum nomen. Quanquam & fortè, ut nasutè ubique Naso, Cārum hunc proprio nomine sic dictum etiam, hâc declaratione ab omni suspicione liberat.

[m] *Materiâ*] *Causâ meliore.* Hoc dicit quia exilio pulsus Poëta, in quod incidere malum nollet amicos.

[n] *Tristia*] Quia tristem facit Poëtam ira Augusti.

[o] *Proba*] *Affirma, atque non temerè sperare dicito.* Eo verò non tantùm spes alebatur Nasonis; verùm etiam aliquid ad reditum ejus suadendum conferretur.

[p] *Doceas*] Sæpius verò tundendo, atque idem inculcando, fit denique probabile quod primâ fronte ineptum visum est. Dicere denique potuisset Augustus, *Redeat, siquidem fieri posse, aut illud æquum esse arbitramini.* Hic namque scopus fuit Poëtæ.

[q] *Quò quis*] Verissimè dicit. Nostri autem homines plerique quamobrem istud non capiant ipse conjicito.

[r] *Dardanii*] *Priami*, ab Achille Hectoris filii cadaver repetentis. Dardanius autem ideò dicitur, quòd à Dardano suam duceret originem.

Quæ [f]ducis Emathii fuerit clementia, [t]Poros
Præclaríque docent funeris [u] exſequiæ.
Neve hominum referam flexas ad mitius iras;
Junonis [x] gener eſt, qui prius hoſtis erat.
Denique non poſſum nullam ſperare ſalutem,
Cum pœnæ non ſit cauſa [y] cruenta meæ.
Non mihi quærenti [z] peſſundare cuncta, petitum
Cæſareum caput eſt, quod caput orbis erat.
Non aliquid dixi, violentáque lingua locuta eſt;
Lapſáque ſunt nimio verba profana mero.
Inſcia quod crimen [a] viderunt lumina; plector:
Peccatúmque oculos eſt habuiſſe meum.
Non equidem [b] totam poſſim defendere culpam;
Sed partem noſtri criminis error habet.
Spes igitur ſupereſt, factúrum ut molliar ipſe,
Murati pœnam conditione [c] loci.
[d]Hunc utinam nitidi Solis prænuncius ortum
Afferat admiſſo Lucifer [e] albus equo.

INTERPRETATIO.

Porus, & exſequiæ ſplendidi funeris indicant quæ fuerit lenitas ducis Emathii. Neve memorem iras hominum delinitas, qui priùs erat hoſtis Junonis nunc eſt gener. Denique non poſſum nullam ſalutem ſperare, cùm cauſa ſupplicii mei non ſit capitalis. Vita Cæſaris, quæ eſt ſalus mundi non eſt petita à me cupiente omnia evertere. Non prolocutus ſum quicquam, nec lingua protulit minantia, aut effutivi voces impias nimio vino. Punior quia oculi neſcientes aſpexerunt crimen: & mea culpa eſt habuiſſe oculos. Non equidem valeam me abſolvere omni crimine; verùm error facit partem noſtræ culpæ. Itaque ſpes reſtat, illum facturum, ut ipſe leniat pœnam meam *forte loci mutati. Utinam candidus Lucifer prænuntius puri Solis advehat hunc diem equo concitato.*

NOTÆ.

[f] *Ducis Emat.*] *Alexandri magni*. Macedoniæ regis, quæ antea *Emathia* dicta.

[t] *Poros*] Quem victum Indiæ regem Alexander non dimiſit modò, ſed ampliore regno donavit.

[u] *Exſequiæ*] Quas ſuperbo apparatu Dario victo regi Alexander idem juſſit atque procuravit.

[x] *Gener*] Herculem dicit, qui exhauſtâ Junonis irâ, Heben denique ejus filiam uxorem duxit.

[y] *Cruenta*] *Quæ cruore expiari debeat.*

[z] *Peſſundare*] Quod faciunt qui adverſus Reipublicæ Adminiſtratores inſurgunt.

[a] *Viderunt*] Quantùm ego conjecturâ aſſequi poſſum, reſcivit Auguſtus, Juliæ laſciviam Naſoni fuiſſe perſpectam, qui fortè aliquem cum Corinnâ [illegible] invenit. Naſo ipſe inſuper, quòd ſibi perſpecta eſſet Auguſtum reſciviſſe intellexit. Reperti ſunt, deinde, nulli non frequentes, qui de Corinnâ, deque Poëtæ Amoribus plurima immurmuraverunt, quo tempore turbæ maximæ in aulâ ob Juliæ laſciviam. Cæſar hujus dedecoris impatientiſſimus facilè omnia credidit: quid Amor poſset optimè noverat. Poëta verò ut cautus fuit, neque minùs generoſus, nihil quicquam præter ea quæ aperta atque comprobata de culpâ alterius confiteri voluit. Adeòque uſque ad finem in eo perſtitit; neque minùs illum Tomis Auguſtus reliquit.

[b] *Totam*] Faſſus eſt namque ſe quædam in Arte paulò liberiore licentiâ ſcripſiſſe.

[c] *Loci*] Nam Tomos averſabatur Poëta, aut averſari ſimulabat, ut ità de reditu faciliùs ſermonem injiceret.

[d] *Hunc*] *Diem, quo pœna mutetur. Ortum* pro die oriente aut Solis exortu poſuit.

[e] *Albus*] Adeòque boni ominis.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Fœdus amicitiæ.] *Hac etiam elegiâ amici fidem laudat Ovidius, quam etiam si velit, minimè dissimulare posse ostendit: cujus consilio si usus fuisset, fatetur se incolumem semper esse potuisse. Demum illum precatur, ut ei Augustum mitiorem reddat, quo is sibi exilii locum mutet: quandoquidem nulli sceleri se obnoxium esse sciat.*

FOedus amicitiæ nec vis, carissime, nostræ,
Nec, si fortè velis, dissimulare potes.
Donec enim licuit, nec te mihi carior alter,
Nec tibi me totâ junctior Urbe fuit.
Isque erat usque adeò populo [a] testatus, ut esset
Pæne magis quàm tu, quamque ego, notus amor.
Quique erat in caris animi tibi candor amicis,
Cognitus est illi, quem colis [b] ipse, viro.
[c] Nil ita celabas, ut non ego conscius essem:
Pectoribúsque dabas multa tegenda meis.
Cuique ego narrabam secreti quidquid habebam,
Excepto quod me perdidit, unus eras.
Id quoque si scisses, salvo fruerêre sodali;
Consilióque forem sospes, amice, tuo.
[d] [Sed mea me in pœnam nimirum fata trahebant:
Omne bonæ claudunt utilitatis iter.]
[e] Sive malum potui tamen hoc vitare cavendo;
Seu ratio fatum vincere nulla valet:

INTERPRETATIO.

Neque cupis, dilectissime, neque si fortè cupias, potes dissimulare fœdus nostræ amicitiæ. Quandiu enim concessum est, neque alius fuit mihi magis dilectus quàm tu, neque tibi fuit carior me in totâ Urbe. Atque is amor erat ità apertus, ut esset propè magis cognitus quàm tu, quàmque ego. Atque candor animi qui tibi erat erga dilectos amicos, perspectus est illi viro, quem ipse diligis. Nihil ità tegebas, ut ego non essem particeps; & credebas meo pectori multa tacenda. Et solus eras, cui ego dicebam quidquid habebam arcani, excepto quod me perdidit. Atque etiam, si illud cognovisses, fruerêris socio incolumi, & essem salvus tuo consilio, Amice. Sed enim mea sors me rapiebat in supplicium: obstruunt omnem viam salutis. Seu tamen potui effugere hanc pœnam prospiciendo, seu nulla ratio potest superare fatum,

NOTÆ.

[a] *Testatus*] *Probatum* exposuerunt Amorem: malè. Cognitum tantum dicit.

[b] *Ipse*] Facit vox illa, ut virum, de quo hîc agitur, non Augustum, quemadmodum suspicati sunt, sed communem aliquem magni nominis amicum intelligendum esse arbitrer; quem non Poëta tantùm, sed & hic, ad quem ille scribit, maximè coluerit.

[c] *Nil ità*] Familiarissimâ itaque atque intimâ amicitiâ juncti erant.

[d] *Sed*] Distichon istud interpolatoris esse, atque equidem malè feriati, optimè observavit clar. Heins.

[e] *Sive*] *Seu vitari, uti cupio, seu non vitari fatum potest, ut Stoici docent, tu tamen mei sis memor.*

Tu tamen, ô nobis usu junctissime longo,
Pars desiderii maxima pænè mei,
Sis memor : &, si quas fecit tibi gratia [f] vires,
Illas pro nobis experiare rogo.
Numinis ut læsi fiat mansuetior ira;
Mutatóque minor sit mea pœna loco.
Idque ita, si nullum scelus est in pectore nostro;
Principiúmque mei criminis error habet.
Nec leve, nec [g] tutum est, quo sint mea, dicere, casu
Lumina funesti conscia facta mali.
Ménsque reformidat, veluti sua vulnera, tempus
[h] Illud : & admonitu fit novus ipse dolor.
[Et quæcunque adeò possunt afferre pudorem,
Illa tegi cæcâ condita [i] nocte decet.]
Nil igitur referam, nisi me peccasse ; sed illo
Præmia peccato [k] nulla petita mihi:
Stultitiámque meum crimen debere vocari;
Nomina si facto reddere vera velis.
Quæ si non ita sunt ; alium, quo longiùs absim,
Quære, [l] suburbana hîc sit mihi terra, locum.

INTERPRETATIO.

tu tamen, ô nobis devinctissime longâ consuetudine,& propemodum pars maxima mei voti, ne obliviscaris ; & si gratia tibi fecit aliquam potestatem, oro facias periculum illius pro nobis : ut ira Dei offensi fiat lenior, & meum supplicium sit levius mutato loco. Idque ità, si nullum flagitium est in nostro corde ; & error est caussa mei peccati. Neque parvum est, neque securum aperire, quo casu mei oculi sint facti testes tristis mali. Et animus horret illud tempus, quasi suas plagas : & dolor ipse recrudescit recordatione. Atque adeò opus est velari tecta obscurâ nocte quæcumque possunt inducere dedecus. Nil igitur narrabo, nisi me deliquisse ; verùm nullam mercedem quæsitam à me crimine : & culpam meam debere dici stultitiam, si velis imponere vera vocabula admisso. Quæ si non ità sunt ; quære alium locum, quo sim remotior, hic sit mihi solum suburbanum.

NOTÆ.

[f] *Vires*] *Quibus amicos juvare possis, vel gratiâ apud Cæsarem, vel auctoritate apud alios.*

[g] *Tutum*] Propter Cæsaris offensionem.

[h] *Illud*] Quo aliquid vidit,& Augustum læsit.

[i] *Nocte*] Atque adeò Taciturnitate.

[k] *Nulla*] Ut adeòque imprudens peccaverit.

[l] *Suburbana*] *Non videatur longè à Româ sed quasi in suburbio terra in quâ nunc sum, præ illâ in quam mitti volo, nisi vera dixero.*

ELEGIA VII.

ARGUMENTUM.

Vade salutatum.] *Ad filiam Perillam scribens Ovidius primò fatetur se Musis vacare, quamvis illa sibi nocuerint: eamque hortatur, ut idem faciat, quo sibi immortalitatem comparet. nam ea forma elegantia, inquit, qua in ipsa erat, senectute & tempore vitiabitur. At ingenii dotes semper permanebunt.*

VAde salutatum subitò perarata Perillam
Littera, sermonis fida ministra mei.
Aut illam invenies dulci cum matre sedentem,
Aut inter libros [a] Pieridásque suas.
Quidquid aget, cùm te scierit venisse, relinquet:
Nec mora; quid venias, quidve, requiret, agam.
Vivere me dices; sed sic, ut vivere nolim:
Nec mala tam longâ nostra levata morâ.
Et tamen ad Musas, quamvis nocuêre, reverti;
Aptáque in [b] alternos cogere verba pedes.
Tu quoque dic, studiis [c] communibus ecquid inhæres,
Doctáque non [d] patrio carmina more canis?
Nam tibi cum [e] facie mores Natura pudicos,
Et ratas dotes ingeniúmque dedit.

INTERPRETATIO.

Epistola absoluta fidelis interpres orationis meæ, ito statim salutatum Perillam. Vel illam reperies sedentem cum amabili matre; vel inter libros & suas Musas. Postquam intelliget te venisse, omittet quidquid aget; & sine intermissione petet quamobrem accedas, & quid faciam. Dices me superstitem esse; verùm ita ut non cupiam vivere: neque ærumnas delinitas tam prolixo tempore. Et tamen redire ad Musas quanquam obfuerunt; & redigere voces idoneas ad pedes alternos. Dic tu etiam, ecquid incumbas studiis communibus, & modularis versus doctos numeris peregrinis! Natura enim tibi præbuit mores castos cum formâ, & dotes non vulgares atque ingenium.

NOTÆ.

[a] *Pieridas*] *Musas*, quas à Pieri filiabus, aut Pierio Thessaliæ monte sic dictas suprà admonuimus.

[b] *Alternos*] Versus Hexametrum & Pentametrum per pedes intellige: illi enim versus, non dactylus & spondæus, uti exposuerunt, alternis recurrunt vicibus.

[c] *Communibus*] Easdem enim Musas juxtà cum patre Perilla excolebat.

[d] *Patrio*] Caveas cum Merula *Patrios* versus *lascivos* interpreteris, quales scripserat Perillæ pater Naso. *Patrii* Versus, aut *Patrius* mos dicitur *Latinus*: ut Perillam intelligas non more patrio, sed Græco, sibi-bus Latinis accommodandas Odas & Lyrica carmina non priùs audita, quod & Flaccus fecit, non sine laude scripsisse.

[e] *Facie*] Mirè conveniunt forma corporis, atque virtus animi. virtus namque hujus est forma; forma verò illius virtus. Utraque in eadem personâ; vel quod est idem, eadem in utraque ejusdem hominis parte, mirum quid efficit.

[f] Hoc ego [g] Pegasidas deduxi primus ad undas,
[h] Ne malè fœcundæ vena periret aquæ.
Primus [i] id aspexi teneris in virginis annis:
Utque pater, venæ [k] duxque comesque fui.
Ergo, si remanent [l] ignes tibi pectoris idem,
Sola tuum vates [m] Lesbia vincet opus.
Sed vereor, ne te mea nunc [n] Fortuna retardet;
Postque meos casus sit tibi pectus iners.
Dum licuit, tua sæpe mihi, tibi nostra legebam:
Sæpe tui judex; sæpe magister eram.
Aut ego præbebam factis modò versibus aures,
Aut ubi [o] cessâtas, caussa [p] ruboris eram.
Forsitan exemplo, quia me læsêre libelli,
Tu quoque [q] sis pœnæ fata secuta meæ.
Pone, Perilla, metum. tantummodò fœmina non sit
[r] Devia, nec scriptis discat amare tuis.
Ergo desidiæ remove, doctissima, [s] caussas;
Inque bonas artes & tua [t] sacra redi.

INTERPRETATIO.

Ego primus deduxi illud ad aquas Pegasidas, ne vena salientis aquæ malè obstrueretur. Primus illud vidi in primis annis puellæ: atque, ut apparet, fui dux & comes venæ. Ergo si superest tibi idem amor in corde, sola Lesbia superabit tuum opus. Verùm metuo, ne nunc fortuna mea te remoretur, atque animus tibi langueſcat post meum infortunium. Quandiu concessum est, sæpe legebas *mihi tua, ego legebam tibi nostra: eram sæpe judex tui, sæpe præceptor. Vel ego præbebam aures carminibus modò compositis, vel ubi neglexeras eram caussa puderis. Forsitan exemplo, quia libri mihi obfuerunt, tu etiam sis sequuta sortem mei supplicii. Omitte timorem, Perilla. Tantummodo mulier non sit devia, neque discat amare tuis operibus. Adeòque, doctissima, deme caussas segnitiei, & revertere ad bonas artes & tua sacra.*

NOTÆ.

[f] *Hoc*] *Ingenium*, scilicet.

[g] *Pegasidas*] *Ad Musarum fontem, quem Pegasus alatus equus pede aperuit*: ex quo Poëtam filiam suam primùm Poëticam artem docuisse intelligitur.

[h] *Ne malè*] Utcumque enim præclara, marcescunt ingenia, nisi bonarum litterarum succo irrigentur.

[i] *Id*] *Ingenium.*

[k] *Dux com.*] Atque hinc, quâ viâ ad Sapientiæ fontes adolescẽtulos perducere oporteat non obscurè intelligitur: si modò eam ingredi aut vellẽt aut nossent omnes Scholæ.

[l] *Ignes*] Ingenii vigor, & bonarum litterarum studium.

[m] *Lesbia*] *Sappho*, ex Lesbo insula vates.

[n] *Fortuna*] Adversa, scil. *Exilium.*

[o] *Cessaras*] *Cùm nihil scriberes.*

[p] *Roboris*] Animi verò verecundi atque ingenui est judicium Rubor.

[q] *Sis sequuta*] Ut metu pœnæ Poëticum studium, quod exitiale, abjeceris. Ille fatum sequatur, qui obtemperat, neque ampliùs admittit, quod contra illud est.

[r] *Devia*] *Quæ pudoris rationem non satis habeat.*

[s] *Caussas*] Exilii metum, putà, &c.

[t] *Sacra*] Carmina, Musas, Studia: Illa namque non sacra sunt modò, sed mentem sanctam sacrámque præstant. Verùm paucissimi sunt homines qui ex vanitatis turbine sese retrahere, atque Veritati regendam animam tradere didicerint. Pecudum more cæteri præsentibus tantum, iisque sensibus objectis moventur.

Ista decens facies longis vitiabitur annis:
 Rugáque in antiquâ fronte senilis erit.
Injiciétque manum formæ damnosa senectus.
 Quæ [u] strepitum passu non faciente venit.
Cúmque aliquis dicet, [x] Fuit hæc formosa; dolebis:
 Et speculum [y] mendax esse quærère tuum.
Sunt tibi opes modicæ, cum sis dignissima magnis.
 Finge sed immensis censibus esse pares.
Nempe dat id cuicunque libet Fortuna, [z] rapítque:
 [a] Irus & est subitò, qui modò [b] Crœsus erat.
Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
 [c] Pectoris exceptis ingeniique bonis.
En ego, cùm patriâ caream; vobísque, domóque;
 Raptáque sint, adimi quæ potuêre mihi;
Ingenio tamen ipse meo [d] comitórque fruórque:
 Cæsar in hoc potuit juris habere nihil.

INTERPRETATIO.

Ista bona forma extinguetur longâ ætate, & ruga senilis erit in veteri fronte. Atque nocens senectus, quæ accedit gressu placido immittet manum pulcritudini. Et cum aliquis dicet, Hæc pulcra fuit, molestum tibi erit, & querêris speculum tuum esse falsum. Cùm sis dignissima magnis divitiis, sunt tibi tenues: Sed pone esse æquales maximis opibus. Nimirum fortuna illud præbet atque adimit cuicumque libet, & qui modò erat Crœsus est repente Irus. Quamobrem memorem singula? nihil habemus morti non obnoxium, exceptis opibus mentis & ingenii. Ecce, cùm ego sim privatus patriá, vobísque, domóque, & quæ potuerunt mihi tolli sunt sublata: ego tamen sum stipatus meo ingenio, & fruor: Cæsar nihil potuit habere potestatis in illud.

NOTÆ.

[u] *Strepitum non f.*] Tacitis quippe annis senescimus: illique utut maximè fugaces, sic placidè labuntur, ut vix currere advertamus, cum jam effluxerunt.

[x] *Fuit*] Non ad formam modò sed ad omnia præterita atque dilapsa exhorrescimus, cùm præsertim ingruere mala, nullius bonæ rei spem esse, advertimus. Quæ res omnibus altissimâ mente accuratè atque maturè perpendenda esset, nisi insigniter stulti essemus.

[y] *Mendax*] *Quasi fieri non potuisset ut forma tam egregia in tantum immutata esset.*

[z] *Rapitque*] Fluxa atque fragilia esse terrena omnia bona Ethnici propè omnes docuerunt: tantique momenti visa est ea Sententia, ut & ipse generis humani Reparator noster Dominus eandem sæpius inculcare non destiterit. Frustrà tamen nisi & nos seriò eandem subinde oculis in vanitatis contemtum subjiciamus.

[a] *Irus*] Mendicus Ithacensis, Procorum Penelopes assecla, quem Ulysses pugno mactavit.

[b] *Crœsus*] Ditissimus rex fuit Lydiæ, qui in Proverbium abiit.

[c] *Pectoris*] Hæc namque bona, Sapientia, Virtus, & quæ sunt hujus generis non clara modò atque æterna habentur, sed nostra verè sunt, quibus Dei dono gloriari, atque frui liceat.

[d] *Comitor*] Passivè. Comes verò quisque sui optimus & jucundissimus, qui sine cujusquam ope suoque ingenio sibi voluptatem honestam omniáque bona præstare cum bono Deo didicit. Illud unum namque sumus quod apud nos Cogitamus: eúmque nos amemus maximè; beatior quis esse possit quàm qui ipse idoneus & Amat & Cogitat & Scit & Potest Amare & Cogitare? Cæterùm hæc omnia verba & id tantùm. Vix unus & alter sese in lutum passim abjicere non festinant.

Quilibet hanc sævo vitam mihi finiat ense:
Me tamen exstincto [e] fama superstes erit.
Dúmque suis victrix omnem de montibus orbem
Prospiciet domitum [f] Martia Roma, legar.
Tu quoque, quàm studii maneat [g] felicior usus,
[h] Effuge venturos, quâ potes, usque rogos.

INTERPRETATIO.

Quivis mihi adimat hanc vitam fero gladio, fama tamen erit reliqua me sublato. Et legar quandiu Roma Martia victrix prospiciet universum mundum victum ex suis collibus. Tu etiam, quam fructus latior studii maneat, vita, quantùm potes, flammas futuras.

NOTÆ.

[e] *Fama*] Tollere interdum spiritus videtur Naso, animæ videlicet immortali spe aliquâ ductus: at enim mens caligat: & in famâ acquiescit. Illa verò post fata est merum somnium: nec se quisquam phaleratis illius dictis patietur duci cui sanæ mentis vel mica una fuerit.

[f] *Martia*] Quia bellicosa, atque sub tutelâ Martis, qui Romuli conditoris pater.

[g] *Felicior*] *Quàm mihi exuli obtigit.*

[h] *Effuge*] Atque adeò in memoriâ hominum vivas, propter opera scilicet.

ELEGIA VIII.

ARGUMENTUM.

Nunc ego Triptolemi.] *Desiderio cum patriæ, tum suorum ita teneri Poëta scribit, ut cupiat celeri aliquo cursu eo se conferre: quam rem sibi Augustum solum præstare posse ostendit. Narrátque exilii sui incommoda. Optátque ut tandem Cæsar iræ modum statuat, & mitiùs præbeat exilium.*

NUnc ego [a] Triptolemi cuperem conscendere currus,
Misit in [b] ignotam qui rude semen humum:
Nunc ego Medeæ vellem frænare [c] dracones,
Quos habuit fugiens arce, Corinthe, tuâ:
Nunc ego jactandas optarem sumere pennas,
Sive tuas, [d] Perseu; Dædale, sive tuas:
Ut tenerâ nostris cedente volatibus aurâ
Aspicerem patriæ dulce repente solum:

INTERPRETATIO.

Ego nunc optarem conscendere currus Triptolemi, qui sparsit in terram insolitam semen inexpertum. Ego nunc optarem frænare dracones Medeæ, quos habuit fugiens arce tuâ, Corinthe: Ego nunc cuperem capere alas movendas, sive tuas, Perseu, sive tuas, Dædale; ut, aere molli cedente nostris volatibus, viderem subitò mite solum patriæ;

NOTÆ.

[a] *Triptolemi*] Quem à Cerere currum accepisse ut agri culturæ usum per omnes terras doceret, in Metam. vidimus.

[b] *Ignotam*] Quia ante Triptolemum nullam serendi rationem cognoverant inexperti homines, si fabulis credimus.

[c] *Dracones*] Illorum auxilio effugisse veneficam dictum in Metam.

[d] *Perseu*] Hujus & Dædali alas vide in Metam. facilè est per indicem: frustráque decantatissimas fabulas identidem repetamus.

Desertæque domûs vultum, memorésque sodales,
Caráque præcipuè conjugis ora mihi.
[e] Stulte, quid ô frustra votis puerilibus optas,
Quæ non ulla tulit, fertque, ferétque, dies?
Si semel optandum est; Augustum numen adora:
Et quem læsisti, ritè precare, Deum.
Ille tibi pennásque potest currúsque volucres
Tradere. det reditum; protinus [f] ales eris.
Si precer hæc (neque enim possim majora precari),
Ne mea sint timeo vota modesta parum.
Forsitan hoc olim, cùm se satiaverit ira,
Tum quoque sollicitâ mente rogandus erit.
Quod minus intereà est, instar mihi muneris ampli,
Ex his me jubeat qnolibet ire locis.
[g] Nec cælum, nec aquæ faciunt, nec terra, nec auræ;
Et mihi perpetuus corpora languor habet.
Seu vitiant artus ægræ contagia mentis;
Sive mei caussa est in regione mali:
Ut tetigi Pontum, vexant insomnia, víxque
Ossa tegit macies; nec juvat ora cibus.
Quique per autumnum percussis frigore primo
Est color in foliis, quæ nova læsit hyems:
Is mea membra tenet. nec [h] viribus allevor ullis;
Et nunquam queruli caussa doloris abest.

INTERPRETATIO.

& statum domus destituta, & socios mei *non oblitos, & præsertim dilectos vultus uxoris. Inepte, quamobrem, ô nequicquam voves studiis puerilibus, quæ nulla ætas tulit, fert, ferétque? Si semel vovendum est, venerare potestatem Augusti, & ritè orato Deum, quem offendisti. Ille potest sibi præbere & pennas, & currus alatos. Concedat reditum, continuò volucris fies. Siquidem istud orem, neque enim possum orare majora, metuo ne mea preces non sint satis verecundæ, fortè erit etiam istud orandus olim mente anxiâ, cum ira se expleverit. Interea, quod minùs est, mihi instar doni magni, me jubeat quovis concedere ex his locis. Neque cœlum, neque aqua, neque tellus, neque aer* mihi *conducunt; & morbus continuus tenet meos artus. Sive contagia animi languentis corrumpunt membra; sive caussa mei morbi est in regione; postquam tetigi Pontum, insomnia torquent* me*, vixque macies velat ossa, neque esca placet palato. Atque ille color habet meos artus, qui est in foliis tactis primo frigore per Autumnum, quæ nova hyems læsit: neque ulla medicamenta prosunt: & nunquam caussa queruli doloris deest.*

NOTÆ.

[e] *Stulte*] Ne tam quidem, si quis modò sequentes ex stulto voto natos versus pulcherrimos expendat.

[f] *Ales*] Non hæc ingeniosè modò, & in Augusti laudem prolata; sed in redeundo Romam, si liceat, velocitatem suam, atque adeò exilii tædium indicat Poëta.

[g] *Nec cælum*] Idem questus est suprà.

[h] *Viribus*] *Nullâ arte medicâ; neque herbis*, &c.

Nec meliùs valeo, quam corpore, mente; sed ægra est
  Utraque pars æquè, bináque damna fero.
Hæret, & ante oculos veluti spectabile corpus
  Adstat Fortunæ [i] forma legenda meæ.
Cúmque locum, [k] moréfque hominum, cultúsque, sonúmque,
  Cernimus; & quid sim, quid fuerímque subit;
Tantus amor necis est, querar ut de Cæsaris irâ,
  Quod non offensas vindicet ense suas.
At quoniam semel est odio [l] civiliter usus,
  Mutato levior sit fuga nostra loco.

INTERPRETATIO.

Neque sum firmior animo quàm corpore; sed pars utraque est pariter afflicta, & patior duplex malum. Figura mea sortis stat coràm legenda, & permanet ante oculos tanquam corpus visibile. Et cum videmus locum, & mores hominum, & ornatum, & vocem; & recurrit quid sim, & quid fuerim, tantum est desiderium mortis, ut querar de irâ Cæsaris, quòd non ulciscatur suas injurias gladio. At quoniam est semel usus civiliter odio, exilium nostrum sit mitius mutato loco.

NOTÆ.

[i] *Forma*] Imò deformitas. Pessimè verò illi est, qui mala atque ærumnas suas ità præsentes habet.

[k] *Mores*] *Fores*, scil. Quæ res quàm molesta quàmque ingrata sit humanioribus, atque mansuetioribus studiis exculto vix quisquam verbis assequatur.

[l] *Civiliter*] Legibus ut in civem decuit, non armis tyrannorum more.

ELEGIA IX.

ARGUMENTUM.

Hîc quoque sunt urbes Graiæ.] *Urbes Græcas Geticam oram incoluisse docet, ab iisque etiam Tomitanæ urbi nomen fuisse impositum ostendit.*

Hic quoque sunt [a] igitur [b] Grajæ (quis crederet?) urbes,
  Inter inhumanæ nomina barbariæ.
[c] Huc quoque [d] Mileto missi venêre coloni,
  Inque Getis Grajas constituêre domos.

INTERPRETATIO.

Sunt ergo hic etiam urbes Græcæ, (quis crederet) inter nomina feræ barbariæ. Coloni missi Mileto huc etiam accesserunt, & struxêrunt domos Græcas in Getis.

NOTÆ.

[a] *Igitur*] Miratur Poëta, quòd inter Barbarorum barbaros coloniam constituere potuerint aut certè voluerint moribus maximè dissimiles Milesii.

[b] *Graiæ*] Origine quidem, non linguâ, neque moribus.

[c] *Huc*] *Temon*, scil.

[d] *Mileto*] Quæ urbs fuit quondam Ioniæ, belli pacísque artibus conspicua: hodie vicus sub Turcarum dominio.

Sed [c] vetus huic nomen, poſitâque antiquius urbe,
Conſtat ab [f] Abſyrti cæde fuiſſe, loco.
Nam rate, quæ curâ [g] pugnacis facta Minervæ,
Per non tentatas [h] prima cucurrit aquas;
Impia deſertum fugiens Medêa parentem,
Dicitur his remos applicuiſſe vadis.
Quem procul ut vidit tumulo ſpeculator ab alto;
[i] Hoſpes, ait, noſco Colchide vela, venit.
Dum trepidant [k] Minyæ, dum ſolvitur aggere [l] funis,
Dum ſequitur celeres anchora tracta manus;
Conſcia percuſſit [m] meritorum pectora [n] Colchis,
Ausâ atque auſurâ multa nefanda manu.
Et, quamquam ſupereſt ingens audacia menti,
Pallor in attonito virginis ore ſedet.
Ergo ubi proſpexit venientia vela; Tenemur,
Et pater eſt aliquâ fraude morandus, ait.
Dum quid agat quærit, dum verſat in omnia vultus;
Ad fratrem caſu lumina flexa tulit.
Cujus ut oblata eſt præſentia; Vincimus, inquit.
Hic mihi morte ſuâ cauſſa ſalutis erit.

INTERPRETATIO.

Verùm nomen antiquum huic loco, atque antiquius urbe conditâ: liquet fuiſſe à nece Abſyrti. Nam ſceleſta Medea fugiens patrem relictum navi, quæ conſtructa, arte Palladis bellatricis prima ivit per aquas non antè ſulcatas, dicitur admoviſſe remos ad hæc littora. Quem quidem patrem *poſtquam ſpeculator longè aſpexit ab excelſo colle, Advena, ait, adeſt, noſco carbaſa Colchica. Dum Minyæ feſtinant, dum rudens ſolvitur mole, dum anchora educta cedit manibus properantibus, Colchis planxit pectora non ignara ſcelerum manu auſâ atque auſurâ multa horrenda. Et, quamvis magna audacia redundat animo, pallor occupat vultus exterritos puellæ. Adeòque, poſtquam vidit procul lintea accedentia, Corripimur, inquit, & genitor eſt detinendus aliquo dolo. Dum cogitat quid incipiat, dum flectit oculos in omnia, fortè vertit eos tortes in fratrem. Cujus poſtquam occurrit præſentia, Potimur victoriâ, inquit; hic erit mihi cauſſa ſalutis ſuo obitu.*

NOTÆ.

[c] *Vetus*] Quod priùs impoſitum, quàm illic coloniam Mileſii conſtituerent.

[f] *Abſyrti*] Illum verò Æetæ Colchorum regis filium ſoror Medea membratim diſcerpſit, ut inſequentem patrem moraretur. Atque inde loco datum nomen. τέμνω nimirum eſt *ſeco*, à cujus præt. m. τέτομαι fit *Tomes*.

[g] *Pugnacis*] Quia belli Dea Minerva, cujus inſtinctu Argo navis exſtructa.

[h] *Prima*] Quia major, & ſingulari artificio ad longinquiores peregrinationes, illis præſertim qui ſeſe antiquiſſimos hominum credebant quia alios non noverant.

[i] *Hoſpes*] Hinc ſpeculatorem Scytham fuiſſe, qui ex ſibi perſpectis collibus proſpiceret maximè intelligitur: Jaſonem enim hoſpitem aliquis ex Argonautis non appellaſſet.

[k] *Mynia*] Theſſaliæ populi, qui Jaſonem in expeditionem Colchicam ſequuti ſunt.

[l] *Funis*] Quo navis ad portum alligata fuerat.

[m] *Meritorum*] Sceleris quod in patrem admiſerat: neque alius eſt ſenſus.

[n] *Colchis*] *Medea*, Æetæ filia, à patriâ eo nomine dicta.

Protinus

Protinus [o] ignari nec quidquam tale timentis
　Innocuum rigido perforat ense latus.
Atque ita divellit, divulsáque membra per agros
　Dissipat in multis invenienda locis.
Neu pater [p] ignoret, scopulo proponit in alto
　Pallentésque manus, sanguineúmque caput.
Ut genitor luctúque novo tardetur, & artus
　Dum legit extinctos, triste moretur iter.
Inde Tomis dictus locus hic; quia fertur in illo,
　Membra soror fratris consecuisse sui.

INTERPRETATIO.

Continuò transfodit sævo gladio latus immeritum ignari, neque quidquam tale metuentis. Atque ità discerpit, & spargit per campos artus discerptos reperiendos in multis locis. Et ne pater nesciat proponit manus pallentes & caput cruentum in excelsa caute, ut pater detineatur recenti luctu, & dum colligit mẽbra mortua, retardet lugubre iter. Hinc locus iste appellatus Tomis, quia soror dicitur dissecuisse in illo artus fratris sui.

NOTÆ.

[o] *Ignari*] Absyrti seu Ægialei Medeæ fratris, quid illa pararet nescientis.

[p] *Ignoret*] Discerptum suum filium, *scil.*

ELEGIA X.

ARGUMENTUM.

Si quis adhuc istic.] *Exilii sui incommoda describit Poëta, sed inter cætera tantam vim frigoris esse asserit, ut flumina, & maria, atque in his etiam pisces congelentur: & eo tempore Scytha hostes, qui equitatu & sagittis plurimùm pollent, Istrum transeant, atque ea loca depopulentur, ac homines captivos ducant.*

SI quis adhuc [a] istic meminit Nasonis [b] ademti,
　Et superest sine me nomen in Urbe meum;
Suppositum [c] stellis [d] nunquam tangentibus æquor
　Me sciat in media vivere [e] barbarie.
Sauromatæ cingunt fera gens, [f] Bessíque, Getæque,
　Quam non [g] ingenio nomina digna meo?

INTERPRETATIO.

Si quis hic recordatur adhuc Nasonis sublati, & nomen meum perstat in Urbe sine me, intelligat me submissum stellis nunquam admotis mari, vitam agere in mediâ barbarie. Sauromatæ natio crudelis, Bessique, & Getæ, nomina quàm non idonea meo ingenio circumstant.

NOTÆ.

[a] *Isthic*] In urbe Româ, *scil.*

[b] *Ademti*] *Exilio pulsi.*

[c] *Stellis*] Quales Ursa, Arcturus, Draco.

[d] *Nunquam tang.*] Quia, quum in polo sint Arctico super nos elevato, semper à nobis conspiciuntur.

[e] *Barbarie*] Quia inter Dacos, Getas, Scythas, aliosque feros homines.

[f] *Bessi*] Hi Thraces aut Thraciæ finitimi populi fuerunt.

[g] *Ingenio*] Quia mite, mansuetum, atque bonis artibus omnis generis excultissimum; illorum natura fuit ferox, immanis & prorsus barbara.

Dum tamen aura [h] tepet; medio defendimur [i] Istro.
Ille suis liquidus bella repellit aquis.
At cum tristis hyems squallentia protulit ora,
Terráque [k] marmoreo candida facta gelu est:
[[l] Dum [m] patet & Boreas & nix injecta sub Arcto;
Tum liquet has gentes axe [n] tremente premi.]
Nix jacet: & jactam nec Sol pluviæve resolvunt:
Indurat Boreas, perpetuámque facit.
Ergo, ubi delicuit nondum [o] prior, altera venit:
Et solet in multis bima manere locis.
Tantáque commoti vis est Aquilonis; ut altas
[p] Æquet humo turres, tectáque rapta ferat.
Pellibus, & sutis arcent malè frigora braccis;
Oráque de toto corpore sola [q] patent.
Sæpe sonant moti glacie pendente capilli,
Et nitet inducto candida barba gelu:
Udáque consistunt formam servantia testæ,
Vina: nec hausta meri, sed data frusta bibunt.
Quid loquar, ut vincti concrescant frigore rivi,
Deque lacu [r] fragiles effodiantur aquæ?
Ipse, [s] papyrifero qui non angustior amne
Miscetur vasto multa per ora freto,

INTERPRETATIO.

Dum tamen aër est mollior, interjectus Danubius nos tuetur. Ille fluidus prohibet bella suis aquis. At cùm hyems sæva emisit caput horridum, & tellus facta est alba gelu durissimo: (& dum Aquilo exspatiatur, & nix immissa sub Ursâ, tum certum est has nationes urgeri polo frigido.) Nix jacet; & neque Sol, aut pluvia liquefaciunt immissam; Aquilo coarctat, & reddit perpetuam. Adeòque, cùm nondum prior resoluta est, altera inducitur; & solet perstare biennis in multis locis. Et impetus Boreæ est tantus, ut exæquet turres solo, & auferat domos sublatas. Neque satis prohibent frigora pellibus & femoralibus sutis; & sola facies detecta est ex toto corpore. Sæpe crines agitati strepunt glacie pendente, & barba alba splendet sparsa glacie. Atque vina humida rigent habentia figuram testæ: neque potant haustus vini sed frusta tradita. Quamobrem dicam quomodo fluvii concreti coalescunt frigore, & aquæ fragiles effodiantur ex alveo? Ipse Danubius, qui, non minor fluvio papyrifero, subit ingens mare per multa ostia,

NOTÆ.

[h] *Tepet*] Signatè dixit, ut vix aliquem sentiri calorem illis regionibus intelligatur.

[i] *Istro*] Danubium enim sine navibus non poterant trajicere barbari.

[k] *Marmoreo*] *Duro.*

[l] *Dum patet*] Ineptè adulterinum istud distichon huc inculcatum.

[m] *Patet*] *Aperto campo exspatiatur.*

[n] *Tremente*] Ventis concusso.

[o] *Prior*] Nix *scil.* superioris anni.

[p] *Æquet*] Ventus nempe qui nives hinc inde in cumulos cogit idem turres dejicit & altissima quæque proterit.

[q] *Patent*] *Non teguntur pellibus.*

[r] *Fragiles*] Quia frigore concretæ.

[s] *Papyrifero*] De Nilo agit, ad cujus ripas papyrus arbor nascitur, ex quâ papyrum olim ad scribendum parabant.

Cæruleos ventis latices durantibus Ister
Congelat, & tectis in mare serpit aquis.
Quaque rates ierant, pedibus nunc itur: & undas
Frigore concretas ungula pulsat equi.
Perque [t] novos pontes subter labentibus undis
Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.
Vix equidem credar: sed cùm sint præmia falsi,
Nulla, ratam testis debet habere fidem.
Vidimus ingentem glacie consistere pontum,
Lubricáque immotas [u] testa premebat aquas.
Nec vidisse sat est. durum calcavimus æquor:
Undáque non udo sub pede summa fuit.
Si tibi tale fretum quondam, [x] Leandre, fuisset;
Non foret [y] angustæ mors tua crimen aquæ.
Tum neque se pandi possunt delphines in auras
Tollere: conantes dura [z] coërcet hyems.
Et quamvis Boreas jactatis insonet [a] alis,
Fluctus in [b] obsesso gurgite nullus erit.
Inclusæque gelu stabunt, ut marmore, puppes:
Nec poterit rigidas findere remus aquas.
Vidimus in glacie pisces hærere [c] ligatos:
Et pars ex illis tum quoque viva fuit.
Sive igitur nimii Boreæ vis sæva marinas,
Sive redundatas flumine cogit aquas;

INTERPRETATIO.

riget, ventis astringentibus glaucas aquas, & volvitur in æquor aquis tectis. Atque nunc inceditur pedibus quà naves cucurrerant; & ungula equi quatit aquas conglaciatas. Et boves Sarmatici trahunt currus barbaros per novos pontes, aquis subterfluentibus. Vix equidem inveniam fidem; sed cùm nulla sit merces ficti, testis debet habere fidem firmam. Vidimus vastum Pontum firmum esse glacie, & testa lubrica urgebat quietas aquas. Neque satis est vidisse: pressimus rigidum mare; & ultima aqua fuit sub pede non humido. Si tibi tale fretum fuisset olim, Leandre, obitus tuus non esset probrum arctæ aquæ. Tum neque curvi Delphini possunt se mittere in aërem: hyems sæva retinet nitentes. Et quanquam Aquilo obstrepat alis agitatis, nulla erit unda in mari obsesso. Et naves pressæ glacie tanquam marmore consistent; neque remus poterit dividere aquas duras. Aspeximus pisces manere compressos in glacie: atque etiam pars eorum fuit viva. Sive ergo ferus impetus nimii aquilonis indurat aquas marinas, vel exundantes fluvio;

NOTÆ.

[t] *Novos*] Quia ex glacie commissi.

[u] *Testa*] In modum testæ gelu concretâ aquâ.

[x] *Leandre*] Hunc in Epistolis vidimus ad Hero suam noctu per Hellespontiacum fretum natantem.

[y] *Angusta*] Hellespontus enim non ultra stadia septem porrigitur.

[z] *Coërcet*] Quia gelu concretum mare.

[a] *Alis*] Quibus Poëtæ suâ liberalitate, donaverunt ventos.

[b] *Obsesso*] A Boreâ malim exponere, quàm à frigore.

[c] *Ligatos*] Idem in paludosis quibusdam circa lacum nostrum Lemannum atque alibi passim nonnunquam conspicitur.

Protinus, [d] æquato ſiccis Aquilonibus Iſtro,
  Invehitur celeri barbarus hoſtis equo:
Hoſtis [e] equo pollens longéque volante ſagittâ
  Vicinam latè depopulatur humum.
Diffugiunt alii; nullíſque tuentibus agros
  Incuſtoditæ deripiuntur opes.
[f] Ruris opes parvæ pecus, & ſtridentia plauſtra;
  Et quas divitias incola pauper habet.
Pars agitur vinctis poſt tergum capta lacertis,
  Reſpiciens fruſtra rura [g] Larémque ſuum.
Pars cadit hamatis [h] miſerè confixa ſagittis:
  Nam volucri ferro tinctile virus ineſt.
Quæ nequeunt ſecum ferre aut abducere, perdunt:
  Et cremat inſontes hoſtica flamma caſas.
Tum quoque cùm pax eſt, trepidant formidine belli:
  Nec quiſquam preſſo vomere ſulcat humum.
Aut videt, aut metuit locus hic, quem non videt, hoſtem.
  [i] Ceſſat iners [k] rigido terra relicta ſitu.
Non hic pampineâ dulcis latet uva ſub umbrâ;
  Nec cumulant altos fervida muſta [l] lacus.
Poma negat regio: nec haberet [m] Acontius, in quo
  Scriberet hîc dominæ verba legenda ſuæ.
Aſpicere eſt nudos ſine fronde ſine arbore campos.
  Heu loca felici non adeunda viro!
Ergo, tam latè pateat cùm maximus orbis,
  Hæc eſt in pœnam terra reperta meam?

INTERPRETATIO.

continuò. Danubio complanato aridis Aquilonibus, ferus hoſtis irruit veloci equo, hoſtis equo validus, & vaſtat latè proximam terram ſpiculis longè volantibus. Alii dilabuntur, & nullis defendentibus campos, divitia relicta expilantur; tenues ſcilicet divitia agri, pecora, & currus ſtrepentes, & opes quas pauper colonus habet. Pars capta abducitur brachiis religatis à tergo fruſtrà reſpiciens agros, & domum ſuam. Pars occiditur lugubrè trajecta uncinatis ſpiculis; nam venenum tinctile eſt in ferro alato. Corrumpunt qua non poſſunt ſecum tollere aut avehere; & ignis hoſtilis abſumit tuguria immerita. Expaveſcunt horrore belli etiam tum cùm pax eſt; neque ullus proſcindit terram impacto aratro. Hic locus vel cernit, vel timet hoſtem quem non cernit. Terra deſerta nihil profert pigra ſitu aſpero. Mitis uva hic non tegitur umbrâ pampineâ; neque ferventia muſta cumulant plena labra. Plaga non profert poma; neque Acontius hic haberet in quo duceret voces legendas à ſuâ dominâ. Videre eſt agros vacuos ſine arbore, ſine foliis. Heu loca non viſenda beato viro! Cùm igitur vaſtiſſimus mundus tam latè porrigatur, hac tellus quaſita eſt in meum ſupplicium?

NOTÆ.

[d] *Æquato*] *Gelu complanato.*

[e] *Equo pollens*] Ea jam olim laus Scytharum, quæ hodieque permanet.

[f] *Ruris*] Opes quas dixit, recenſet.

[g] *Larem*] Pro domo, ut ſæpe alibi.

[h] *Miſerè*] Quia præſertim venenatæ ſagittæ.

[i] *Ceſſat*] Neque enim ſubigitur, neque fructum profert.

[k] *Rigido*] Scilicet induratur ſolum, quod aratro nullo exercetur.

[l] *Lacus*] Labra dicit aut cupas, quibus ex uvâ expreſſum muſtum excipitur.

[m] *Acontius*] Cujus fabulam ex ejus Epiſtolâ repete, ſi placet.

ELEGIA XI.

ARGUMENTUM.

Si quis es, insultes.] *Crudelissimum quendam suppresso nomine accusat Ovidius, quod quum in Scythica regione, orbatus omni re charâ, in maximis degat incommodis, ille non his contentus, ei tamen insultet: additque, magnum illi esse dedecus, oppugnare hominem prostratum & jacentem. Monet postremo, ut memor humanæ sortis, nolit ampliùs commemorare peäta crimina, sed ea sinat cicatricem obducere, cùm præsertim nulla ejus fortuna possit fieri miserior.*

SI quis es, insultes qui casibus, improbe, nostris,
Meque reum demto fine cruentus agas;
Natus es è scopulis, nutritus lacte ferino;
Et dicam silices pectus habere tuum.
Quis gradus ulterior, quò se tua porrigat ira,
Restat? quidve meis cernis abesse malis?
Barbara me tellus, & inhospita littora Ponti,
Cumque suo Boreâ [a] Mænalis ursa [b] videt.
Nulla mihi cum gente ferâ commercia linguæ:
Omnia solliciti sunt loca plena metûs.
Utque fugax avidis cervus deprensus ab ursis,
Cinctáve montanis ut pavet agna lupis;
Sic ego belligeris à gentibus undique septus
Terreor, hoste meum pænè premente latus.
Utque sit exiguum pœnæ, quod conjuge carâ,
Quod patriâ careo, pignoribúsque meis;
Ut mala nulla feram, [c] nisi nudam Cæsaris iram;
Nuda parum nobis Cæsaris ira mali est?

INTERPRETATIO.

Si quis es, pervicax, qui insultes nostræ calamitati, & sævus usque me arguas, ortus es ex cautibus, eductus lacte ferino, & dicam saxa occupare cor tuum. Quis gradus superest atrocior, quò tua ira se extendat? aut quid vides deesse meis ærumnis? Terra sæva, & littora inhospita Ponti, & ursa Mænalis cum suis Aquilonibus me aspicit. Nulla mihi consuetudo linguæ cum natione barbarâ: omnia loca sunt plena timoris anxii. Et sicut cervus fugax correptus ab ursis famelicis, aut agna circumdata lupis montanis timet; ità ego circumclusus à nationibus bellicosis expavesco, hoste urgente meum latus. Et quamvis leve fuerit supplicium, quòd sum orbus dilectâ uxore, & patriâ, & meis liberis; quamvis nulla mala patiar, præter solam Cæsaris iram, sola Cæsaris ira estne leve supplicium?

NOTÆ.

[a] *Mænalis*] A Mænalo Arcadiæ monte altissimo Callisto Arcadica appellata, quæ in ursam mutata, deinde in cœlum translata.

[b] *Videt*] Atque adeò urget.

[c] *Nisi nudam*] Cæsarem delinit.

Et tamen eſt aliquis, qui vulnera cruda [d] retractet;
Solvat & in mores ora diſerta meos.
In cauſſa facili cuivis licet eſſe diſerto:
Et minimæ vires frangere quaſſa valent.
Subruere eſt arces & ſtantia mœnia virtus:
Quamlibet ignavi præcipitata premunt.
Non ſum ego quod fueram. quid inanem proteris umbram?
Quid cinerem ſaxis buſtáque noſtra petis?
Hector erat tunc cum bello certabat; at idem
Vinctus ad [e] Hæmonios non erat Hector equos.
Me quoque, quem noras olim, non eſſe memento.
Ex illo ſuperant hæc ſimulacra viro.
Quid ſimulacra, ferox, dictis inceſſis amaris?
Parce, precor, [f] Manes ſollicitare meos.
Omnia vera puta mea crimina. nil ſit in illis,
Quod magis errorem, quàm ſcelus, eſſe putes.
[g] Pendimus en profugi (ſatia tua pectora) pœnas,
Exſilióque graves, exſiliique loco.
[h] Carnifici Fortuna poteſt mea flenda videri:
Te tamen eſt uno judice mœſta parum.
Sævior es triſti [i] Buſiride: ſævior illo,
[k] Qui falſum lento torruit igne bovem.

INTERPRETATIO.

Es tamen eſt aliquis, qui tangat plagas recentes, atque aperiat ora eloquentia adverſus meos mores. Cuivis pronum eſt eſſe facundo in cauſsâ facili; & tenuiſſima vires poſſunt rumpere quaſſata. Virtus eſt evertere arces, & muros erectos: Quantumvis ſocordes proculcant diruta. Ego non ſum quod fueram: quamobrem premis umbram vacuam? Quamobrem inſurgis lapidibus in ſavillam & noſtrum tumulum? Hector tunc erat cùm dimicabat prælio; at idem religatus ad equos Theſſalos non erat Hector. Scias etiam me non eſſe quem quondam cognoveras. Hæc imago reſtat ex illo viro. Cur, ſævo, invehеris in effigiem verbis aſperis? Noli, quæſo, laceſſere meam Umbram. Pone omnia mea crimina eſſe vera: nihil ſit in illis, quod credas magìs eſſe errorem quàm flagitium. Ecce exſules, (exple cor tuum) exſolvimus pœnas acerbas fugâ, & loco fugæ aſſignato. Sors mea poteſt videri lugenda tortori: eſt tamen leviter triſtis tuo judicio. Crudelior es fero Buſiride; crudelior illo, qui uſſit fictum taurum lento igne;

NOTÆ.

[d] *Retractet*] Ex quo renoventur & recrudeſcant.

[e] *Hæmonios*] *Theſſalos* Achillis, quibus circum mœnia Iliaca raptatus Hector.

[f] *Manes*] Perinde loquitur Naſo ac ſi Umbra quædam eſſet defuncti: perque elegans eſt hæc ſui deſcriptio.

[g] *Pendimus*] Argutè; quaſi graviores quàm meritus fuerit luerit pœnas, quas pro errore tanquam pro ſcelere expenderit.

[h] *Carnifici*] Telum iſtud vehemens in accuſatorem.

[i] *Buſiride*] Qui crudeliſſimus rex Ægypti ab Hercule immolatus, ut dictum in Arte.

[k] *Qui*] Phalarim deſignat, Agrigentinorum tyrannum, qui præter cætera ſævitiæ inſtrumenta taurum æneum habuit, Perilli cujuſdam arte fabricatum, in quem damnatos, qui, ſuppoſito igne, bovis mugitus ederent, crudeliter mittebat.

[l] Quique bovem Siculo fertur donasse tyranno,
Et [m] dictis artes conciliasse suas.
[n] Munere in hoc, Rex, est usus, sed imagine major:
Nec sola est operis forma probanda mei.
Aspicis à dextra latus hoc adapertile tauri?
Huc tibi, quem perdes, conjiciendus erit.
Protinus inclusum lentis carbonibus ure.
Mugiet, & veri vox erit illa bovis.
Pro quibus inventis, ut munus munere penses,
Da, precor, ingenio præmia digna meo.
Dixerat. at Phalaris, Pœnæ mirande repertor,
Ipse tuum [o] præsens [p] imbue, dixit, opus.
Nec mora; monstratis crudeliter ignibus ustus
Exhibuit querulos ore tremente sonos.
Quid mihi cum Siculis inter Scythiámque Getásque?
[q] Ad te, quisquis is es, nostra querela redit.
Utque [r] sitim nostro possis explere cruore;
Quantáque vis, avido gaudia corde feras;
Tot mala sum fugiens tellure, tot æquore passus,
Te quoque ut auditis posse dolere putem.
Crede mihi, si sit nobis collatus [s] Ulysses,
Neptuni minor est, quàm [t] Jovis ira fuit.

INTERPRETATIO.

& qui dicitur dedisse taurum tyranno Siculo, atque commendasse suas artes verbis. Rex, inquit, utilitas est in hoc dono, sed major quàm videtur: neque sola species operis mei est æstimanda. Videsne hoc latus bovis adapertile? Huc tibi immittendus erit quem voles perimere. Torre continuò inclusum modicis carbonibus: Mugitus edet, & ille sonus erit veri tauri. Pro quibus inventis, ut remunereris beneficium beneficio, præbe, quæso mercedem dignam ingenio meo. Absolveras: at Phalaris, inventor supplicii admirande, Tu, inquit præsens, unge tuum opus. Et sine cunctatione, tostus crudeliter ignibus indicatis emisit voces querulas ore trepidante. Quid mihi cum Siculis inter Scythiámque, Getásque? Nostra querela ad te spectat, quisquis is es. Atque ut possis satiare sitim nostro sanguine, & fruaris voluptate quantam cupis pectore cupido ego profugus tuli tot mala terrâ, totque mari, ut credam te etiam posse dolere auditis. Crede mihi, si Ulysses sit nobis comparatus, ira Neptuni est levior quàm ira Jovis.

NOTÆ.

[l] *Quique*] Hic cùm muneris nomine non leve pretium à tyranno speraret, in taurum æneum conjectus ejus jussu, primus artis suæ specimen non temerè præbuit.

[m] *Dictis*] Scilicet munus tam egregium verbis quantùm potuit ornavit Perillus.

[n] *Munere*] Verba hæc sunt Perilli Taurum suum commendantis.

[o] *Præsens*] Laudaverat opus suum ille insignis artifex: Ergo, inquit Phalaris, faciamus rei ipsius periculum, tuque ipse inventor tanquam præsens aliquod numen machinam tuam moveas.

[p] *Imbue*] Namque ungi debent ut meliùs flectantur machinæ.

[q] *Ad te*] Ut, *scilicet*, pari modo, quæcumque in me excogitas mala, primus atque solus patiaris. Sed apertè non dixit.

[r] *Sitim*] *Crudelitatem.*

[s] *Ulysses*] Qui quidem per decem annos,
Dum sibi, dum sociis reditum parat aspera multa
Pertulit, adversis rerum immersabilis undis.

[t] *Jovis*] Augustum cum Jove Neptuno majore confert.

Ergo quicunque es, rescindere vulnera noli,
Deque gravi duras ulcere tolle manus:
Utque meæ famam tenuent oblivia culpæ,
Fata cicatricem ducere nostra sine.
Humanæque memor sortis, quæ tollit eosdem,
Et premit; incertas ipse verêre vices.
Et quoniam, fieri quod nunquam posse putavi,
Est tibi de rebus maxima cura meis;
[u] Non est quod timeas. Fortuna miserrima nostra est.
Omne trahit secum Cæsaris ira malum.
Quod magis ut liqueat, neve hoc tibi fingere credar;
Ipse velim pœnas experiare meas.

INTERPRETATIO.

Quisquis es igitur, ne renoves plagas; & remove manus asperas ab immiti ulcere: & ut oblivia minuant famam mei criminis, patere infortunium nostrum ducere cicatricem. Atque recordans sortis humanæ, quæ evehit & deprimit eosdem, metue ipse dubias vices. Et quandoquidem, quod nunquam credidi posse fieri, est tibi maxima cura de rebus meis, non est quod paveas. Sors nostra est infelicissima. Cæsaris ira secum vehit omne malum. Quod ut magis constet; neve credar tibi istud falsò dicere, velim ipse facias periculum meorum malorum.

NOTÆ.

[u] *Non est quod*] *Non enim, quod times eveniet, ut Romam redeam.*

ELEGIA XII.

ARGUMENTUM.

Frigora jam.] *Frigoribus pulsis, adesse vernum tempus, cujus jucunditatem ex loco adjunctorum latiùs describit; incipiuntque etiam nautæ tunc navigare: qui, si in Scythiam pervenerint, se illis dicit occurrere, ut ab his intelligat de Cæsaris triumphis. Quod si quis aliquid referre potuit, protinus à Poëta domum ducitur, fitque ejus hospes: precatur domum, ut domus, quam habebat in Scythia, non sit perpetua Poëtæ sedes, sed hospitium, ut aliquando in patriam redeat.*

FRigora jam [a] Zephyri minuunt: annóque peracto
[Longior antiquis visa [b] Mæotis hyems.]

INTERPRETATIO.

Nunc Zephyri leniunt frigora: & anno absoluto hyems Mæotica visa est prolixior præteritis.

NOTÆ.

[a] *Zephyri*] Qui ab occasu æquinoctiali flantes atque molliores liquefaciunt nives, & veris sunt quasi præcursores.

[b] *Mæotis*] Multùm sese hîc torserunt interpretes, Micyllus præsertim, non tam ob correptam diphtongum, cujusmodi apud alios inveniuntur, quàm ob constructionem & sensum; ut corruptum esse locum confidenter vir sanè doctissimus pronuntiet. Aliquid esse fateor, quod non satis leniter fluit: cæterùm cur illud idem ferri non possit non ego quidem video. Poëtæ valdè longa visa est hyems in plagâ Boreali. Cùm denique mense Martio solverentur nives, veróque adventare intelligeret, duo menti obversabãtur, tædium hyemis, deinde veris jucunditas. De illo obiter, & quasi per parenthesim; in hac immoratur. Mæotis autẽ ab illo hyems dicitur, quæ Mæoticam paludẽ, atque adeò proximum Pontũ, & Scythicas regiones infestabar.

Impositámque

Impoſitámque ſibi [c] qui non bene pertulit Hellen,
Tempora nocturnis æqua diurna facit.
Jam violam puerique legunt hilaréſque puellæ;
Ruſtica quam nullo terra ſerente gerit.
Prataque pubeſcunt variorum flore colorum,
[d] Indociliſque loquax gutture [e] vernat avis.
Utque [f] malæ crimen matris deponat hirundo,
Sub trabibus [g] cunas parváque tecta facit.
Herbáque, quæ latuit [h] Cerealibus obruta ſulcis,
Exſerit è tepidâ molle cacumen humo.
Quoque loco eſt vitis, de palmite gemma movetur:
Nam procul à Getico littore vitis abeſt.
Quoque loco eſt arbor, turgeſcit in arbore ramus:
Nam procul à Geticis finibus arbor abeſt.
Otia nunc [i] iſtic: junctíſque ex ordine [k] ludis
[l] Cedunt verboſi garrula bella fori.
Uſus equi nunc eſt, levibus nunc luditur armis:
Nunc pila, nunc celeri volvitur orbe trochus.
Nunc ubi perfuſa eſt [m] oleo labente juventus,
Defeſſos artus [n] Virgine tingit aqua.

INTERPRETATIO.

atque ille *qui malè vexit Hellen ſibi impoſitam facit tempora diurna paria nocturnis. Nunc pueri & puellæ alacres carpunt violas, quas terra agreſtis profert nullo colente. Et prata ſunt veſtita floribus diverſorum colorum, atque aves garrulæ laſciviunt inerudito gutture. Et ut hirundo effugiat probrum immitis matris ſtruit nidos ſub tignis & humilibus tectis. Tum herba, quæ delituit tecta ſulcis Cerealibus, protrudit tenerum verticem ex terrâ tepidâ. Atque ubi ſunt vites, oculus emittitur ex palmite: nam vites longè ſunt diſſitæ à littore Getico. Et ubi ſunt arbores, ramus tumet in arbore: nam arbores procul ſunt remotæ à finibus Geticis. Nunc otia* ſunt *iſtic; & certamina loquacia fori garruli locum faciunt ludis ſibi invicem ſuccedentibus. Nunc uſus eſt equi; nunc luditur armis levibus: nunc pila; nunc trochus vertitur gyro celeri. Nunc poſtquam juventus eſt uncta oleo fluente, abluit laſſa membra aquâ purâ.*

NOTÆ.

[c] *Qui non*] Aries eſt de quo jam ſæpius, qui Phrixum atque Hellen per Helleſpontum vehebat: cui quidem illa cùm non bene inſiſteret in mare decidit, quod ab eâ Helleſpontus dictus eſt. Tranſlatus eſt autem ille aries inter ſydera; quem Sol cùm adit non veris modò facit initium, ſed & vernum æquinoctium.

[d] *Indocili*] *Indocto.* Aves enim non niſi à naturâ edoctæ, quæ agros frequentant.

[e] *Vernat*] *veris ſenſu laſcivit.*

[f] *Malæ*] Mala mater dicitur hirundo, quia Progne quæ in eam avem mutata Itym filium interfecit, patrique Tereo epulandum appoſuit: ut dictum in Metam.

[g] *Cunas*] *Nidum.*

[h] *Cerealibus*] *Quibus fruges Cereris denum concreditum.*

[i] *Iſtic*] Romæ *ſcilicet.*

[k] *Ludis*] De Megalenſibus exponunt; fruſtrà: nam neque menſe Martio celebrabantur; neque id Poëtæ verba ſonant. *Ludi juncti ex ordine* dicuntur, qui ſibi invicem ſuccedunt: quos in Faſtis videre eſt; niſi illis ſatis ſit, quos jam enumerat Naſo.

[l] *Cedunt*] Quia eo tempore non dicebatur jus Romæ, quo ludi publicè celebrabantur.

[m] *Oleo*] Ceroma dicit, quo unguenti genere ex oleo atque terrâ in palæſtra ungebantur.

[n] *Virgine*] Sudorem & pulverem in vicino Tiberi eluebant qui in Campo Martio ſeſe exercuerant.

Scena viget, [o] studiísque favor distantibus ardet:
[p] Proque [q] tribus resonant [r] terna Theatra Foris.
O quater, & quoties non est numerare, beatum,
Non interdictâ cui licet [s] Urbe frui!
At mihi sentitur nix verno sole soluta,
Quæque lacu duro [t] non fodiantur aquæ.
Nec mare concrescit glacie: nec, ut ante, per Istrum
Stridula Sauromates plaustra bubulcus agit.
Incipient aliquæ tamen huc adnare carinæ,
Hospitáque in Ponti littore puppis erit;
Sedulus occurram nautæ; dictáque salute;
Quid veniat, quæram, quisve, quibusve locis.
Ille quidem mirum, nî de regione propinquâ
Non nisi vicinas cautus ararit aquas.
Rarus ab Italiâ tantùm mare navita transit:
Littora rarus in hæc portubus orba venit.
Sive tamen Grajâ scierit, sive ille Latinâ
Voce loqui; certè gratior hujus erit.
Fas quoque ab [u] ore freti longæque [x] Propontidos undis
Huc aliquem certo vela dedisse Noto.

INTERPRETATIO.

Scena celebratur, & favor flagrat votis dissidentibus; & terna theatra perstrepunt pro tribus foris. O felicem quater, & quoties non licet recensere, cui conceditur potiri Urbe negatâ! At nix liquefacta sole verno à me sentitur, & quæ non effodiantur ex rigido lacu. Neque mare congelatur; neque bubulcus Scytha ducit ut antè currus stridentes per Istrum. Attamen aliquæ naves incipient huc adnavigare, & puppis peregrina erit in littore Ponti. Diligenter obviàm ibo nautæ; &, salute dictâ, petam quamobrem accedat, quisve sit, & ex quibus oris. Mirum equidem nisi ille de vicinâ regione, cautus non sulcaverit nisi aquas propinquas. Pauci nautæ tranant tam vastum mare ab Italiâ: pauci petunt hæc littora destituta portubus. Seu tamen ille sciverit loqui sermone Græco, sive Latino; certè erit jucundior peritus *hujus. Fieri potest etiam aliquem tradidisse huc carbasa secundo Noto ab ostio maris & fluctibus longæ Propontidos.*

NOTÆ.

[o] *Studiis*] Alios aliis in ludis atque spectaculis favere solitos esse, magnâ etiam sponsione & depositis annulis, in Amoribus vidimus.

[p] *Proque*] Quia non fora, sed theatra per ludorum tempus frequentantur.

[q] *Tribus*] Tria verò fuerunt Romæ fora negotiis civilibus tractandis comparata, Romanum antiquissimum, quod & Latinum dictum; Jul. Cæsaris alterum, tertium Augusti.

[r] *Terna*] Tria illa fuerunt Julii Cæsaris, Tauri Statilii, & Pompeii Magni.

[s] *Urbe*] Atque adeò ludis, qui, si quæ est voluptas honesta, primum locum meo judicio obtinent.

[t] *Non*] *Ut antè per hyemem.* Illam verò voculam pro *vix* reposui ex veteri lectione; quia ni fallor, magis ad sensum spectat. Hac dicit se frui voluptate Poëta noster, quòd jam aquam habeat denique solutam, pro illis omnibus bonis quibus fruuntur Romæ. Sequentia quod volo probant; cùm dicit *incipient aliquæ tamen.*

[u] *Ore freti*] Hellespontum dicit, quâ accessus patet Româ in Pontum venientibus.

[x] *Propontides*] Mare est quod Hellespontum inter & Bosporum Thracium porrigitur.

Quisquis is est, memori rumorem voce referre,
Et fieri famæ [y] pársque gradúsque potest.
Is precor audiros possit narrare triumphos
[z] Cæsaris, & Latio reddita vota Jovi:
Teque [a] rebellatrix tandem Germania magni
Triste caput pedibus supposuisse Ducis.
Hæc mihi qui referet, quæ non vidisse dolebo,
Ille meæ domui protinus [b] hospes erit.
Hei mihi! jamne domus Scythico Nasonis in orbe?
[Jámque suum mihi dat pro Lare [c] Pœna locum?]
Dî faciant, Cæsar non hîc penetrale domúmque,
Hospitium pœnæ sed velit esse meæ.

INTERPRETATIO.

Quisquis is est, potest narrare rumorem voce memori, & fieri pars & gradus famæ. Ore us ille possit memorare triumphos, quos accepit, Cæsaris, & vota persoluta Jovi Latio; teque, Germania rebellis, denique submisisse mæstum caput pedibus inclyti Ducis. Ille qui mihi hæc memorabit, quæ dolebo non aspexisse, continuò erit hospes meæ domui. Hei mihi! domus Nasonis jamne est in regione Scythicâ? Jamque Pœna præbet mihi suas sedes in domicilium? Dii præstent, ut Cæsar velit hic esse diversorium mei supplicii, non penetrale & sedes.

NOTÆ.

[y] *Pars*] Ut hinc aliquatenus veritas intelligi possit.

[z] *Cæsaris*] Tiberii, vel Augusti, cujus auspiciis tunc temporis ille militabat. De priore potiùs intelligendum censeo.

[a] *Rebellatrix*] Quinctilii enim Vari socordiâ tres legiones non itâ pridem oppresserant Germani, duce Arminio.

[b] *Hospes*] *Cui faveam maximè propter latum nuntium.*

[c] *Pœna*] Hanc sicuti furiam aliquam Tomis sedes habere suas fingit.

ELEGIA XIII.

ARGUMENTUM.

Ecce supervacuus.] *Quum natalis Poëta adesset, superfluum fuisse dicit, in ea loca illum venisse, ubi non licet illi ex more solemnia sacra exhibere: monetque, ne ampliùs redeat, dum erit in Scythia.*

Ecce supervacuus ([a]quid enim fuit utile gigni?)
Ad sua natalis tempora noster adest.

INTERPRETATIO.

Ecce dies noster natalis frustrà recurrit: quid enim profuit nasci?

NOTÆ.

[a] *Quid enim*] Melius verò est non natum quàm miserum esse; quanquam & usque adeò fatui reperti sunt Theologi, ut contra docuerint.

Dure, [b] quid ad miseros veniebas exsulis annos?
Debueras illis imposuisse modum.
Si tibi cura mei, vel si pudor ullus inesset:
[c] Non ultra patriam me sequerere meam.
Quoque loco primùm tibi sum malè cognitus infans,
Illo tentasses ultimus esse mihi.
Jamque relinquendâ (quod idem fecêre sodales)
Tu quoque dixisses tristis in Urbe, Vale.
Quid tibi cum Ponto? num te quoque Cæsaris ira
Extremam gelidi misit in orbis humum?
Scilicet exspectas soliti tibi moris [d] honorem,
Pendeat ex humeris vestis ut [e] alba meis?
[f] Fumida cingatur florentibus ara coronis?
Micáque sollemni thuris in igne sonet?
[g] Libáque dem pro te genitale notantia tempus?
Concipiámque bonas ore favente preces?
[h] [Non ita sum positus: nec sunt ea tempora nobis,]
Adventu possim lætus ut esse tuo.
Funeris ara mihi [i] ferali cincta cupresso
Convenit, & structis flamma parata rogis.

INTERPRETATIO.

Crudelis quamobrem accedebas ad tristes annos profugi? Debueras illis fecisse finem. Si tibi cura mei, vel si verecundia ulla adesset, non sequereris me ultra patriam meam. Atque conatus esses mihi novissimus esse in illo loco quo infans sum primùm tibi cognitus. Tu etiam mœstus Vale dixisses in Urbe jam deserendâ, quod idem amici fecerunt. Quid tibi cum Ponto? Anne etiam offensio Cæsaris misit te in remotissimam terram orbis frigidi? Nimirum exspectas honorem consuetudinis tibi præstita, ut vestitus candidus pendeat ex meis humeris? Altare incensum ornetur sertis florentibus? & mica thuris crepitet in igne sollemni? Et offeram liba pro te indicantia diem natalem? atque proferam bonas preces ore benevolo? Non sum ità adornatus; neque ea sunt nobis tempora, ut possim esse festivus accessu tuo. Altare funebre circumdatum lugubri cupresso, & ignis paratus compositis pyris ad me facit.

NOTÆ.

[b] *Quid ad*] Quasi dicat meliùs fuisse, ut antè obiisset, quàm in exilium mitteretur.

[c] *Non ultra*] *Me desereres. Mererer.* Sed quanta fuerit quamque fœcunda & elegans vis imaginandi in Nasone hinc cognosce. Hujus generis multa habes apud Jobum & Salomonem in sacrâ paginâ.

[d] *Honorem*] Solemnes festivitates, & celebritatem; cujusmodi Romæ inter sodales antea habuerat Naso.

[e] *Albâ*] Quâ induebantur qui natales celebrabant.

[f] *Fumida*] Genio præsertim sacra faciebant natali die.

[g] *Libaque*] Placentam fuisse scribit Servius, quæ farre, melle, atque oleo constabat. Hujusmodi verò die natali discumbentibus apponebatur, de quo nullus priùs gustabat quàm qui natalem suum celebrabat: Cæteri verò qui comederent bene precati tenebantur.

[h] *Non ità*] Quamobrem mendosum aut adulteratum dixerit hunc versum clar. Heinsius, non ego quidem intelligo. Stupidus ideo videar fortè. Dum prosim parùm interest. Suum cuique judicium; quod nunquam utilius, quàm cum à superbiâ, & improbo hominum metu verecundè liberum.

[i] *Ferali*] Quia funeribus adhibebatur.

Nec dare thura libet nihil exorantia Divos :
In tantis ſubeunt nec [k] bona verba malis.
Si tamen eſt aliquid nobis hac luce petendum ;
[l] In loca ne redeas ampliùs iſta, precor :
Dum me terrarum pars pænè noviſſima Pontus ,
[m] Euxini falſo nomine dictus, habet.

INTERPRETATIO.

Neque placet præbere thura nihil impetrantia à Diis : neque bona verba occurrunt in tantis ærumnis. Si tamen aliquid eſt poſcendum à nobis hodie, oro ne ampliùs revertaris in iſta loca : quandiu Pontus appellatus falsò nomine Euxini , pars ferè ultima terrarum me tenet.

NOTÆ.

[k] *Bona verba*] *Dicamus bona verba, venit natalis ad aras.* Tibullus.

[l] *In loca*] Acutiſſimè per repulſæ ſpeciem natalem diem lætum Romam mittit ; ut & ipſe fruatur Patriâ.

[m] *Euxini falſo*] Ut *Axenus* atque inhoſpitalis locorum aſperitate , ſed maximè hominum feritate veriùs ſit appellandus.

ELEGIA XIV.

ARGUMENTUM.

Cultor &c.] *Amici colligentis ejus ſcripta, fidem & amorem laudat Poëta : hortatúrque ut quoad poteſt , ejus nomen in urbe retineat. Simúlque exponit Metamorphoſis opus inemendatum è manibus exiſſe.. Poſtremo dicit , quicquid exilii tempore compoſitum à ſe fuit in Scythia , excuſandum eſſe.*

CUltor & [a] antiſtes doctorum ſanctè virorum ,
Qui facis ingenio ſemper amice meo ;
Ecquid, ut incolumem quondam celebrare ſolebas ,
Nunc quoque, ne videar totus abeſſe, [b] caves ?
Colligis exceptis ecquid mea carmina ſolis
Artibus , artifici quæ nocuère ſuo ?
Immò ita fac, vatum, quæſo, ſtudioſe novorum :
Quaque potes , retine corpus in Urbe meum.

INTERPRETATIO.

Fautor & ſancte præſes virorum eruditorum , Amice , qui ſemper juvas ingenium meum ; nonne , ſicuti olim conſueveras favere ſoſpiti, nunc etiam proſpicis ne videar totus exulare ? Nonne colligis mea poëmata, ſolis remotis Artibus, quæ obfuerunt ſuo artifici ? Immò ſic age, precor, cultor recentium Poëtarum ; & , quatenus licet , retine corpus meum in Urbe.

NOTÆ.

[a] *Antiſtes*] *Qui alios omnes antecellit.* Ducta appellatio a ſacrorum conſuetudine.

[b] *Caves*] Nomen celebrando, *ſcil.* Illud verò ad Poëtæ revocationem non parùm conferebat. Homines poſtrema meminère ; atque adeò cum Invidia in pœnæ auctores redundat , ſi ea paulò gravior fuerit : tum etiam afflictorum dignitas atque meritum eoſdem vindicat. Quanquam cautione maximâ in ejuſmodi rebus opus eſt ; ne plus obſit quàm proſit benevolus animus.

Est fuga dicta mihi, non est fuga dicta libellis,
Qui domini pœnam non meruêre sui.
Sæpe per extremas profugus pater exsulat oras;
Urbe tamen natis exsulis esse licet.
[c] Palladis exemplo, de me sine matre creata
Carmina sunt. stirps hæc progeniésque mea est.
Hanc tibi commendo: quæ quò magis orba parente,
Hòc tibi tutori sarcina [d] major erit.
[e] Tres mihi sunt nati [f] contagia nostra secuti:
Cætera fac curæ sit tibi [g] turba palàm.
Sunt quoque [h] mutatæ ter quinque volumina formæ,
Carmina de domini funere [i] rapta sui.
Illud opus potuit, si non priùs ipse perîssem,
Certius à summâ [k] nomen habere manu.
Nunc incorrectum populi pervenit in ora:
In populi quicquam si tamen ore meum est.
Hoc quoque [l] nescio quid nostris appone libellis,
[m] Diverso missum quod tibi ab orbe venit.
Quod quicunque leget (si quis leget), æstimet antè
Compositum [n] quo sit tempore, quoque loco.
Æquus erit scriptis; quorum cognoverit esse
Exsilium tempus, barbariémque locum.

INTERPRETATIO.

Exsilium jussum est mihi; non est jussum libellis, qui non digni sunt supplicio sui domini. Sæpe pater exsul fugit per ultimas regiones; attamen conceditur liberis exsulis manere in Urbe. Versus sunt de me producti sine matre, exemplo Palladis. Hæc mea est soboles atque proles. Hanc tibi commendo; quæ quò magis est destituta patre, eò gravius erit onus tibi curatori. Tres mihi sunt liberi afflicti nostrâ peste: cura ut cæterum agmen sit tibi cordi apud omnes. Sunt etiam quindecim volumina formæ versæ, poëma sublatum ex funere sui domini. Illud opus, nisi antè interiissem, potuit consequi famam clariorem ab ultimâ manu. Nunc devenit inemendatum in ora plebis, si tamen aliquid meî est in ore plebis. Adde etiam nostris libellis istud nescio quid, quod tibi venit missum à regione remotâ. Quod quisquis leget, si quis leget, priùs perpendat quo tempore sit scriptum, & quo loco. Favebit scriptis, quorum intelliget tempus esse fugam, locum barbariem.

NOTÆ.

[c] *Palladis*] Quæ, quia Dei unius Sapientia munus est, sine omni corporis voluptate,

de capite fertur sine matre paterno
Vertice, cum clypeo prosiluisse suo:

ut ipse docet Ovid. 3 Fastorum.

[d] *Major*] Namque ex se nihil possunt.

[e] *Tres*] De Arte amandi libros intelligit.

[f] *Contagia*] Quia damnati illi.

[g] *Turba*] Libri à Nasone editi.

[h] *Mutata*] Metamorphosim indicat.

[i] *Rapta*] Quæ ipsemet Poëta volebat in ignem injicere, cùm pulsus exilio.

[k] *Nomen*] *Famam.* Non emendatos dicit libros Metam.

[l] *Nescio quid*] Quasi turbatâ & afflictâ mente hos dicat compositos libellos.

[m] *Diverso*] Namque ab Urbe multum distabat Regio Scythica.

[n] *Quo tempore*] *Quum adhuc flererem* exposuerunt. Imò cùm proscriptus esset Poëta, atque in barbarâ regione jaceret. Quippe in eo est, ut suos Tristium libellos excuset: qui, siquidem excusatione aliquâ opus haberent, loci atque temporis quo scripti sunt, ratione, maximè excusari deberent.

Inque tot adverſis carmen mirabitur ullum
Ducere me triſti ſuſtinuiſſe manu.
Ingenium fregère meum mala: cujus & antè
Fons infœcundus parváque vena fuit.
Sed quæcunque fuit, nullo exercente refugit,
Et longo periit arida facta ſitu.
Non hîc librorum, per quos inviter [o] alarque,
Copia. pro libris arcus & arma ſonant.
Nullus in hac terrâ, recitem ſi carmina, cujus
Intellecturis auribus utar, adeſt.
Nec quo [p] ſecedam locus eſt. [q] cuſtodia muri
Submovet infeſtos clauſáque porta Getas.
[r] [Sæpe aliquod verbum quæro, noménque, locúmque;
Nec quiſquam eſt, à quo certior eſſe queam.]
Dicere ſæpe aliquid conanti (turpe fateri)
Verba mihi deſunt; dedidicíque loqui.
Threïcio Scythicóque ferè [ſ] circumſonor ore:
Et videor Geticis ſcribere poſſe modis.
Crede mihi, timeo ne ſint immiſta Latinis,
Inque meis ſcriptis Pontica verba legas.
Qualemcumque igitur veniâ dignare libellum:
Sortis & excuſa conditione meæ.

INTERPRETATIO.

Atque mirabitur me potuiſſe modulari ullum verſum mœſtâ manu inter tot mala. Ærumnæ perdiderunt meum ingenium, cujus etiam fons fuit minùs uber & vena tenuis. Sed quæcumque fuit occluſa eſt nullo inſtigante, & exſolevit facta arida longo ſitu. Non hic copia librorum, per quos exciter, atque ſuſtenter. Arcus & arma obſtrepunt pro libris. Nullus adeſt in hâc terrâ, cujus auribus intellecturis utar, ſi recitem verſus. Neque eſt locus quò ſecedam. Cuſtodia muri & porta obſerata prohibet moleſtos Getas. Frequenter quæro aliquam vocem, & nomen, & locum: neque eſt quiſquam, à quo poſſim eſſe certior. Sæpe (pudet agneſcere) vocabula non ſuccurrunt mihi volenti aliquid proferre; atque oblitus ſum loqui. Circumſtrepunt ferè ſemper *linguâ Thraciâ atque Scythicâ; & videor poſſe ſcribere numeris Geticis. Crede mihi, metuo ne ſint immiſta voces Ponticæ Latinis in meis ſcriptis, eaſque legas. Placeat igitur parcere qualicumque libello, & excuſare* cum *ſtatu fortunæ meæ.*

NOTÆ.

[o] *Alarque*] Ingenium certè ſtudio atque aliorum exemplo maximè ſuſtentatur & acuitur.

[p] *Secedam*] Otium nempe, ſeceſſus, atque locorum amœnitas non parùm ad ſtudii & meditationis alacritatem confert.

[q] *Cuſtodia*] Ut urbe egredi non ſit tutum.

[r] *Sæpe aliquod*] Scilicet hîc denuò graſſatus eſt importunè aliquis ſciolus, ut obſervavit clar. Heinſius.

[ſ] *Circumſonor*] Nimirum Thracio & Getico ſermone loquebantur qui Tomis erant.

P. OVIDII NASONIS
TRISTIUM
LIBER IV.

ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Si qua meis fuerint.] *Excuſandos eſſe dicit Poëta ſuos libellos, ſi quid fuerit in his reprehendendum: ſiquidem exul hæc ſcribebat, non gloriæ cupiditate, ſed ut requiem peteret, & dolorem exilii carminibus conſolaretur. Enumerat poſtremò mala, quæ patitur in Scythia.*

SI qua meis fuerint, ut erunt, vitioſa libellis;
  Excuſata [a] ſuo tempore, lector, habe.
Exſul eram; [b] requieſque mihi, non fama petita eſt:
  Mens intenta ſuis ne foret uſque malis.
[c] Hoc eſt cur cantet vinctus quoque compede foſſor,
  [d] Indocili numero cum grave [e] mollit opus:
Cantet & innitens limoſæ [f] pronus arenæ
  Adverſo [g] tardam qui trahit amne ratem.
Quique [h] refert pariter lentos ad pectora remos,
  [i] In numerum pulsâ brachia verſat aquâ.
Feſſus ut incubuit baculo, ſaxove reſedit
  Paſtor; arundineo carmine mulcet oves.

INTERPRETATIO.

SI quadem ſint reprehendenda, ut erunt, in meis ſcriptis, lector, excuſa ſuo tempore. Eram profugus, & quies non laus à me quæſita eſt; ne cogitatio ſemper eſſet affixa ſuis ærumnis. Ea eſt cauſſa quamobrem foſſor etiam preſſus catenâ cantet cùm lenit moleſtum opus rudi cantilenâ; & ille *cantet etiam qui curvus trahit navem lentam flumine adverſo calcans glaream luteſam. Qui etiam reducit remos lentos ad pectus, movet lacertos in numerum aquâ agitatâ. Poſtquam opilio innixus eſt baculo vel requievit in cauto, oblectat oves verſu arundineo.*

NOTÆ.

[a] *Suo*] *Quo ſcripta ſunt*; quod exſuli fuit duriſſimum.

[b] *Requies*] Studia enim, ut habet Cicero, adverſis perfugium ac ſolatium præbent: neque ſuis malis torquetur animus, qui ad alia, cogitando, convertitur.

[c] *Hoc*] Ne ſuis malis uſque ſit mens intenta.

[d] *Indocili*] *Ruſtico, & ſine arte, quam non didicit.*

[e] *Mollit*] *Cantando molle & leve facit.*

[f] *Pronus*] Ut ſolent qui fune navem adverſus profluentem ſummo conatu trahunt.

[g] *Tardam*] Quia onuſta, & contra fluminis curſum.

[h] *Refert*] Qui geſtus eſt remigantis.

[i] *In numerum*] Adeòque & cantat.

Cantantis pariter, pariter data pensa trahentis
  Fallitur ancillæ decipitúrque labor.
Fertur & [k] abducta [l] Lyrnesside tristis Achilles
  [m] Hæmoniâ curas attenuasse lyrâ.
Cum [n] traheret silvas Orpheus & dura canendo
  Saxa; [o] bis amissâ conjuge mœstus erat.
Me quoque [p] Musa levat Ponti [q] loca jussa petentem.
  Sola comes nostræ perstitit illa fugæ.
Sola [r] nec insidias, [s] Threci nec militis ensem,
  Nec mare, nec ventos, barbariémque timet.
Scit quoque, cùm perii, quis me deceperit error:
  Et culpam in facto, non scelus esse meo.
Scilicet [t] hoc ipso nunc æqua, quod obfuit ante,
  Cùm mecum juncti criminis [u] acta rea est.
Non equidem vellem, quoniam nocitura fuerunt,
  Piëridum sacris [x] imposuisse manum.

INTERPRETATIO.

Labor famulæ pariter canentis, & pariter ducentis pensa tradita fallitur & decipitur. Mœstus Achilles dicitur etiam minuisse amores lyrâ Hæmoniâ, Lyrnesside avectâ. Orpheus erat tristis uxore bis amissâ, cùm moveret arbores & rigidos lapides cantando. Musa etiã me solatur dum proficiscor in loca jussa Ponti. Illa sola permansit comes nostri exilii. Sola neque metuit fraudes, neque gladium militis Thracii, neque mare, neque ventos, neque barbariem. Novit etiam quis error mihi fraudi fuerit, cùm occidi: & inscitiam, non flagitium esse in meo facto. Nimirum eâ ipsâ causâ nunc propitia est, quòd nocuit priùs; cùm acta rea est mecum communis delicti. Cuperem equidem nunquam admovisse manum sacris Musarum, siquidem obfutura essent.

NOTÆ.

[k] *Abductâ*] Ab Agamemnonis legatis.

[l] *Lyrnesside*] Hippodamia est Brisei filia, Lyrnesso Troadis oppido oriunda, cujus prolixè historiam vidimus in ejus epistolâ.

[m] *Hæmoniâ*] Quia ipse Achilles Hæmonius seu Thessalus. Ab Æmone verò, deinde & Thessalo regibus huic Provinciæ datum nomen esse jam sæpe diximus.

[n] *Traheret*] Cantus suavitate traxisse feras & silvas Orpheum; vel quod est amplius, homines feros & stupidos ad vitæ atque morum honestatem perduxisse, jam sæpius quoque dictum.

[o] *Bis amissâ*] Atque adeò cantu mœrorem studuit delinire. Sed vide quâ jucunditate orationem variet Poëta. Orpheum quod attinet, bis Eurydicen uxorem dicitur amisisse; quia primò serpentis morsu Aristæum persequentem fugiens è vivis sublata, deinde ab inferis cùm ipso rediens ad eosdem retracta est. Legem enim à Proserpinâ datam ne priùs respiceret, quàm ad auras superas pervenisset, præposterâ amoris impatientiâ violavit.

[p] *Musa*] *Carmina*, quæ ejus instinctu scripsit Poëta.

[q] *Loca*] *Tomos.*

[r] *Nec insidias*] O nostri homines plerique si scirent, aut noscere vellent, quantùm ad felicitatem conferant bonæ litteræ & optima cogitandi ratio, quam præstant Musæ! Scilicet aliquid de superfluis fortunæ bonis sibique inutilibus detraherent, ut sese lucrifacerent.

[s] *Threci*] Pro *Thracis*, *Thraci*, aut *Threicii.*

[t] *Hoc ipso*] Hìc videtur dormitasse interpres. *Hoc ipso*, id est, *hâc causâ, hâc gratiâ mihi favet Musa quòd antè obfuit*, &c.

[u] *Acta rea*] Propter versus amatorios, illius instinctu conscriptos.

[x] *Imposuisse*] *Animum ad humaniores litteras adjecisse.*

Sed nunc quid faciam? vis me tenet ipsa [y] sororum:
 Et carmen demens carmine læsus amo.
Sic nova [z] Dulichio lotos gustata palato,
 Illo, quo nocuit, grata sapote fuit.
Sentit amans sua damna ferè; tamen hæret in illis:
 [a] Materiam culpæ persequiturque suæ.
Nos quoque delectant, quamvis nocuêre, libelli:
 Quodque mihi telum vulnera fecit, amo.
Forsitan hoc studium possit furor esse videri:
 Sed quiddam furor hîc utilitatis habet.
Semper in obtutu mentem vetat esse malorum;
 Præsentis casus immemorémque facit.
Utque suum [b] Bacchis non sentit saucia [c] vulnus,
 Dum [d] stupet [e] Edonis exululata jugis,
[f] Sic, ubi mota calent viridi mea pectora [g] thyrso,
 Altior humano [h] spiritus ille malo est.
[Ille nec exsilium, Scythici nec littora ponti,
 Ille nec iratos sentit habere [i] Deos.]

INTERPRETATIO.

Verùm quid nunc agam? Ipsa potentia sororum me tenet; & insanus amo versus afflictus versibus. Ità nova lotos tacta palato Dulichio obfuit illo sapore quo jucunda fuit. Amans pæne sentit sua dispendia; nihilominus perstat in illis, & persequitur causã sui peccati. Libelli etiam, utut obfuerint, nobis placent; & diligo telum quod mihi impegit plagas. Fortè hæc cura possit videri vesaniâ, sed hæc vesania habet aliquid compendii. Prohibet animum semper esse intentum malis; & facit ne recordetur præsentis infortunii. Et sicut Baccha vulnerata non percipit suam plagam, dum attonita est vociferans in clivis Edonis: ità postquam meum cor incaluit viridi thyrso, ille spiritus est sublimior humano malo. Ille neque sentit exsilium, neque littora Ponti Scythici, neque habere Deos infensos.

NOTÆ.

[y] *Sororum*] *Musarum.*

[z] *Dulichio*] Ulyssis socii cùm in Africam tempestate ad Lotophagos delati essent, & à loti mirâ quadam suavitate Homerus dicit fuisse delinitos, ut patriæ obliti non nisi flentes atque ab Ulysse coacti navem voluerint conscendere.

[a] *Materiam*] *Amorem* scil.

[b] *Bacchis*] Quæ Bacchi orgya celebrat.

[c] *Vulnus*] Furorem exponunt. Ego verò magis de eo crediderim intelligendum, quòd fortè inter discurrendum atque furendum inflictum fuerit.

[d] *Stupet*] *Furit* vini plena, & ut mos est, cum tædis accensis, inconditis clamoribus, atque ferali ululatu per montes silvásque discurrit, ut fusè dictum in Metam.

[e] *Edonis*] In eâ parte Macedoniæ quæ est Thraciæ proxima cum montem Edonem posuit Servius.

[f] *Sic ubi*] Poëticus est maximè hic versus, & ex pectore Bacchi pleno.

[g] *Thyrso*] Fuit illud Bacchi gestamen hasta pampinis atque hederâ vestita.

[h] *Spiritus*] Apollinis scripserunt, immò Bacchi; quem & in remotis rupibus carmina docentem, Nymphásque discentes, vidisse se testatur Horatius.

[i] *Deos*] Spectat illud ad Augustum: quod me maximè movet, ut suspectum habeam hoc Distichon.

Utque soporiferæ biberem si pocula [k] Lethes.
    Temporis adversi sic mihi sensus hebet.
Jure [l] Deas igitur veneror mala nostra levantes;
    Sollicitæ comites ex [m] Helicone fugæ:
Et partim pelago, partim vestigia terrâ,
    Vel rate dignatas, vel pede nostra sequi.
Sint precor hæ saltem faciles mihi: namque Deorum
    Cætera cum magno Cæsare turba facit.
Meque tot adversis cumulant, [n] quot littus arenas,
    Quotquot fretum pisces, ováque piscis habet.
Verè priùs flores, æstu numerabis aristas,
    Poma per autumnum, frigoribúsque nives;
Quàm mala, quæ toto patior jactatus in orbe,
    Dum miser Euxini littora læva peto.
Nec tamen, ut [o] veni, levior fortuna malorum est:
    Huc quoque sunt nostras fata [p] secuta vias.
Hîc quoque cognosco natalis [q] stamina nostri;
    Stamina de nigro vellere facta mihi.
Utque nec insidias, capitísque pericula narrem,
    Vera quidem, vera sed [r] graviora fide;
Vivere quàm miserum est inter Bessósque Getásque
    Illi, qui populi semper [s] in ore fuit!
Quàm miserum, portâ vitam muróque tueri,
    Víxque sui tutum viribus esse loci!

INTERPRETATIO.

Vel quemadmodum si ducerem pocula Lethes soporifera, ità sensus temporis adversi mihi retunditur. Meritò igitur colo Deas solantes nostra damna, comites ex Helicone anxii exsilii, & dignatas sequi nostra vestigia partim mari, partim terrâ, vel navi, vel pede. Oro hæ saltem sint mihi propitiæ; namque reliquum agmen Deorum stat à partibus Cæsaris. Atque me cumulant tot malis, quot littus habet arenas, quotque mare pisces, vel piscis ova. Ante recenseas flores vere, aristas æstate, poma per autumnum, & nives hyeme, quàm ærumnas, quas fero actus per totum orbem, dum infelix tendo ad sinistra littora Euxini. Neque tamen postquam accessi, sors & cohors malorum est mitior: fata sunt etiam sequuta huc nostros calles. Hic etiam agnosco fila nostri natalis; fila ducta ex atrâ lanâ. Atque ut taceam fraudes, & discrimina vitæ, vera quidem, sed majora certâ fide; quàm miserum est vitam ducere inter Bessos & Getas illi, qui semper fuit in ore populi! Quàm miserum defendere vitam valvis & mœnibus, atque ægrè esse securum firmitate sui loci!

NOTÆ.

[k] *Lethes*] Lethæi fluminis, soporem & oblivionem inducentis.

[l] *Deas*] *Musas.*

[m] *Helicone*] Bœotiæ monte, Musis sacro.

[n] *Quot littus*] Hyperbolica admodum numeri notatio.

[o] *Veni*] *In Scythiam appuli.*

[p] *Sequuta*] *Quibus urgeor.*

[q] *Stamina*] Sæpius jam Parcas vitæ hominum habuimus præsides; quas atro filo infelicitatem, candido beatitatem præfinire voluerunt.

[r] *Graviora*] Quæ vix quisquam credere possit.

[s] *In ore*] Atque adeò comis, affabilis, & urbanitatis amator.

Aspera militiæ juvenis certamina [t] fugi,
Nec nisi [u] lusurâ movimus arma manu.
Nunc seniot gladióque latus scutóque sinistram,
Canitiem galeæ subjicióque meam.
Nam dedit è speculâ custos ubi signa [x] tumultûs;
Induimur trepidâ protinus arma manu.
Hostis, habens arcus imbutáque tela veneno,
Sævus anhelanti mœnia lustrat equo.
Utque rapax pecudem, quæ se non texit ovili,
Per sata, per silvas, fértque trahítque lupus,
Sic, si quem nondum portarum sepe receptum
Barbarus in campis reppetit hostis, agit.
Aut sequitur captus, conjectáque vincula collo
Accipit; aut telo virus habente cadit.
Hîc ego sollicitæ jaceo novus incola sedis.
Heu [y] nimiùm fati tempora longa mei!
Et tamen ad [z] numeros antiquáque sacra reverti
Sustinet in tantis hospita Musa malis.
Sed neque cui recitem quisquam est mea carmina; nec qui:
Auribus accipiat verba Latina suis.
Ipse mihi (quid enim faciam?) scribóque legóque:
[a] Tutáque judicio littera nostra suo est.

INTERPRETATIO.

Adolescens vitavi dura prœlia belli; neque tetigimus arma, nisi manu lusurâ. Nunc provectior ætate submitto latus ensi, & lævam clypeo, & meos canos aut comam albam cassidi. Nam postquam excubitor fecit indicium tumultus ex speculâ, continuò corripimus arma manu timidâ. Hostis crudelis gerens arcus, & spicula tincta veneno, obit muros equo anhele. Et sicuti lupus avidus rapit atque aufert per segetes & per nemora ovem, quæ non recepit se in ovile, ità hostis barbarus trahit si quem invenit per agros nondum tectum crate portarum. Correptus vel sequitur, & admittit catenas alligatas collo, vel conficitur sagittâ venenatâ. Ego hic jaceo novus incola habitationis anxiæ. Heu tempora minùs longa meæ sortis? Et tamen Musa hospes non veretur per tantas ærumnas redire ad numeros & vetera sacra. Verùm neque ullus est cui recitem meos versus; neque qui audiat voces Latinas suis auribus. Ego (quid enim agam?) mihi scribo & lego: & nostra scriptura est secura suo arbitrio.

NOTÆ.

[t] *Fugi*] Adolescens enim in Asiâ militaverat.

[u] *Lusura*] Ludi & exercitationis causâ.

[x] *Tumultus*] Eâ voce, à tumore derivatâ, Bellum præsertim Gallicum aut Italicum appellabant Romani, à quibus maximum periculum sibi imminere intelligebant.

[y] *Nimiùm*] Jam sæpiùs illud questus est, quòd antè non obiisset, quàm in exsilium mitteretur.

[z] *Numeros*] Poëticos *scilicet*.

[a] *Tuta*] Tuta ea est scriptura, quæ multorum hominum judicio suis numeris est planè absoluta atque perfecta. Suo tantùm esse tutam suam testatur Poëta; ne quis fortè, quòd omnia non viderit, atque correxerit asperè reprehendat.

Sæpe tamen dixi, [b] Cui nunc hæc cura laborat?
  An mea Sauromatæ ſcripta Getæque legent?
Sæpe etiam lacrymæ me ſunt ſcribente profuſæ,
  Humidáque eſt fletu littera facta meo.
Corque vetuſta meum tanquam [c] nova vulnera ſentit;
  Inque ſinum [d] mœſtæ labitur imber aquæ.
Cum vice mutatâ quid ſim fuerímque recordor,
  Et tulerit [e] quò me caſus, & [f] unde, ſubit;
Sæpe manus demens ſtudiis irata [g] malignis
  Miſit in arſuros carmina noſtra focos.
Atque ita de multis, quoniam non multa ſuperſunt,
  Cum [h] veniâ facito, quiſquis es, iſta legas.
Tu quoque non meliùs, quàm ſunt mea tempora, carmen
  Interdicta mihi conſule Roma boni.

INTERPRETATIO.

Frequens tamen dixi, Cui nunc hoc ſtudium vigilat? Anne Sauromatæ & Getæ evolvent meos libellos? Sæpe etiam eruperunt fletus me ducente litteras, & ſcriptura facta eſt madida meis lacrymis. Atque pectus meum tangitur antiquâ plagâ ſicuti novâ, & multus fletus triſtis depluit in gremium. Cùm recurrit quid ſim & quid fuerim vice mutatâ, & cogito quò & unde ſors me abripuerit, ſæpe manus vaſana infenſa ſtudiis iniquis abjecit verſus noſtros in ignem flagraturum. Atque itâ, ſiquidem pauca reſtant de plurimis, facito, quiſquis es, legas iſta cum indulgentiâ. Tu etiam Roma mihi interdicta boni conſule Poëma non melius quàm ſunt mea tempora.

NOTÆ.

[b] *Cui*] Quaſi dicat nemini; ſiquidem Sauromatæ libellos ſuos non legant, Romani verò ſint procul.

[c] *Nova*] Quia in dies ſeſe magis orbum ſentiebat.

[d] *Mœſtæ*] Quia ex animi mœrore expreſſa.

[e] *Quo*] In Scythiam, ubi Barbarorum mores & belluinam naturam quotidie neceſſe eſt ferre.

[f] *Unde*] Româ gentium dominâ, bonarum artium matre, deliciarúmque omnis generis inexhauſto fonte.

[g] *Malignis*] Ex quibus nihil boni aut jucunditatis capiat.

[h] *Veniâ*] Siquidem per animi ægritudinem in exilio ſcripta ſunt.

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Jam fera Cæſaribus.] *Tiberium Germanicam expeditionem ſuſcepiſſe, in Scythiam ad Polſam fama pertulerat. Dicit ergo, victoriam fortaſſe ab eo partam fuiſſe, cum hæc ſcriberet. Ejus autem triumpho dicit ſe mente intereſſe, quandoquidem corpore non poſſit. Quod ſi quis ei triumphi formam retulerit, quamvis ſerò, tamen oſtendit ſe auditurum tantâ lætitiâ, ut proprium incommodum ſit poſthabiturus publicæ lætitiæ.*

[a] JAm fera Cæſaribus Germania, totus ut orbis,
Victa potes flexo ſuccubuiſſe genu:
Altáque velentur fortaſſe Palatia [b] ſertis;
Thuráque in igne ſonent, [c] inficiántque diem;
[d] Candidáque [e] adductâ collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingat humum:
Donáque amicorum templis promiſſa Deorum
Reddere victores Cæſar [f] uterque parent:
Et qui Cæſareo [g] juvenes ſub nomine creſcunt,
Perpetuò terras ut domus [h] iſta regat:
Cúmque bonis [i] nuribus pro ſoſpite [k] Livia [l] nato
Munera det meritis, [m] ſæpe datura, Deis:

INTERPRETATIO.

Jam ferox Germania potes ſubacta ceſſiſſe Cæſaribus, genu flexo, ut totus mundus: & fortè excelſa Palatia decorentur coronis, & thura crepitent in igne, & offuſcent diem: & victima alba icta cervicem bipenni elatâ inficiat terram cruore rubro: & uterque Cæſar victores ſeſe accingant ad exſolvendum munera vota templis Deorum faventium, itémque adoleſcentes qui creſcunt ſub nomine Cæſareo, ut iſta domus ſemper imperet terris: atque Livia cum bonis nuribus ſæpe præbitura præbeat Diis meritis dona pro filio incolumi:

NOTÆ.

a *Jam*] Auguſto atque Tiberio aſſentatur Naſo, quos priuſquam exilio pelleretur, graviſſimum adverſus Germanos atque Pannonios, gerere bellum noverat. Neque tamen illum ſua conjectura fefellit; ſiquidem non hoſtes tantùm profligaverunt illi, quo anno ejectus eſt Poëta; ſed ſequenti nonnullos debellaverunt, tertio denique triumphum meruerunt Tiberius atque Germanicus per quos Auguſtus bellum gerebat. Druſo verò qui jam diu perierat, cave cum Merula illorum laudem tribuas.

b *Sertis*] In lætitiæ teſtimonium.

c *Inficiant*] *Fumo offuſcent.*

d *Candida*] Quæ victoriâ partâ immolari ſolebat.

e *Adducta*] Qui geſtus eſt ictum molientis.

f *Uterque*] Auguſtus & Tiberius; illius namque auſpiciis hic bellum gerebat.

g *Juvenes*] Germanicus eſt atque Druſus Tiberii filius.

h *Iſta*] Cæſarum.

i *Nuribus*] Quales Agrippina Juliæ & Agrippæ filia, Germanici Cæſaris uxor; Livia Druſi junioris. Neque enim hùc Juliam, Auguſti filiam, jam diu relegatam inducas.

k *Livia*] Auguſti conjux.

l *Nato*] Tiberio.

m *Sæpe*] Ut hinc etiam Tiberii filii cognoſcatur virtus.

Et pariter [n] matres, & [o] quæ ſine crimine caſtos
Perpetuâ ſervant virginitate focos.
Plebs pia, cúmque piâ lætentur Plebe Senatus ;
Parváque cujus eram pars ego nuper, Eques.
Nos procul expulſos communia gaudia fallunt :
Famáque tam longè non niſi parva venit.
Ergo omnis poterit populus ſpectare triumphos ;
Cúmque ducum [p] titulis oppida capta leget ;
Vincláque captivâ Reges cervice gerentes
Ante [q] coronatos ire videbit equos :
Et cernet vultus [r] aliis [s] pro tempore verſos ,
Terribiles [t] aliis immemoréſque ſui.
Quorum pars [u] cauſſas, & [x] res, & nomina quæret :
Pars referet, [y] quamvis noverit ipſa parum :
[z] Is, qui Sidonio fulget ſublimis in oſtro,
[a] Dux fuerat belli : proximus ille duci.
Hic, qui nunc in humo lumen miſerabile figit,
Non iſto vultu, cum tulit arma, fuit.
Ille ferox, oculis & adhuc hoſtilibus ardens ,
Hortator pugnæ conſiliúmque fuit.

INTERPRETATIO.

& matres juxta , & quæ virginitate indelibatâ cuſtodiunt purum ignem ſine flagitio : tum populus pius , & Senatus cum pio populo lætentur, ſimul & Eques, cujus nuper ego eram pars exigua. Lætitia publica nos latet longè ejectos ; neque fama niſi tenuis fertur tam procul. Adeòque omnis populus poterit cernere triumphos , & leget urbes domitas cum titulis regum : & aſpiciet reges ferentes catenas collo ſubacto ire ante equos coronatos : atque videbit faciem aliis mutatam pro tempore , aliis tremendam & ſui neſciam. Quorum pars petet cauſſas, & res, & nomina ; pars narrabit , quanquam ea parùm cognoſcat. Is qui excelſus ſplendet in purpurâ Sidoniâ fuerat Dux belli : ille proximus duci. Hic qui nunc demittit oculos miſerandos in terram , non fuit eo ore cùm tractavit arma. Ille ferox, & adhuc micans lumine hoſtili fuit inſtigator & conſilium certaminis.

NOTÆ.

[n] *Matres*] Pro ſoſpitibus filiis.

[o] *Quæ*]. Veſtales intellige.

[p] *Titulis*] Non Duces modò ſed loca ipſa picta titulis ſuis inſignita in triumphis tranſvehebantur.

[q] *Coronatos*] Quatuor verò illi candidi, qui triumphantis currum trahebant lauro quoque coronabantur.

[r] *Aliis*] Victis.

[s] *Pro tempore*] Humili enim & abjecto vultu ſolent eſſe, qui victi ſunt.

[t] *Aliis*] De captivis loquitur , qui , ſui immemores truces adhuc viderentur.

[u] *Cauſſas*] Quamobrem hæc aut illa ad triumphi pompam adhibeantur.

[x] *Res*] Quidnam ſit hoc aut illud quod tranſvehitur.

[y] *Quamvis*] Alicubi Poëta monuit in Amoribus, ut ſi quis cum puellâ ad ejuſmodi ſpectacula prodiiſſet , ſingula pro libitu fingeret ; ut rerum ſciens videretur , atque confabulandi cauſſam nanciſceretur.

[z] *Is qui*] Verba ſunt cujuſvis ſingula referentis : quem ità fingit Poëta,ut ipſe adeſſe atque triumphum ſpectare videatur.

[a] *Dux*] *Hoſtium ſummus Imperator* : nam dicit *fuerat* : deinde de Cæſare triumphum agente poſteà.

Perfidus hic nostros inclusit fraude locorum,
Squallida promissis qui tegit ora comis.
Illo, qui sequitur, dicunt [b] mactata ministro
Sæpe recusanti corpora capta Deo.
Hîc lacus, hi montes, hæc tot castella, tot amnes,
Plena feræ cædis, plena cruoris erant.
Drusus in his quondam meruit [c] cognomina terris,
Quæ bona progenies digna [d] parente fuit.
[e] Cornibus hic fractis viridi malè tectus ab ulva,
Decolor ipse suo sanguine Rhenus erit.
Crinibus en etiam fertur Germania [f] passis,
Et Ducis invicti sub pede mœsta sedet.
Colláque Romanæ præbens [g] animosa securi
Vincula fert illâ, quâ tulit arma, manu.
Hos super in curru, [h] Cæsar, victore vehêris
[i] Purpereus populi ritè per ora tui:
Quáque ibis manibus circumplaudêre tuorum;
Undíque jactato flore tegente vias.
Tempora [k] Phœbeâ lauro cingetur; [l] ïoque,
Miles, ïo, magna voce, Triumphe, canet.

INTERPRETATIO.

Hic perfidus, qui velat vultum horridum longis capillis clausit nostros dolis locorum. Aiunt corpora captiva sæpe immolata Deo aversanti, ab illo Sacerdote qui sequitur. Hoc stagnum, hi colles, hæc tot arces, tot flumina erant plena crudelis stragis, erant plena sanguinis. Drusus, qui bona fuit proles digna parente, olim meruit cognomina in his regionibus. Hic ruptis cornibus parùm velatus ulvâ viridi erit Rhenus ipse decolor suo sanguine. Ecce Germania portatur quoque comis solutis: & tristis sedet sub pede ducis invicti, atque porrigens cervicē ferocem securi Romanæ gerit catenas illâ manu quâ gessit arma. Vehêris ritè super hos per ora tui populi, Cæsar, purpureus in curru victore; & quâ transibis circumplaudêris manibus tuorum, flore projecto undique operiente vicos. Miles habebit tempora redimita lauro Phœbeâ, & cantabit Io, Io Triumphe elatâ voce.

NOTÆ.

[b] *Mactatâ*] Ex Druidum relligionibus, qui pro vitâ hominum, nisi vita reddatur hominum, non posse numen deorum immortalium placari arbitrabantur.

[c] *Cognomina*] Namque *Germanicus* à victis Germanis dictus.

[d] *Parente*] Pater fuit Tiber. Claud. Nero, mater Livia uxor Augusti, cui maximè assentatur Naso.

[e] *Cornibus*] Non Deos modò fluminibus, sed & illis cornua attribuerunt Poëtæ, propter diversos & sinuatos aquarum cursus. Per flumina verò si populos & gentes intelligas, cornua robur eorum designabunt, quæ fracta fractas vires significabunt.

[f] *Passis*] Utpote in luctu; de more.

[g] *Animosa*] Quia animosi Germani.

[h] *Cæsar*] Tiberium intellige.

[i] *Purpureus*] Veste indutus purpureâ, intertexto auro.

[k] *Phœbeâ*] Phœbo seu Apollini sacram Laurum, ob Daphnen in eam arborem mutatam jam sæpe diximus. Lauro verò coronari triumphantes notius est quàm ut opus sit dicere.

[l] *Io*] Vox erat acclamantium atque applaudentium.

Ipse

Ipſe ſono plauſúque ſimul fremitúque [m] canentum
Quadrijugos cernes ſæpe [n] reſiſtere equos.
Inde petes [o] arcem & delubra [p] faventia votis.
Et [q] dabitur meritò laurea vota Jovi.
Hæc ego ſubmotus, quâ poſſum, mente videbo:
Erepti nobis jus habet illa loci.
[r] Illa per immenſas ſpatiatur libera terras:
In cœlum celeri pervenit illa [ſ] viâ.
Illa meos oculos mediam deducit in Urbem;
Immunes tanti nec ſinit eſſe boni.
Inveniétque viam, qua currus ſpectet [t] eburnos.
[u] Sic certè in patria per breve tempus ero.
[x] Vera tamen populus capiet ſpectacula felix:
Lætáque erit præſens cum Duce turba ſuo.
At mihi fingenti tantùm longéque remoto
[y] Auribus hic fructus percipiendus erit.
Atque procul Latio diverſum miſſus in orbem.
Qui narret cupido, vix erit, iſta mihi.

INTERPRETATIO.

Ipſe videbis equos quadrijugos ſæpe reſiſtere ſtrepitu & plauſu atque fremitu cantantium. Inde ibis in arcem & templa faventia votis: & laurea promiſſa offeretur Jovi meritò. Ego pulſus ea aſpiciam animo quo poſſum: ille habet jus loci nobis ſublati. Ille liber diſcurrit per vaſtas terras: ille conſcendit cœlum brevi calle. Ille deducit meos oculos in Urbem mediam; neque patitur eſſe privatos tanti boni. Atque reperiet viam, quâ videat currus eburnos. Ità certè ero in patriâ per exiguum ſpatium. Beatus verò populus fruetur veris ſpectaculis: & agmen præſens feſtivum erit cum duce ſuo. At ea voluptas erit ſumenda auribus tantùm mihi imaginanti atque longè diſſito. Vixque erit qui miſſus in remotam regionem longè à Latio, referat iſta mihi avido.

NOTÆ.

[m] *Canentum*] Citharœdorum enim ac tibicinum turba Triumphantem Imperatorem comitabantur.

[n] *Reſiſtere*] Turbâ ſcilicet obſtante, fremitúque terrente.

[o] *Arcem*] Capitolium; ubi templum Jovis.

[p] *Faventia*] Quia ipſe Jupiter in templo Capitolino cultus, favens.

[q] *Dabitur*] De more: Triumphantes enim coronam auream, cum pretioſis manubiis Jovi dicatis in Capitolio quaſi in ſinu ejus deponebant.

[r] *Illa*] Mens *ſcilicet*, quæ ubicumque ſit, corpus quodcumquelibet agitare atque adeò cernere poteſt. Quanquam maxima eſt differentia inter modum quo mens quidpiam cogitat atque eum quo fruitur.

[ſ] *Viâ*] Pro ipsâ mentis celeritate aut motu.

[t] *Eburnos*] Propter ſellam curulem eburneam *ſcilicet*.

[u] *Sic*] Cogitando, atque ſingula evolvendo quæ Romæ per triumphi tempus aguntur.

[x] *Vera*] Quia non vanis ſimulacris rerum ſicuti Poëta, ſed rebus ipſis perfruetur. Quanquam haud ſcio annon majori voluptate gaudeat qui bene cogitare didicit, quam qui hujuſmodi oculis uſurpat ſpectacula. Ea enim rudiores videntur larvæ, quibus minimè movetur qui interiora ſcrutatur.

[y] *Auribus*] Famâ accipiendo quæ Romæ acta fuerint.

Is quoque jam ferum referet veterémque triumphum,
Quo tamen audiero tempore, [z] lætus ero.
Illa [a] dies veniet, mea quâ lugubria ponam;
Caussâque privatâ publica [b] major erit.

INTERPRETATIO.

Ille insuper narrabit triumphum serum, & jam veterem. Latus ero tamen quo tempore accepero. Illa dies aderit, quâ omittam mea tristia; & caussa communis erit potior privatâ.

NOTÆ.

[z] *Latus*] Confictа hæc omnia, Tiberio vel magis Augusto assentandi gratiâ.

a *Dies*] Quâ de triumpho mihi referetur.

[b] *Major*] Ut de publico commodo gaudeam, tametsi magis ob privata mala lugendum foret.

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Magna minorque.] *Utramque Ursam precatur Poeta, ut Romanam urbem ac uxorem aspiciant: sibique referant sitne ea mariti memor, an non. Postmodum seipsum arguit, quòd dubitet de uxoris fide, à qua se amari intelligat. Tum eam laudat, doletque quod suâ causâ in assiduo luctu versetur. Demum hortatur, ut in fide permaneat.*

[a] MAgna [b] minórque feræ, quarum regis altera Grajas,
Altera [c] Sidonias, utraque [d] sicca, rates:
Omnia cùm summo positæ videatis in axe,
Et maris occiduas non subeatis aquas,
Ætheriámque suis cingens amplexibus [e] arcem
Vester [f] ab intacta circulus exstet humo;
Aspicite illa, precor, quæ [g] non bene mœnia quondam
Dicitur [h] Iliades transiluisse Remus.

INTERPRETATIO.

Major & minor belluæ, quarum una dirigit naves Græcas, alia Sidonias, utraque sicca; cùm affixæ sublimi polo omnia intuemini, neque descendatis in aquas occiduas; & vester circulus circumplectens sedes æthereas suo ambitu emineat extra terram intactam: Intuemini, quæso, illa mœnia, quæ Iliades dicitur olim temerariè superasse saltu.

NOTÆ.

[a] *Magna*] Ursam majorem dicit, seu Helicen, cujus aspectu Græci navigationes suas dirigebant. In illud verò sydus Callistonem Lycaonis filiam mutatam fuisse, postquam Ursæ formam induisset, tædet toties repetere.

[b] *Minor*] Ursa minor *Cynosura* etiam dicitur, quam Phœnices spectabant.

[c] *Sidonias*] Sidonis Phœniciæ urbis opulentissimæ.

[d] *Sicca*] Quia neutra occidit, neque adeò mari tingi videtur, siquidem ad polum Septemtrionalem nobis semper sublatum sunt positæ.

[e] *Arcem*] Cœlum. Quanquam circulus polaris seu Arcticus brevior.

[f] *Intactâ*] Quia nobis semper sese videndas præbent Ursæ in polo Septemtrionali positæ, ut modò dixi.

[g] *Non bene*] Valli enim à Romulo parati dum irridet angustias Remus, atque increpat saltu, dubium an jussu fratris, occisus est.

[h] *Iliades*] Iliæ Vestalis filius.

Inque meam [i] nitidos dominam convertite vultus:
Sitque memor nostri necne, referte mihi.
Hei mihi! cur, nimium quæ sunt manifesta, requiro?
Cur labat ambiguo spes mihi mista metu?
Crede [k] quod est, quod vis; ac desine tuta vereri:
Deque fide certâ sit tibi certa fides.
Quodque polo fixæ nequeunt tibi dicere [l] flammæ,
Non mentiturâ tu tibi voce refer:
Esse tui memorem, de qua tibi maxima cura est;
[m] Quodque potest, secum nomen habere tuum.
Vultibus illa tuis tanquam præsentis inhæret,
Teque remota procul, si modò vivit, amat.
Ecquid, ut [n] incubuit justo mens ægra dolori,
Lenis ab [o] admonito pectore somnus abit?
Tunc subeunt curæ, dum te lectúsque locúsque
Tangit, & oblitam non finit esse mei.
Et veniunt [p] æstus, & nox immensa videtur;
Fessáque jactati corporis ossa dolent.
Non equidem dubito, quin hæc & cætera fiant;
Detque tuus casti signa doloris amor:
Nec cruciere minùs, quam cùm [q] Thebana cruentum
Hectora [r] Thessalico vidit ab axe rapi.

INTERPRETATIO.

Atque convertite oculos splendidos in meam dominam; & nuntiate mihi recordeturne mei necne. Hei mihi! quamobrem exquiro quæ sunt nimis aperta! quamobrem spes mihi vacillat juncta dubio timori? Crede quod est, quod cupis; & omitte metuere quæ secura sunt: & fides sit tibi indubitata de fide certâ. Et narra tibi voce nõ falsâ quod ignes in axe positi non possunt tibi dicere; Eam, *quam maximè amas, tui non esse oblitam; & quod licet, habere secum nomen tuum. Illa inhæret tuis oculis tanquam præsentis; atque longè dissita, te diligit, si modò vivis. Nonne postquam tristu animus affixus est justo dolori, suavis somnus recedit à pectore sollicitato. Tunc curæ ingruunt, cùm lectus & locus tangit te, neque patitur te esse mei immemorem. Atque exoriuntur anxietates, & nox videtur longissima; & ossa lassa corporis agitati dolent. Non equidem dubito quin hæc & cætera fiant, & tuus amor faciat indicia pudici doloris: neque torquearis minùs, quàm cùm Thebana vidit Hectorem sanguinolentum trahi curru Thessalico.*

NOTÆ.

[i] *Nitidos*] Stellarum quippe nitidum lumen.

[k] *Quod est*] *Dominam esse mei memorem.*

[l] *Flammæ*] Utraque ursa, sydera cœlo affixa.

[m] *Quod potest*] Namque rem ipsam, seu exsulem Poëtam habere non licebat.

[n] *Incubuit*] Multùm atque acriter cogitavit.

[o] *Admonito*] De Poëtæ exsilio *scil.* cùm illud subinde uxoris ejus mentem subiret.

[p] *Æstus*] Optimè exprimit vox ista sollicitudines & anxietates, quæ fluctuatim mentem percellunt, & quodammodo convellunt.

[q] *Thebana*] Andromache est, Hectoris uxor, Eetionis, Thebarum Ciliciæ regis, filia.

[r] *Thessalico*] Achillis Thessali, qui Hectorem currui alligatum ter circum muros patrios raptavit.

Quid tamen ipse precer dubito : nec dicere possum,
Affectum quem te mentis habere velim.
Tristis es ? indignor, quòd sum tibi caussa doloris :
Non es ? ut amisso conjuge [s] digna fores.
[t] Tu verò tua damna dole, mitissima conjux ;
Tempus & à nostris exige triste malis :
Fleque meos casus. est [u] quædam flere voluptas.
Expletur lacrymis egeritúrque dolor.
Atque utinam lugenda tibi non vita, sed esset
Mors mea : [x] morte fores sola relicta meâ !
Spiritus hic [y] per te patrias exisset in auras !
Sparsissent lacrymæ pectora nostra piæ !
Supremóque die [z] notum spectantia cælum
Texissent digiti lumina nostra tui !
Et cinis in tumulo positus jacuisset avito !
Tactáque nascenti corpus haberet humus !
Denique &, ut vixi, sine crimine mortuus essem !
Nunc mea supplicio vita pudenda suo est.
Me miserum, si tu, cùm diceris exsulis uxor,
Avertis vultus, & subit ora rubor !
Me miserum, si turpe putas mihi nupta videri !
Me miserum, si te jam pudet esse meam !

INTERPRETATIO.

Neque tamen liquet quid ipse orem ; neque possum dicere quem affectum animi cupiam te habere. Mœsta es ? Doleo, quòd sim tibi caussa mœroris : Non es ? Vellem ut esses digna marito amisso. Tu verò defle tua mala, uxor amabilis; atque traducito tempus mœstum ex nostris ærumnis. Et deplora meas vices. Est quoddam solatium plorare : dolor expletur & expuitur fletibus. Atque utinam non vita, sed obitus meus esset tibi flendus, & esses deserta sola meo obitu. Hæc anima emissa esset tuo auxilio in aërem patrium ! Piæ lacrymæ irrigassent pectora nostra ! Et digiti tui condidissent nostros oculos aspicientes cœlum cognitum ultimo die ! Et cinis compositus mansisset in sepulcro avito ! Et terra tacta à me nascente haberet corpus ! Denique &, sicut vixi, occidissem sine probro ! Nunc vita mea est erubescenda suâ pœnâ. Me infelicem, si tu, quando vocaris conjux profugi, detorques faciem, & rubor spargitur in vultus ! Me infelicem, si credis indecorum videri mihi juncta matrimonio! Me infelicē, si nunc pudet te esse meā!

NOTÆ.

[s] *Digna*] Quamque adeò ob amissum virum tristem esse decet.

[t] *Tu verò*] Non ampliùs ambigit Poëta, sed tristem esse uxorem suadet, siquidem & res & ratio ita ferant.

[u] *Quædam*] Est profectò ; verùm unde petatur ea voluptas facilè non est in transcursu expedire.

[x] *Morte*] Non exsilio. Minùs miseram fore credit uxorem, siquidem morte suâ non exsilio vidua esset. Quod quidem quanquam verissimum fuerit, illud tamen erat quod nunquam optasset fida conjux. Atque hæc sunt ad amorem percellendum, ciendásque lacrymas maximè idonea.

[y] *Per te*] Quæ obeuntis manus mulsisses, oculos clausisses, &c.

[z] *Notum*] Quantùm ab exsilio abhorruerit Naso hinc patet, qui nequidem Scythico cœlo conciliari potuerit.

Tempus ubi est illud, quo me jactare solebas
　Conjuge, nec nomen dissimulare viri?
Tempus ubi est, quo te (nisi si fugis illa referre)
　Et dici memini, juvit & esse meam?
Utque probæ dignum est, omni tibi dote placebam
　Addebat veris multa [a] faventis amor.
Nec quem præferres (ita res tibi magna videbar)
　Quemve tuum malles esse, vir alter erat.
Nunc quoque ne pudeat, quòd sis mihi nupta: tuúsque
　Non dolor hinc debet, debet abesse pudor.
Cùm cecidit [b] Capaneus subitò temerarius ictu:
　Num legis [c] Evadnen erubuisse viro?
Nec, quia [d] Rex mundi compescuit ignibus [e] ignes,
　Ipse tuis, Phaëton, inficiandus eras.
Nec [f] Semele Cadmo facta est aliena parenti,
　Quòd precibus periit ambitiosa suis.
Nec tibi, quòd sævis ego sum [g] Jovis [h] ignibus ictus,
　Purpureus molli fiat in ore rubor:
Sed magis in nostri curam consurge tuendi,
　Exemplúmque mihi conjugis esto bonæ:
Materiámque tuis tristem [i] virtutibus imple.
　Ardua per præceps gloria vadat iter.

INTERPRETATIO.

Ubi est illud tempus, quo consueveras gloriari me marito, neque dissimulare nomen conjugis? Ubi est tempus, quo, (nisi si non vis illorum meminisse) & recordor te appellari meam, & profuit esse? Et sicut bonam decet, tibi gratus eram omni modo, favor amantis adjiciebat multa veris. Neque alius vir erat quem anteponeres, quemve malles esse tuum, ità videbar tibi res magna. Ne pudeat nunc etiam, quòd sis mihi conjux: tuusque dolor non debet hinc procul esse, sed pudor. Cùm audax Capaneus occubuit repentino ictu, anne legis Evadnen puduisse mariti. Nec quia Rex Orbis repressit flammas flammis, ipse erat dissimulandus tuis, ô Phaëthon. Neque Semele facta est aliena patri Cadmo, quia ambitiosa obiit votis suis. Neque pudor purpureus occupet tuos teneros vultus, quia ego sum afflatus feris ignibus Jovis: sed excitator magis in curam nostri defendendi, & esto mihi exemplum bonæ uxoris: atque imple argumentum luctuosum tuis virtutibus. Gloria difficilis eat per viam arduam.

NOTÆ.

[a] *Faventis*] *Tui* scilicet. Solent verò aliquem qui amant, omnia ab eo in bonam partem magìs accipere, atque in virtutum loco reponere, quæ aliis nulla sunt.

[b] *Capaneus*] Superbus fuit Deorum contemtor, unus ex septem ducibus qui Thebas obsederunt. Is Jove invito cùm eam urbē sese capturum gloriaretur fulmine oppressus est.

[c] *Evadnen*] Capanei fuit uxor, quæ in ejus rogum sese immisit, incredibili quâdam impulsa impatientiâ amoris.

[d] *Rex*]. Jupiter, qui Phaethontem Solis curru fulmine excussit.

[e] *Ignes*] Quos ipse Phaeton accenderat de quibus In Metam.

[f] *Semele*] Ejus vide fabulam in tertio Metam.

[g] *Jovis*] *Augusti*; quem per summum nefas jam sæpius Deum fecit ineptus adulator.

[h] *Ignibus*] *Irâ.*

[i] *Virtutibus*] Quæ tempore adverso magìs elucescunt: quanquam difficiliùs secundis rebus illas tueri.

Hectora [k] quis nosset, si felix Troja fuisset?
Publica [l] Virtuti per mala facta via est.
Ars tua, [m] Tiphy, vacet, si non sit in æquore fluctus:
Si valeant homines, ars tua, [n] Phœbe, vacet.
Quæ latet, inque bonis cessat non cognita rebus,
Apparet virtus arguitúrque malis.
Dat tibi nostra locum [o] rituli Fortuna; caputque
Conspicuum pietas quâ tua tollat habet.
Utere temporibus, quorum nunc munere [p] freta es.
En patet in laudes area lata tuas.

INTERPRETATIO.

Quis cognosceret Hectorem, si Troja fuisset beata? Via facta est publica Virtuti per mala. Ars tua sit inutilis, ô Tiphy, si procella non sit in mari: ars tua sit inutilis, ô Apelle, si homines prosperâ fruantur valetudine. Virtus qua abscondita est, & jacet non cognita in rebus secundis, extat & ostenditur adversis. Sors nostra tibi prabet occasionem laudis; & pietas tua habet quâ tollat caput conspicuum. Utere occasione, cujus beneficio nunc polles. Ecce vastus campus apertus est in gloriam tuam.

NOTÆ.

[k] *Quis nosset*] Fortitudò verò ejus per certamina inclaruit, quæ nulla fuissent nisi hostis accessisset.

[l] *Virtuti*] Fortitudini *scilicet* præsertim, atque animi firmitati.

[m] *Tiphy*] Qui gubernator fuit Argo navis.

[n] *Phœbe*] Apollinem seu Phœbum Medicæ artis inventorem sæpius diximus.

[o] *Tituli*] *Laudis.*

[p] *Freta*] Adeòque si Nasoni fidem habueris, idem credideris quod & pagina sacra docet, Beatum illum quem tentamina ipsa confirmaverint.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

O qui nominibus.] *Amicum laudat Poëta, expenitque Temitani exilii incommoda: precatúrque eum latenter, ut ab Augusto mitius & paulò propinquius exilium petat; quod facilè impetrari posse docet, quum magna sit ipsius clementia. Postremò narrat quemadmodum è locis non nimium longinquis fugerit Orestes cum Iphigenia sorore: ablatâ etiam inde Dianâ ad meliora loca.*

O Qui, [a] nominibus cum sis generosus avitis,
Exsuperas morum nobilitate genus:
Cujus inest animo patrii candoris imago,
Non careat nervis candor ut iste [b] suis:

INTERPRETATIO.

O qui, cùm sis nobilis gloriâ averum, vincis nobilitatem gloriâ morum; cujus ingenio insidet imago patrii candoris, ut iste candor non careat suis viribus:

NOTÆ.

[a] *Nominibus*] Atque adeò genere nobili.

[b] *Suis*] Non imaginem tantùm candoris paterni habere istam suum amicum dicit Naso, sed insuper ipsi innatam virtutem, & candorem proprium.

Cujus in ingenio patriæ facundia linguæ est,
Quâ prior in Latio non fuit ulla Foro:
Quod [c] minimè volui, positis pro nomine signis
Dictus es. [d] ignoscas laudibus ista tuis.
Nil ego peccavi. tua te bona cognita produnt.
Si, [e] quod es, appares, [f] culpa soluta mea est.
Nec tamen [g] officium nostro tibi carmine factum,
Principe tam justo, posse nocere puta.
Ipse Pater Patriæ (quid enim [h] civilius illo?)
Sustinet in nostro carmine sæpe legi.
Nec prohibere potest, quia res est publica, Cæsar;
Et de communi pars quoque nostra bono est.
Jupiter ingeniis præbet sua numina vatum;
Seque celebrari quolibet ore sinit.
Caussa tua exemplo Superorum tuta [i] duorum est:
Quorum hic aspicitur, [k] creditur ille Deus.
Ut non debuerim, tamen [l] hoc ego crimen amabo:
Non fuit [m] arbitrii littera nostra tui.
[Nec nova, quòd tecum loquor, est injuria nostra.]
Incolumis cum quo sæpe locutus eram.

INTERPRETATIO.

in cujus animo est eloquium lingua paterna, quâ nullâ fuit melior in foro Latino; appellatus es indiciis positis pro nomine, quod minimè cupivi concedas ista gloria tua. Ego nihil deliqui. Bona tua cognita te patefaciunt. Si videris quod es; ego vaco culpâ. Neque tamen crede officium tibi exhibitum nostro carmine posse tibi obesse Principe tam justo. Ipse Pater Patriæ (quid enim civilius illo?) patitur sæpe legi in nostro Carmine. Neque Cæsar potest impedire, quia est res publica: & est etiam pars nostra de bono communi. Jupiter præbet sua numina ingeniis Poetarum; & patitur se laudari quolibet ore. Caussa tua est secura exemplo duorum Deorum, ex quibus hic Deus videtur, ille creditur. Quamvis non debuerim, nihilominus ego diligam hoc peccatum. nostra epistola non fuit in tuâ potestate. Neque injuria nostra quòd te alloquor, est nova; quem sæpe alloquutus eram sospes.

NOTÆ.

[c] *Minimè*] Quia mallet suo nomine appellare.

[d] *Ignoscas*] Siquidem aliquis ex his indiciis te esse meum amicum cognoverit.

[e] *Quod es appares*] Quæ laus est maxima.

[f] *Culpa*] *Quâ virtutes tuas celebrari, ut hinc cognosceretur.* Cæterùm credibile est per uxorem traditas esse epistolas, atque ità, ut in tantâ urbe, quem maximè compellaret Poëta, non ità facilè esset intelligere, nisi aliunde cognitus foret. Messalam tamen oratorem designari conjecerunt.

[g] *Officium*] *Quo te dignis laudibus celebravi.*

[h] *Civilius illo*] Qui non civium modò necessitudines quid ferant capit; sed & eorum leges religiosè observat.

[i] *Duorum*] Jovis & Augusti. Quanquam me piget hujus impietatis.

[k] *Creditur*] Immò non ubique modo videtur Jupiter, siquidem per eum Ethnico more Deum verum intelligas, sed sentitur, cognoscitur maximè, atque per eum omnia.

[l] *Hoc*] *Te celebrare meis carminibus.*

[m] *Arbitrii*] *Ut ipse sibi injuriam Augustus videatur, siquidem ob litteras nostras tibi irascatur.*

Quò vereare minùs, ne [n] sim tibi crimen amicus;
Invidiam, siqua est, [o] auctor habere potest.
Nam tuus est primis cultus mihi semper ab annis
(Hoc noli certè dissimulate) pater:
Ingeniúmque meum (potes hæc meminisse) probabat:
Plus etiam, quàm me judice dignus eram.
Deque meis illo referebat versibus ore,
In quo pars altæ nobilitatis erat.
Non igitur tibi nunc, quod me domus [p] ista recepit,
Sed priùs [q] auctori sunt data verba tuo.
[r] Nec data sunt, mihi crede, tamen: sed in omnibus actis,
Ultima si demas, vita tuenda mea est.
Hanc quoque quâ perii, culpam scelus esse negabis,
Si tanti series sit tibi nota mali.
Aut timor, aut error nobis, priùs obfuit error.
Ah sine me fati non meminisse mei!
Neve retractando nondum coëuntia rumpam
Vulnera; vix illis proderit ipsa quies.
Ergo ut [s] jure damus pœnas; sic abfuit omne
Peccato facinus consiliúmque meo.
Idque [t] Deus sentit: pro quo nec [u] lumen ademtum est,
Nec mihi detractas possidet alter opes.
Forsitan hanc ipsam (vivat modo) finiet olim,
Tempore cùm fuerit lenior ira, fugam.

INTERPRETATIO.

Ut minùs metuas, ne ego amicus sim tibi criminii; auctor potest habere Invidiam, si qua est. Nam tuus pater est semper observatus à me ab annis teneris: noli certè hoc negare: atque laudabat meum ingenium (potes ista recordari:) etiam ampliùs quàm eram dignus, me judice. Atque narrabat de meis carminibus illo ore in quo erat pars excelsa nobilitatis. Non ergo nunc tibi impositum est, quòd domus ista me admisit, sed antea genitori tuo. Neque tamen impositum est, mihi crede; sed si tollas postrema, vita mea est defendenda in omnibus factis. Negabis etiam peccatum quo occidi esse flagitium, si series tanti mali sit tibi perspecta. Aut metus, aut error, error potiùs nobis nocuit. Ah! patere me non recordari fati mei! Et ne rescindam vulnera nondum coalescentia refricando; vix ipsa quies illis erit utilis. Adeòque sicuti meritò luimus pœnas; sic omne scelus & data opera procul fuit ab omni meâ culpâ. Atque Deus id credit; quamobrem neque vita mihi ablata, neque alius habet rem mihi ademtam. Fortè, modò vivat, aliquando finem imponet huic ipsi exsilio, cùm ira fuerit mitior morâ.

NOTÆ.

[n] *Sim tibi crimen*] *Tibi vitio atque probro vertatur.*

[o] *Auctor*] *Ipse ego, qui jam olim patrem tuum maximè colui.*

[p] *Ista*] *Tua*, scilicet, *Messala.*

[q] *Auctori*] *Patri: ut frustrà sit qui te hodie amicum meum cavilletur.*

[r] *Nec data*] *Quia deceptus non est pater tuus in me.*

[s] *Jure*] Quia in superis etiam fortuna luenda est, nec veniam læso numine casus habet.

[t] *Deus*] Augustus denuò.

[u] *Lumen*] *Vita.*

Nunc

Nunc precor hinc alio jubeat diſcedere ; ſi non
Noſtra verecundo vota pudore carent.
Mitius exſilium paullóque propinquius opto ;
Quique ſit à ſævo longiùs hoſte, locum.
Quantáque in Auguſto clementia ; [x] ſi quis ab illo
Hoc peteret pro me, forſitan ille daret.
Frigida me cohibent Euxini littora Ponti :
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit.
Nam neque jactantur moderatis æquora ventis :
Nec placidos portus hoſpita navis adit.
Sunt circa gentes, quæ prædam ſanguine quærant :
Nec minùs infidâ terra timetur aquâ.
Illi, quos audis hominum [y] gaudere cruore,
Pœnè ſub ejuſdem [z] ſideris axe jacent.
Nec procul à nobis locus eſt, ubi [a] Taurica [b] dirâ
Cæde [c] pharatratæ paſcitur ara Deæ.
Hæc priùs, ut memorant, non [d] invidioſa nefandis,
Nec cupienda bonis, regna [e] Thoantis erant.
Hîc, [f] pro ſuppoſitâ [g] virgo Pelopeïa cervâ
Sacra Deæ [h] coluit qualiacunque ſuæ.

INTERPRETATIO.

Nunc oro jubeat hinc aliò proficiſci ; ſiquidem noſtra deſideria non careant honeſtâ verecundiâ. Voveo lenius exſilium & paullò vicinius ; & ſedes quæ ſint remotiores à fero hoſte. Atque ea eſt clementia Auguſti, ut ſi quis hoc illum poſceret pro me, fertè ille concederet. Littora gelida Ponti-Euxini me tenent ; ille fuit appellatus Axenus à veteribus. Nam neque maria turbantur lenibus auris ; neque navis peregrina ſubit quietos portus. Nationes circumſtant, quæ quærant prædam ſanguine ; neque terra minùs metuitur aquâ infidâ. Illi, quos audis epulari carnibus hominum ſunt ferè ſub cardine ejuſdem ſyderis. Neque locus eſt longè à nobis, ubi altare Tauricum Deæ pharatratæ imbuitur diro ſanguine. Hæc antea erant regna Thoantis, ut dicunt, non odioſa ſceleſtis, neque optanda probis. Hîc puella Pelopeïa pro cervâ ſuppoſitâ coluit ſacra qualiacumque ſuæ Deæ.

NOTÆ.

[x] *Si quis*] Verecundè amico inſinuat, ut mitius exilium ab Auguſto petere audeat.

[y] *Gaudere*] Anthropophagos dicit Scythiæ populos.

[z] *Syderis axe*] Sub eodem climate, tractu, aut cœli plagâ.

[a] *Taurica*] Quæ in Taurica regione, ſeu Scythicâ Cherſoneſo, aut Tartaria minore, ad Ponti-Euxini partem Septemtrionalem, ſita erat : atque adeò non longè à Tomitanâ urbe, ubi commorabatur Naſo.

[b] *Dirâ*] Siquidem humanis victimis colebatur Diana Taurica.

[c] *Pharatrata*] Quia Diana venationis Dea.

[d] *Invidioſa*] Paſſivè. *Odioſa.*

[e] *Thoantis*] Tauricæ regionis rex fuit Thoas, Trojani belli temporibus.

[f] *Pro ſuppoſitâ*] Quia cùm aris ſuis admota eſſet Iphigenia Agamemnonis filia, pro eâ cervam Diana ſuppoſuit, virginémque in Tauricam regionem tranſtulit, ubi ejus Deæ ſacris à Thoante præfecta eſt.

[g] *Virgo*] Iphigenia Agamemnonis filia, ex Pelopis genere.

[h] *Coluit*] Illud eſt quod modo dicebam, Dianæ ſacris præpoſitam Iphigeniam.

Quò poſtquam, [i] dubium pius an ſceleratus, [k] Oreſtes
Exactus furiis venerat ipſe ſuis,
Et comes exemplum veri [l] Phocæus amoris;
Qui duo corporibus, mentibus unus erant;
Protinus evincti [m] Triviæ ducuntur ad aram,
Quæ ſtabat geminas ante cruenta fores.
Nec tamen [n] hunc ſua mors, nec mors ſua terruit illum:
Alter ob alterius funera mœſtus erat.
Et jam conſtiterat ſtricto mucrone [o] ſacerdos;
Cinxerat & [p] Grajas barbara [q] vitta comas:
Cùm [r] vice ſermonis [ſ] fratrem cognovit, & illi
Pro nece complexus Iphigenia dedit.
[t] Læta Deæ [u] ſignum crudelia ſacra [x] peroſæ
Tranſtulit ex illis in [y] meliora locis.
Hæc igitur regio, magni [z] penetralia mundi,
Quam fugêre [a] homines [b] Dîque, propinqua mihi eſt.
Atque meam terram propè ſunt funebria ſacra,
Si modò Naſoni barbara terra ſua eſt.
O utinam venti, quibus eſt ablatus Oreſtes,
Placato referant & mea vela [c] Deo!

INTERPRETATIO.

Quò poſtquam Oreſtes, dubium pius an ſceleſtus, ipſe impulſus ſuis furiis, appulerat, unà cum ſocio Phocæo exemplo ſinceræ amicitiæ, qui duo erant corporibus, unus animis; continuò ligati ducuntur ad altare Triviæ, quæ cruenta erat ante valvas duplices. Neque tamen ſua cædes tremefecit hunc, neque ſua cædes illum: alter erat triſtis ob cædem alterius. Et jam Sacerdos aderat cultro evaginato; & vitta barbara ambierat capillos Græcos; cùm Iphigenia agnovit fratrem inter colloquendum, & illi obtulit amplexus pro morte. Læta tranſportavit imaginem Deæ averſantis fera ſacra ex illis locis in meliora. Hæc igitur plaga, penetralia vaſti orbis, quam homines & Dii fugerunt, eſt mihi proxima. Atque ſacra feralia ſunt juxta meam terram, ſi modò terra barbara eſt ſua Naſoni. O utinam venti, quibus Oreſtes eſt ſublatus, reducant etiam mea carbaſa, Deo lenito.

NOTÆ.

[i] *Dubium*] Quia & patrem ultus eſt, & matrem, cædis illius auctorem interfecit.

[k] *Oreſtes*] Agamemnonis filius, qui ob interfectam matrem furiis actus, in Tauricam regionem cum Pylade ſuo delatus eſt.

[l] *Phocæus*] Pylades eſt, Strophii filius, ex Phocide regione, Oreſtis fidiſſimus & individuus comes.

[m] *Trivia*] *Dianæ*, quæ triviis præerat, ubi colebatur.

[n] *Hunc*] Pyladem ſeu Oreſtem dicit, quorum alter de alterius funere tantùm, non de ſuo erat ſollicitus.

[o] *Sacerdos*] Iphigenia, Agamemnonis filia.

[p] *Grajas*] Oreſtis atque Pyladis, qui Græci erant.

[q] *Vitta*] Quâ decorari aut vinciri ſolebant eorum capita qui Deo cuipiam immolabantur.

[r] *Vice ſermonis*] *Inter colloquendum.*

[ſ] *Fratrem*] Oreſten *ſcilicet.*

[t] *Læta*] Iphigenia *ſcilicet.*

[u] *Signum*] *Simulacrum.*

[x] *Peroſæ*] Non enim Deæ, ſed Thoantis, regis immanitate, hoſpites aris admovebantur.

[y] *Meliora*] Ariciam *ſcil.* ut ſuprà dictum.

[z] *Penetralia*] Id eſt, Orbis pars interior, & quaſi abſtruſa, aut remota ab hominum commercio.

[a] *Homines*] Pylades, Oreſtes, Iphigenia.

[b] *Dîque*] Ipſa Diana.

[c] *Deo*] *Auguſto.*

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

O mihi dilectos.] *Amicum laudat Poëta, eumque monet, ut constanter munus amicitiæ exequatur, eique apud Augustum opem ferat. Ostendit deinde multis exemplis, tempore omnia molliri præter ejus curas, & ostendit se ita deficere, ut non diu credat se supervicturum tantis malis, quam rem dicit sibi solatio relictam esse.*

O Mihi dilectos inter [a] sors prima sodales,
Unica fortunis [b] ara reperta meis:
Cujus ab alloquiis anima hæc moribunda revixit,
Ut vigil infusa [c] Pallade flamma solet:
Qui veritus non es [d] portus aperire fideles,
[e] Fulmine percussæ confugiúmque [f] rati:
Cujus eram censu non me sensurus egentem,
Si Cæsar patrias eripuisset opes:
Temporis oblitum dum me rapit [g] impetus [h] hujus,
Excidit heu nomen quàm mihi pænè tuum!
Te tamen agnoscis: tactúsque cupidine laudis,
Ille ego sum, cuperes dicere posse palàm.
Certè ego, si sineres, titulum tibi reddere vellem,
Et raram Famæ [i] conciliare fidem.
Ne [k] noceam grato vereor tibi carmine; neve
Intempestivi nominis obstet honos.

INTERPRETATIO.

O sors mihi prima inter charos amicos, inventum unicum altare meis fortunis, cujus sermonibus hæc anima interitura suscitata est, ut vigil flamma solet reviviscere oleo affuso; qui non metuisti reserare portus fidos, & perfugium navi ictæ fulmine: cujus etiam opibus eram sensurus me divitem, si Cæsar abstulisset facultates paternas: heu quàm propè nomen tuum mihi excidit, dum impetus aufert me immemorem hujus tempestatis! Te tamen cognoscis; & motus desiderio laudis, optares posse apertè profiteri, Ille ego sum. Profectò, si patereris, ego cuperem tibi præbere gloriam, & commendare raram fidem famæ. Metuo ne tibi obsim carmine grato: neve laus nominis intempestivi officiat.

NOTÆ.

[a] *Sors*] Pro parte posuit, quam tanquam à Diis habuerit.

[b] *Ara*] *Perfugium, præsidium.* Ad templa *scilicet*, atque aras confugere in extremis mos fuit, qui hodieque permanet.

[c] *Pallade*] Pro oleo, à Pallade invento.

[d] *Portus aperire*] Quia palam Nasonis patrocinium quodammodo susceperat ità loquitur.

[e] *Fulmine*] Cæsaris irâ.

[f] *Rati*] De seipso loquitur Poëta. Allegoria est.

[g] *Impetus*] Scribendi, atque gratum animum testificandi.

[h] *Hujus*] Calamitosi *scilicet*, quo amicos non expedit indicare.

[i] *Conciliare*] Egregiè expressit quod Gall. diceremus, *Vous faire connoître à la Renommée, & lui recommander vôtre admirable fidelité.*

[k] *Noceam*] Metuebat ne in Augusti offensionem incurreret amicus.

Quòd licet & tutum est, intra tua pectora [l] gaude,
Meque tui memorem, teque fuisse mei
Urque facis, [m] remis ad opem luctare ferendam,
Dum veniat placido mollior ira Deo:
Et tutare caput nulli servabile; si non
[n] Qui mersit [o] Stygia, sublevet illud, aquâ.
Teque, quod est rarum, præsta constanter ad omne
Indeclinatæ munus amicitiæ.
Sic tua processus habeat Fortuna perennes:
Sic ope non egeas ipse, juvésque tuos.
Sic æquet tua nupta virum bonitate perenni;
Incidat & vestro rara querela toro.
Diligat & semper [p] socius te sanguinis illo,
Quo pius affectu Castora [q] frater amat.
Sic juvenis, similísque tibi sit natus, & illum
Moribus agnoscat quilibet esse tuum.
Sic socerum faciat [r] tædâ tè nata jugali;
Nec tardam juveni det tibi nomen avi.

INTERPRETATIO.

Quòd conceditur & securum est, lætare in tuo sinu; & me tui recordari, & te mei. Et sicut facis, contende remis ad auxilium præbendum, donec ira fiat lenior Deo placato: & defende caput nemini redimendum, nisi qui detrusit in aquam Stygiam; illud juvet. Et, quod haud vulgare est, præbe te constanter ad omne officium firmæ amicitiæ. Ità fortuna tua habeat progressus perpetuos: ità ipse auxilio non opus habeas, & promoveas tuos. Ità tua conjux par sit marito bonitate continuâ; & rara querela eveniat vestro lecto. Atque frater te semper amet illo desiderio quo pius frater diligis Castorem. Ità filius adolescens & sit tibi similis, & quivis cognoscat moribus illum esse tuum. Ità filia præstet te socerum face connubiali; neque det tibi juveni serum nomen avi.

NOTÆ.

[l] *Gaude*] Quamobrem scient quibus generosa natura; alii non discent utcumque maximè doceatur.

[m] *Remis*] *Operâ tuâ contendo, donec faveat fortuna.*

[n] *Qui mersit*] Augustus *scilicet.*

[o] *Stygiâ*] *Perdidit & quasi ad Inferos deturbavit.* Styx enim Inferorum palus.

[p] *Socius sang.*] Frater.

[q] *Frater*] Pollux, qui cum fratre immortalitatem partiri suam non est veritus, ut alternis diebus, vel potiùs semestribus viverent. Quæ fabula ex eo nata, quòd in cœlum translati oriente uno alter occidit.

[r] *Tæda*] Pro matrimonio; quia ad illa tædæ adhiberi solitæ.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Tempore.] *Hæc inconsideratiùs cum superioribus conjunguntur, cùm unius separata Elegia argumentum videantur exsequi. Tractatur locus communis, de vi temporis seu consuetudinis, qua, cùm mitigentur & tolerabiliora evadant omnia, non tamen mitigari curas & angores suos; Mala sua ipsâ morâ ingravescere, & exasperari queritur Poëta.*

TEmpore ruricolæ patiens fit taurus aratri,
Præbet & incurvo colla premenda jugo.
Tempore paret equus lentis animosus habenis,
Et placido duros accipit ore [a] lupos.
Tempore [b] Pœnorum compescitur ira leonum;
Nec feritas animo, quæ fuit antè, manet
Quæque sui monitis obtemperat [c] Inda magistri
Bellua; servitium tempore victa subit.
Tempus, ut extentis tumeat facit uva racemis,
Vixque merum capiant grana, quod intus habent.
Tempus & in canas semen producit aristas,
Et ne sint [d] tristi poma sapore facit.
Hoc tenuat [e] dentem terras renovantis aratri,
Hoc rigidas silices, hoc adamanta terit.
Hoc etiam sævas paullatim mitigat iras:
Hoc minuit luctus, mœstáque corda levat.
Cuncta potest igitur tacito pede lapsa vetustas
Prætetquam curas attenuare meas.
Ut patriâ careo; bis frugibus area trita est:
Dissiluit nudo pressa bis uva pede.

INTERPRETATIO.

Taurus assuescit aratro ruricola per moram, & exhibet cervices urendas curvo jugo. Equus ferox per moram obsequitur flexilibus habenis, & admittit ore leni aspera lupata. Ira leonum Afrorum mitigatur per moram; neque sævitia quæ fuit priùs stat in corde. Atque bellua Inda, quæ paret jussis sui magistri submittitur imperio, superata per moram. Mora præstat ut uva infletur racemis turgidis, & grana vix contineant merum quod habent intus. Mora etiam profert semen in albas aristas; & caussa est ne poma sint sapore austero. Ea terit dentem aratri renovantis terras; ea minuit dura saxa, atque adamantem. Ea etiam paullatim lenit truces iras: ea lenit mœrores, atque erigit corda tristia. Adeòque tempus effluxum pede tacito potest minuere omnia præter meas ærumnas. Ex quo sum exsul, area bis trita est frugibus; uva bis calcata pede nudo disrupta est:

NOTÆ.

[a] *Lupos*] *Lupata* frena aspera dicuntur, quibus ferociores equi coërcentur, quia ex lupinorum dentium modum atque inæqualiter secta & divisa sunt.

[b] *Pœnorum*] *Africanorum*, qui omnium sunt sævissimi.

[c] *Inda*] Elephantos dicit, quos India gignit.

[d] *Tristi*] Immitti atque acerbo.

[e] *Dentem*] Vomerem.

Nec quæsita tamen spatio patientia longo est;
Mensque mali sensum nostra recentis habet.
Scilicet & veteres fugiunt juga curva juvenci:
Et domitus fræno sæpe repugnat equus.
Tristior est etiam præsens ærumna priore:
[f] Ut sit enim sibi par, crevit, & aucta mora est.
Nec tam nota mihi, quàm sunt, mala nostra fuerunt:
Sed magis hoc, quo sunt cognitiora, gravant.
[g] Est quoque non minimum, vires afferre recentes;
Nec præconsumtum [h] temporis esse malis.
Fortior in fulvâ novus est luctator arenâ,
Quàm cui sunt tardâ brachia fessa morâ.
Integer est nitidis melior gladiator in armis,
Quàm cui tela suo sanguine tincta rubent.
Fert bene præcipites navis modò facta procellas:
Quamlibet exiguo solvitur imbre vetus.
Nos quoque, quæ ferimus, tulimus patientiùs antè;
Et mala sunt longo multiplicata die.
[Credite, deficio, [i] nostróque à corpore, quantùm
Auguror, accedunt tempora parva malis.]
Nam neque sunt vires, neque qui color esse solebat:
Vixque habeo tenuem, quæ tegat ossa, cutem.
Corpore sed mens est ægro magis ægra, malíque
In circumspectu stat sine fine sui.

INTERPRETATIO.

neque tamen patientia comparata est prolixâ morâ, & mens nostra habet sensum mali novi. Nimirum juvenci etiam veteres effugiunt panda juga; & equus domitus sæpè resistit fræno. Præsens dolor est quoque gravior priore: quamvis enim sit sibi æqualis, crevit, & auctus est spatio. Neque mala nostra mihi tam perspecta fuerunt quàm sunt: Verùm eò magis urunt quò sunt magis perspecta. Neque leve est adhibere vires integras; neque esse antè exhaustū malis temporis. Novus luctator est fortior in flavâ arenâ, quàm cui lacerti sunt lassi longo spatio temporis. Gladiator recens est fortior in armis splendidis, quàm cui arma rubent infecta suo cruore. Navis nuper constructa facilè tolerat procellas impetuosas: antiqua frangitur pluviâ quantumvis leni. Nos etiam priùs toleravimus æquius quæ patimur; & mala sunt aucta longo tempore. Credite, despondeo, & quantùm conjicio, exiguum spatium adjicitur malis, à nostro corpore. Nam neque sunt vires, neque color qui consueverat esse; vixque habeo cutem quæ operiat ossa. Verùm enimvero animus est magis ægrotus quàm corpus, & est semper affixus cogitationi sui mali.

NOTÆ.

[f] *Ut sit par*] *Quamvis sit eadem.*

[g] *Est quoque*] Rationem tangit optimam, quamobrem iniquiùs suum exsilium post duos annos patiatur: quia *scilicet* exhaustæ vires quibus priùs ærumnas tolerabat.

[h] *Temporis*] Quæ cum tempore eveniunt.

[i] *Nostroque à corpore*] Hoc est, *Si debilitatis meæ atque exhaustarum virium rationem habeas, parva tempora adduntur malis: namque brevi moriar.*

Urbis abest facies, absunt mea cura sodales:
Et, qua nulla mihi carior, uxor abest.
Vulgus adest Scythicum, braccatáque turba Getarum.
Sic malè quæ video, [k] non videóque, nocent.
Una tamen spes est, [l] quæ me soletur in istis;
Hæc fore morte meâ non diuturna mala.

INTERPRETATIO.

Species Urbis longè est, socii meus amor absunt, & conjux est procul, quâ nulla cura mihi gratior. Plebs Scythica, & agmen braccatum Getarum adest: atque ità quæ intueor, & non intueor obsunt. Una tamen est spes, qua me soletur in istis; hæc mala non fore longa obitu meo.

NOTÆ.

[k] *Non video*] Acutissimè ut solet Poëta. Malum quod non videbat hoc erat, Sodalium atque uxoris absentia.

[l] *Qua soletur*] Hæc Rhetoricè & ad movendam misericordiam, non verè & ex animo dicuntur.

ELEGIA VII.

ARGUMENTUM.

Bis me sol adiit.] *Miratur Poëta, quod biennio jam exacto, nullas ab amico acceperit literas: quum hi præsertim ad eum scripserint, quibuscum amicitia usus non fuerat tam probatus. Subjungit tamen malle se omnia credere, quàm illum nullas ad eum dedisse literas, quas interceptas fuisse existimat. Admonet postremò, ut ad eum scribat, ne semper excusandus sit.*

[a] BIs me sol adiit gelidæ post frigora brumæ,
Bisque suum tacto [b] Pisce peregit iter.
Tempore tam longo [c] cur non tua dextera versus
Quamlibet in paucos officiosa fuit?
Cur tua cessavit pietas, scribentibus illis,
Exiguus nobis cum quibus usus erat?
Cur, quoties alicui chartæ sua vincula demsi,
Illam speravi nomen habere tuum?

INTERPRETATIO.

Sol me bis visit post frigora gelida hyemis, bisque absolvit suum cursum pisce tacto. Quamobrem spatio tam longo tua dextera non fuit officiosa in versus quantumvis paucos? Quamobrem tuus amor vacavit, illis scribentibus, cum quibus parva nobis erat consuetudo? Quamobrem, quoties resolvi sua ligamina cuipiam charta, speravi illam habere tuum nomen?

NOTÆ.

[a] *Bis*] Neque tamen per duos annos adhuc aberat, si modò ex Poëtæ verbis rem totam dijudices; namque, ut suprà adnotavimus mense Octobri ejectus est.

[b] *Pisce*] Hoc dicit, quia per hyemis tempus Sol Piscium, sicut & Aquarii & Capricorni signa pervadit.

[c] *Cur non*] *Quamobrem ad me nihil scripsisti.*

Di faciant, ut sæpe tuâ sit epistola dextrâ
Scripta, sed è multis reddita nulla mihi?
Quod precor, [d] esse liquet. [e] credam prius ora [f] Medusæ
Gorgonis anguineis cincta fuisse comis:
Esse canes utero sub [g] virginis: esse [h] Chimæram,
A truce quæ [i] flammis separet angue leam:
[k] Quadrupedésque hominum cum pectore pectora junctos:
Tergeminúmque virum, [l] tergeminúmque [m] canem:
[n] Sphingáque, & Harpyias, serpentipedésque Gigantas:
Centimanúmque [o] Gygen, [p] semibovémque virum.
Hæc ego cuncta priùs, quàm te, carissime, credam
Mutatum curam deposuisse mei.
Innumeri montes inter me teque, viæque;
Fluminàque, & campi, nec freta pauca, jacent.
Mille potest caussis, à te quæ littera sæpe
Missa sit, in nostras nulla venire manus.
Mille tamen caussas scribendo vince frequenter:
Excusem ne te semper, amice, mihi.

INTERPRETATIO.

Dii velint, ut littera sint sæpius exarata tuâ manu, sed nulla sint mihi reddita ex multis! Certum est esse quod opto. Credam potiùs vultus Medusæ Gorgonis fuisse circumdatos crinibus anguineis; canes esse sub ventre puellæ; Chimæram esse, quæ dividat ignibus leænam à sævo serpente, & quadrupedes habentes pectora commissa pectoribus hominum; & virum tricorporem, & canem tergeminum; & Sphingem & Harpyias, & Gigantes anguipedes; & Gygen Centimanum, & virum semibovem: Ego antè credam hæc omnia dilectissime, quàm te versum exuisse mei amorem. Montes innumeri, & itinera, & flumina, & agri, neque pauca maria sunt inter te & me. Epistola quæ sis sæpe missa à te, potest nulla venisse in nostras manus mille caussis. Supera tamen mille caussas sæpe scribendo, amice; ne semper excusem te mihi.

NOTÆ.

[d] *Esse*] *Atque adeò te ad me scripsisse, sed interceptas litteras.*

[e] *Credam*] Quanquam inania sunt Poëtarum figmenta.

[f] *Medusæ*] Cujus crines in serpentes mutatos Minervæ indignatione, quòd in ejus templo cum Neptuno concubuisset; caput deinde ægidi affixum à quo hostes rigescerent fabulati sunt Poëtæ.

[g] *Virginis*] Scyllæ; cujus fabulam sæpius in superioribus vidimus.

[h] *Chimæram*] Cujus monstri, leonis partibus superioribus, mediis capræ, draconis verò posterioribus, formam pete ex Metam.

[i] *Flammis*] Illas verò evomebat non Chimæra quidem, sed mons Lyciæ, qui per eam designabatur, in cujus jugis Leones, medio Capræ, radicibus autem serpentes habitabant.

[k] *Quadrupedes*] Centauros intelligit.

[l] *Tergeminum*] Aut Geryonem intelligit tribus amplum non corporibus quidem, sed regnis, de quo jam sæpius; aut Herilum de quo Virgilius,

Nascenti cui tres animas feronia mater,
Horrendum dictu, dederat, &c.

[m] *Canem*] Cerberum.

[n] *Sphingáque*] Hoc & sequentia monstra suo loco vide in Metam.

[o] *Gygen*] Hic Cœli & Terræ filius atque Briarei & Cotti frater centum etiam manus habuisse dicitur.

[p] *Semibov.*] Minotaurum.

ELEGIA

ELEGIA VIII.

ARGUMENTUM.

Jam mea cygneas imitantur, &c.] *Quinquagenarius poëta queritur, se jam canescere in infœlicissimâ regione, eo tempore, quo frui debuisset patriâ, charissimâ conjuge, amicis, &c. Quæ si olim à Delphico oraculo, aut Dodonæâ columbâ futura accepisset, vana dicit se ea responsa existimaturum fuisse. Clarissimâque sententiâ docet, nihil tam validum esse, quod non subjaceat divinæ voluntati ac potentiæ. Postremò cæteros admonet, ut ejus casibus moniti, Augustum, cujus potentia par est diis immortalibus, demereantur.*

JAm mea [a] cygnēas imitantur tempora plumas,
  Inficit & nigras alba senecta comas:
Jam subeunt anni [b] fragiles, & inertior ætas:
  Jámque parum firmo me mihi ferre grave est.
Nunc erat, ut posito deberem fine laborum
  Vivere, me nullo sollicitante metu:
Quæque meæ semper placuerunt otia menti,
  Carpere; & in studiis molliter esse meis:
Et parvam celebrare domum, veterésque Penates;
  Et quæ nunc domino rura paterna [c] carent:
[Inque sinu dominæ, carísque nepotibus, inque
  Securus patriâ consenuisse meâ.]
Hæc mea sic quondam peragi speraverat [d] ætas:
  Hos ego sic annos [e] ponere dignus eram.
Non ita Dîs visum: qui me terrâque maríque
  Actum Sarmaticis exposuere locis.

INTERPRETATIO.

Mea tempora jam referunt speciem plumarum cygnearum, & alba senectus tingit atros capillos. Jam veniunt anni fragiles, & ætas pigrior; jamque difficile est mihi parùm valide me portare. Nunc erat, ut deberem vivere fine imposito laboribus, nullo timore me vexante, & indulgere quieti, quæ semper quæsita est meo animo; & esse suaviter in meis studiis; & colere tenuem domum, & antiquos Penates; & agros patrios, qui nunc carent domino; & tutus consenuisse in gremio dominæ, inter dilectos nepotes, atque in patriâ meâ. Mea ætas olim speraverat hæc sic absolvi: merueram ità collocare hos annos. Non sic placitum Diis; qui exposuerunt me jactatum terrâ marique locis Sarmaticis.

NOTÆ.

[a] *Cygneas*] Candidas esse cygnorum plumas omnes sciunt. Adeòque queritur Poëta quòd tempora & caput aut potiùs coma albescere & canescere incipiat.

[b] *Fragiles*] Quia provectiori ætate debiles sunt vires; levissimâ insuper de causâ convellitur valetudo.

[c] *Carent*] *Quia ego longè remotus.*

[d] *Ætas*] Pro Poëta ipso adolescente.

[e] *Ponere*] *Sumere. Insumere.*

[f] In cava ducuntur quassæ navalia puppes,
Ne temerè in mediis [g] dissolüantur aquis.
[Ne cadat, & multas palmas inhonestet adeptas,
Languidus in pratis gramina [h] carpit equus.]
Miles, ut [i] emeritis non est satis utilis annis,
[k] Ponit ad antiquos, quæ tulit arma, Lares.
Sic igitur, [l] tardâ vites minuente senectâ,
Me quoque donari jam [m] rude, tempus erat.
Tempus erat, nec me peregrinum [n] ducere cœlum,
Nec siccam Getico fonte levare sitim:
Sed modò, quos habui, [o] vacuos secedere in hortos:
Nunc hominum visu rursus & Urbe frui.
Sic animo quondam non divinante futura
Optabam placidè vivere posse senex.
Fata repugnarunt: quæ, cùm mihi tempora prima
Mollia præbuerint, posteriora [p] gravant.
Jámque, [q] decem lustris omni sine labe peractis,
Parte premor vitæ [r] deteriore meæ.

INTERPRETATIO.

Naves laceræ ducuntur in vasta navalia, ne temerè discerpantur in mediis aquis. Equus exhaustus vellit herbas in pratis, ne procumbat, & corrumpat multas palmas adeptas. Postquam miles non est satis idoneus, annis emeritis, suspendit arma quæ gessit ad avitos Lares. Ità ergo tempus erat me etiam jam donari rude, senectute lentâ frangente vires. Tempus erat, neque me aërem haurire extraneum, neque sedare sitim aridam scaturigine Geticâ: sed nunc otiosum me recipere in hortos quos habui, nunc denuo frui conspectu hominum atque Urbe. Ita olim vovebam posse vivere leniter provectus ætate, mente non prævidente ventura. Fata prohibuerunt; quæ cùm dederint mihi prima tempora lenia, sequentia molesta sunt. Jamque decem lustris absolutis sine omni notâ, urgeor parte iniquiore meæ vitæ.

NOTÆ.

[f] *In cava*] Navium exemplo, quæ in navalibus reponuntur, postquam procellis quassatæ sunt, sese senem placidâ frui quiete debuisse ostendit.

[g] *Dissolvantur*] Quinque syllabis efferenda ea vox per Diæresim figuram, quâ nonnunquam utuntur Poëtæ.

[h] *Carpit*] Jugo solutus *scilicet*, &c.
Peccet ad extremum ridendus & ilia ducat: ut scripsit Horat.

[i] *Emeritis*] Tempore debilitatis postquam suo officio olim functus est.

[k] *Ponit*] Solebant verò & milites, & gladiatores Deo cuipiam emeriti aut rude donati arma suspendere. Hinc Horatianus ille
Vejanius, armis
Herculis ad postem fixis latet abditus agro.

[l] *Tarda*] Quæ tardos facit & graves.

[m] *Rude*] Virga erat impolita, quâ gladiatores donabantur spectati satis cùm in libertatem vindicabantur.

[n] *Ducere cœlum*] *Aëre frui.*

[o] *Vacuos*] *Spaciosos* interpretati sunt, aut *Domino carentes.* Ego ex eo vacuos appellatos insuper crediderim hortos, quod ibi vacuus atque ociosus voluptatem ex studiis suis caperet Poëta.

[p] *Gravant*] Gravia atque molesta faciunt.

[q] *Decem lustris*] Adeòque quinquagesimum annum Naso agebat; siquidem, ut doctissimis etiam viris placitum, lustrum Poëtis præsertim quinque annorum spatium complectitur.

[r] *Deteriore*] *Ætas enim post annum quinquagesimum solet esse deterior*, inquit Commentator. Nugæ: neque id agitur. Deteriorem vitæ partem queritur Poëta, quam in exilio degere cogitur.

Nec procul à [f] metis, quas pænè tenere videbar,
[t] Curriculo gravis est facta ruina meo.
Ergo [u] illum demens in me sævire coëgi,
Mitius immensus quo nihil orbis habet?
Ipsáque delictis victa est clementia nostris:
Nec tamen errori vita negata meo?
Vita procul patriâ peragenda sub axe [x] Boréo,
Qua maris Euxini terra sinistra jacet.
Hoc mihi si [y] Delphi, [z] Dodonáque diceret ipsa;
Esse viderentur [a] vanus uterque locus.
[Nil adeò validum est, adamas licet alliget illud,
Ut maneat rapido firmius igne [b] Jovis.]
Nil ita sublime est, suptáque pericula tendit,
Non sit ut inferiùs suppositúmque Deo.
Nam quamquam [c] vitio pars est contracta malorum,
[d] Plus tamen exitii numinis ira dedit.
At vos admoniti nostris quoque casibus este,
Æquantem Superos [e] emeruisse virum.

INTERPRETATIO.

Atque atrox clades evertit meum curriculum non longè à metis, quas propè videbar assequutus esse. Adeòque insanus coëgi illum mihi irasci, quo mundus immensus nihil habet lenius. Ipsaque clementia est superata meis peccatis: neque tamen vita est negata errori meo? Vita transigenda sub polo Boreali longè à Patriâ, quâ tellus porrigitur læva maris Euxini. Si Delphi, & ipsa Dodona prædixisset hoc mihi, uterque locus viderentur esse falsus. Adeóque nihil est firmum, quamvis adamas illud jungat, ut stet validius sævo igne Jovis. Nihil est ità excelsum, & tollitur supra discrimina, ut non sit humilius, & submissum Deo. Nam etsi pars malorum est inducta meâ culpâ, tamen sævitia Dei plus intulit cladis. At vos estote quoque admoniti nostris infortuniis devinxisse virum proximum Diis.

NOTÆ.

[f] *Metis*] Hoc est, *Eo tempore, quo senex quiescere constitueram.* Metaph. est à curuli certamine petita.

[t] *Curriculo*] Quasi dicat: Curru excussum sese, qui spe suâ dejectus fuerit.

[u] *Illum*] Augustum.

[x] *Boréo*] *Septemtrionali*, unde flat Boreas.

[y] *Delphi*] Pro Apolline, qui Delphis ad Parnassum montem celeberrimum illud templum, atque oraculum habuit, de quo jam toties.

[z] *Dodona*] De sylvâ Dodoneâ, ejusque oraculis diximus etiam abundè & in secundo de Arte, & in Metam.

[a] *Vanus*] Qui falsa prædiceret.

[b] *Jovis*] Jupiter primo hìc designatur: Verùm Augustus ex eo, neque sine callidissimâ assentatione intelligitur.

[c] *Vitio*] *Meo* scil. *Culpâ meâ.*

[d] *Plus*] *Ultrà quàm meritus eram punivit.*

[e] *Emeruisse*] *Conciliasse, atque benevolum præstitisse.*

ELEGIA IX.

Argumentum.

Si licet & pateris.] *Inimico minatur poëta, se in eum scripturum, nisi pœnituerit inimicitiarum.*

SI [a] licet, & pateris, nomen facinúsque racebo,
Et tua [b] Lethæis acta dabuntur aquis:
Nostráque vincetur [c] lacrymis clementia seris.
Fac modò te pateat pœnituisse tui.
Fac modò te damnes, cupiásque eradere vitæ
Tempora, si possis, [d] Tisiphonæa tuæ.
Sin minùs, & flagrant odio tua pectora [e] nostro;
[f] Induet infelix arma coacta dolor.
Sim licet extremum, sicut sum, missus in orbem;
Nostra suas istuc porriget ira manus.
Omnia, si nescis, Cæsar mihi [g] jura reliquit:
Et sola est patriâ pœna carere meâ.
Et patriam, modò sit sospes, speramus ab illo.
Sæpe Jovis [h] telo quercus adusta viret.
Denique vindictæ si sit mihi nulla facultas;
[i] Pierides vires & sua [k] tela dabunt.

Interpretatio.

Si licet, & concedis, silentio protermittam & nomen & flagitium, & tua facta tradentur aquis Lethais, & nostra clementia superabitur tardis fletibus. Cura tantùm ut appareat te pœnituisse tui. Cura tantùm ut te arguas, & voveas delere tempora furiosa vita tua, si queas. Sin minùs, atque cor tuum est incensum odio nostri, misera ira capiet arma coacta. Quamvis sim pulsus in remotissimam plagam, sicut sum, noster dolor pertendet isthuc suas manus. Si ignoras, Casar mihi permisit omnia jura: & solum est supplicium carere meâ patriâ. Atque, modò sit incolumis, speramus patriam ab illo. Sape quercus incensa telo Jovis virescit. Denique, si nulla sit mihi potestas ad ultionem, Musa mihi *prabebunt vires, & sua arma.*

Notæ.

[a] *Licet*] *Per te, qui me lacessis.*

[b] *Lethais*] *Oblivioni tradam quacumque in me incepisti.* Est enim *Lethe* Latinis *Oblivio*, Inferorum fluvius, de cujus aquâ quisquis gustasset præteritorum omnium obliviscebatur.

[c] *Lacrymis*] *Pœnitentiâ tuâ, & consilio mutato.*

[d] *Tisiphonæa*] *Quibus, Tisiphones furia more per maximum scelus atque invidiam, me vexare atque lacessere non desiisti.*

[e] *Nostro*] *Quo me persequeris.*

[f] *Induet*] *Atque adeò injurias meas ulciscar.*

[g] *Jura*] *Ut ergo in maledicum & obtrectatorem per amicos possim agere.*

[h] *Telo*] *Fulmine.* Elegantissimâ autem comparatione sese ad pristinum statum redire posse indicat.

[i] *Pierides*] *Musa*: quas à Piero Thraciæ seu Thessaliæ monte potiùs, aut Pieri filiabus in Picas mutatis, jam sæpe dictas fuisse indicavimus.

[k] *Tela*] Carmina *scilicet*, quæ si non cœlo possunt deducere Lunam, possunt sæpè sceleratam mentem ad laqueum compellere.

Ut Scythicis habitem longè submotus in oris,
[l] Siccáque sint oculis proxima signa meis:
Nostra per immensas ibunt præconia gentes;
Quodque querar, notum, quâ pater orbis, erit.
Ibit ad occasum, quidquid dicemus, ab ortu:
Testis & [m] Hesperiæ vocis Eous erit.
[n] Trans ego tellurem, trans latas audiar undas:
Et gemitûs vox est magna futura mei.
Nec tua te sontem tantummodò sæcula norint:
Perpetuæ crimen posteritatis eris.
Jam feror in pugnas, & nondum [o] cornua sumsi.
Nec mihi sumendi caussa sit ullà velim.
Circus adhuc [p] cessat: [q] spargit tamen acer arenam
Taurus, & infesto jam pede pulsat humum.
[r] Hoc quoque, quam volui, plus est. [s] cane, Musa, receptus;
Dum licet [t] huic nomen dissimulare suum.

INTERPRETATIO.

Quamvis degam procul relegatus in tractu Schythice, & sydera arentia sint vicina meis oculis, nostra laudes ferentur per innumeras nationes, & quod conquerar erit cognitum, quâ mũdus est vastus. Quicquid proferemus procurret ab ortu ad occasum; & Oriens erit conscius soni Occidui. Ego audiar ultra Terram, & ultra vastas aquas; & vox mea querimonia fiet ingens. Neque tua tempora tantùm sciverint te reum: eris probrum æterna posteritatis. Jam ager in certamina, & nondum indui cornua: atque malim nulla sit mihi caussa induendi. Circus adhuc quiescit: tamen taurus ferox disjicit arenam, & jam ferit terram pede irato. Hoc etiam plus est quàm volui: Musa, cane receptui, quandiu conceditur huic tegere nomen suum.

NOTÆ.

[l] *Sicca*] Quia Ursæ, de quibus jam sæpius nunquam Oceano tingi videntur, quæ nunquam occidunt.

[m] *Hesperia*] *Mea*, quæ hominis est Itali & in partibus occiduis nati.

[n] *Trans ego tell.*] Magnificè expressit.

[o] *Cornua*] In quibus robur Tauri, cui sese parem facit Poëta.

[p] *Cessat*] *Nondum commissa pugna.*

[q] *Spargit*] Quod signum est furentis, moxque in hostem impetum facturi. Hâc autem allegoriâ sese Naso ad pugnam paratissimum ostendit.

[r] *Hoc*] Quod minas intentavi.

[s] *Cane*] Receptum aut receptui canere dicuntur tubicines, cùm milites tubâ ex prælio revocant. Quâ metaphorâ à scribendo Musas suas Naso dehortatur.

[t] *Huic*] Maledico, *scilicet*, qui si maledictis finem, faceret, à Poëta non indicaretur.

ELEGIA X.

ARGUMENTUM.

Ille ego qui fuerim.] *Lectorem docet, quâ patriâ, quibus consulibus natus sit. Denique totam suam vitam paucis perscribit. Postremo exilii mala commemorat: quorum magnitudinem dicit se Musis consolari, & illis acquiescere.*

ILle ego, qui fuerim, tenerorum [a] lusor amorum,
Quem legis, ut noris, accipe, Posteritas.
[b] Sulmo mihi patria est gelidis uberrimus undis,
Millia qui novies distat ab Urbe decem.
Editus hîc ego sum: necnon, ut tempora noris;
Cùm cecidit fato [c] Consul uterque pari.
Si quid & à proavis usque est vetus [d] ordinis heres;
Non modò [e] Fortunæ munere factus eques.
Nec stirps prima fui; genito jam fratre creatus;
Qui tribus antè quater mensibus ortus erat.
[f] Lucifer amborum natalibus adfuit idem:
Una celebrata est per duo [g] liba dies.
Hæc est armiferæ [h] festis de quinque Minervæ,
[i] Quæ fieri pugnâ prima [k] cruenta solet.
Protinus [l] excolimur teneri, curâque parentis
Imus ad insignes Urbis [m] ab arte viros.

INTERPRETATIO.

Ut intelligatis, Posteri, quis ego fuerim ille cantator mollium Amorum, quem legitis, discite. Sulmo abundans aquis frigidissimis est mihi Patria, qui dissitus est ab Urbe nonaginta millibus. Ego hic in lucem prodii: &, ut cognoscatis tempus, cùm ambo Consules occiderunt simili morte. Si est etiam aliquid, antiquus sum hæres ordinis equestris *usque à proavis, non nuper factus eques dono fortunæ. Neque fui prima soboles, ortus fratre jam nato, qui in lucem editus erat ante duodecim menses. Idem Lucifer adstitit natalibus utriusque; una dies celebrata est per duo liba. Hæc est de quinque festis Minervæ bellatricis, quæ prima consuevit fieri cruenta certamine. Continuò teneri excolimur, & concedimus ad viros illustres arte Urbis, curâ patris.*

NOTÆ.

[a] *Lusor*] Quia de Amoribus scripsit.

[b] *Sulmo*] Quod oppidum fuit in Pelignis, mille passuum 90 distans ab Urbe Septemtrionem atque Orientem versus.

[c] *Consul*] Hircium & Pausam designat, qui apud Mutinam adversus Antonium Pop. Romani hostem judicatum, pugnantes ceciderunt. Adeòque 710 anno ab Urbe conditâ, 21 Martii natus Poëta.

[d] *Ordinis*] Equestris *scilicet.*

[e] *Fortunæ*] *Divitiis.* Quibus enim Sestertiûm quadringentorum millium census erat, ii in ordinem equestrem referebantur.

[f] *Lucifer*] Stellam matutinam pro die ipso posuit.

[g] *Liba*] Cujus generis placentas natalibus mitti solitas suprà vidimus.

[h] *Festis*] Vide Fastorum tertio. ℣ 809: ubi primam diem Minervæ sacram sanguine vacare, quòd eâ Dea nata sit; cæteras stratâ arenâ & ludis gladiatoriis celebrari solitas esse invenies.

[i] *Quæ fieri*] Atque adeò secunda fuit ex quinque Minervæ sacris diebus, quorum prima in 13 Cal. Apr. hoc est 20 diem Martii mensis, incidebat.

[k] *Cruenta*] Gladiatorum sanguine.

[l] *Excolimur*] *Litterarum elementis, & bonis artibus imbuimur.*

[m] *Ab arte*] Qui artibus quibuscumque docendis celebres.

Frater ad [n] eloquium viridi tendebat ab ævo,
[o] Fortia [p] verbosi natus ad arma Fori.
At mihi jam puero [q] cœlestia sacra placebant;
Inque suum [r] furtim Musa trahebat opus.
Sæpè pater dixit, Studium quid inutile tentas?
[s] Mæonides nullas ipse reliquit opes.
Motus eram dictis: totóque [t] Helicone relicto,
Scribere conabar verba [u] soluta modis.
Sponte suâ carmen numeros veniebat ad aptos:
Et, quod tentabam dicere, versus erat.
Interea, tacito passu labentibus annis,
[x] Liberior fratri sumta mihíque toga est:
Induitúrque humeris cum [y] lato purpura clavo:
Et [z] studium nobis, quod fuit antè, manet.
Jámque decem vitæ frater [a] geminaverat annos,
Cùm perit; & cœpi parte carere mei.
Cœpimus & teneræ primos ætatis honores;
Eque viris quondam pars [b] tribus una fui.

INTERPRETATIO.

Frater studebat eloquio à mollibus annis, genitus ad acria arma garruli fori. At sacra cœlestia jam grata erant mihi puero, & Musa me rapiebat secretò ad suum opus. Parens frequenter dixit, Quamobrem experiris studium frustraneum? Ipse Homerus nullas divitias reliquit. Tactus eram monitis: & toto Helicone deserto, tentabam scribere voces liberas à metris. Versus fluebat ultro ad modos idoneos; & quod nitebar proferre erat carmen. Interea, ætate currente gressu occulto, toga liberior capta à fratre atque à me; & purpura aptatur humeris cum lato clavo, & cura quæ priùs fuit nobis, superest. Jámque frater duplicaverat decem annos vitæ, cùm obit, & cœpi orbus esse parte mei. Cœpimus etiam primos honores mollis ætatis; & fui pars una ex viris olim tribus.

NOTÆ.

[n] *Eloquium*] *Eloquentiam*, quæ præsertim in dicendis caussis elucet.

[o] *Fortia*] Siquidem animum quocumque opus est flectunt.

[p] *Verbosi*] Ubi etiam blaterones plurimi, & importuni rabulæ, inani verborum profluentiâ, veram eloquentiam sese putant imitari.

[q] *Cœlestia*] Poësim intelligit.

[r] *Furtim*] Quia arcanâ quâdam voluptate pellectus contra patris sententiam Poëticæ operam dabat.

[s] *Maenides*] Homerus.

[t] *Helicone*] Quo Bœotiæ monte Musis sacro, & Musæ,& Poesis illarum opus intelligitur.

[u] *Soluta*] Prosaicam orationem.

[x] *Liberior*] Virilis *scilicet*, quam ætatis anno 17 plerumque sumebant; de quâ fusiùs in Fastis.

[y] *Lato*] In transvectione enim, quæ Equitum fuit propria pompa, illi equis insidentes, oleæ ramis coronati, & purpureas palmatas togas, seu trabeas, purpureis fasciis trabium instar transversis induti vehebantur.

[z] *Studium*] Poëticum, *scil.*

[a] *Geminav.*] Adeòque viginti annos natus.

[b] *Tribus*] Diversissimi muneris fuerunt Triumviri, quorum alii Capitales, alii Nocturni, Monetales,&c. In quibus fuerit Naso non facilè dixerim.

[c] Curia restabat: [d] clavi mensura coacta est.
Majus erat nostris viribus illud onus.
Nec patiens corpus, nec mens fuit apta labori,
[e] Sollicitæque fugax ambitionis eram:
Et petere [f] Aoniæ suadebant tuta sorores
Otia judicio semper [g] amata meo.
Temporis illius colui fovíque poëtas;
Quotque aderant vates, rebar adesse [h] Deos.
Sæpe suas [i] volucres legit mihi grandior ævo,
Quæque necet serpens, quæ juvet herba, Macer.
Sæpe suos solitus recitare Propertius [k] ignes;
Jure sodalitii qui mihi junctus erat.
[l] Ponticus Heroo, [m] Bassus quoque clarus Iambo
Dulcia convictûs membra fuere mei.
Et tenuit nostras [n] numerosus Horatius aures;
Dum ferit Ausoniâ carmina culta lyrâ.
Virgilium vidi [o] tantum: nec [p] avara Tibullo
Tempus amicitiæ fata dedère meæ.

INTERPRETATIO.

Senatus superarat: modus clavi contractus est. Illud onus erat gravius humeris nostris. Neque corpus fuit robustum, neque animus idoneus ad laborem; & eram alienus ab anxiâ ambitione: & sorores Aoniæ consulebant quærere otia secura semper dilecta meo judicio. Dilexi atque honoravi Vates illius ætatis; & credebam tot Deos favere quot Poetæ favebant. Macer ætate provectior sæpe legit mihi suas aves; quis anguis perimat; quod gramen prosit. Propertius, qui mihi erat junctus jure societatis solitus est sæpe narrare suos Amores. Ponticus insignis carmine Heroico, Bassus etiam Iambo fuerunt partes gratæ mei contubernii: Numerosus Horatius detinuit etiam nostras aures, dum pulsat polites versus lyrâ Italâ. Aspexi tantùm Virgilium: neque fata parca præbuerunt Tibullo tempus amicitiæ meæ.

NOTÆ.

[c] *Curia*] Ut Senator esset.

[d] *Clavi*] Quia Senator non erat: namque lato clavo à reliquis ordinibus Senatores distinguebantur. Neque obstat quòd suprà à se lato clavo indutam purpuram dixit; quia scilicet trabeâ ad transvectionis pompam tantùm Equites utebantur.

[e] *Sollicitæ*] Quæque pusillæ pravæ & emotæ mentis indicium.

[f] *Aoniæ*] Musæ; quibus ab Aoniâ, Bœotiæ parte montanâ, illud datum nomen.

[g] *Amata*] Neque sine causâ, quandoquidem per illa, & sese, & suis bonis, imò & Deo ipso frui licet; modò ne sint inertia.

[h] *Deos*] Vates certè neque Scriptura ipsa sacra dedignatur citare.

[i] *Volucres*] De quibus Macer Poëta Veronensis.

[k] *Ignes*] Amores.

[l] *Ponticus*] Hic, ut in sequentibus videbimus, bellum Thebanum heroïco carmine comprehendit; quem cum Homero Naso confert.

[m] *Bassus*] Vix alibi de isto quicquam reperias.

[n] *Numerosus*] Seu metri varietatem, & suavitatem, seu sententiarum copiam & elegantiam spectes, omnibus numeris absolutum Poëtam dixeris. Cæterùm nasutos esse oportet qui illum legant; neque multis placuerit unquam.

[o] *Tantum*] Quia major natu Virgilius. Cæterùm aliquid amplius fuit, ut videtur: neque fortè amicus.

[p] *Avara*] Quia immaturo fato obiit Tibullus.

Succeſſor fuit hic tibi, [q] Galle ; Propertius illi.
[r] Quartus ab his ſerie temporis ipſe fui.
Utque ego majores, ſic me coluêre minores :
Notáque non tardè facta [ſ] Thalia mea eſt.
Carmina cùm primùm populo [t] juvenilia legi ;
Barba reſecta mihi biſve ſemelve fuit.
[u] Moverat ingenium totam cantata per Urbem
Nomine non verò dicta [x] Corinna mihi.
Multa quidem ſcripſi : ſed quæ vitioſa putavi,
Emendaturis ignibus ipſe dedi.
Tum quoque, cùm [y] fugerem, quædam placitura [z] cremavi
Iratus ſtudio carminibúſque meis.
Molle, Cupidineis nec inexpugnabile telis
Cor mihi, quodque levis cauſſa moveret, erat.
Cùm tamen hoc eſſem, minimóque accenderer igni ;
Nomine ſub noſtro fabula [a] nulla fuit.
Pænè mihi puero nec digna, nec utilis uxor
Eſt data : quæ tempus perbreve nupta fuit.
Illi ſucceſſit, quamvis ſine crimine, conjux ;
Non tamen in noſtto [b] firma futura toro.

INTERPRETATIO.

Hic fuit tibi ſucceſſor, Gallo ; Propertius illi. Ipſe fui quartus ab his ordine temporu. Et ſicut ego honoravi præcedentes, ſic ſequentes me honoraverunt : *& mea Muſa non ſerò inclaruit. Cùm primùm recitavi populo verſus juveniles, barba fuit mihi tonſa aut bis, aut ſemel. Corinna à me appellata ficto nomine celebrata per totam Urbem acuerat meum ingenium. Scripſi equidem multa ; verùm egemet injeci ea quæ credidi culpanda in ignem correcturum. Immiſi etiam in ignem nonnulla grata futura tum cùm proficiſcerer in exilium, infenſus ſtudio & meis verſibus. Cor mihi erat tenerum, neque invictum ſpiculu Cupidineu, & quod exigua cauſa tangeret. Cùm tamen iſtud eſſem, & inflammarer leviſſimo igne, nulla fabula fuit ſub noſtro nomine. Conjux eſt data mihi propè puero digna, neque idonea ; quæ fuit conjux per exiguum ſpatium. Uxor illam excepit, quamvis ſine dedecore non tamen futura firma in noſtro lecto.*

NOTÆ.

[q] *Galle*] Hunc vitæ ſuæ prodigum, Ægypti præſidem, jam ſuprà vidimus.

[r] *Quartus*] *Qui*, ſcilicet *amatorias delicias ſcripſi.*

[ſ] *Thalia*] Una ex Muſis.

[t] *Juvenilia*] Quæ de Amoribus juvenili ætate ſcripſit.

[u] *Moverat*] Amor quippe ingenioſus.

[x] *Corinna*] Quam Auguſti neptim fuiſſe veriſimile eſt. Namque hujuſcemodi nugas altiùs rimari, ut ſolent, mihi quidem ridiculum videtur. Hæc an illa fuerit quid id noſtra ? In majoribus debet pateſcere, ſi quæ eſt, ingenii ſagacitas, maximum eſt vitium in omnibus accuratum videri. Non eſſe in multis, quæ ſedulò contemnas, illud verò virtus eſt. Naturæ enim vigor non minùs reſpuendo quàm retinendo continetur.

[y] *Fugerem*] Exilio multatus *ſcilicet.*

[z] *Cremavi*] Neque damnum ullum ; ſiquidem ad lenocinandam ultro prurientem libidinem comparata ; quæ nunquam pejora quàm cùm maximè placent.

[a] *Nulla*] Quia cautiſſimè amavit. Atque adeò hinc maximè Auguſto ſuſpectus fuit.

[b] *Firma*] Duas priores uxores repudiavit.

Ultima, quæ mecum seros permansit in annos,
Sustinuit conjux exsulis esse viri.
[c] Filia bis primâ mea me fœcunda juventâ,
Sed non ex uno conjuge, fecit avum.
Et jam [d] complerat genitor sua fata; novémque
[e] Addiderat lustris altera lustra novem.
Non aliter flevi, quàm me fleturus ademtum
Ille fuit. matri [f] proxima justa tuli.
Felices ambo, tempestivéque sepulti,
Ante diem pœnæ quòd periëre meæ!
Me quoque felicem, quòd non viventibus illis
Sum miser; & de me quòd doluêre nihil!
[g] Si tamen exstinctis aliquid, nisi nomina, restat,
Et [h] gracilis structos effugit umbra rogos;
Fama, parentales, si vos mea contigit [i] umbræ;
Et sunt in [k] Stygio crimina nostra foro;
Scite precor, caussam (nec vos mihi fallere fas est)
Errorem jussæ, non scelus, esse fugæ.
Manibus id [l] satis est. ad vos studiosa revertor
Pectora, qui vitæ quæritis acta meæ.
Jam mihi canities, pulsis [m] melioribus annis,
Venerat; antiquas miscuerátque comas:

INTERPRETATIO.

Ultima, qua mecum permansit in novissimos annos, non verita est esse uxor mariti profugi. Nata mea fœcunda fecit me avum primâ juventâ, sed non ex uno marito. Et jam pater meus absolverat sua fata, & adjecerat novem altera lustra novem lustris. Non aliter ploravi, quàm ille fuit deploraturus me sublatum. Persolvi matri justa proxima. Uterque beati, & conditi opportunè, quia fato functi sunt ante diem mei supplicii! Me etiam beatum, quòd non sum infelix illis superstitibus; & quòd nihil agrè passi sunt de me! Si tamen aliquid superest mortuis prater nomina, & exiles Manes vitant pyras exstructas, si mea fama ad vos penetrat Manes parentales, & mea peccata sunt in foro Stygio, cognoscite, oro, (neque fas est mihi vos decipere) caussam exsilii mandati esse errorem, non flagitium. Id satis est Manibus. Redeo ad vos viri studiosi, qui petitis facta vita mea. Jam canities mihi orta erat, annis felicioribus exactis; & variaverat crines antiquos;

NOTÆ.

[c] *Filia*] Perilla.
[d] *Complerat*] *Obierat.*
[e] *Addiderat*] Adeòque nonagenarius fuit.
[f] *Proxima*] Post patrem matrem composuit, quæ statim ab illo fato functa est.
[g] *Si tamen*] Id est, siquidem animæ immortales, illisque aliquis superest sensus post hanc vitam.
[h] *Gracilis*] Quia spiritus.
[i] *Umbra*] Pro parentum animæ.
[k] *Stygio*] *Infero.*
[l] *Satis*] Neque prolixâ oratione apud illos opus est, quibus omnia nuda apparent.
[m] *Melioribus*] Namque senectutem multa circumveniunt incommoda.

Postque meos ortos [n] Pisæâ vinctus olivâ
  Abstulerat [o] decies præmia victor eques :
Cùm maris Euxini positos ad læva Tomitas
  Quærere me læsi Principis ira jubet.
Caussa meæ cunctis nimiùm quoque nota ruinæ
  Indicio non est testificanda meo.
Quid referam [p] comitúmque nefas, famulósque nocentes :
  Ipsâ multa tuli non leviora fugâ.
[q] Indignata malis mens est succumbere ; seque
  Præstitit invictam viribus [r] usa suis ;
Oblitúsque mei, ductæque per otia vitæ ;
  Insolitâ cepi temporis [s] arma manu.
Totque tuli terrâ casus pelagóque, quot inter
  [t] Occultum stellæ [u] conspicuúmque polum.
Tacta mihi tandem longis erroribus acto
  Juncta pharetratis Sarmatis ora Getis.
Hîc ego, finitimis quamvis circumsoner armis,
  Tristia, [x] quo possum, carmine fata levo.
Quod, quamvis nemo est, cujus referatur ad aures :
  Sic tamen absumo decipióque diem.

INTERPRETATIO.

& à meis natalibus eques victor redimitus olivâ Pisæâ reportaverat decies præmia; cùm ira Principis offensi imperat mihi quærere Tomitas sitos ad sinistra Ponti-Euxini. Caussa mei exitii nimis etiam perspecta omnibus non est declaranda meo testimonio. Quamobrem memorem & nefas comitum, & pravos ministros. Passus sum multa non minora ipso exsilio. Animus exhorruit dejici ærumnis, & se præbuit indomitum, usus suis viribus : & immemor mei, atque vitæ actæ per otia, sumsi arma tempestatis manu insuetâ. Totque passus sum discrimina terrâ & mari, quot sunt stellæ inter axem depressum & eminentem. Denique tractus Sarmaticus proximus Getis pharetratis est tactus à me jactato longis erroribus. Quamquam hic circumsonor armis vicinis, ego minuo fata lugubria carmine, quo possum. Quod, etsi nullus est, ad cujus aures recitetur nihilominus ità consumo & fallo diem.

NOTÆ.

[n] *Pisæâ*] Quâ apud Pisam, Peloponnesi urbem coronabantur victores Olympico certamine.

[o] *Decies*] Olympias spatium fuit annorum quatuor tantùm. Sæpissimè tamen apud Græcos atque Latinos auctores, quia quinto quoque anno certamina Olympica celebrabantur, terminus qui exclusivè intelligendus, inclusivè sumitur ; quemadmodum & nos hebdomadam *Octiduum* dicimus. Atque eo modò alicubi quinquennem Olympiadem noster appellavit : ut hinc quinquagenarium fuisse quo tempore exilio pulsus, cognoscatur.

[p] *Comitum*] Ab Augusto attributorum, à quibus custodiebatur.

[q] *Indignata*] Ut virum cordatum decet, qui rebus angustis fortis atque animosus apparet.

[r] *Usa*] In eo ferè posita est Virtus.

[s] *Arma tempor.*] Patientiam atque animi fortitudinem : quibus maximè pollet anima.

[t] *Occultum*] Nobis *scilicet*, qui magis ad Septemtrionem sumus porrecti. De Australi Polo agit : quem si Virgilio credis

Sub pedibus Styx atra videt, Manésque profundi.

[u] *Conspicuum*] Septemtrionalem dicit nobis semper sublimem.

[x] *Quo*] Namque nullum aliud solatium.

Ergo, quod vivo, durísque laboribus obsto,
Nec me sollicitæ tædia [y] lucis habent,
Gratia, [z] Musa, tibi. nam tu solatia præbes;
Tu curæ requies, tu medicina mali:
Tu dux, tu comes es: tu nos [a] abducis ab Istro;
In medióque mihi das [b] Helicone locum.
Tu mihi [c] (quod rarum) vivo sublime dedisti
Nomen; ab exsequiis quod dare Fama solet.
Nec, qui detrectat præsentia, Livor iniquo
Ullum de nostris dente momordit opus.
Nam tulerint magnos cum sæcula nostra poëtas;
Non fuit ingenio Fama maligna meo.
Cumque ego præponam multos mihi; non minor illis
Dicor: & in toto plurimus orbe legor.
Si quid habent igitur vatum præsagia veri;
Protinus ut moriar, [d] non ero, terra, tuus.
Sive favore tuli, sive hanc ego carmine famam,
Jure; tibi grates, candide lector, ago.

INTERPRETATIO.

Ergo, Musa, tibi gratia quòd vitâ fruor, & resisto asperis laboribus, neque tædia vitæ anxiæ me tenent. Nam tu ministras solamina; tu requies sollicitudinis, tu medicina morbi: Tu es dux, tu comes: tu nos abstrahis à Danubio, & præbes mihi sedes in medio Helicone. Tu (quod haud vulgare) præbuisti mihi superstiti celebritatem, quam fama consuevit dare post fata. Neque Invidia, quæ imminuit præsentia rosit dente atro ullum de nostris operibus. Nam cum sæcula nostra produxerint egregios vates, fama non fuit parca meo ingenio. Et cùm præferam multos mihi; non dicor inferior ab illis; & multùm legor in toto mundo. Si ergo omina Poëtarum habent aliquid veri; quamvis continuò moriar, non ero tuus, ô Terra. Seu ego consequutus sum hanc famam favore, sive jure per carmina, ago tibi gratias Lector Candide.

NOTÆ.

[y] *Lucis*] *Vita, quam in rebus anxiis ago.*

[z] *Musa*] Adversis certè perfugium ac solatium præbent studia, seu potiùs quæ ex iis mentem permulcent cogitationes gratæ.

[a] *Abducis*] Ubicumque mens cogitat, ob rem si ità loqui licet, ibi verè est, maximámque in se vim habet, quâ se propemodum ad omnia alliget. Verùm istud nunquam assequentur qui vix aliter quàm pecorum more, objectis *scilicet* impulsi, cogitare didicerunt: nihil aliud quàm quod effluit & illos in perniciem abripit per totam vitam agitant.

[b] *Helicone*] Quem Bœotiæ montem Musis sacrum jam centies diximus.

[c] *Quod rarum*] *Quatenus, heu nefas;*
Virtutem incolumem odimus,
Sublatam ex oculis quærimus Invidi.

[d] *Non ero*] Quia fama superstes. Verùm enimvero pios majus aliquid movet, qui post fata tum demum sua opera Deique gloriam manere se intelligunt.

P. OVIDII NASONIS
TRISTIUM
LIBER V.

ELEGIA I.

ARGUMENTUM.

Hunc quoque de Getico.] *Mittens Romam è Scythia hunc ultimum librum Ovidius, suos studiosos monet, ut quatuor prioribus libellis illinc quoque ab eo missis, hunc etiam addant. Excusátque se non potuisse materiam aliam, quàm tristem, ejúsque rebus miseris & perditis convenientem sumere. Quòd si in patriam revocetur, scripturum se jocosa & læta profitetur: Simúlque veniam petit, si quid sit, quod lectorem offendat.*

HUnc quoque de [a] Getico, nostri studiose, libellum
Littore, præmissis quattuor adde meis.
Hîc quoque talis erit, qualis Fortuna poëtæ.
Invenies toto carmine [b] dulce nihil.
Flebilis ut noster status est, ita flebile carmen;
Materiæ scripto conveniente suæ.
Integer & lætus læta & juvenilia lusi:
Illa tamen nunc me composuisse piget.
Ut [c] cecidi, subiti [d] perago præconia [e] casus;
Sumque argumenti [f] conditor ipse mei.
Utque jacens ripa deflere [g] Caystrius ales
[h] Dicitur ore suam deficiente necem:

INTERPRETATIO.

AMice noster, adjice etiam quatuor meis præmissis hunc libellum missum *ab orâ Geticâ. Hic etiam erit talis qualis fors vatis. Nihil reperies suave in toto carmine. Quemadmodum status noster est lugubris, sic versus lugubres, scripto respondente suo argumento. Incolumis & festivus cecini festiva & juvenilia: nunc tamen pœnitet me illa scripsisse. Postquam dejectus sum celebro ruinam repentinam: & sum ipse fabricator meæ materiæ. Et quemadmodum avis Caystria prostrata in ripâ dicitur deplorare suam mortem ore moribundo;*

NOTÆ.

[a] *Getico*] Quia ex Tomitanâ urbe, quæ Getico littori adjacebat.

[b] *Dulce nihil*] Si materiam spectes *scilicet*: namque ad stilum & scribendi modum si respicias, suavissima sunt propè omnia.

[c] *Cecidi*] Patriâ pulsus.

[d] *Perago*] *Sum præco & scriba.*

[e] *Casus*] Exilii.

[f] *Conditor*] *Argumentum suum aliunde desumunt alii Scriptores; mihi ipse materiam suppeditavi, qui calamitatis meæ sum auctor.*

[g] *Caystrius*] *Cygnus*, Caystrum Asiæ fluvium non longè ab Epheso frequentans.

[h] *Dicitur*] Et quidem falsò: verùm, siquidem Apollini sacra avis, & tam pulcrè candida, Poëtæ canoram vocem ex raucâ facere non dubitarunt.

Sic ego Sarmaticas longè projectus in oras
Efficio [i] tacitum ne mihi funus eat.
Delicias si quis lascivâque carmina quærit;
[Præmoneo nunquam scripta [k] quod ista legat.]
Aptior huic Gallus, blandíque Propertius oris,
Aptior ingenium come Tibullus erit.
Atque utinam numero ne nos essemus in [l] isto!
Hei mihi! cur unquam Musa jocata mea est?
Sed dedimus pœnas: Scythicíque in finibus Istri
[m] Ille pharetrati lusor Amoris abest.
Quod superest, animos ad [n] publica carmina flexi;
Et memores jussi nominis esse sui.
Si tamen è vobis aliquis tam multa requiret,
[o] Unde dolenda canam: multa dolenda tuli.
Non hæc ingenio, non hæc componimus arte.
[p] Materia est propriis ingeniosa malis.
Et quota Fortunæ pars est in carmine nostræ?
[q] Felix, qui patitur, quæ numerare valet!
Quot frutices silvæ, quot flavas Tybris arenas,
Mollia quot [r] Martis gramina campus habet;
Tot mala pertulimus; quorum medicina quiésque
Nulla, nisi in studio, Pieridúmque [s] mora est.

INTERPRETATIO.

Ità ego longè pulsus ad littora Sarmatica curo ne exequiæ sint mihi tacitæ. Si quis expetit delicias & versus jocosos, prædico ne unquam ista scripta evolvat. Gallus magìs idoneus ad ea, atque Propertius lenis oris: Tibullus, ingenium elegans, erit magìs idoneus. Atque utinam ne nos essemus in isto grege! Hei mihi! quamobrem mea Musa unquam lusit? Verùm luimus pœnas; & ille lusor Amoris pharetrati abest in finibus Danubii Scythici. Quòd reliquum est, flexi animos ad versus communes, & imperavi recordari famæ suæ. Si tamen aliquis è vobis petat unde scribam tam multa lugenda: passus sum multa lugenda. Non hæc deducimus ingenio, neque arte. Argumentum est ingeniosum propriis malis. Et quantula pars infortunii nostri est in versibus? Beatus qui patitur quæ potest enarrare! Quot plantas silva habens, quot Tybris fulvas arenas, quot campus Martis teneras herbas, tot mala passi sumus: quorum nulla medicina est aut solatium nisi in studio & merâ Musarum.

NOTÆ.

[i] *Tacitum*] Exequias suas celebrare se dicit.

[k] *Quod*] Pro *ut* novo atque inusitato modo: quod hic tamen non tam alienum videtur.

[l] *Isto*] Auctorum blandorum, qui amatoria & delicias scripserunt.

[m] *Ille*] Sese ipse irridet Naso.

[n] *Publica*] Quæ omnes tutò possint legere; neque in auctorem suam derivent calamitatem.

[o] *Unde*] *Quo ex fonte hauriam: quâ arte tot dicenda inveniam.*

[p] *Materia ingeniosa*] Immo ingeniosissimè materiæ ingenium attribuit.

[q] *Felix*] Quia paucula fuerint quæ numeraverit, cum iis collata quæ passus est Naso.

[r] *Martis*] In quo curulia atque equestria certamina aliaque exhibebantur, ut ferè Romanæ militiæ schola esset.

[s] *Mora*] Musæ verò animum maximâ voluptate demulcent, quæ gratissima quæque oculis ejus subjiciunt: vixque alia sincera esse potest.

Quis tibi, Naso, modus lacrymosi carminis? inquis.
Idem, Fortunæ qui modus hujus erit.
Quod querar, illa mihi pleno de fonte ministrat:
Nec mea sunt, fati verba sed ista mei.
At mihi si carâ patriam cum conjuge reddas;
Sint vultus hilares, simque quod ante fui.
Lenior invicti si sit mihi Cæsaris ira;
Carmina lætitiæ jam tibi plena dabo.
[t] Nec tamen ut lusit, rursus mea littera ludet:
Sit semel illa joco luxuriata suo.
Quod probet [u] ipse, canam: pœnæ modò parte levatâ
Barbariem, rigidos effugiámque Geras.
Interea nostri quid agant, nisi triste, libelli?
[x] Tibia funeribus convenit ista meis.
At poteras, inquis, [y] meliùs mala ferre silendo;
Et tacitus casus dissimulare tuos.
Exigis, ut nulli gemitus tormenta sequantur;
Acceptóque gravi vulnere flere vetas.
Ipse [z] Perillêo Phalaris permisit in ære
Edere mugitus, & bovis ore queri.
Cùm Priami [a] lacrymis offensus non sit Achilles;
Tu fletus inhibes, [b] durior hoste, meos.

INTERPRETATIO.

Quis, ais, tibi modus versuum flebilium, Naso? Idem qui erit modus hujus sortis. Illa mihi prabet de fonte exundante quod doleam: neque ista verba sunt mea, sed sortis mea. At si mihi restituas patriam cum dilectâ uxore, facies sis lata, simque quod fui priùs. Si ira invicti Cæsaris sit mihi mitior exhibebo tibi versus plenos jucunditatis. Neque tamen mea littera rursus jocabitur ut jocata est: Illa semel sit luxuriata suo ludo. Cantem quod ipse laudet; modò parte supplicii imminutâ deseram barbariem & savos Getas. Interea quid faciant nostri libelli, nisi luctuosum? Ista sibia apta est meis exequiis. At, dicis, poteras meliùs tolerare mala tacendo; & silens tegere tuum infortunium. Imperas, ut nulli gemitus sequantur cruciatus; & prohibes ejulare crudeli plagâ adactâ. Ipse Phalaris concessit reddere mugitus in are Perillêo, & conqueri ore tauri. Cùm Achilles non sit lasus fletibus Priami; tu vetas lacrymas meas, savior hoste.

NOTÆ.

[t] *Nec*] *Amatoria non scribam.*

[u] *Ipse*] Cæsar, *qui in excutiendis meis scriptis usque adeò antea severus fuit.*

[x] *Tibia*] Ad cujus lugubrem sonum Majores funera efferre consueverant. Per tibiam autem triste scribendi genus intellige.

[y] *Melius*] Videtur equidem generosius: cæterùm frustià sunt qui ità absolutè suadent. Sed dissertationem integram, non notulam, sibi expetit istud Argumentum.

[z] *Perilleo*] Perillum in præcedentibus vidimus Tauri ænei fabricatorem, quo Siculus tyrannus sibi invisos supposito igne torquebat.

[a] *Lacrymis*] Quibus victus Achilles Hectoreum corpus patri reddidit.

[b] *Durier*] Namque hostem Priamum Achilles flere non prohibuit.

Cùm faceret [e] Nioben orbam Latonia proles,
Non tamen & siccas jussit habere genas.
[d] Est aliquid, fatale malum per verba levari:
Hoc querulam [e] Prognen Halcyonénque facit.
Hoc erat, in gelido quare Pæantius antro
Voce fatigaret [g] Lemnia saxa suâ.
[h] Strangulat inclusus dolor, atque exæstuat intus:
Cogitur & vires multiplicare suas.
Da veniam potius vel totos tolle libellos;
Si mihi quod prodest, hoc tibi, lector, obest.
Sed neque obesse potest: ulli [i] nec scripta fuerunt
Nostra, nisi auctori perniciosa suo.
At mala sunt [k] fateor. quis te mala sumere cogit?
Aut quis [l] deceptum ponere sumta vetat?
Ipse nec hæc mando: sed ut hîc deducta legantur.
Non sunt illa suo barbariora loco.
Nec me Roma suis debet conferre poëtis.
Inter Sauromatas Ingeniosus ero.
Denique nulla mihi captatur gloria, quæque
Ingenio stimulos subdere Fama solet.

INTERPRETATIO.

Cùm progenies Latonæ redderet Nioben orbam, non tamen etiam imperavit habere genas aridas. Est aliquid, malum fatale minui per voces. Istud facit Prognen & Halcyonen querulam. Istud erat quamobrem Pæantius obstreperet petris Lemniis suâ voce in speluncâ frigidâ. Dolor repressus suffocat, atque intus sævit, & cogitur augere vires suas. Ignosce, vel potiùs remove totos libellos, si quod me juvat, Lector, illud tibi nocet. Verùm neque potest nocere: neque scripta nostra cuiquam fuerunt exitialia nisi auctori suo. At mala sunt. agnosco: quis subigit te capere mala? vel quis prohibet falsum omittere accepta? Neque ipse hæc mitto: sed ut composita hîc legantur. Illa non sunt truculentiora suo loco. Neque Roma debet me componere suis vatibus. Ero ingeniosus inter Sauromatas. Denique nulla laus à me quæritur, aut nomen quod consuevit subjectare calcaria ingenio.

NOTÆ.

[c] *Niobon*] Hanc Tantali filiam vide in Metam. ubi Apollinem & Dianam Latonæ prolem, illius confodere liberos eâdem operâ invenies.

[d] *Est aliquid*] Egeritur verò, dum exploratur, & lamentando quasi cumulatur dolor. Atque hîc aliquid est ex intimo naturæ sinu tribus verbis non expediendum.

[e] *Prognem*] Hujus Pandionis filiæ, atque Halcyones Ceycis uxoris. Fabulas vide in Metam.

[f] *Pæantius*] Philoctetem quoque Pæantis filium habes in Metam.

[g] *Lemnia*] In Lemno insulâ relictus fuerat.

[h] *Strangulat*] Optimè dicit. Quanquam tamen si cui dabitur devorare atque exequere dolorem, ille omnium optimè fecerit, & sibi consuluerit.

[i] *Nec scripta*] Falsum istud: namque illis maximè perniciosa amatoria ejus fuerunt, qui inde gliscentem ultro flammam irritaverunt.

[k] *Fateor*] Per concessionem istud, & figuram Rhetoricam dicitur, quod aliter non satis ex auctoris mente intelligas.

[l] *Deceptum*] Qui priùs quàm legisses bona esse præsumebas.

Nolumus

Nolumus assiduis animum tabescere curis:
Quæ tamen irrumpunt, [m] quòque vetantur, eunt.
Cur scribam docui: cur mittam quæritis [n] istos?
Vobiscum cupiam quolibet esse modo.

INTERPRETATIO.

Nolumus mentem deficere perpetuis anxietatibus, quæ tamen impetum faciunt, & subeunt quò prohibentur. Dixi quamobrem scribam; petitis quamobrem mandem istos. Voveam esse vobiscum quoquo modo.

NOTÆ.

[m] *Quaque*] Quippe quæ mentem subeunt, illámque percellunt.

[n] *Istos*] Libellos *scil.*

ELEGIA II.

ARGUMENTUM.

Ecquid ut è Ponto.] *Ad uxorem scribens, dicit se corpore bene valere, quamvis mente langueat. Ostenditque dolorem eundem esse, qui primo fuit, quum relegatus sit ab Augusto. Postea commemorat incommoda, quibus sine fine conficitur. Et quandoquidem levis sit exilii causa, & magna Cæsaris clementia, pro marito roget, hortatur. nec ullam sibi spem relictam, quàm Augusti clementiam.*

ECquid, ut è Ponto nova venit epistola, palles;
Et tibi sollicitâ solvitur illa manu?
Pone metum; valeo. corpúsque, quod antè laborum
Impatiens nobis invalidúmque fuit,
Sufficit; atque ipso vexatum induruit usu.
[a] An magis infirmo non vacat esse mihi?
Mens tamen ægra jacet, nec tempore robora sumsit:
Affectúsque animi, qui fuit antè, manet.
Quæque morâ spatióque suo coitura putavi
Vulnera; non aliter, quàm modò facta, dolent.
Scilicet exiguis prodest annosa vetustas,
Grandibus accedunt tempore damna malis.

INTERPRETATIO.

Nonne, statim atque novæ litteræ adsunt ex Ponto, pallescis? atque illæ à te aperiuntur manu anxiâ? Omitte timorem; valeo: atque corpus, quod priùs nobis fuit impatiens laborum & infirmum, constat, & lacessitum confirmatum est ipsâ experientiâ & periculo. An non mihi concessum esse ampliùs invalide? Animus tamen infirmus prostratus est, neque confirmatus morâ: & status mentis qui priùs fuit, perstat. Et plagæ quas credidi coalituras suâ morâ atque tempore, non secus dolent quàm modò inflictæ. Nimirum longa vetustas minuit levia mala, gravia augentur spatio.

NOTÆ.

[a] *An magis*] Ex eo fortè sese suspicatur bene valentem, quòd morbus augeri non possit.

Pænè decem totis aluit Pæantius annis
Pestiferum tumido vulnus ab [b] angue datum.
[c] Telephus æternâ consumtus tabe perisset,
Si non, quæ nocuit, dextra tulisset opem.
Et mea, si facinus nullum commisimus, opto.
Vulnera qui fecit, facta levare velit.
Contentúsque mei jam tandem parte laboris,
Exiguum pleno de [d] mare demat aquæ.
Detrahat ut multùm, multùm restabit acerbi:
Pársque meæ pœnæ totius instar erit.
Littora quot conchas, quot amœna rosaria flores,
Quotve soporiferum grana papaver habet;
Silva feras quot alit, quot piscibus unda natatur;
Quot tenerum pennis aëra pulsat avis;
Tot premor adversis. quæ si comprendere coner,
[e] Icariæ numerum dicere coner aquæ.
Utque viæ casus, ut amara pericula ponti,
Ut taceam strictas in mea fata manus;
Barbara me tellus, orbísque novissima magni
Sustinet; & sævo cinctus ab hoste locus.
Hinc ego trajicerer (neque enim mea culpa [f] cruenta est;
Esset, quæ debet, si tibi cura mei.
Ille [g] Deus, bene quo Romana potentia nixa est,
Sæpe suo victor lenis in hoste fuit.

INTERPRETATIO.

Pæantius tulit ferè integris decem annis sævam plagam impactam à serpente turgido. Telephus obiisset confectus lue insanabili, nisi manus quæ obfuit auxilio fuisset. Verò etiam, siquidem nullum flagitium admisimus, ut qui inflixit meas plagas velit sanare inflictas. Atque jam tandem expletus parte meæ pœnæ, tollat paululùm liquoris de pleno æquore. Quamvis multùm auferas, multùm supererit immitis; & pars mei laboris erit instar totius. Quot littora habent conchas, quot rosaria amœna habent *flores, aut papaver somniferum grana; quot nemus nutrit feras, quot piscibus aqua agitatur, quot pennis volucris sulcat mollem aerem: tot urgeor malis: quæ si nitar in unum cogere, nitar numerare aquam Icariam. Et tamen si omittam pericula itineris, atque acerba discrimina maris, & manus paratas in meam mortem, terra barbara, & ultima vasti mundi me tenet, atque locus sepius hoste. Ego hinc mutarer, (neque enim meum peccatum est capitale) si tibi esset sollicitudo de me, qua deberet esse. Ille Deus, quo Imperium Romanum fretum est, victor sæpe fuit mitis in suo hoste.*

NOTÆ.

[b] *Angue*] Cujus veneno infectæ fuerant sagittæ Herculis, quarum unâ Philoctetes vulneratus; ut dictum in Metam.

[c] *Telephus*] Herculis fuit filius, rex Mysorum, ab Achille vulneratus, cujus hastâ aut certè ferri rubigine sanatus est. De eo autem in Amoribus.

[d] *Mare*] Jam in superioribus se toto obrutum mari dixit.

[e] *Icaria*] Pro quovis mari illud posuit, cui Icarus Dædali filius clade suâ nomen dedit.

[f] *Cruenta*] Id est, *Quæ sanguinem meum, ob capitale flagitium deposcat.*

[g] *Deus*] Augustus.

Quid dubitas? quid tuta times? accede, rogáque.
Cæsare nil ingens mitius orbis habet.
Me miserum! quid agam, si proxima quæque [h] relinquunt?
Subtrahis effracto tu quoque colla jugo?
Quò ferar; unde petam lapsis solatia rebus?
[i] Anchora jam nostram non tenet ulla ratem.
[k] Viderit: ipse sacram quamvis invisus ad [l] aram
Confugiam: nullas submovet ara manus.
Alloquor en [m] absens præsentia numina supplex:
Si fas est homini cum Jove posse loqui.
Arbiter imperii, quo certum est sospire cunctos
Ausoniæ curam gentis habere Deos:
O decus, ô patriæ per te florentis [n] imago;
O vir non ipso, quem regis, orbe minor;
Sic habites terras, & te desideret æther!
Sic ad pacta tibi sidera tardus eas!
Parce, precor: minimámque tuo de fulmine partem
Deme. satis pœnæ, quod superabit, erit.
Ira quidem moderata tua est; vitámque dedisti:
Nec mihi jus civis, nec mihi [o] nomen abest.
Nec mea concessa est aliis [p] Fortuna: nec exsul
Edicti verbis nominor ipse tui.

INTERPRETATIO.

Quid hæres? quid vereris tuta? Accede, & precare: vastus mundus nihil habet lenius Cæsare. Me infelicem! quid faciam, si omnia mihi *junctissima me deserunt? Tu etiam surripis cervicem jugo disrupto? Quò concedam? unde inveniam levamen afflictis rebus? Nulla anchora jam tenet nostram navem. Consuluerit: quanquam odiosus, ipse* tamen *ad altare confugiam: altare nullas manus repellit. Ecce absens supplex alloquor Deum præsentem; si fas est homini posse alloqui Jovem. Arbiter imperii, quo incolumi certum est omnes Deos gerere curam populi Itali; ô gloria, ô imago patriæ per te florentis; ô vir non minor ipso mundo quem temperas; ità incolas terras, & cœlum te cupiat! Ita serus concedas ad astra tibi promissa! ignosce, oro; atque detrahe minimam partem tuo fulmini: quod supererit erit satis supplicii. Ira tua est quidem temperata, & indulsisti vitam: Neque mihi jus civis, neque nomen desideratur. Neque sors mea est data aliis: neque ego appellor exsul verbis edicti tui.*

NOTÆ.

[h] *Relinquunt*] *Deserunt & destituunt me amici atque propinqui.*

[i] *Anchora*] Eleganti metaphorâ sese cuivis periculo objectum, sine omni auxilio, ostendit.

[k] *Viderit*] Proverbialis locutio, in rebus deploratis, quasque tuto consilio non licet exequi. Gallicè ferè dicimus in hanc sententiam, *Qu'il aille comme il pourra.* Quanquam refertur istud magis ad Augustum.

[l] *Aram*] Acutissimè ex honore quem Augusto præstat, sibi ad deprecationis audaciam, viam sternit.

[m] *Absens præs.*] Ingeniosè si quicquam aliud: namque & verecundiam habet hæc anthithesis ad petendum; & Cæsari quasi Deo adblanditur.

[n] *Imago*] Repræsentatio publicæ felicitatis.

[o] *Nomen*] *Quia civis adhuc dicor.*

[p] *Fortuna*] *Bona.*

Omniáque hæc timui, quia me meruiſſe videbam :
  Sed tua peccato lenior ira meo eſt.
Arva relegatum juſſiſti viſere Ponti,
  Et Scythicum profugâ findere puppe fretum.
Juſſus ad Euxini deformia littora veni
  Æquoris. hæc gelido terra ſub axe jacet.
Nec me tam cruciat nunquam ſine frigore cælum
  Glebáque canenti ſemper obuſta gelu ;
Neſciáque eſt vocis quòd barbara lingua Latinæ ;
  Grajáque quòd Getico [q] victa loquela ſono ;
Quàm quòd finitimo cinctus premor undique [r] Marte ;
  Víxque brevis tutum murus ab hoſte facit.
Pax tamen interdum, pacis fiducia nunquam eſt.
  Sic hîc nunc patitur, nunc timet arma, locus.
Hinc ego dum muter, vel me [ſ] Zanclæa Carybdis
  Devoret, atque ſuis ad [t] Styga mittat aquis :
Vel rapidæ flammis urar patienter in [u] Ætnæ :
  Vel freta [x] Leucadii mittar in alta Dei.
Quod petitur, pœna eſt : neque enim miſer eſſe recuſo ;
  Sed precor, ut poſſim tutius eſſe miſer.

INTERPRETATIO.

Atque metui hæc omnia, quia videbam me dignum eſſe : ſed ira tua mitior eſt meo delicto. Imperaſti me pulſum concedere in campos Ponticos, & ſulcare mare Scythicum navi profugâ. Juſſus acceſſi ad horrida littora Ponti Euxini. Hoc ſolum porrectum eſt ſub polo frigido. Neque aër nunquam ſine frigore, & ceſpes ſemper adustus gelu albo tam me torquet, & quòd lingua barbara eſt ignara ſoni Latini ; & quòd ſermo Græcus eſt ſuperatus voce Geticâ, quàm quòd ſæpius urgeor undiquaque bello vicino ; vixq. exiguus murus defendit ab hoſte. Nonnunquam tamen eſt pax, nunquam fiducia pacis. Itaque hic locus modò ſentit, modò metuit arma. Dum hinc trajiciar, vel Charybdis Zanclea me abſorbeat, & mittat ad Inferos ſuis aquis ; vel ardeam patienter in ignibus ferventis Ætnæ : vel dejiciar in profunda maria Dei Leucadii. Quod poſcitur eſt ſupplicium ; neque verò denego eſſe infelix : ſed poſco ut poſſim eſſe infelix ſecurius.

NOTÆ.

[q] *Victa*] Quia Græci, qui illuc conceſſerant coacti denique uſu atque barbarorum commercio linguam ſuam corrumpere.

[r] *Marte*] Bello, quod à Barbaris imminet ſemper.

[ſ] *Zanclæa*] Quia non longè à Zancle, Siciliæ oppido, gurges immanis ſeu vorago illa in quam mutata dicitur Charybdis mulier rapaciſſima.

[t] *Styga*] *Inferos*, apud quos illa palus. Charybdis verò verticibus ſuis in profundum naves trahere dicebatur.

[u] *Ætna*] Qui mons eſt Siciliæ ignibus quos eructat maximè celebratus. Cæterùm, dum extrema quæque, & maximè formidabilia, videtur arceſſere Naſo, callidè loca indicat in quæ potuiſſet & vellet relegari.

[x] *Leucadii*] Qui in inſulâ Leucade colebatur de quâ ne pigeat videre quæ de ejus promontorio in ſuperioribus ipſe Naſo. Apollo autem hic intelligitur.

ELEGIA III.

ARGUMENTUM.

Illa dies hæc eſt, &c.] *Queritur Ovidius, quòd quum Bacchi feſtum celebretur, ſibi unà cum cæteris poëtis Romæ eſſe non liceat, ut anteà ſolebat: miratúrque illum ſibi uni ex ejus cultoribus non opem tuliſſe. Demum illum, ſtudiique conſortes poëtas precatur, ut à Cæſare reditum impetrent.*

ILla dies hæc eſt, [a] quâ te celebrare poëtæ,
(Si modò non fallunt tempora) Bacche, ſolent;
Feſtáque odoratis innectunt tempora ſertis,
Et dicunt laudes ad [b] tua vina tuas.
Inter quos memini, dum me mea fata [c] ſinebant,
Non inviſa tibi pars ego ſæpe fui.
Quem nunc ſuppoſitum ſtellis [d] Erymanthidos Urſæ
Juncta tenet [e] crudis Sarmatis ora Getis.
Quique prius mollem vacuámque laboribus egi
In ſtudiis vitam, Pieridúmque choro;
Nunc procul à patriâ Geticis circumſonor armis
Multa priùs pelago, multáque paſſus humo.
Sive mihi caſus, ſive [f] hoc dedit ira Deorum;
[g] Nubila naſcenti ſeu mihi Parca fuit:
Tu tamen è ſacris [h] hederæ cultoribus unum
Numine debueras ſuſtinuiſſe tuo.

INTERPRETATIO.

Hæc eſt illa dies, quâ Vates conſueverunt te colere, Bacche, ſi modò tempora non me decipiunt: atque illi rediminut læta tempora. Sertis fragrantibus, & canunt laudes tuas ad tua vina. Inter quos, recordor, dum mea ſors me ferebat, ego fui ſæpe pars tibi non odioſa. Quem nunc ſubmiſſum ſtellis Urſæ Erymanthidos tractus Sarmaticus proximus ferocibus Getis tenet. Quique antea duxi vitam levem & otioſam in ſtudiis & coronâ Muſarum, jam longè à patriâ circumſtreper armis Geticis, paſſus antea plurima mari, plurimaque terrâ. Sive fortuna, ſive ira Deorum iſtud præbuit, ſive Parca fuit atra mihi naſcenti, tu tamen debueras defendiſſe tuo numine unum ex ſacris cultoribus hederæ.

NOTÆ.

[a] *Quâ*] Decimo quinto Calendas Apriles Bacchi feſtum celebrabatur; de quo fuſiùs in Faſtis.

[b] *Tua*] Quæ à te inventa in tuum funduntur quoque honorem.

[c] *Sinebant*] Non relegatus.

[d] *Erymanthidos*] Ab Erymantho Arcadiæ monte Caliſtonem Lycaonis filiam nomen habuiſſe jam ſæpe vidimus; quæ in urſam mutata, deinde in cœlum tranſlata fuit.

[e] *Crudis*] Feris atque crudelibus.

[f] *Hoc*] Quod exſul miſeram vitam ago.

[g] *Nubila*] Atra; quæ filo nigro vitæ meæ, ſeriem deſcripſerit.

[h] *Hedera*] Quæ Baccho ſacra, adeòque illum deſignat.

An [i] dominæ fati quidquid cecinêre forores,
Omne ſub arbitrio [k] deſinit eſſe Deûm ?
[l] Ipſe quoque [m] æthereas meritis invectus es arces ;
Quà non exiguo facta labore via eſt.
Nec [n] patria eſt habitata tibi : ſed ad uſque nivoſum
[o] Strymona [p] veniſti, [q] Marticolámque Geten :
[r] Perſidáque, & lato ſpatiantem flumine [ſ] Gangen,
Et quaſcunque bibit [t] diſcolor Indus aquas.
Scilicet [u] hanc legem nentes fatalia Parcæ
Stamina [x] bis genito bis cecinêre tibi.
Me quoque, ſi fas eſt exemplis ire Deorum,
Ferrea ſors vitæ difficiliſque premit.
[y] Illo nec levius cecidi ; quem magna locutum
Reppulit à Thebis Jupiter igne ſuo.
Ut tamen audiſti percuſſum fulmine vatem,
Admonitu [z] matris condoluiſſe potes.
Et potes, aſpiciens circum tua ſacra poëtas,
Neſcio quis noſtri, dicere, cultor abeſt.

INTERPRETATIO.

An id omne quod ſorores dominæ fati prædixerunt non pendet ampliùs ex nutu Deorum ? Ipſe quoque conſcendiſti arces cæleſtes tuis præclarè geſtis, quà via aperta eſt non parvo labore. Neque in patriâ permanſiſti ; ſed acceſſiſti uſque ad Strymonem nivalem, & Geten bellicoſum, & Perſidem, & Gangem, & quaſcumque aquas niger Indus potat. Nimirum Parcæ trahentes fila fatalia dixerunt hanc legem tibi bis nato. Siquidem licet ferri exemplis Deorum, conditio vitæ dura atque gravis me etiam urget. Neque leniùs procubui illo, quem ſuperba locutum Jupiter deturbavit Thebis ſuo fulmine. Poſtquam tamen accepiſti Poetam ictum fulmine, potes indoluiſſe recordatione matris. Atque potes dicere, videns vates circa tua ſacra, neſcio quis noſtri cultor abeſt.

NOTÆ.

[i] *Domina fati*] Parcæ tres, Lacheſis, Clotho & Atropos, quæ fatis dicuntur præeſſe.

[k] *Deſinit*] Fato omnia fieri non Stoici modò arbitrabantur; ſed illi Jovem ipſum ſtare, cui nequidem quiſquam Deorum reſiſteret, ex Poëtarum ſententia paſſim, Virgilii in primis licet cognoſcere.

[l] *Ipſe quoque*] Ut nihil mirum ſit Poëtæ ſi ad cœlum via arduâ ſit contendendum. Quod utinam terræ affixi & ſenſibus devoti noſtri plerique homines ne tam quidem intelligere reformidarent.

[m] *Æthereas*] Cœlum ; quò virtute ſuâ Bacchus tranſlatus eſt.

[n] *Patria*] Thebæ.

[o] *Strymona*] Qui fluvius eſt in Thraciæ atque Macedoniæ confinio, ex Æmo monte decurrens.

[p] *Veniſti*] *Atque victoriis peragraſti.*

[q] *Marticolam*] Quia bellicoſi.

[r] *Perſidáque*] Quam Aſiæ regionem ſubegit etiam Bacchus.

[ſ] *Gangem*] Indiæ eſt fluvius maximus.

[t] *Diſcolor*] *India populus niger & mali coloris, ob nimium Solis ardorem.* Plin.

[u] *Hanc legem*] Ut multis laboribus cœlum peteres. At enim non Parcæ modò, ſed ipſa rerum natura, ſed Dei Sapientia atque Bonitas ità opus eſſe facto apertè indicant.

[x] *Bis*] Bis genitus, aut bimater quare dicatur Bacchus, qui ex ventre Semeles, deinde & Jovis femore prodiit, prolixè habes in Metam.

[y] *Ille*] Capaneus eſt de quo in ſuperioribus ; qui magnifica & ſuperba dum jactabat, fulmine ictus eſt.

[z] *Matris*] Semele namque, Bacchi mater Jovis igne conflagravit : quâ de re in Metam.

Fer, bone Liber, opem: sic altam degravet [a] ulmum
Vitis, & incluso plena sit uva mero.
Sic tibi cum [b] Bacchis Satyrorum gnava juventus
Adsit, & [c] attonito non taceare sono.
Ossa bipenniferi sic sint malè pressa [d] Lycurgi:
Impia nec pœnâ [e] Pentheos umbra vacet.
Sic micet æternùm vicináque sidera vincat
Conjugis in cœlo [f] Cressa Corona tuæ.
Huc ades, & casus releves, [g] pulcherrime, nostros,
Unum de numero me memor esse tuo.
Sunt Dîs inter se commercia. flectere tenta
Cæsareum numen numine, Bacche, tuo.
Vos quoque, consortes studii [h] pia turba poëtæ,
Hæc eadem [i] sumto quisque rogate mero.
Atque aliquis vestrûm, Nasonis nomine dicto,
Deponat lacrymis pocula mista suis:
Admonitúsque mei, cùm circumspexerit omnes,
Dicat, Ubi est nostri pars modò Naso chori?
Idque ita; si vestrum merui candore favorem:
[k] Nulláque judicio littera læsa meo est.

INTERPRETATIO.

Ades auxilio, bone Bacche; ita vitis eneret sublimem ulmum, & uva sit plena incluso vino. Ità alacris juventus Satyrorum te comitetur cum Bacchis; & non tacearis sono attonito. Ità ossa securigeri Lycurgi malè cubent: neque scelesti Manes Penthei careant supplicio. Ità Corona Cretensis tuæ uxoris in cœlo æternùm splendeat, & superet sidera proxima. Huc adsis, formosissime, atque minuas nostrum infortunium, recordans me esse ex tuis. Est familiaritas Diis inter se. Nitere emollire numen Cæsareum numine tuo, ò Liber. Vos etiam vates, pius cœtus consortes studii, orate singuli hæc eadem vino capto. Atque aliquis vestrûm, nomine Nasonis prolato, deponat pocula mista suis lacrymis: & mei admonitus, postquam circumspexerit omnes, dicat, Ubi est Naso nuper membrum nostri agminis. Idque sic, si meritus sum vestram benevolentiam candore; nulláque littera est spreta meo judicio.

NOTÆ.

[a] *Ulmum*] Cui vitis innititur.

[b] *Bacchis*] Quæ etiam thyrsis armatæ Bacchi exercitum sequutæ dicuntur.

[c] *Attonito*] Quia attoniti atque furentes qui Bacchi thyrso tacti, sacra ejus maximo strepitu cum cymbalis atque tympanis celebrabant.

[d] *Lycurgi*] Hujus Thraciæ regis, qui sibi crura amputavit, cùm vites conaretur incidere Fabulam habes in Metam.

[e] *Pentheos*] Diversè de eo scripserunt. Noster ab Agave matre Echionis uxore, ejusque sororibus in furorem versis, laniatum ideò scripsit quòd Liberi patris sacra aspernatus esset.

[f] *Cressa*] Ariadne namque, Minois filia, Cretensis fuit, cujus corona in cœlum translata. Hujus fabulam habes in primo de Arte amandi.

[g] *Pulcherrime*] Bacchus verò juxta cum Apolline imberbes & virgineâ facie pinguntur.

[h] *Pia*] Qui non Musarum modò, sed & Deorum sacerdotes.

[i] *Sumto*] Postquam pocula libaveritis.

[k] *Nullaque*] *Nullius scripta notavi.*

Si, veterum dignè veneror cùm scripta virorum,
[l] Proxima non illis esse minora reor.
Sic igitur [m] dextro faciatis Apolline carmen:
[n] Quod licet, inter vos nomen habete meum.

INTERPRETATIO.

Si quando dignè celebro scripta antiquorum virorum, arbitror recentiora non esse illis inferiora. Ità ergo ducatis carmen favente Apolline; Habete nomen meum inter vos quod conceditur.

NOTÆ.

[l] *Proxima*] Vestra *scilicet.*
[m] *Dextro*] *Propitio.*
[n] *Quod licet*] Nomine sim vobiscum, quandoquidem corpore propter Augusti iram non licet.

ELEGIA IV.

ARGUMENTUM.

Littore ab Euxino.] *Epistola ab Euxino littore Romam venisse, ceràmque laudare amici fidem, inducit Ovidius. Eum postremè precatur, ut se constanter tueatur.*

Littore ab Euxino Nasonis epistola veni,
Lassáque facta mari, lassáque facta viâ.
Qui mihi flens dixit, Tu, cui licet, aspice Romam.
Heu quanto melior sors tua sorte meâ!
Flens quoque me scripsit: nec qua signabar, ad os est
Antè, sed ad madidas [a] gemma [b] relata genas.
Tristitiæ caussam si quis cognoscere quærit;
Ostendi solem postulat ille sibi.
Nec frondem in silvis, nec aperto mollia prato
Gramina, nec pleno flumine cernit aquas.
Quid Priamus doleat, mirabitur Hectore rapto;
Quidve [c] Philoctetes ictus ab angue gemat.

INTERPRETATIO.

Ego Epistola Nasonis accessi à littore Euxino, & defessa mari, & defessa itinere; Qui mihi dixit lugens, Tu cui conceditur vise Romam. Heu quantò fortuna tua præstantior fortunâ meá. Exaravit me etiam lugens: neque gemma quâ signabar est ante admota ori, sed humidu genu. Si quis expetit intelligere caussam mœroris, ille petit Solem sibi monstrari. Neque videt folia in silvis, neque teneras herbas in vasto prato, neque aquas in exundante fluvio. Stupebit quamobrem Priamus mœreat Hectore sublato; vel quamobrem Philoctetes morsus à serpente queratur.

NOTÆ.

[a] *Gemma*] Quâ Poëtæ sigillum continebatur.
[b] *Relata*] Ut humectaretur lacrymis, non linguæ humore, ut fieri mos est.
[c] *Philoctetes*] Jam sæpius istum Herculis comitem vidimus; qui non modò illius sagittâ unâ Hydræ felle tinctâ, quæ in pedem decidit, vulneratus est; sed insuper hydrâ morsus fuit, ut Sophocles aliique tradiderunt.

[Dî facerent utinam, talis ſtatus eſſet in [d] illo,
  Ut non triſtitiæ cauſſa dolenda foret.]
Fert tamen, ut debet, caſus [e] patienter amaros :
  More nec indomiti fræna recuſat equi.
Nec fore perpetuam ſperat ſibi [f] numinis iram,
  Conſcius in culpâ non ſcelus eſſe ſuâ.
Sæpe refert, ſit quanta Dei clementia : cujus
  Se quoque in exemplis annumerare ſolet.
Nam quòd opes teneat patrias, quòd nomina civis ;
  Denique quòd vivat, munus habere Dei.
Te tamen, ô, ſi quid credis mihi carior, ille,
  Omnibus, in toto pectore ſemper habet.
Teque [g] Menœtiaden, te [h] qui comitavit Oreſten,
  Te vocat [i] Ægiden, [k] Euryalúmque ſuum.
[l] Nec patriam magis ille ſuam deſiderat, & quæ
  Plurima cum patriâ ſentit abeſſe ſuâ ;
Quàm vultus, oculóſque tuos, ô dulcior illo
  Melle, quod in ceris [m] Attica ponit apis !
Sæpe etiam mœrens tempus reminiſcitur [n] illud,
  Quod nòn præventum morte fuiſſe [o] dolet.

INTERPRETATIO.

Utinam Dii præſtarent ea eſſet ſors ejus, ut cauſſa mæroris non eſſet deflenda. Tolerat tamen fortiter, ut debet, ſortem iniquam : neque excutit fræna more equi efferi. Neque putat iram Dei futuram ſibi æternam, cùm ſciat flagitium abeſſe à ſuo errore. Frequenter memorat, quanta ſit Dei clementia ; in cujus exemplis conſuevit ſe etiam recenſere. Namque dicit ſe obtinere dono ejus, quòd habeat divitias paternas, quòd nomina civis, denique quòd vitâ fruatur. Ille tamen, ſi aliquam mihi fidem habes, ô dilecte præ omnibus, habet te ſemper in toto corde. Teque appellat Menœtiaden, te qui comitatus eſt Oreſten, te Ægiden, atque Euryalum ſuum. Neque ille plus optat patriam ſuam, & quæ multa ſentit procul eſſe cum patriâ ſuâ, quàm faciem atque oculos tuos, ô ſuavior ille melle, quod apis Attica digerit in ceris! Crebrò etiam flens revolvit illud tempus, quod dolet non fuiſſe præventum morte.

NOTÆ.

[d] *Ille*] Naſone *ſcil.* Sed diſtichon eſt adulterinum.

[e] *Patienter*] Virtutis verò eſt maximæ ut fortunam ſecundam moderatè, itá adverſam patienter ferre.

[f] *Numinis*] Auguſti.

[g] *Menœtiaden*] *Amiciſſimum :* qualem Patroclus Menœtii filius ſeſe adversùs Achillem præbuit.

[h] *Qui comit.*] Pylades eſt, de quo ſuprà ; qui Oreſtem ſuum, utcumque furentem nunquam deſtituit.

[i] *Ægiden*] Theſeum, Ægei filium, qui Pirithoum ad inferos uſque comitatus eſt.

[k] *Euryalum*] Niſi atque Euryali egregium amorem, Virgiliano carmine celeberrimum vidimus etiam in ſuperioribus.

[l] *Nec patriam*] Amicorum verò atque propinquorum causâ patria cuique cariſſima.

[m] *Attica*] Quæ in Hymetto Atticæ regionis monte mellificat. Laudatiſſimum autem fuit mel illud.

[n] *Illud*] Quo amicus Poëtæ clade non exterritus neque illi veritus eſt ſuam amicitiam, neglecto Auguſti odio patefacere.

[o] *Dolet*] Voluiſſet Naſo antè mori quàm in exſilium mitteretur.

Cùmque alii fugerent subitæ [p] contagia cladis,
Nec vellent [q] ictæ limen adire domûs;
Te sibi cum paucis meminit mansisse fidelem:
Si paucos aliquis trésve duósve vocat.
Quamvis attonitus, [r] sensit tamen omnia: nec te
Se minus adversis indoluisse suis.
Verba solet, vultúmque tuum, gemitúsque referre:
Et te flente suos [s] emaduisse sinus.
Quàm sibi præstiteris, quâ consolatus amicum
Sis ope; [t] solandus cùm simul ipse fores.
Pro quibus affirmat fore se memorémque piúmque,
Sive diem videat, sive tegatur humo.
Per caput ipse suum solitus jurare tuúmque,
Quod scio non illi vilius esse suo,
Plena tot ac tantis referetur gratia factis:
Nec sinet ille tuos littus [u] arare boves.
Fac modò constanter profugum tueare. quod ille,
Qui bene te novit, [x] non rogat; [y] ipsa rogo.

INTERPRETATIO.

Recordatur etiam te cum paucis, si quis appellat duos aut tres paucos, mansisse sibi fidelem, cùm cæteri vitarent contagia repentina ruina, neque vellent accedere ad limen domus afflictæ. Quanquam attonitus, advertit tamen singula; neque te minùs se ingemuisse suis ærumnis. Consuevit reminisci voces, & faciem tuam, & fletus; & te lacrymante suos sinus irrigatos fuisse. Quod auxilium sibi præbueris, quo modo sis consolatus amicum, cùm ipse unà esses consolandus. Pro quibus asserit se fore memorem & pium, sive fruatur luce, sive condatur terrâ. Ipse solitus jurare per caput suum & tuum, quod scio non esse illi minùs carum suo; Gratia integra reponetur pro tot ac tantis meritis; neque ille patietur tuos juvencos findere arenam. Fac tantùm indesinenter defendas exsulem. Ego oro quod ille non orat, qui bene te novit.

NOTÆ.

[p] *Contagia*] Periculum nempe maximum erat ne amicitiâ eorum Augustus offenderetur, qui eam exsuli palam testificarentur.

[q] *Ictæ*] Augusti fulmine atque irâ.

[r] *Sensit*] Ut virum cordatum decet, qui mentis integer singula cognoscere atque componere, quantùm licet, pariter debet.

[s] *Emaduisse*] Cùm *scilicet* amicus ille in Poëtæ complexibus hærens, fleusque ubertim, lacrymis suis ejus sinus perfunderet.

[t] *Solandus*] *Cùm ipso Nasone non minùs doleret.*

[u] *Arare*] Frustráque adeò laborare, siquidem arena sit sterilis.

[x] *Non rogat*] Quia turpiter ab alio, atque in ejusdem dedecus quisquam requisierit, quod ille ex officio teneatur facere. Inertiæ quippe tacitè, atque animi pravi, eo pacto arguitur.

[y] *Ipsa rogo*] Quàm lepidè, quamque scitè suas partes tueatur hæc epistola, nullus non videat qui in totum cæcus non fuerit.

ELEGIA V.

ARGUMENTUM.

Annuus assuetum dominæ, &c.] *Seipsum hortatur ad celebrandum uxoris natalem, pro qua bene precatur, diemque laudat, qui eam elegantissimis moribus in lucem protulit. Et quamvis digna esset fœliciori fortunâ, eam tamen hortatur, ut omnia æquo animo ferat: si quidem ejus virtus, non nisi in adversis perspici possit. Demum deos precatur, ut si nolint sibi parcere, saltem uxori innocenti ignoscant.*

ANnuus assuetum Dominæ natalis honorem
  Exigit. [a] ite manus ad pia sacra meæ.
Sic quondam festum [b] Laërtius egerit heros
  Forsan in extremo conjugis orbe diem.
Lingua [c] favens adsit longorum oblita malorum:
  Quæ (puto) [d] dedidicit jam bona verba loqui.
Quæque semel toto vestis mihi sumitur anno,
  Sumatur fatis [e] discolor alba meis.
[f] Aráque gramineo viridis de cespite fiat;
  Et velet tepidos nexa corona focos.
Da mihi thura, puer, pingues facientia flammas,
  Quodque pio fusum stridat in igne merum.
Optimè natalis, quamvis procul absumus, opto
  [g] Candidus huc venias, dissimilísque meo.
Síque quod instabat dominæ miserabile vulnus,
  Sit [h] perfuncta meis tempus in omne malis.
Quæque gravi nuper plus quàm quassata procella est,
  Qnod superest, tutum per mare [i] navis eat.

INTERPRETATIO.

Natalis annuus dominæ expetit honorem assuetum: ite ad pia sacra manus meæ. Ità fortè heros Laërtius celebraverit olim diem festum uxoris in ultimo orbe. Lingua favens adsit immemor diutinarum ærumnarum, quæ, credo, jam oblita est proferre bona verba. Atque candidus amictus discolor meæ sorti, qui semel à me induitur toto anno assumatur; & altare virens struatur de cespite herboso; & serta texta tegant calidos focos. Præbe mihi, puer, thura facientia flammas pingues, atque vinum, quod fusum crepitet in igne. Optime natalis, tametsi longè sumus, voveo ut huc accedas nitidus, & discolor meo. Sique aliquod triste vulnus impendebat dominæ, sit perfuncta meis malis in omne tempus. Atque navis, quæ nuper plus quàm quassata est aspero turbine, feratur quod restat per mare tranquillum.

NOTÆ.

[a] *Ite*] *Sacrum facito.*

[b] *Laërtius*] Ulysses Laërtæ filius.

[c] *Favens*] Bona verba, læta, atque bene precantia in dominæ gratiam proferens.

[d] *Dedidicit*] Quia nihil aliud quàm quetimonias atque dolores suos tam diu profudit.

[e] *Discolor*] Quia fata atra, atque infelicia.

[f] *Aráque*] Nota ritus, si tanti est, Genio natalem celebrantis. Fœminæ Junoni sacrificabant.

[g] *Candidus*] *Felix* ad dominam meam.

[h] *Perfuncta*] Ut nullo ampliùs mei caussâ dolore afficiatur.

[i] *Navis*] Pro uxore frequenti hâc utitur allegoriâ.

Illa domo, natâque suâ, patriâque fruatur :
  Erepta hæc uni sit satis esse mihi.
Quatenus & non est in caro conjuge felix,
  Pars vitæ tristi cætera [k] nube vacet.
Vivar, amétque virum, quoniam sic cogitur, absens :
  Consumátque annos, sed diututna, suos.
Adjicerem & nostros : sed ne contagia fati
  Corrumpanr timeo, quos agit ipsa, mei.
Nil homini certum est. fieri quis posse putaret,
  Ut facerem in mediis hæc ego sacra Getis?
Aspice ut aura tamen fumos è thure coortos
  In partes Italas & loca [l] dextra ferat.
[m] Sensus inest igitur nebulis, quas exigit ignis ;
  Consilium [n] fugiunt cætera pænè meum.
[o] Consilio commune sacrum cùm fiat in arâ
  Fratribus alternâ qui periêre manu,
Ipsa sibi discors, tanquam mandetur ab [p] illis,
  Scinditur in partes atra favilla duas.
Hoc (memini) quondam fieri non posse loquebar.
  Et me [q] Battiades judice falsus erat.

INTERPRETATIO.

Illa fruatur domo, & filiâ suâ, atque patriâ : sit satis hæc sublata esse mihi soli. Siquidem non est etiam beata in dilecto marito, reliqua pars vitæ careat mæstâ nebulâ. Vivat & diligat conjugem absens, quandoquidem ità cogitur; atque evolvat suos annos, sed longæva. Adderem quoque nostros; verùm metuo, ne contagia meæ sortis infestent quos ipsa exigit. Nihil est firmum homini. Quis credidisset fieri posse, ut ego celebrarem hæc sacra inter Getas? Vide tamen ut ventus rapiat fumos conglobatos ex thure in partes Italas & loca dextra. Ergo sensus inest fumo, quem ignis excitat : reliqua ferè non respondent meo voto. Cùm sacrum commune peragatur super altari fratribus qui conciderunt mutuis vulneribus, ipse niger cinis à se dissentiens de industriâ, quasi imperetur ab illis dividitur in duas partes. Dicebam olim, recordor, hoc non posse fieri ; & Battiades erat falsus me judice.

NOTÆ.

[k] *Nube*] Pro casibus adversis.

[l] *Dextra*] Poëtæ respectu, qui sacrificans in ortum obversus.

[m] *Sensus*] Quia eò ferebatur fumus, quò vota sua dirigebat Naso, illud dicit.

[n] *Fugiunt*] Solus quippe fumus idem quod Poëta facere videbatur.

[o] *Consilio*] Hæc est fabula. Eteocles & Polynices Oedipi Thebanorum regis filii fuerunt, quos inter alternis annis, illo mortuo, regnare convenerat. Primes partes natu major Eteocles exequitur. Verùm fratri suo cùm renueret regno cedere, Polynices bellum intulit. Mutuis vulneribus occubuerunt, deinde rogo eidem sunt impositi. Verùm, ut cecinit Statius, altero correpto,

Fratris primos ut contigit artus
Ignis edax, tremuère rogi, & novus advena busto
Pellitur, exundant diviso vertice flammæ,
Alternósq; apices, abruptâ luce coruscant.

Hinc petitum ignis aut fumi consilium.

[p] *Illis*] Eteocle & Polynice fratribus.

[q] *Battiades*] Callimachus Poëta Batti filius, qui & hanc retulit fabulam.

Omnia nunc credo: cùm tu consultus ab [r] Arcto
[f] Terga vapor dederis, Ausoniámque petas.
[t] Hæc igitur lux est: quæ si non orta fuisset,
[u] Nulla fuit misero festa videnda mihi.
Edidit hæc mores illis [x] heroïsin æquos,
Queis erat [y] Eëtion [z] Icariúsque pater.
Nata pudicitia est, mores, probitásque, fidésque:
At non sunt istâ gaudia nata die.
Sed labor, & curæ, fortunáque moribus [a] impar:
Justáque de viduo [b] pænè querela toro.
[c] Scilicet adversis probitas exercita rebus
Tristi materiam tempore laudis habet.
Si nihil infesti durus vidisset Ulisses;
Penelope felix, [d] sed sine laude, foret.
Victor [e] Echionias si [f] vir penetrasset in arces,
Forsitan [g] Evadnen vix sua nosset humus.

INTERPRETATIO.

Nunc credo omnia; cùm tu fueme prudens fugeris à Septemtrione, & tendas in Italiam. Hic ergo est dies, qui si non illuxisset, nullus festus fuit videndus mihi infelici. Ille dedit mores similes illis heroinis, quibus Eetion & Icarius erat parens. Hâc luce pudicitia orta est & mores, & probitas, & fides; at lætitia non est orta: sed labor, & sollicitudo, & fere dissimilis moribus & querimonia aqua de lecto ferè orbo. Nimirum probitas stimulata rebus adversis habet causam laudis tempore duro. Si fortis Ulysses nihil expertus esset adversi, Penelope esset beata, sed sine laude. Vix fortè sua terra cognovisset suam Evadnen, si maritus victor ingressus esset arces Echionias.

NOTÆ.

[r] *Arcto*] Plagâ Septemtrionali, in quâ erat Naso.

[f] *Terga*] *Fugeris Italiam versus*, ubi Poëtæ conjux.

[t] *Hæc*] Natalis dies uxoris.

[u] *Nulla*] Namque diem natalem suum minimè celebrandum antea dixit Poëta. Sed enim blandius aliquid in uxorem verba ejus sonant; quasi per eam unicè, si quid fuit læti, consequutus sit.

[x] *Heroisin*] Dativus Græcus, pro *heroïdibus*: quam vocem si ex multis veteribus retineas, quatuor syllabis per contractionem efferenda erit.

[y] *Eetion*] Qui pater Andromaches Hectoris uxoris.

[z] *Icarius*] Hunc habuit patrem Penelope, Ulyssis conjux.

[a] *Impar*] Quia ut moribus responderet fortuna bonam esse decuit.

[b] *Pæne*] Quasi prope in incertas nuptias Nasoni collocata fuerit ejus uxor.

[c] *Scilicet*] Est quasi refutatio eaque subtilis ejus quod insinuaverat miseram natam esse uxorem. Neque verò abs re in bonum atque in laudem derivat, quod virtuti materiam præbet.

[d] *Sed sine laude*] Namque Penelopes pudicitia per 20 annorum spatium quibus abfuit Ulysses maximè patuit: siquidem tamen verum fuit quod de eâ finxerunt Poëtæ.

[e] *Echionias*] *Thebanas*. Cadmo enim Echion in condendis Thebis socius fuit.

[f] *Vir*] Capaneus; quem fulmine ictum ob impietatem antea vidimus.

[g] *Evadnen*] Quæ Capanei uxor in ejus rogum sese immisit; atque adeò amorem suum ex illius clade patefecit.

Cùm [h] Peliâ tot sint genitæ ; cur nobilis [i] una est ?
Nupta fuit [k] misero nempe quòd una viro.
Effice , ut Iliacas [l] tangat prior alter arenas ;
Laodamia nihil cur referatur erit.
Et tua, [m] quod mallem, pietas ignota maneret ,
[n] Implessent venti si mea vela sui.
Dî tamen, & Cæsar Dîs accessure, sed olim ,
Æquarint [o] Pylios cùm tua fata dies ;
Non mihi, qui pœnam fateor meruisse, sed illi
Parcite, quæ nullo digna dolore dolet.

INTERPRETATIO.

Cùm tot sint ortæ ex Peliâ, quamobrem una est celebris ? Quia, nimirum una fuit juncta marito infelici. Fac ut alius primus tangat littus Trojanum, nihil erit quamobrem Laodamia celebretur. Tua quoque pietas , quod praoptarem, maneret incognita , si sua aura inflasset mea carbasa. Dii tamen, & Cæsar Deos aditura , sed post longum tempus , cùm tua fata æquaverint dies Pylios , ignoscite non mihi , qui agnosco meruisse supplicium, sed illi, quæ mœret nullo mœrore digna.

NOTÆ.

[h] *Peliâ*] Qui Thessaliæ rex fuit Neptuni ex Tyro nymphâ filius.

[i] *Una*] Alcestis *scilicet*, quæ pro Admeto viro sese morti opponere non dubitavit.

[k] *Misero*] Cui nempe excedendum , nisi aliquis, qui pro eo mortem oppeteret, reperiretur.

[l] *Tangat prior*] Fuit in fatis, ut quisquis primus littus Trojanum tangeret ex Græcis qui illuc belli causâ accederent interficeretur. Protesilaus ergo eâ causâ mactatus ab Hectore. Illius fata postquam rescisset Laodamia conjux Acasti filia , hoc à Diis solatium postulavit ut defuncti umbram intueri liceret. Quod concessum ubi esset in amplexibus ejus expiravit. Atque exinde laus ejus.

[m] *Quod mallem*] Quia neque ipse, neque uxor miseri essent.

[n] *Implessent venti*] *Si res meæ secundæ fuissent*. Metaph. à navigantibus.

[o] *Pylios*] *Longos*, quales fuerunt Nestoris Pylii , quem sæpius jam tres ætates implesse vidimus.

ELEGIA VI.

ARGUMENTUM.

Tu quoque nostrarum,&c.] *Queritur se ab amico destitui : hortatúrque illum , ut constanter in amicitia persistat, quam primò coluerat.*

TU quoque nostrarum quondam fiducia rerum ,
Qui mihi confugium, qui mihi portus eras ;
Tu quoque suscepti curam dimittis amici ,
[a] Officiique pium tam citò ponis onus ?

INTERPRETATIO.

Tu etiam olim præsidium nostrarum opum, qui eras mihi perfugium , qui eras portus, tu etiam abjicis curam sodalis admissi , & deponis tam citò pium onus officii ?

NOTÆ.

[a] *Officii*] Quo omni curâ, operâ, diligentiâ, gratiâ, quantùm denique & quibus rebus possit amicus amicum juvat.

[b] Sarcina ſum, fateor; quam ſi tu tempore duro
Depoſiturus eras, non ſubeunda fuit.
Fluctibus in mediis navem, [c] Palinure, relinquis?
Ne fuge; [d] neve tuâ ſit minor arte fides.
Nunquid Achillêos inter fera prælia fidi
Deſeruit levitas [e] Automedontis equos?
Quem ſemel [f] excepit, nunquid [g] Podalirius ægro
Promiſſam medicæ non tulit artis opem?
Turpiùs ejicitur, quàm non admittitur hoſpes.
Quæ patuit, dextræ firma ſit [h] ara meæ.
[i] Nil, niſi me ſolum, primò tutatus es: at nunc
Me pariter ſerva, [k] judiciúmque tuum.
Si modò non aliqua eſt in me nova culpa; tuámque
Mutarunt ſubitò crimina noſtra fidem.
Spiritus hic, Scythicâ quem non bene ducimus aurâ,
Quòd cupio, membra exeat ante meis;
Quàm tua delicto [l] ſtringantur pectora noſtro,
Et videar meritò vilior eſſe tibi.
Non adeò toti fatis urgemur iniquis,
Ut mea ſit longis mens quoque mota malis.

INTERPRETATIO.

Pondus ſum, agneſco; quod ſi tu eras depoſiturus tempore adverſo, non fuit recipiendum. Deſeris navem in mediis undis, Palinure? Ne fugias, neve fides tua ſit minor arte tuâ. Nunquid levitas certi Automedontis deſtituit equos Achillêos inter fera certamina? Nunquid Podalirius non præbuit auxilium promiſſum artis medicæ ægroto, quem ſemel admiſit? Hoſpes turpiùs expellitur, quàm non recipitur. Altare quod conceſſum eſt manui meæ ſit certum. Nihil defendiſti primò præter me ſolum: at nunc abſolve me ſimul atque judicium tuum. Si ſaltem non eſt in me aliquod novum peccatum, & flagitia noſtra moverunt repente tuam fidem. Hæc anima, quam malè trahimus aere Scythico, priùs deſtituat meos artus, quod opto, quàm tuum cor leviter lædatur noſtro peccato, & jure videar tibi eſſe vilior. Non adeò toti premimur fatis adverſis, ut meus animus ſit etiam mutatus diutinis ærumnis.

NOTÆ.

[b] *Sarcina*] Oneri atque moleſtiæ.

[c] *Palinure*] Aut illi Palinuro ſimilis, de quo Virgilius, qui Amicum deſtituis, in rebus adverſis, ſicuti ille ſuum Æneam in mediis fluctibus.

[d] *Neve*] Id eſt, *Cùm poſſis arte tuâ me adjuvare, ne deſit voluntas aut fides.* Neque alius eſt ſenſus.

[e] *Automedontis*] Achillis auriga; cujus exemplo conſtantiam amico inculcat Poëta.

[f] *Excepit*] *Sanandum atque curandum admiſit.*

[g] *Podalirius*] Æſculapii filius, qui cum Machaone fratre ad Trojam multam gloriam inter Græcos arte medicâ conſequutus eſt.

[h] *Ara*] De amico loquitur, apud quem præſidium tanquam ad aram quæſierat.

[i] *Nil niſi*] Veriſſimâ atque ingenioſiſſimâ ratione utitur; ex quâ maximè quanti ſit illud Flacci pateat,

Qualem commendes etiam atque etiam adſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

[k] *Judicium*] Cùm primò me ab obtrectatoribus defendiſti.

[l] *Stringantur*] Vel leviſſimè lædantur.

Finge tamen motam. quoties [m] Agamemnone natum
Dixisse in Pyladen verba proterva putas?
Nec procul à vero est, quòd vel pulsarit amicum.
Mansit in officiis non minùs ille suis.
[Hoc est cum miseris solum commune beatis,
[n] Ambobus tribui quòd solet obsequium.]
Ceditur & cæcis, & [o] quos prætexta verendos
[p] Virgáque cum verbis imperiosa facit.
Si mihi non [q] parcis, [r] fortunæ parcere debes.
Non habet in nobis ullius [f] ira locum.
Elige nostrorum minimum de parte laborum:
Isto, quo reris, grandius illud erit.
Quàm multâ madidæ celebrantur arundine fossæ,
Florida quàm multas [t] Hybla tuetur apes;
Quàm multæ gracili terrena sub horrea ferre
Limite formicæ grana reperta solent;
Tam me circumstant densorum turba malorum.
Crede mihi; vero est nostra querela minor.
His qui contentus non est; in littus arenas,
In segetem spicas, in mare fundat aquas.

INTERPRETATIO.

Pone tamen mutatum: quoties credis filium Agamemnonis effutiisse voces asperas in Pyladen? Neque longè est à vero, quòd etiam appetiverit amicum. Ille non minùs stetit in suis officiis. Hoc solum est commune beatis cum miseris, quòd officium solet præstari utrisque. Ceditur & cæcis, & iis quos prætexta & virga imperiosa cum vocibus facit tremendos. Si mihi non ignoscit, debes ignoscere fortunæ. Nullius ira habet locum in nobis. Elige minimum de parte nostrorum laborum; illud erit majus eo quod autumas. Quàm fossæ humidæ sunt consitæ frequentibus cannis; quàm Hybla florida habet plurimas apes, quàm multæ formicæ solent trahere parvo calle sub granaria terrena grana inventa, tam agmen spissorum malorum me cingunt. Fidem mihi habe; nostra querimonia est levior vero. Qui non expletur his mittat arenas in littus, spicas in segetem, aquas in mare.

NOTÆ.

[m] *Agamemnone nat.*] Orestem *scilicet*, de cujus furore jam sæpius.

[n] *Ambobus*] Beatis quidem propter auctoritatem spemque beneficiorum; miseris verò ex humanitate atque misericordiâ.

[o] *Quos prætexta*] Magistratus *scilicet*.

[p] *Virga*] Lictoris, quâ ille obvios ex viâ submovebat.

[q] *Parcis*] Callidissimè admodum Poëta quasi in se mutati aut parùm firmi amici caussam derivat, ejusque misericordiam ex fortunâ sollicitat; ut, quod maximè opus fuit, illius negligentiam dissimularet. Fides semel in omne tempus deperditur; quam languentem prudenter excitare licet: dilapsam autem apertè accusare nemo sanus aggressus sit.

[r] *Fortuna*] Meæ infelicissimæ.

[f] *Ira*] Eâ verò delinitâ Poëtæ nihil opus fuit. Verùm ita opus esse quodammodo fingere videtur; ne infidelitatis amicum arguere intelligatur. Quanquam autem hujusmodi prudentiâ deficientem animum ad officia vix satis retrahas, ne infensus sit saltem, quod maximè avertendum, cavetur.

[t] *Hybla*] Mons fuit Siciliæ thymi copiâ, atque adeò apibus & optimo melle celebratus. Ibidem urbs fuit ejusdem nominis.

Intempestivos

[a] Intempestivos igitur compesce [x] timores;
Vela nec in medio desere nostra mari.

INTERPRETATIO.

Coërce ergo metus inopportunos; neque relinque nostra carbasa in æquore patenti.

NOTÆ.

[a] *Intempestivos*] Omnino, siquidem maximis amicus urgeatur calamitatibus.
[x] *Timores*] Sibi verò cavebant Poëtæ sodales; ne si fortè apertè nimis Nasonis causam defenderent, in Augusti offensionem incurrerent.

ELEGIA VII.

ARGUMENTUM.

Quam legis, ex illa,&c.] *Amico quærenti quid ageret in Scythia, respondet breviter Ovidius, se miserum esse. Postmodum Tomitanæ regionis incolarum mores describit. Deinde dicit studiis poëticis animum detineri, ac pasci, & se carminibus mala sua oblivisci.*

QUam legis, ex illâ tibi venit epistola terrâ,
[a] Latus ubi æquoreis additur Ister aquis.
[b] Si tibi contingit cum dulci vita salute;
[c] Candida Fortunæ pars manet una meæ.
Scilicet, ut semper, quid agam, carissime, quæris:
Quamvis hoc vel me scire tacente potes.
Sum miser. hæc brevis est nostrorum summa malorum:.
[Quisquis & offenso Cæsare vivet, erit.]
[d] Turba Tomitanæ quæ sit regionis, & inter
Quos habitem mores; discere cura tibi est?
Mista sit hæc quamvis inter [e] Grajósque Getásque;
A malè pacatis [f] plus trahit ora Getis.
Sarmaticæ major Geticæque frequentia gentis
Per medias in equis itque reditque vias.

INTERPRETATIO.

Litteræ quas legis tibi adsunt ex illâ terrâ, ubi vastus Danubius adjicitur aquis marinis. Si vita tibi obtingit cum gratâ salute, pars una mea sortis est læta. Nimirum, ut semper petis, quid faciam, dilectissime: potes hoc intelligere me etiam non indicante. Sum infelix. Hæc est brevis summa nostrorum malorum: & quisquis vivet Cæsare læso, erit. Cupis cognoscere quis sit grex plagæ Tomitanæ, & inter quos mores degam? Quamvis hæc regio sit mista inter Græcos & Getas, plus ducit à Getis malè lenitis. Major turba nationis Sarmaticæ atque Geticæ & meat & remeat in equis per medias vias.

NOTÆ.

[a] *Latus*] Danubium fluvium esse Europæ maximum, atque in Pontum-Euxinum defluere juxta Tomos frustrà illis repetiverimus, qui superiora legerint.
[b] *Si tibi*] *Si vivis & vales.*
[c] *Candida*] *Beatus sum unâ ex parte; siquidem amicitiâ tibi ità sum junctus, ut tui pars esse videar.*
[d] *Turba*] *Populi.*
[e] *Graios*] Eorum coloniam fuisse Tomos suprà vidimus.
[f] *Plus trahit*] *Est similior Getis.*

In quibus est nemo, qui non [g] coryton, & arcum,
Teláque vipereo lurida felle gerat.
Vox fera, trux vultus, verissima Martis imago:
Non coma, non ullâ barba resecta manu.
Dextera non segnis fixo dare vulnera [h] cultro,
Quem vinctum lateri barbarus omnis habet.
Vivit in his eheu tenerorum oblitus amorum;
Hos videt, hos vates audit, amice, tuus!
Atque utinam [i] vivas, & non moriaris in illis!
Absit ab invisis [k] & tamen umbra locis!
Carmina quòd pleno saltari nostra Theatro,
Versibus & plaudi scribis, amice, meis,
[l] Nil equidem feci (tu scis hoc ipse) theatris:
Musa nec in plausus ambitiosa mea est.
[m] Nec tamen ingratum est, quodcunque oblivia nostri
Impedit, & profugi nomen in ora refert.
Quamvis interdum, quæ me læsisse recordor,
Carmina devoveo, [n] Pieridásque meas:
Cùm bene devovi; nequeo tamen esse sine illis:
Vulneribúsque meis tela cruenta [o] sequor.

INTERPRETATIO.

In quibus nullus est qui non ferat pharetram & arcum, & missilia fusca felle vipereo. Sonus ferox, facies terribilis, verissima species Martis; non capillì, non barba abscissa ullâ manu. Dextra non tarda ad infligendas plagas impacto pugione, quem omnis barbarus habet aptatum lateri. Heu, amice, tuus poëta vitam trahit inter hos, immemor mollium amorum; hos intuetur, hos audit! Atque utinam vitam trahas, neque fato fungaris inter illos! Et tamen Manes sint procul ab odiosis locis! Quòd scribis nostros versus saltari pleno theatro, & plaudi nostris carminibus, nihil equidem scripsi theatris, tu ipse hoc scis; neque Musa mea est ambitiosa in plausus. Neque tamen displicet quicquid prohibet oblivia nostri, & refert nomen exsulis in ora. Tametsi nonnunquam male precor versibus, quos memini perdidisse me, atque meis Musis; postquam multùm devovi, non possum tamen esse sine illis, & faveo telis sanguinolentis meis vulneribus.

NOTÆ.

[g] *Coryton*] Pro pharetrâ, quomodo Silius & Virgilius usurparunt: quanquam arcus solius sit theca.

[h] *Cultro*] Pro sica, aut ejusmodi aliquo telo.

[i] *Vivas*] *Vivit in his* dixerat, tanquam de summo malo. Jam illud ipsum *Vivere*, atque malum, ingeniosus Poëta, quasi bonum aliquod ut miser maximè videatur, cui mala sint vice boni, sibi votis deposcit. Cæterùm ea causâ quòd malum videbatur, vovebat, ne inter Getas fato fungeretur.

[k] *Et tamen*] *Siquidem in Getis moriar, attamen Umbra absit ab invisis locis.*

[l] *Nil equidem*] Ad theatra sese scripsisse negat Naso: quanquam hujus non fuit semper memor, ut ex ipso aliquando patebit.

[m] *Nec tamen*] Quia pronum erat, ut illi Poëtæ veniam ab Augusto peterent, quibus ejus carmina grata essent.

[n] *Pieridas*] *Musas*, hoc est *studium Poëticum.*

[o] *Sequor*] *Illis me insuper objicio, dum versus scribere non omitto.* Neque certè, longè a vero, nisi me animus fallit, abiit Poëta, quanquam aliò ejus spectat oratio. Namque eundem esse semper, deliciarum amatorem satis superque ex istis etiam Tristibus patet.

Quæque modo [p] Euboïcis lacerata est fluctibus; audet
Graja Caphar͡eam currere puppis aquam.
Nec tamen ut laudet vigilo, curámque futuri
Nominis, [q] utiliùs quod latuisset, ago.
[r] Detineo studiis animum, fallóque dolores:
Experior curis & [s] dare verba meis.
Quid potius faciam desertis solus in oris,
Quamve malis aliam quærere coner opem?
Sive locum specto; locus est inamabilis; & quo
Esse nihil toto tristius orbe potest.
Sive homines; vix sunt homines hoc nomine digni:
Quámque lupi, sævæ plus feritatis habent.
Non metuunt leges, sed cedit viribus æquum;
Victáque pugnaci jura sub ense jacent.
Pellibus & laxis arcent malè frigora braccis:
Oráque sunt longis horrida tecta comis.
In paucis remanent Grajæ vestigia linguæ:
Hæc quoque jam Getico barbara facta sono.

INTERPRETATIO.

Et quæ navis Græca nuper fracta est undis Euboïcis, non veretur sulcare aquam Caphar͡eam. Neque tamen vigilo, ut laudibus evehar, & curam habeo famæ futuræ, quæ meliùs latuisset. Moror animum, & decipio ærumnas studiis, atque conor imponere meis curis. Quid priùs agam destitutus in regionibus Solis, quodve lenimentum nitar invenire ærumnis? Seu intueor locum, locus est odiosus, & quo nihil potest esse lugubrius in toto mundo. Seu homines; vix sunt homines digni hoc titulo: atque habent plus crudelis ferociæ quàm lupi. Non verentur leges, sed justum cedit robori; & jura subjecta protrita sunt sub gladio bellicoso. Malè etiam depellunt frigus pellibus & amplis subligaculis; & vultus sunt hispidi velati prolixis capillis. Indicia linguæ Græcæ supersunt in paucis; atque hæc jam facta barbara voce Geticâ.

NOTÆ.

[p] *Euboïcis*] *Euboeam Ægæi maris insulam alluentibus.* In illis verò Græcorum plurimi, Trojâ dirutâ, redeuntes, Nauplii dolo perierunt. Namque ille rex insulæ, cùm Ulyssis præsertim perfidiâ, omniúmque prope injustitiâ Palamedem filium interemtum didicisset; ut ejus mortem ulcisceretur, facem illis ex Caphareo monte editissimo noctu accendit, ut portus fidem faceret: quò cùm accessissent, inter scopulos, qui ibi frequentes, crebrósque undarum vortices, plerique lacerati sunt. Ad illud autem nunc de se loquens alludit Naso.

[q] *Utiliùs*] Quia nullâ famâ aut invidiam, aut Cæsaris iram in se derivasset; neque exulasset.

[r] *Detineo*] O omnes istud si possent intelligere, aut omnibus luberet exquirere, quod tamen est tam apertâ in luce positum, *Nos id unum nobis esse quod cogitamus, cuique mentem nostram concredimus*, quàm facilem, quàmque beatam in æternis vitam ducerent, qui tantis conatibus in malam rem, sese totos per quisquilias suas protrahere consueverunt.

[s] *Dare verba*] Absit verò, ille ut sibi imponat, qui gratissimâ boni specie, jucundissimâque veri fruitione, (quæ non aliter quàm longè à terrâ atque sensibus consequi licet, meditando) cœlestem præsumit vitam, & sese emeritorum immiscet choro. Falli putant eos plerique Christiani, qui ità, seorsum à corporeis, ætatem agunt. Homo verò Ethnicus vel ipsas curas atque ærumnas suas isthoc pacto decipere se posse autumat. Quod verum,

Ullus in hoc vix eſt populo, qui fortè Latinè
Quælibet [t] è medio reddere verba queat.
Ille ego Romanus vates (ignoſcite, Muſæ)
Sarmatico [u] cogor plurima more loqui.
En pudet, & fateor; jam deſuetudine longâ
Vix ſubeunt ipſi verba Latina mihi.
Nec dubito, quin ſint & in hoc non pauca libello,
Barbara, non hominis culpa, ſed iſta loci.
Ne tamen [x] Auſoniæ perdam commercia linguæ,
[y] Et fiat patrio vox mea muta ſono;
Ipſe loquor mecum, deſuetáque verba retracto;
Et ſtudii repeto [z] ſigna [a] ſiniſtra mei.
Sic [b] animum tempúſque traho: meque ipſe reduco,
A contemplatu ſubmoveóque mali.
Carminibus quæro miſerarum oblivia rerum:
Præmia ſi ſtudio conſequor iſta, [c] ſat eſt.

INTERPRETATIO.

Vix ullus eſt in hâc turbâ, qui fortè poſſit exponere Latinè quaslibet voces ex vulgato ſermone. Ego ille Poëta Romanus (Muſæ parcite) teneor proferre multa ex uſu Sarmatico. Et pudet, & agnoſco; vix jam mihi ipſi occurrunt voces Latinæ diutinâ deſuetudine. Neque dubito, quin ſint etiam multa barbara in hoc libello. Hic non eſt error hominis, ſed loci. Ne tamen mihi excidat uſus linguæ Latinæ, & mea vox fiat muta patrio ſono, ego loquor mecum, & repeto voces obliteratas; atque recolo ſigna infelicia mei ſtudii. Ità decipio animum & tempus; & ipſe me revoco atque retraho ab intuitu calamitatis. Conſector oblivionem rerum miſerarum verſibus. Abundè eſt ſi reperio iſtam mercedem ſtudio.

NOTÆ.

[t] *E medio*] Ex vulgari Tomitanorum ſermone quotidiana & maximè trita.

[u] *Cogor*] Quia vix aliter cum Barbaris rem poterat habere.

[x] *Auſoniæ*] *Latinæ*, Italis familiaris, qui olim Auſones dicti.

[y] *Et fiat*] *Sim illis mutus qui patrio more loquuntur.* Sonus pro linguâ, auxiis qui eâ utuntur, poſitus.

[z] *Signa*] Voces *ſcilicet.*

[a] *Siniſtra*] Quia propter voces aut verſus exilio pulſus.

[b] *Animum temp.*] *Curas atque temporis tædium decipio.*

[c] *Sat eſt*] Namque aliud bene ſanus quid poſſit ex univerſo mundo conſequi?

ELEGIA VIII.

ARGUMENTUM.

Non adeo cecidi.] *Inimicum sibi insultantem monet, ut memor fortunæ variæ, minimè lætetur, ejus exilio & ruinâ: quandoquidem possit accidere, ut in patriam redeat, illumque videat graviore aliquâ causâ fugatum.*

NOn adeò [a] cecidi, quamvis abjectus, ut infra
Te quoque sim: inferius quo nihil esse potest.
Quæ tibi res animos in me facit, improbe? curve
Casibus insultas, quos [b] potes ipse pati?
Nec mala te reddunt mitem placidúmve jacenti
Nostra, quibus possint illacrymare feræ?
Nec metuis [c] dubio Fortunæ [d] stantis in orbe
Numen, & exosæ verba [e] superba Deæ?
Exiget ah dignas ultrix [f] Rhamnusia pœnas!
Imposito calcas quid mea fata pede?
Vidi ego, naufragum qui riserat, æquore mergi:
Et, [g] Nunquam, dixi, justior unda fuit.
Vilia qui quondam miseris alimenta negarat,
Nunc mendicato pascitur ipse cibo.
Passibus [h] ambiguis Fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa tenáxque loco.

INTERPRETATIO.

Non adeò sum depressus, quamvis prostratus, ut sim etiam infrà te; quo nihil potest esse humilius. Quid tibi addis animos in me, scelestè? vel quamobrem insultas calamitati, quâ ipse potes premi? Neque ærumnæ nostra, quibus feræ possint dolere faciunt te lenem & placidum erga prostratum? Neque times potentiam fortunæ stantis in orbe incerto, & voces elatas Deæ aversæ? Ah! Rhamnusia vindex repetet pœnas quas meritus es! Quamobrem urges mea fata pede impresso? Ego adverti mari extingui, qui irriserat naufragum: atque, inquam, Nunquam fluctus fuit æquior. Qui olim non præbuerat tenuem cibum egenis, nunc ipse alitur stipe coactâ. Mobilis fortuna vagatur gressibus incertis, neque stat firma & constans in ullo loco.

NOTÆ.

[a] *Cecidi*] *Sum prostratus atque protritus meo exilio.*

[b] *Potes*] Fert est hominis communibus, quæque singulis momentis quemlibet possint dejicere, non tangi; neque aliorum calamitate moveri.

[c] *Dubio*] Ubi omnia dubia atque incerta.

[d] *Stantis*] Ità tamen ut,

Vel certò quærenda tibi fortuna, vel aurè;
Nam summum dubio sub pede semper habet.

[e] *Superba*] Namque, ut cecinit Flaccus,

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax;
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.

[f] *Rhamnusia*] Nemesis est, scelerum ultrix, & remuneratrix virtutum, quæ à Rhamnunte Atticæ oppido ubi templum habuit, illud nomen consequuta est.

[g] *Nunquam justior*] Quia meritò plectitur qui malo gaudet alieno.

[h] *Ambiguis*] Quippe quæ hodie favet, cras ea, quæ maximè auxerat, subvertit.

Sed modò læta manet, vultus modò sumit acerbos,
Et tantùm constans in levitate suâ est.
Nos quoque floruimus, sed flos erat ille caducus;
[i] Flammáque de stipulâ nostra brevísque fuit.
Neve tamen totâ capias [k] fera gaudia mente;
Non est placandi spes mihi nulla[l] Dei.
Vel quia peccavi citra scelus; [m] utque pudore
Non caret, [n] invidiâ sic mea culpa caret:
Vel quia nil ingens ad finem Solis ab ortu,
Illo, cui paret, mitius orbis habet.
Scilicet ut non est per vim superabilis ulli,
Molle cor ad timidas [o] sic habet ille preces.
Exemplóque Deûm, quibus accessurus & ipse est,
[p] [Cum pœnæ veniâ plura roganda petam.]
Si numeres anno Soles & nubila toto,
Invenies [q] nitidum sæpius isse diem.
Ergo, ne nostrâ nimiùm lætêre ruinâ,
Restitui quondam me quoque posse puta.
Posse puta fieri; lenito Principe, vultus
Ut videas mediâ tristis in Urbe meos:

INTERPRETATIO.

Verùm nunc est favens, nunc induit faciem sævam; & est tantùm certa in suâ mobilitate. Nos etiam viguimus, sed vigor ille erat fluxus; & splendor noster fuit de culmo atque brevis. Neve tamen fruaris sævâ lætitiâ toto animo, non mihi excidit spes omnis Dei leniendi. Vel quia erravi sine flagitio: & sicuti error non est sine pudore, itè est sine invidiâ: vel quia vastus mundus nihil habet lenius ab ortu Solis ad occasum Illo, cui obsequitur. Nimirum ut non est domabilis per vim ab ullo, ità ille habet cor facile ad preces humiles. Atque more Deorum, ad quos ille etiam est venturus, conferet plura petenda cum remissione peccati. Si recenseas dies Sole illustratos, & nubiles toto anno, reperies sæpius fuisse puros. Ne igitur nimiùm gaudeas nostro exitio, crede me etiam aliquando posse redintegrari. Crede posse fieri, ut, Principe placato, mœstus spectes meam faciem in Urbe mediâ;

NOTÆ.

[i] *Flamma*] *Decus, Splendor.*

[k] *Fera*] Illa verò fera sunt gaudia, atque adeò homine indigna, quæ ex alienâ calamitate nascuntur.

[l] *Dei*] Augusti: ut suprà sæpius.

[m] *Utque pudore*] Nihil hîc ad rem Commentator. Hic est sensus, ni fallor. Se quidem peccasse fatetur Naso; at non ità ut pudorem aut verecundum animum deposuerit, quod quibus evenit ad omne nefas projecti videntur. Illud est quod dixit sæpius, se per errorem, non malâ mente, cæspitasse. Ignoscitur autem illis præsertim quorum fortuna magìs quàm consilium peccavit. Possis & *pudorem* exponere quod in Poëtæ culpâ pudendum quidem, at flagitiosum non fuit.

[n] *Invidia*] Tempore senescunt peccata scilicet, quæ Invidiam non exasperant, neque flagitiosè admissa fuerunt.

[o] *Sic habet*] Optimè: namque iidem qui generosissimi, & minùs sunt injuriæ obnoxii, & faciliùs ignoscunt.

[p] *Cum pœna*] Scilicet mendosus est hic versus, nisi aliquid deest. Adeòque pro *petam* lege *dabit* quod voluit clariss. ille Tan. Faber; aut quoquo pacto emenda.

[q] *Nitidum*] Ut, sicuti Jupiter informes hyemes summovet, ità & Nasonis calamitatem Augustus ad lætiora transferat,

Utque ego te videam caufsâ graviore fugatum.
[e] Hæc funt à [f] primis proxima vota mihi.

INTERPRETATIO.

utque adspiciam te ejectum causâ atrociore. | Hæc sunt mea desideria proxima à primis.

NOTÆ.

[e] *Hæc*] Ut ob flagitia exilio multetur ille malevolus.

[f] *Primis*] Quibus reditum suum in Urbem accelerabat.

ELEGIA IX.

ARGUMENTUM.

O tua fi fineres.] *Laudat amici fidem, fatetúrque ejus beneficio se vitam ducere, simulque gratias agit. Postremo dicit se libenter ejus beneficia nota omnibus facturum fuisse, si ille suis se scriptis nominari pateretur.*

O Tua fi fineres in noftris nomina poni
Carminibus; pofitus quàm mihi fæpe fores!
Te folum meriti canerem memor; inque libellis
Creviffet fine te pagina nulla meis.
Quid tibi deberem totâ fciretur in Urbe:
Exful in amiffa fi tamen Urbe legor.
Te præfens mitem, te noffet ferior ætas:
Scripta vetuftatem fi modò noftra ferent.
Nec tibi ceffaret doctus bene dicere lector:
Hîc tibi fervato [a] vate maneret honor.
Cæfaris eft primum munus, quòd ducimus auras:
Gratia poft magnos eft tibi habenda Deos.
Ille dedit vitam; tu, quam dedit ille, tueris:
Et facis accepto munere poffe frui.
Cùmque perhorruerit cafus pars maxima noftros,
Pars etiam credi pertimuiffe [b] velit,

INTERPRETATIO.

O si concederes tua nomina inseri nostris versibus, quàm sæpe esses à me insertus. Recordans beneficiorum te unum laudarem; neque ulla pagina aucta esset in meis libellis sine te. Cognosceretur in totâ Urbe quid tibi deberem; si tamen profugus legor in Urbe amissâ. Hoc seculum sciret te beneficum, novissimum te nosses; si saltem nostra scripta patientur vetustatem. Neque doctus lector desineret tibi bene precari: hic honor tibi maneret Poëtâ servato. Primum est beneficium Cæsaris quòd vitâ fruimur: Gratia est tibi habenda post magnos Deos. Ille præbuit vitam; tu defendis quam ille largitus est: & facis ut liceat frui dono accepto. Et cùm pars maxima horruerit infortunia nostra, pars quoque velit existimari metuisse;

NOTÆ.

[a] *Vate*] *Me Ovidio.*

[b] *Velit*] Ut hoc modo malè fidum animum tegerent.

Naufragiúmque meum [c] tumulo spectarit ab alto,
Nec dederit nanti per freta sæva manum;
Seminecem [d] Stygiâ revocasti solus ab undâ.
Hoc quoque, quòd memores possumus esse, [e] tuum est.
Dî tibi se tribuant cum Cæsare semper amicos:
Non potuit votum plenius esse meum.
[f] Hæc meus [g] arguris, si tu paterêre, libellis
Poneret in multâ luce videnda labor.
Se, quoque nunc, quamvis est jussa quiescere, quin te
Nominet invitum, vix mea Musa tenet.
Utque canem pavidæ nactum vestigia cervæ
Luctantem frustra [h] copula dura tenet.
Utque fores nondum reserati [i] carceris acer
Nunc pede, nunc ipsâ fronte lacessit equus;
Sic mea lege datâ vincta atque inclusa [k] Thalia
Per titulum [l] vetiti nominis ire cupit.
Ne tamen [m] officio memoris [n] lædaris amici,
Parebo jussis (parce [o] timere) tuis.
At non parerem, nisi si [p] meminisse putares.
Hoc quod non prohibet vox tua; gratus ero.

INTERPRETATIO.

& aspexerit meum naufragium ab excelso colle, neque porrexerit manum natanti per aspera maria, solus reduxisti seminecem ex fluctibus infernis. Hoc etiam quòd possumus esse grati est tuum. Dii prabeant se semper tibi faventes cum Cæsare: votum meum non potuit esse amplius. Meum studium poneret hac spectanda in apertâ luce, si tu sineres, in libellis eruditis. Ægrè etiam mea Musa se nunc cohibet, quamvis est jussa silere, quin indicet te nolentem. Et sicuti aspera catena coërcet canem nactum vestigia cerva timida nequicquam obnitentem: & sicuti generosus equus impetit nunc pede, nunc ipsâ fronte portas carceris nondum aperti; ità mea Musa retenta atque repressa lege impositâ optat sequi laudes nominis prohibiti. Ne tamen malè multeris officio grati amici, noli metuere, obtemperabo mandatis tuis. At non obsequerer, nisi si crederes me memorem esse. Ero memor, quod jussum tuum non vetat.

NOTÆ.

[c] *Tumulo*] Unde securè spectari posset.

[d] *Stygiâ*] *Infernali*, à Styge Inferorum palude: hoc est ex altissimo mœrore.

[e] *Tuum*] Quia vitæ defensor, sine quâ nullus gratus & memor esse possit.

[f] *Hæc*] *Tum beneficia tua, tum vota quæ in tui gratiam concipio.*

[g] *Argutis*] Subtili atque erudito stylo exaratis.

[h] *Copula*] Funis est aut catena quâ canes bini alligantur.

[i] *Carceris*] *Repaguli*, quo equi, donec currendi signum datum sit, coërcentur.

[k] *Thalia*] Quæ Musarum est una.

[l] *Vetiti*] *Tui scilicet, quod prohibes libellis inserere.*

[m] *Officio*] *Si tuas laudes apertè, prolatoque nomine prædicaverim.*

[n] *Lædaris*] Jam sæpe dixi, periculum fuit ne in Cæsaris offensionem incurreret quisquis Nasoni exuli nimis apertè faveret.

[o] *Timere*] *Ne fortè nomen tuum proferam.*

[p] *Meminisse*] *Memorem esse.* Vix enim generosus quisquam beneficium à quoquam vult accipere, quod quasi perditum & absorptum ab ingrato videatur.

Dumque

Dumque (quod ô [q] breve ſit!) lumen ſolare videbo;
 Serviet officio ſpiritus iſte tuo.

INTERPRETATIO.

Et quandiu aſpiciam lumen Solis, quod ô breve ſit! Iſta anima devota erit ſervitio tuo.

NOTÆ.

[q] *Breve*] Optimè adeòque ſenſit Poëta, Homini non licere, pro libidine, locum & ſtationem ſuam deſerere, aut mortem oppetere.

ELEGIA X.

ARGUMENTUM.

Ut ſumus in Ponto.] *Tres annos ſe egiſſe ſcribit Poëta, tot tamen ſibi decem videri, idque loci aſperitate, & difficultatibus, quas deinde ſubjungit.*

UT ſumus in Ponto, [a] ter frigore conſtitit Iſter:
 Facta eſt Euxini dura ter unda maris.
At mihi jam [b] videor patriâ procul eſſe tot annis,
 [c] Dardana [d] quot Grajo Troja ſub hoſte fuit.
Stare putes; adeò procedunt tempora tardè:
 Et peragit lentis paſſibus annus iter.
Nec mihi [e] ſolſtitium quidquam de noctibus aufert:
 Efficit anguſtos nec mihi [f] bruma dies.
Scilicet in nobis rerum natura [g] novata eſt;
 Cumque meis curis omnia longa facit.
Num peragunt ſolitos communia tempora motus,
 Suntque [h] magis vitæ tempora dura meæ?

INTERPRETATIO.

Ex quo tempore ſumus in Ponto Danubius ter concretus eſt frigore; fluctus Ponti-Euxini ter diriguit. At mihi videor jam eſſe longè à patriâ tot annis, quot Troja Dardana fuit ſub hoſte Græco. Credas tempora conſiſtere, adeò lentè fluunt, & annus abſolvit ſpatium tardis greſſibus. Neque Solſtitium mihi quicquam detrahit de noctibus; neque hyems mihi reddit dies breves. Nimirum natura rerum mutata eſt in nobis, & reddit omnia prolixa cum meis ſolicitudinibus. Anne tempora communia abſolvunt ordinarios curſus, atque potiùs tempora vitæ meæ ſunt aſpera?

NOTÆ.

[a] *Ter*] Illic adeòque tres annos circiter commoratus erat Poëta.

[b] *Videor*] Quia illis longum tempus videtur, qui re aliquâ durâ premuntur.

[c] *Dardana*] A Dardano rege.

[d] *Quot*] Decem autem duravit annos obſidio Trojana.

[e] *Solſtitium*] Duo ſunt, quæ ità appellantur, quòd eo tempore ſtare Sol videatur: quanquam hybernum Bruma ferè appellatur. Hîc autem de æſtivo loquitur, quod in octavum Calendas Julii incidit; quo tempore noctes ſunt breviſſimæ. Longiſſimæ tamen Naſoni videbantur, qui inſomnes ducebat, graviſſimis curis confectus *ſcilicet*.

[f] *Bruma*] Quâ tamen dies ſunt breviſſimi, Solſtitio præſertim, ſeu octavo Calendas Januarii; quod quidem Solſtitium per Brumam intelligendum.

[g] *Novata*] *Mutatam* dicit rerum naturam, quia omnia longa & diutiùs manentia videbantur.

[h] *Magis*] Pro *potiùs*. Cauſſam enim dicit, quamobrem ſibi tempus longum videatur.

[i] Quem tenet Euxini [k] mendax cognomine littus,
Et Scythici [l] verè terra sinistra freti.
Innumeræ circà gentes fera bella minantur;
[m] Quæ sibi non rapto vivere turpe putant.
Nil [n] extrà tutum est. tumulus defenditur ægrè
Mœnibus exiguis, [o] ingenióque loci.
Cùm minimè credas; ut aves, densissimus hostis
Advolat, & prædam vix bene visus agit.
Sæpe intra muros clausis venientia portis
Per medias legimus noxia tela vias.
Est igitur rarus, qui rus colere audeat; isque
Hac arat infelix, hac tenet arma manu.
Sub [p] galeâ pastor junctis pice cantat avenis;
Proque lupo pavidæ bella verentur oves.
Vix ope castelli defendimur: & tamen intùs
Mista facit Grajis [q] barbara turba metum.
Quippe simul nobis habitat discrimine nullo
Barbarus; & tecti plus quoque parte tenet.
Quos ut non timeas, possis odisse videndo
Pellibus & longâ tempora tecta comâ.
Hos quoque, qui geniti Grajâ creduntur ab urbe,
Pro [r] patrio cultu [s] Persica bracca regit.

INTERPRETATIO.

Quem littus Euxini falsum cognomine, & terra verè sinistra maris Scythici habet. Nationes innumeræ circà intentant sæva certamina, quæ sibi in dedecus rapiunt non ali furto & prædâ. Nihil extrà est securum. Collis vix servatur parvis muris, & conditione loci. Cùm minimè verearis, hostis confertissimus advolat tanquam alites, & nondum satis conspectus aufert rapinam. Frequenter tollimus intra mœnia per medias vias spicula hostilia immissa obseratis portis. Adeòque pauci sunt, qui non dubitent subigere agros; atque illi miseri proscindunt terram alterâ manu, alterâ tractant tela. Opilio sub casside canit calamis copulatis pice, & oves timidæ metuunt certamina potiùs quàm lupum. Ægrè defendimur beneficio arcis; & tamen agmen barbarum junctum Græcis incutit timorem intùs. Nempe barbarus promiscuè nobiscum degit, & possidet plus mediâ etiam parte domuum. Quos quamvis non reformides possis odio habere spectando tempora velata pellibus & prolixis capillis. Femoralia Persica, pro amictu patrio, velant etiam eos qui putantur orti ex Urbe Græcâ.

NOTÆ.

[i] *Quem*] Nasonem, *scil.*
[k] *Mendax*] Quia *Euxinus* atque *hospitalis*, cùm potius *inhospitalis* dici mereatur.
[l] *Verè*] Namque ut in sinistrâ parte sita Euxini, Italorum habitâ ratione qui illuc oculos convertant, ità & aspera atque infelix.
[m] *Quæ*] Immo, si Herodoto credis,
Quæ nisi de rapto vivere turpe putant.
[n] *Extra*] *Paulò à mœnibus remotius.*
[o] *Ingenio*] Situ *scilicet*, & difficili aditu.
[p] *Galeâ*] Atque adeò nullus non timet.
[q] *Barbara*] Quia Getæ promiscuè cum Græcis Tomos incolebant.
[r] *Patrio*] Qui Græcorum cultus est civilior.
[s] *Persica*] Cujusmodi etiam utuntur Persæ.

Exercent [t] illi [u] sociæ commercia linguæ.
 Per gestum res est significanda mihi.
Barbarus hîc ego sum ; quia non intelligor ulli :
 Et rident stolidí verba Latina Getæ.
Meque palam de me tutò malè sæpe loquuntur :
 Forsitan objiciunt exsiliúmque mihi.
[x] [Utque fit, in me aliquid, si quid dicentibus illis
 Abnuerim quoties annuerimque, putant.]
Adde, quod injustum rigido jus dicitur ense :
 Dantur & in medio vulnera sæpe foro.
O duram [y] Lachesin, quæ [z] tam grave sidus habenti
 Fila dedit vitæ non breviora meæ !
[a] [Quòd patriæ vultu, vestróque caremus amici ;
 Quodque hîc in Scythicis finibus esse queror ;]
[b] Utraque pœna gravis. merui tamen Urbe carere ;
 Non merui tali [c] forsitan esse loco.
Quid loquor ah demens ? ipsam quoque perdere vitam
 Cæsaris offenso numine dignus eram.

INTERPRETATIO.

Illi utuntur linguâ communi. Res est mihi indicanda per gestum. Ego hîc sum barbarus ; quia non intelligor ab ullo ; & insulsi Getæ irrident voces Latinas. Frequenter etiam malè prædicant de me securè in conspectu meo ; & fortè mihi exprobrant fugam. Et, ut fit, si quid abnuerim, & quoties annuerim, dum loquuntur, cogitant aliquid adversum me. Adde quòd jus iniquum exercetur fore gladio, & plagæ inuruntur sæpè in medio foro. O sævam Lachesin, quæ non præbuit stamina breviora vitæ meæ mihi habenti astrum tam asperum. Quòd orbi sumus facie patriæ, vestrâque, amici ; & quòd doleo hîc esse in terrâ Scythicâ, utrumque supplicium est durum. Dignus tamen Urbe exulare ; fortè non sum dignus esse in ejusmodi loco. Quid aio, ah insanus ? Merui etiam amittere vitam numine Cæsaris læso.

NOTÆ.

[t] *Illi*] Græci *scilicet.*

[u] *Sociæ*] Geticæ gentis cui se addiderunt.

[x] *Utque*] Spurium hoc distichon.

[y] *Lachesin*] Una est ex tribus Parcis, quæ fatis præesse hominum, illisque bona & mala assignare finguntur.

[z] *Tam grave*] *Tam infelici sidere nato :* tamque adeò misero.

[a] *Quòd patriæ*] Spurium hoc distichon quamobrem crediderit clariss. Heinsius non assequutus sum primò : at paulò attentiùs cogitanti subiit ultro malè huc inculcatum, ut ex sequenti notâ patebit.

[b] *Utraque*] Non illæ quas superius obtrudit distichon ; sed quia *grave sydus* ; atque *longa vita* : ex quibus duobus Lachesin increpavit.

[c] *Forsitan*] Hæc vox addita, ne Cæsarem, absolutè loquendo, Naso læderet, aut injustitiæ coargueret.

ELEGIA XI.

ARGUMENTUM.

Quod te nescio quis.] *Delet Pcëta, uxerem ab inimico jurgiis lacessitam, exulisque uxorem appellatam. Eamque hortatur, ut omnia patiatur: quandequidem Augustus se non exulem, sed relegatum nominavit.*

QUòd te [a] nescio quis per jurgia dixerit esse
Exsulis uxorem, littera questa tua est.
Indolui; non tam mea quòd fortuna malè audit,
Qui jam consuevi fortiter esse miser:
Quàm quia, [b] cui minimè vellem, sim caussa pudoris,
Teque rear nostris erubuisse malis.
Perfer, & obdura, multò [c] graviora tulisti,
Cùm me surripuit Principis ira tibi.
Fallitur iste tamen, quo judice nominor exsul.
[d] Mollior est culpam pœna secuta meam.
Maxima pœna mihi est, ipsum offendisse: [e] priùsque
Venisset mallem funeris hora mihi.
[f] Quassa tamen nostra est, [g] non fracta [h] nec obruta puppis:
Utque [i] caret portu; sic tamen exstat aquis.
Nec vitam, nec opes, nec jus mihi civis ademit,
Quæ merui vitio perdere cuncta meo.
Sed quia peccato facinus non adfuit illi,
Nil nisi me patriis jussit abesse [k] focis.

INTERPRETATIO.

Epistela tua questa est, quòd nescie quis dixerit Inter rixas te esse conjugem exsulu. Molestum fuit; non tam quòd sors mea malè audit, qui jam consuevi esse infelix strenuè; quàm quod sim caussa ruboris cui minimè vellem, & credam te pudore suffusam ex nostris infertuniis. Perfer & ebdura: passa es multò duriora, cùm ira Cæsaris abstulit me tibi. Iste tamen, cujus arbitrio dicor exsul decipitur. Pœna levier addita est peccate meo. Supplicium est mihi asperrimum ipsum læsisse; & mallem antè hora mea mertis incidisset. Navis tamen nestra est quassa, non fracta, neque mersa; & sicuti destituta est portu, ità tamen eminet super aquas. Neque sustulit mihi vitam, neque facultates, neque jus civu, quæ omnia merui amittere culpâ meâ. Verùm quia flagitium non fuit conjunctum illi peccate, nihil imperavit nisi me carere deme patriâ.

NOTÆ.

[a] *Nescie quis*] Scilicet illum & indicaverat Nasonis conjux, & ipse noverat: verùm ut solemus per contemtum, & quia non deerant aliæ rationes, nominare eum dedignatus est.

[b] *Cui*] Uxori *scilicet* optimè meritæ.

[c] *Graviera*] Adeò que & leviora potes ferre: quæ ferenda esse Amor conjugalis suadet.

[d] *Mollior*] Quia non exsul, sed relegatus dictus.

[e] *Priùs*] *Antè quàm Cæsarem offendissem.*

[f] *Quassa*] Optimè exponit hæc comparatio quid exsulem inter & relegatum intercedat.

[g] *Non fracta*] Quia in Patriam redire possit relegatus.

[h] *Nec ebruta*] Quia non interemtus Poëta.

[i] *Caret*] Nam que maximis calamitatibus in Ponto jactabatur Poëta.

[k] *Fecu*] Pro domo.

Utque aliis, numerum quorum comprendere non est,
Cæſareum numen, ſic mihi, mite fuit.
Ipſe relegati non exſulis utitur in me
Nomine: tuta ſuo judice cauſſa mea eſt.
Jure igitur laudes, Cæſar, pro parte virili
Carmina noſtra tuas qualiacunque canunt.
Jure Deos, ut [l] adhuc cæli tibi limina claudant,
Teque velint [m] ſine ſe comprecor eſſe Deum.
Optat idem populus. ſed ut in mare flumina vaſtum,
Sic ſolet exiguæ currere [n] rivus aquæ.
At [o] tu fortunam, cujus vocor exſul ab ore,
Nomine mendaci parce gravare meam.

INTERPRETATIO.

Et ſicuti numen Cæſareum fuit lene aliis, quorum non datur aſſignare numerum, ità mihi fuit. Ipſe utitur nomine relegati, non exſulis erga me: cauſſa mea eſt ſecura ſuo judice. Adeòque verſus noſtri qualeſcumque prædicant meritò tuas laudes pro viribus, Cæſar. Meritò veneror Deos, ut adhuc tibi negent aditus cœli, & velint te eſſe Deum ſine ſe. Plebs idem vovet: Verùm ſicuti fluvii ſolent feſtinare in magnum mare, ità & rivus parvæ aquæ. At tu, ex cujus ore dicor exſul, noli premere meã ſortem falſo nomine.

NOTÆ.

[l] *Adhuc*] Quandiu viget ætas; & donec ſenio confecto ad ipſos Deos accedendi tempus ſit.

[m] *Sine ſe*] Atque adeò in terris, dum illi in cœlis agunt.

[n] *Rivus*] Preces ſuas cum rivo confert, qui nihilo minùs quàm vaſta flumina, in mare decurrat; ut & illas cœlum penetrare Cæſar intelligat.

[o] *Tu*] Inimicum compellat.

ELEGIA XII.

ARGUMENTUM.

Scribis ut oblectem.] *Amico hortanti ut aliquid ſcriberet, reſpondet Poëta: cauſáſque aſſignat, cur id ſibi facere non liceat. Demum oſtendit ſe non poſſe teneri, quin ſemper aliquid componat, compoſita verò igni comburat.*

SCribis, ut oblectem ſtudio [a] lacrymabile tempus,
Ne [b] pereant turpi pectora noſtra ſitu.

INTERPRETATIO.

Scribis, ut leniam tempus luctuoſum ſtudio, ne noſter ſpiritus vaneſcat indecoro otio.

NOTÆ.

[a] *Lacrymabile*] Quo exſul, aut procul à Patriâ languebat.

[b] *Pereant*] Certè verò ignaviâ & deſidiâ non minùs depravatur ingenium, quàm ſitu aut quiete corrumpuntur corpora vel duriſſima.

[c] Difficile est, quod, amice, mones. quia carmina lætum
Sunt opus, & pacem mentis habere volunt.
Nostra per adversas agitur Fortuna procellas:
Sorte nec ulla meâ tristior esse potest.
Exigis, ut Priamus natorum funere plaudat,
Et [d] Niobe festos [e] ducat ut orba choros.
Luctibus, an studio videor debere teneri,
Solus in extremos jussus abire Getas?
Des licet hîc valido pectus mihi robore fultum,
Fama refert [f] Anyti quale fuisse reo;
Fracta cadet tantæ sapientia mole ruinæ.
[g] [Plus valet humanis viribus ira Dei.]
[h] Ille senex dictus sapiens ab Apolline, nullum
Scribere in hoc casu [i] sustinuisset opus.
[k] [Ut patriæ veniant, veniant oblivia nostri;
Omnis ut admissi sensus abesse queat;]
At [l] timor officio fungi vetat ipse quieto.
Cinctus ab innumero me tenet hoste locus.

INTERPRETATIO.

Quod hortaris est arduum, amice: quia versus sunt opus festivum, & volunt habere otium animi. Nostra sors jactatur per adversas tempestates, neque fortuna ulla potest esse mæstior meâ. Postulas, ut Priamus lætetur morte filiorum, & ut Niobe orba agitet lætos choreas. Videorne debere teneri fletibus an studio jussus discedere solus in ultimos Getas? Quamvis mihi hic præbeas cor sustentatum firmis viribus, quale fama narrat fuisse reo Anyti; sapientia afflicta pondere tanti exitii jacebit. Ira Dei plus potest robore humano. Ille senex appellatus sapiens ab Apolline, non potuisset ducere ullum opus in hac clade. Quamvis suboriantur oblivia patriæ, & nostri, quamvis omnis sensus peccati possit extingui; at metus ipse prohibet exequi munus quietum. Locus me habet clausum ab hoste innumero.

NOTÆ.

[c] *Difficile*] Quia nempe in diversas partes cura atque ægritudo mentem trahunt, quæ tamen nisi sui compos, & in sese collecta, vix quicquam componere accuratè aut eleganter valeat.

[d] *Niobe*] Quam Tantali filiam liberis ab Apolline & Diana privatam, ob superbiam, deinde in saxum mutatam, ob convitia, suprà vidimus.

[e] *Ducat choros*] *Cantet, saltet, & genio indulgeat.*

[f] *Anyti reo*] *Socrati*, quem Anytus, Melytus & Lycon accusaverunt. Fortitudinem autem atque animi constantiam illi Philosopho maximam fuisse nullus non novit.

[g] *Plus valet*] Ignoscat mihi vir tantus; Quem parùm appositum ac proinde suspectum versum habuit clariss. Heinsius, illum ego ut pulcherrimum, ità & maximè caussæ servientem amplector.

[h] *Ille*] Socrates, quem sapientissimum, Apollinis oraculum judicavit.

[i] *Sustinuisset*] Quanquam ob Patientissimum animum non sine causâ, maximè fuit commendatus.

[k] *Ut*] *Quamvis*, inquit, *neque me Patriæ desiderium, neque pristini status recordatio, neque ipse peccati dolor sollicitum minúsque versibus scribendis aptum, habeant; metus tamen* &c.

[l] *Timor*] Ab hostibus subinde irruentibus.

Adde, quòd ingenium longâ rubigine læſum
Torpet: & eſt multo, quàm fuit antè, [m] minus
[n] Fertilis, aſſiduo ſi non renovetur aratro,
Nil, niſi cum ſpinis gramen, habebit ager.
[o] Tempore qui longo ſteterit, malè curret, & inter
Carceribus miſſos ultimus ibit equos.
[p] Vertitur in teneram cariem, rimíſque dehiſcit,
Si qua diu ſolitis cymba vacavit aquis.
Me quoque deſpero, fuerim cùm [q] parvus & [r] antè,
Illi, qui fueram, poſſe redire parem.
Contudit ingenium patientia longa laborum:
Et pars antiqui magna vigoris abeſt.
Sæpe tamen nobis, ut nunc quoque, ſumta tabella eſt;
Inque ſuos volui cogere verba pedes:
Carmina ſcripta mihi ſunt nulla, aut [s] qualia cernis;
Digna ſui domini [t] tempore, digna [u] loco.
Denique non parvas animo [x] dat gloria vires;
Et fœcunda facit pectora laudis amor.

INTERPRETATIO.

Adjice, quòd ingenium obtuſum diutinâ rubigine langueſcis, & eſt multò minus quàm fuit priùs. Campus ferax, ſi non renovetur indefeſſo aratro, nihil proferet præter herbas cum ſpinis. Equus qui torpuerit longo ſpatio malè curret, & incedet ultimus inter eos qui emiſſi fuerint ex repagulis. Si qua navis aut linter diu fuit extra aquas ſolitas, mutatur in friabilem cariem, atque aperitur rimis. Deſpero etiam, quanquam & fuerim tenuis anteà, me poſſe fieri æqualem illi qui fueram. Diutina tolerantia laborum hebetavit ingenium, & magna pars priſtini vigoris deſideratur. Frequenter tamen tabula correpta eſt à nobis, uti nunc, atque cupivi ordinare voces in ſuos numeros: nulli verſus ſunt à me exarati, aut quales adſpicis, digni tempore ſui domini; digni loco. Denique laus non præbet exiguas vires animo; & deſiderium famæ præſtat ingenia felicia.

NOTÆ.

[m] *Minus*] Nihil verò tantùm à ſcribendo animum dehortatur, quàm tenuitatis conſcientia. Non ſine conatu fœtus ſuos aut concipit aut emittit mens noſtra, qui ubi fruſtraneus eſt, vel minùs idoneus, ità maximè cordatiſſimũ quemque ab incœpto demovet.

[n] *Fertilis*] Comparatio elegans; ſicuti enim ager dum vertitur ad ferendos fructus mitiores componitur, ita ingenium in partes omnes verſando fœcundatur.

[o] *Tempore*] Aptiſſima alia comparatio; quæ magis adhuc rem ipſam oculis ſubjicit, ut facilè patebit attendenti.

[p] *Vertitur*] Verè dicit: at non ità reſpondet ingenii naturæ iſta comparatio: niſi ejus cariem dixeris vitia quibus per otium corrumpitur, quæque catervatim, cùm nihil agit, ingruunt.

[q] *Parvus*] *Tenuis ingenii.* Invidiam ex ſuperbiâ declinat.

[r] *Antè*] Priuſquam calamitatibus obrutus.

[s] *Qualia*] *Tenui ſtylo.* Quanquam elegantiſſima ſunt.

[t] *Tempore*] Infelici atque ærumnoſo.

[u] *Loco*] Barbaro.

[x] *Dat*] Neque immeritò: multíſque de cauſis ineptiſſimos coargueris veræ gloriæ contemtores, qui dum ſuperbiæ crimen effugere nituntur, ſuam inſuper produnt inſcitiam. Sed jam diu invaluit hic mos apud pleroſque noſtros agyrtas, ut per humilitatem Chriſtianam de quâ peſſimè ſentiunt, tamen veram laudem aliorum proteſtum eant; ne non ex libidine *ſcilicet* luxuriari poſſit Superbia atque Invidia ſua. At enim quis illis modum faciat?

Nominis & famæ quondam fulgore trahebar,
Dum tulit [y] antennas aura secunda meas.
Non adeò est bene nunc, ut sit mihi gloria curæ:
[z] Si liceat, nulli cognitus esse velim.
[a] An, quia cesserunt primò bene carmina, suades
Scribere, successus ut sequar ipse meos?
Pace [b] novem vestrâ liceat dixisse Sorores;
Vos estis nostræ maxima caussa fugæ.
Utque dedit justas tauri [c] fabricator aheni,
Sic ego do pœnas artibus ipse meis.
Nil mihi debuerat cum versibus amplius esse;
Sed fugerem meritò naufragus omne [d] fretum.
At [e] puto, si demens studium fatale retentem,
[f] Hic mihi præbebit carminis [g] arma locus.
Non liber hîc ullus, non qui mihi commodet aurem,
Verbáque significent quid mea norit, adest.
[Omnia barbariæ loca sunt, vocísque ferinæ,
Omnia sunt Getici plena timore soni.]
Ipse mihi videor jam dedidicisse Latinè:
Jam didici Geticè Sarmaticéque loqui.
Nec tamen, ut verum fatear tibi, nostra teneri
A componendo carmine Musa potest.

INTERPRETATIO.

Ducebar olim splendore laudis & gloria, dum ventus propitius impulit meas antennas. Non tam beae est nunc, at fama moveat animum: siquidem concedatur, optem nemini esse cognitus. An consulis scribere, quia versus primò bene cesserunt, at ego sequar meos successus? Detur mihi profiteri sine vestrâ offensâ, novem sorores; vos estis potissima caussa nostri exsilii. Et quemadmodum artifex tauri aerei luit justas pœnas, ità ego ipse luo artibus meis. Nihil mihi debuerat esse ampliùs cum carminibus; sed naufragus jure aversarer omne mare. At, credo, si insanus denuo experiar studium fatale, hic locus mihi obtulerit instrumenta versuum. Nullus hic est liber, nullus qui mihi præbeat aurem, & intelligat quid mea verba exprimãt. Omnia loca sunt obsita barbarie, & sonis ferinis, atque plena metu vocis Geticæ. Ipse mihi videor jam esse oblitus Latinæ linguæ; jam didici verba facere Geticè & Sarmaticè. Neque tamen, ut agnoscam verum, Musa nostra potest abstinere à scribendo versu.

NOTÆ.

[y] *Antennas*] Antenna lignum est supremo malo alligatum ex quo vela pendent, quod hic pro navi, sicuti navis pro vitâ aut Poëtæ statu ponitur.

[z] *Si liceat*] Magis istud ex arte quàm ex vero petitum.

[a] *An quia*] Ironicè loquitur. Namque jam sæpius carmina atque studia sua devovit.

[b] *Novem*] Totidem *scilicet* recensentur Musæ, quarum nomina passim, in primis etiam puerorum elementis conspiciuntur.

[c] *Fabricator*] Perillus, de quo in superioribus, primus, tyranni jussu, in taurum suum conjectus.

[d] *Fretum*] Hoc est *versus, quibus perii, sicuti naufragus aquam ubi periclitatus est.*

[e] *Puto*] Ironicè.

[f] *Hic*] A Barbaris obsessus.

[g] *Arma*] Libros, & quæ subjungit.

Scribimus

Scribimus, & scriptos absumimus igne libellos.
Exitus est studii parva favilla mei.
[h] [Nec possum, & cupio non ullos ducere versus.
Ponitur idcirco noster in igne labor.]
Nec nisi [i] pars casu flammis erepta dolóve
Ad vos ingenii pervenit ulla mei.
Sic utinam, quæ nil metuentem tale magistrum
Perdidit, in cineres [k] Ars mea versa foret.

INTERPRETATIO.

Componimus, & corrumpimus igne libellos compositos. Exiguus cinis est fructus studii mei. Neque possum, & opto non scribere ullos versus. Ideoque noster labor injicitur in ignem. Neque pars ulla ingenii mei nisi subtracta igni fortunâ aut arte ad vos accedit. Utinam Ars mea, quæ prodidit dominum nihil simile timentem, esset mutata in favillas.

NOTÆ.

[h] *Nec possum*] Non immeritò in spurios rejecit istos versus clariss. Heinsius.

[i] *Pars ingenii*] Pro versibus ingenio exaratis. Metonym.

[k] *Ars*] Amandi *scilicet.*

ELEGIA XIII.

ARGUMENTUM.

Hanc tuus è Getico.] *Amicum hortatur, ut quandoquidem amoris multa olim pignora sibi dederit, nunc verbis & literis ne parcat. Quòd si emendarit, dicit nihil ab ejus amicitiâ ampliùs desiderandum esse.*

Hanc tuus è [a] Getico mittit tibi Naso salutem:
Mittere rem si quis, quâ caret ipse, potest.
Æger enim traxi contagia corpore mentis,
Libera tormento pars mihi nequa vacet.
Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Sed quod [b] non modico frigore læsit hyems.
Si tamen ipse vales, aliquâ nos parte valemus:
Quippe mea est humeris fulta ruina tuis.
Qui mihi cùm dederis ingentia [c] pignora, cúmque
Per numeros omnes [d] hoc tueare caput;

INTERPRETATIO.

Naso tuus mittit tibi è littore Getico hanc salutem, si quis potest mittere rem quâ ipse caret. Namque, ne qua pars immunis sit mihi, & sine dolore, malè sanus traxi contagia animi corpore: & torqueor doloribus lateris per multos dies, sed quod bruma afflixit non pauco frigore. Si tamen tu vales, nos valemus aliquâ parte: quippe mea clades est sustentata tuis humeris. Qui cùm mihi exhibueris maxima pignora, cùmque defendas hoc caput omnibus modis,

NOTÆ.

[a] *Getico*] Littore *scil.*

[b] *Non modico*] Ne tantùm ex mentis contagio contractum morbum intelligas.

[c] *Pignora*] Quibus Amor cognoscitur.

[d] Hoc] *Meum* scil. *Nasonis.*

Quòd tua me rarò ſolatur epiſtola, peccas:
Remque [e] piam præſtas, nî mihi [f] verba neges.
[g] Hoc precor emenda: quod ſi correxeris unum,
[h] Nullus in egregio corpore nævus erit.
Pluribus accuſem; fieri niſi poſſit, ut ad me
Littera non veniat; miſſa ſit illa tamen.
Dî faciant, ut ſit temeraria noſtra querela;
Teque putem falſo non meminiſſe mei.
Quod precor, eſſe liquet. neque enim mutabile [i] robur
Credere me fas eſt pectoris eſſe tui.
[k] Cana priùs gelido deſint abſinthia Ponto,
Et careat dulci [l] Trinacris [m] Hybla thymo;
Immemorem quàm te quiſquam convincat amici.
Non ita ſunt fati [n] ſtamina nigra mei.
Tu tamen, ut falſæ poſſis quoque pellere culpæ
Crimina; quod non es, ne videare, [o] cave:
Utque ſolebamus conſumere longa loquendo
Tempora, ſermonem deficiente die;
Sic ferat ac referat tacitas nunc littera voces:
Et peragant linguæ charta manúſque vices:

INTERPRETATIO.

deerras quòd tua littera me rarò cõſolantur; & perficis rem piam, niſi mihi recuſes verba. Corrige hoc, quæſo; quod unum ſi emendaveris, nulla macula erit in pulcro tuo corpore. Arguerem te pluribus, niſi poſſit fieri, ut epiſtola non perveniat ad me, illa tamen ſit miſſa. Dii velint, ut noſtra querimonia ſit temeraria, & credam falsò te eſſe mei immemorem. Apparet eſſe quod opto: neque enim licet me credere conſtantiam animi tui eſſe mutabilem. Alba abſinthia potiùs deſiderentur in Ponto frigido, & Trinacris Hybla deſtituatur ſuavi thymo, quàm ullus probet te oblitum amici: fila ſeriis mea non ſunt adeò atra: Tu tamen, ut poſſis etiam avertere exprobrationem falſi peccati, vide ne appareas quod non es. Et ſicuti conſueveramus terere longa tempora confabulando, die deſtituente colloquia, ità nunc epiſtola ferant atque referant verba ſilentia, & charta & manus fungantur officio linguæ.

NOTÆ.

[e] *Piam*] *Qui me amicum uſque defendis.*
[f] *Verba*] *Dum rarò ſcribis.*
[g] *Hoc*] *Atque adeò frequentes epiſtolas tranſmitte.*
[h] *Nullus*] Nihil quod reprehendi poſſit in amicitiâ tuâ.
[i] *Robur*] *Conſtantiam, atque animi firmitudinem, quam in tuendis amicis præſertim, approbaſti.*
[k] *Cana*] Alba verò ſunt alterâ ex parte folia abſinthii; laudatum inſuper Ponticum.
[l] *Trinacris*] Eo nomine à formâ triangulâ dicta eſt Sicilia.
[m] *Hybla*] Mons eſt Siciliæ thymo, apibus & optimo melle abundans.
[n] *Stamina*] Jam ſæpius pro ipſis fatis, aut hominum ſorte fato præſtitutâ Parcarum fila habuimus, quorum candor aut nigrities fauſta infauſtáque ſignificent.
[o] *Cave*] Quanquam enim ſingulis ſatis eſſe debet ſuo functos eſſe officio; illud ipſum ex officio eſt, de alienâ opinione quod ſatis ſit ſollicitos eſſe. Quod quidem viro bono in primis notandum.

Quod fore ne nimiùm videar diffidere, sitque
Versibus hîc paucis admonuisse satis :
Accipe, quo semper finitur epistola verbo,
Aque meis [p] distent ut tua fata ; Vale.

INTERPRETATIO.

Quod futurum esse ne videar nimis dubitare, & sufficiat hic indicasse paucis versibus, Accipe verbum, quo litteræ semper absolvuntur, & ut tua sors differat à meâ, Vale.

NOTÆ.

[p] *Distent*] *Ne & tu, qui mei pars es altera, sis infelix.*

ELEGIA XIV.

ARGUMENTUM.

Quànta tibi dederint, &c.] *In hac ultimâ elegiâ uxori immortalitatem pollicetur Poëta : dicitque multas fore, quæ quamvis eam miseram esse existiment, illi tamen invideant, & fœlicem appellent. Simulque ostendit, nihil à se majus præstari potuisse. Quod cum ita sit, eam hortatur, ut in fide permaneat, ne à quoquam jure accusari queat. Exemplisque etiam probat, ejusmodi fidem erga maritos nullo unquam ævo taceri solitam.*

QUanta tibi dederint nostri monumenta libelli,
O mihi me conjux carior, ipsa vides.
Detrahat auctori multùm Fortuna licebit ;
Tu tamen ingenio clara [a] ferêre meo.
Dumque legar, mecum pariter tua fama legetur :
Nec potes in mœstos omnis abire rogos.
Cùmque viri casu possis miseranda videri ;
Invenies aliquas, quæ [b] quod es, esse velint :
Quæ te, nostrorum cum sis in parte malorum,
Felicem dicant, invideántque tibi.
[c] [Non ego divitias dando tibi plura dedissem.
Nil feret ad manes divitis umbra suos.]

INTERPRETATIO.

Agnoscis ipsa, ô uxor mihi carior me ipso, quantam gloriam libelli nostri tibi pepererint. Fieri poterit ut fortuna multùm deroget auctori ; tu tamen celebris eris meo ingenio. Et quandiu legar, laus tua simul legetur mecum ; neque tota potes venire in busta tristia. Et cùm possis videri lugenda cladi mariti, reperies nonnullas, quæ cupiant esse quod es : quæ, cùm sis in parte nostrorum malorum, dicant te beatam, & tibi æmulentur. Ego non præbuissem tibi plura, præbendo opes ; Umbra locupletis nihil feret ad manes suos.

NOTÆ.

[a] *Ferêre*] *Quæ ab omnibus laudaberis, sicuti ego te laudavi.*
[b] *Quod es*] Ut pariter laudibus evehe-rentur.
[c] *Non ego*] Meritò suspectum distichon.

Perpetui fructum donavi nominis: idque
  Quo dare nil potui munere majus, habes.
Adde, quòd, ut rerum sola es tutela mearum,
  Ad te non parvi venit honoris onus.
Quòd nunquam vox est de te mea muta, tuique
  Judiciis debes esse [d] superba viri.
Quæ ne quis possit temeraria dicere, persta:
  Et pariter serva [e] meque piámque fidem.
Nam tua, dum [f] stetimus, turpi sine crimine mansit,
  Et famæ probitas irreprehensa fuit.
[g] Par eadem nostrâ nunc est sibi facta ruinâ.
  [h] Conspicuum virtus hîc tua ponat opus.
Esse bonam [i] facile est, ubi, quod vetet esse, remotum est;
  Et nihil officio nupta quod obstet habet.
[k] Cum Deus intonuit, non se subducere nimbo,
  Id demum pietas, id socialis amor.
[l] Rara quidem virtus, quam non Fortuna gubernet;
  Quæ maneat stabili, cùm fugit illa, pede:
Si qua tamen pretii sibi merces [m] ipsa petiti,
  Inque parum lætis [n] ardua rebus adest;

INTERPRETATIO.

Prabui munus aterna laudis; & habes illud donum, quo nihil potui prabere majus. Adde quòd, ut sola es prasidium rerum mearum, accedit tibi onus non exigua glorie. Debes gloriari arbitrio tui mariti, quòd nunquam vox mea silet de te. Qua ne cui liceat dicere esse vana, perseverato, & custodito simul & me, & tuam fidem. Nam tua probitas stetit sine turpi crimine, & laus fama fuit inculpata. Eadem est nunc facta sibi aqualis nostrâ clade. Virtus tua hic statuat opus conspicuum. Pronum est esse bonam, ubi quod probibeat esse longè est; & conjux nihil habes quod repugnet officio. Non fugere tempestatem, cùm Deus intonuit, illud denique pietas, illud amor conjugalis. Rara quidem virtus, quam fortuna non regat, qua stet firmo pede, cùm illa recedit. Si qua tamen ipsa sibi merces premii quesiti, atque difficilis adest in rebus [illegible]um secundis,

NOTÆ.

[d] *Superba*] *Bene de te sentient*: quæ voluptas est non parva. In bonam partem posita est illa vox.

[e] *Meque piamque*] Virtus ergo maxima, Ethnici hominis judicio, cùm alieno commodo est conjuncta. Quod discere si vellent plerique Christiani, & sese ex factis suis excutere, tam expediti in damnandis illis non essent, quandiu verbis, non rebus, sese Christo mancipari volunt.

[f] *Stetimus*] *In Urbe floruimus.*

[g] *Par*] Quæ in adversis, sicuti olim in prosperis, emicuit.

[h] *Conspicuum*] Ex constantia verò, cùm præsertim adversa ingruunt, virtuti fulgor novissimus.

[i] *Facile*] Atque adeò vulgare; ut Poëtæ uxori ex ejus adversis famam sibi conciliare non vulgarem sit reliquum.

[k] *Cùm Deus*] Hæc est res omnibus altiori meditatione digna.

[l] *Rara*] Quò enim se fortuna, eò & favor hominum inclinat: quia *scilicet* pauci virtuti student.

[m] *Ipsa*] Mercedem ampliorem nunquam vel cogitando invenire quisquam possit, quàm Bene fecisse, & sui Bene merentis, Deoque placentis conscium esse. Cæterùm ità rem sese habere vix millesimus ex iis quas videmus hominum larvis odorari possit; in tantùm sunt quisquiliis occæcati, & procul à se Deoque projecti.

[n] *Ardua*] Celsa atque erecta, neque ad fortunam inclinata.

[Ut tempus numeres, per sæcula [o] nulla tacetur,
Et loca mirantur, quà patet orbis iter.]
Aspicis, ut longo maneat laudabilis ævo
Nomen inextinctum [p] Penelopæa fides?
Cernis, ut [q] Admeti cantetur, ut [r] Hectoris uxor,
Ausaque in accensos [s] Iphias ire rogos?
Ut vivat famâ [t] conjux Phylaceïa, cujus
Iliacam [u] celeri vir pede pressit humum?
Nil opus est [x] letho pro me; sed amore fideque.
Non ex difficili fama petenda tibi est.
Nec te credideris, quia non facis, ista moneri.
Vela damus, [y] quamvis remige puppis eat.
Qui monet, ut facias quod jam facis; ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

INTERPRETATIO.

quanquam recenseas tempora, per nulla sæcula oblivioni traditur, & loca mirantur, quà iter orbis apertum est. Vides, ut fides Penelopea gloriosa longo sæculo permaneat nomen immortale? Vides, ut conjux Admeti, ut Hectoris laudetur, atque Iphias non verita se immittere in pyras ardentes? Ut uxor Phylaceia, cujus maritus calcavit terram Trojanam veloci pede, fit celebris. Nihil opus est morte mei causâ, sed amore & fide. Laus non est tibi invenienda ex arduo. Neque existimaveris te perduci ad ista, quòd non præstes; Addimus carbasa, quanquam navis currat remige. Qui hortatur ut agat quod jam agit, ille hortando pr[illegible], & celebrat facta suâ admonitione.

NOTÆ.

[o] *Nulla tacetur*] Quippe intaminatis fulget honoribus; ut loquutus est Flaccus.

[p] *Penelopæa*] Penelopes quippe illibata in Ulyssem mansit fides, quanquam per viginti annorum spatium desideraretur.

[q] *Admeti*] Alcestis *scil.* quam paulò antè vidimus mortem pro marito oppetentem.

[r] *Hectoris*] Andromache est, Eetionis Thebarum, in Cilicia, regis filia, Hectori suo fidissima.

[s] *Iphias*] Evadnen dicit, Iphidis filiam, quam suprà in Capanei mariti rogum sese injicientem habuimus.

[t] *Conjux*] Laodamiam intellige Protesilai uxorem; cui a Protesilai avo Phylace, aut ejusdem nominis urbe in Phtioticâ Thessaliæ regione, illud datum nomen. Quemadmodum autem in defuncti mariti amplexu obierit suprà dictum.

[u] *Celeri*] Nimiùm quidem, cùm eâ causâ, quòdque primus terram tetigisset Iliacam, ex fati præscripto, mactatus sit.

[x] *Letho*] Quod aliæ Alcestis putà, Evadne, Laodamia, conjugali amore quæsiverunt.

[y] *Quamvis*] Hoc est, *Ex toto officio tuo fungaris.*

TRISTIUM FINIS.

P. OVIDII NASONIS EPISTOLARUM EX PONTO LIBER I.

EPISTOLA I. BRUTO.

ARGUMENTUM.

Naso Tomitanæ.] *Ad Brutum Romanum scribens Ovidius è Tomitanâ urbe, & Ponticâ regione, ubi exulabat, à qua opus de Ponto appellavit, primò rogat, ut librum suum excipiat: deinde quid in eis contineatur, exponit.*

NAso Tomitanæ jam [a] non novus incola terræ
Hoc tibi de Getico littore mittit opus.
Si vacat, hospitio [b] peregrinos, Brute, libellos
Excipe, dumque aliquo, quolibet abde loco.
Publica non audent inter monumenta venire,
Ne [c] suus hoc illis clauserit auctor iter.
Ah quoties dixi, Certè nil turpe [d] docetis!
Ite: patet castis versibus [e] ille locus.
Non tamen accedunt: sed, ut aspicis ipse, latere
Sub [f] Lare privato tutius esse putant.

INTERPRETATIO.

NAse, nunc non recens accola soli Tomitani mittit tibi hoc opus ex orâ Geticâ. Si per otium licet, Brute, excipe hospitio libellos advenas, & repone quolibet loco, modò aliquo. Metuunt accedere ad publica monumenta, ne suus auctor illis obstruxerit hanc viam. Ah quoties dixi, Profectò nihil obscœnum inculcatis! Discedite: illa sedes sunt aperta puris carminibus. Non tamen accedunt; sed, ut ipse vides, arbitrantur tutius esse latitare in domo privatâ.

NOTÆ.

[a] *Non novus*] Quartum enim tum annum in Ponto agebat, ut ex octavâ Elegiâ mox patebit: qui Septem omnino illic vixisse videtur.

[b] *Peregrinos*] Utpote ex scythicâ regione venientes.

[c] *Suus*] Naso *scilicet*, quem libelli de Arte suspectum fecerunt.

[d] *Docetis*] *Vos*, supple, *libelli ex Ponto, seu ad Amicos Epistola.*

[e] *Ille*] Romam intellige aut Palatinam Bibliothecam.

[f] *Lare*] Apuleius Lares, ipsas Animas esse parentum, existimavit; qui, quòd olim in ipsâ domo sepulturæ mandati essent, familiam suam semper curare putabantur. Adeòque non sine causâ pro ipsâ domo sæpe ponuntur.

Quæris, ubi hos possis nullo componere [g] læso?
Quà steterant Artes, pars [h] vacat illa tibi.
[i] Quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsâ.
Accipe, quodcunque est, dummodo non sit amor.
Invenies, quamvis non est [k] miserabilis index,
Non minùs hoc [l] illo triste, quod ante dedi.
Rebus idem, titulo differt: & [m] epistola cui sit
[n] Non occultato nomine missa docet.
[o] Nec vos [p] hoc vultis, sed nec prohibere potestis:
Musáque ad invitos officiosa venit.
Quicquid id est, adjunge meis. nihil impedit ortos
Exule, servatis legibus, Urbe frui.
Quòd metuas non est. Antonî scripta [q] leguntur;
Doctus & [r] in promptu [s] scrinia [t] Brutus habet.
Nec me nominibus furiosus confero tantis.
Sæva [u] Deos contra non tamen arma tuli.
Denique Cæsareo, quod [x] non desiderat ipse,
Non caret è nostris ullus honore liber.

INTERPRETATIO.

Petis, ubi possis hos collocare, nullo offenso? Ille locus tibi est vacuus ubi Artes erant. Fortè requiras in ipso aditu quamobrem accedant. Excipe quodcumque est, dummodo ne sit Amor. Quanquam titulus non est luctuosus, reperies hoc opus non minùs lugubre illo quod priùs vulgavi. Idem rebus diversum est indice; & epistola missa indicat ad quem spectet non dissimulato nomine. Neque vos hoc expetitis, sed neque potestis impedire; & Musa officiosa venit ad nolentes. Quicquid id est, adde meis. Nihil prohibet procreatos ab exule frui Urbe, legibus servatis. Non est quod timeas. Scripta Antonii leguntur: & eruditus Brutus habet thecas in promptu. Neque vesanus me comparo tantis nominibus: non tamen gessi fera arma adversus Deos. Denique nullus liber ex nostris caret laude Cæsaris, quod ipse non optat.

NOTÆ.

[g] *Læso*] *Offenso.* Citra cujusquam offensionem.

[h] *Vacat*] Quia inde exturbati libelli de Arte.

[i] *Quid veniant*] Quodnam sit argumentum. Cur scripti, &c.

[k] *Miserabilis*] Aut inscriptus *de Tristibus.*

[l] *Ille*] De Tristibus.

[m] *Epistola*] Adeòque & superior liber fuit Epistolaris; sicuti vidimus.

[n] *Non occult.*] Suppresserat autem religiosè amicorum nomen in Tristibus.

[o] *Nec vos*] Istud in amicorum gratiam, si fortè ob epistolas in Cæsaris offensionem incurrissent.

[p] *Hoc*] *Vestra nomina in meis libellis legi.*

[q] *Leguntur*] *Utcumque Augusto infensus Antonius fuerit, ejus scripta leguntur tamen: potiori igitur ratione Nasonis legi possint, qui illi maximè favet.*

[r] *In promtu*] *Palam, &c. In aperto,* unde cùm opus est petantur.

[s] *Scrinia*] Quibus *scilicet* asserventur.

[t] *Brutus*] Ille verò, qui Julium Cæsarem occidit, vir fuit omni laudis & scientiarum genere inclytus.

[u] *Deos*] Julium & Augustum Cæsares.

[x] *Non desiderat*] Ut si cuiquam irasci velit Augustus, quòd illi aut de illo scripserim, sibi ipse injurius videatur, quem, nolente eodem, passim laudavero.

Si dubitas [y] de me ; laudes admitte [z] Deorum :
Et carmen demto [a] nomine sume meum.
Adjuvat in bello [b] pacatæ ramus olivæ ;
Proderit [c] Auctorem Pacis [d] habere nihil ?
Cùm foret Æneæ cervix subjecta [e] parenti ,
Dicitur ipsa viro flamma dedisse viam.
Fert liber [f] Æneaden : & non iter omne patebit ?
At patriæ pater [g] hic ; ipsius [h] ille fuit.
Ecquis ita est audax, ut limine cogat abire
Jactantem [i] Phariâ tinnula [k] sistra manu ?
Ante [l] Deûm Matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit ; exiguæ quis [m] stipis æra neget ?
Scimus ab imperio fieri nil [n] tale Dianæ :
Unde tamen vivat [o] vaticinator habet.
Ipsa movent animos Superorum [p] numina nostros ;
Turpe nec est tali [q] credulitate capi.

INTERPRETATIO.

Si incertus es de me, excipe laudes Deorum, & admitte carmen meum nomine sublato. Ramus olivæ pacifica prodest in bello : nihil conferet habere auctorem Pacis ? Cùm collum Æneæ esset suppositum patri, ipsa flamma dicitur cessisse viro. Liber fert Æneaden, & omnis via non erit aperta ? At hic Pater Patriæ, ille fuit ipsius. Ecquis est ità temerarius, ut cogat domo excedere agitantem sistra tinnientia manu Phariâ? Cùm tibicen canit cornu recurvo ante matrem Deorum, quis recuset æs parva moneta ? Scimus nibil hujusmodi fieri jussu Dianæ ; cæterùm vates habet unde vescatur. Ipsa numina Deorum movent nostras mentes ; neque est indecorum duci hujusmodi credulitate.

NOTÆ.

[y] *De me*] Meâ causâ hos libellos excipere.

[z] *Deorum*] Augusti in gratiam istud dicitur.

[a] *Nomine*] *Meo* scilicet.

[b] *Pacata*] *Pacem significantis.* Namque signum pacis erat in bello prætendere olivæ ramum.

[c] *Autorem*] *Quisquis ille denique fuerit; neque adeò Nasonem qui pacis cum Augusto, per meos libellos, quâque licet, sum auctor.*

[d] *Habere*] Argumentum est à minori. Siquidem, inquit, in bello hostem juvet ramus olivæ, multò potiori jure non Pacis signum sed ejus Auctor adjuvare debeat. Atque adeò mei libelli non olivam prætendentes, sed Pacis Auctorem habentes debent excipi.

[e] *Parenti*] *Anchisa* , quem humeris suis Æneas ex incendio Trojano abstulit.

[f] *Æneaden*] Augustum *scil.* cujus laudes in suis libellis prædicat Naso. Ille enim genus suum ad Iulum seu Ascanium, Æneæ filium , quia à Julio Cæsare adoptatus referebat.

[g] *Hic*] Augustus.

[h] *Ille*] Anchises, qui Æneæ tantùm, non Patriæ fuit pater : ut adeòque magis omnia ferenti Augustum quàm Anchisen cedere debeant.

[i] *Phariâ*] *Ægyptiâ* ; à Pharo ejus regionis, ad ostia Nili, insulâ.

[k] *Sistra*] Quibus Isidis Sacerdotes sacra ejus frequentabant, ut alibi dictum.

[l] *Deûm mat.*] Cybele est , cujus sacra tympanorum, fistularum , & Tibiarum strepitu, inconditóque ululatu peragebantur.

[m] *Stipis*] *Nummi parvi*, cujusmodi cogebant Isidis Sacerdotes.

[n] *Tale*] Ut pecuniam seu stipem exigat Sacerdos suus ab iis qui illam de re quâpiam consulunt.

[o] *Vaticinator*] Eundem Aricini nemoris regem in superioribus vidimus ; unde majorem illius notitiam, si tanti est, licet repetere.

[p] *Numina*] Cùm illorum causâ Sacerdotibus decedimus, stipem præbemus, &c.

[q] *Credulitate*] Quâ Sacerdotibus, Deorum causâ favemus.

En

En ego, pro ſiſtro [r] Phrygiíque foramine buxi,
Gentis [ſ] Iülêæ nomina ſancta fero.
[t] Vaticinor moneóque; locum date ſacra ferenti:
Non mihi, ſed [u] magno poſcitur ille Deo.
[x] Nec, quia vel merui, vel ſenſi Principis iram,
A nobis ipſum nolle putare coli.
Vidi ego [y] linigetæ numen violaſſe fatentem
Iſidis, Iſiacos ante [z] ſedere focos.
Alter, ob huic ſimilem [a] privatus lumine culpam,
[b] Clamabat mediâ ſe meruiſſe viâ.
Talia cœleſtes fieri præconia gaudent;
Ut, ſua quid valeant numina, teſte probent.
Sæpe levant pœnas, ereptáque lumina reddunt;
Cùm bene peccati pœnituiſſe vident.
Pœnitet ô, (ſi quid miſerorum creditur ulli)
Pœnitet, & facto torqueor ipſe meo!
Cúmque [c] ſit exilium, [d] magis eſt mihi culpa dolori:
Eſtque pati pœnas, quàm meruiſſe, minùs.
Ut mihi Dî faveant, quibus eſt [e] manifeſtior ipſe;
Pœna poteſt demi, culpa [f] perennis erit.

INTERPRETATIO.

Ecce ego gero pro ſiſtro & foramine buxi Phrygii nomina veneranda gentis Iülêa. Vaticinor & hortor, præſtate viam gerenti ſacra; illa non petitur pro me, ſed pro magno Deo. Neque, quia vel dignus fui, vel expertus ſum iram Principis, exiſtimato illum nolle coli à nobis. Ego vidi agnoſcentem ſe temeraſſe numen Iſidis linigeræ, ſedere pro aris Iſidis. Alius orbus oculis propter peccatum æquale huic vociferabatur mediâ viâ, ſe dignum eſſe. Dii lætantur hujuſmodi præconia fieri; ut demonſtrent teſtibus, quid ſua numina poſſint. Sæpenumero minuunt pœnas, & reſtituunt oculos ſublatos, cùm advertunt bene pœnituiſſe culpæ. Pœnitet ô, (ſi quid creditur cuiquam infelicium) Pœnitet, & ipſe crucior meo facinore! Et cùm fuga ſit mihi dolori, peccatum eſt magìs: & minùs eſt luere pœnas quàm dignum fuiſſe. Tametſi Dii, quibus ipſe eſt magìs conſpicuus, mihi ſint propitii, ſupplicium poteſt tolli, culpa erit æterna.

NOTÆ.

[r] *Phrygii*] Quia Phryges tibiæ buxeæ inventores.

[ſ] *Iülea*] A Iülo Æneæ filio derivatæ. Auguſto aſſentatur, quaſi Deus eſſet.

[t] *Vaticinor moneóque*] Hoc eſt, *Vatis atque Sacerdotis, cui propter numen ſit decedendum, vices tueor.*

[u] *Magno*] Auguſto.

[x] *Nec*] Maximum hîc eſt artificium.

[y] *Linigera*] Quia Sacerdotes lineis veſtibus ſacra ejus peragebant. De quibus ſæpius in ſuperioribus.

[z] *Sedere*] Sacrificandi causâ cùm acceſſiſſet.

[a] *Privatus*] Lumine ſeu oculis privari numinis irâ credebantur qui falsò per Iſidem juraviſſent.

[b] *Clamabat*] Ut ità Deæ iram delinirent.

[c] *Sit*] Dolori *ſcil.*

[d] *Magìs*] Atque hæc vera eſt pœnitentia; multòque ſapientior videtur jam Naſo, quàm antea.

[e] *Manifeſtior*] Quia Auguſtus, qui vivens etiam divinis fruebatur honoribus, oculis omnium erat conſpiciendus: ſed magìs quia ejus potentia maximè ſentiebatur.

[f] *Perennis*] Iſtud verò à peccando mortalem maximè deberet retrahere, quòd peccati macula nunquam in totum ità poſſit elui, quin aliquam ſaltem recordatio ejus afferat vituperationem.

Mors faciet certè, ne ſim, cùm venerit, exul:
[Ne non peccarim, mors quoque non faciet.]
Nil igitur mirum, ſi mens mihi tabida facta
De nive manantis more liqueſcit aquæ.
Eſtur ut occultâ vitiata teredine navis:
Æquorei ſcopulos ut cavat unda ſalis:
Roditur ut ſcabrâ poſitum rubigine ferrum:
Conditus ut tineæ carpitur ore liber:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.
Nec priùs hi mentem ſtimuli, quàm vita, relinquent:
[g] Quique dolet citiùs, quàm dolor, ipſe cadet.
Hoc mihi ſi Superi, [h] quorum ſumus omnia, credent;
Forſitan exiguâ dignus habebor ope.
Inque locum Scythico vacuum mutabor ab arcu.
Plus [i] iſto, duri, ſi precer, oris ero.

INTERPRETATIO.

Sanè mors præſtabit ne ſim exul, cùm advenerit; mors non præſtabit etiam ne non deliquerim. Nihil mirum ergo, ſi animus poſtquam mihi elanguit, diffluit in modum aquæ exſudantis de nive. Sicut navis obſoleta roditur teredine ſecretâ; ut fluctus ſalis marini perfodit cautes; quemadmodum ferrum quietum editur asperâ rubigine; ut liber ſepoſitus roditur roſtro tineæ, ità meum cor conficitur aſſiduis morſibus ſollicitudinum, quibus ſemper uratur. Neque hi aculei antè mittent animum quàm vita; & qui æger eſt priùs peribit quàm ægritudo. Si Dii, quorum ſumus omnia, hæc mihi credent, fortè videbor dignus aliquo auxilio. Et transferar in ſedes immunes arcus Scythici. Fuero impudens, ſi rogem plus iſto.

NOTÆ.

[g] *Qui dolet*] De ſeipſo Poëta loquitur.

[h] *Quorum*] Sententia egregia, ſi modò ad ſolum & Verum Deum referas.

[i] *Iſte*] Ut aliò transferar, & longè à Gente Scytharum barbarâ.

EPISTOLA I.

MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Maxime, qui tanti.] *In hac epistolâ primò captat benevolentiam à Fabii personâ, eum laudando. Deinde illum attentum reddit, cùm docet ea de quibus dicturus sit: hoc est, velle propria mala ingemiscere & exponere, quæ multa esse narrat, hostium scilicet periculum, faciem loci, dolorem ex his rebus maximum, adeò ut cupiat mutari in aliquam aliam formam. Colligit postremò, se clementiâ Cæsaris confidere, ut exilii locum mutare liceat. Petitque à Maximo, ut id solum, nec aliud tentet.*

MAxime, qui [a] tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus;
Qui nasci ut posses, quamvis cecidêre trecenti,
[b] Non omnes Fabios abstulit [c] una dies;
Forsitan hæc à quo mittatur epistola quæras;
Quique loquar tecum, certior esse velis.
Hei mihi! quid faciam? vereor, ne nomine lecto
[d] Durus & aversâ cætera mente legas.
[e] Viderit hæc si quis; tibi me scripsisse fateri
Audebo, & propriis ingemuisse malis.

INTERPRETATIO.

Maxime, qui æquas modum tanti nominis, & auges genus nobilitate mentis; qui ut posses exoriri, una dies non rapuit cunctos Fabios, quanquam trecenti peremti sunt; fortè petas à quo hæ litteræ scriptæ sint, & cupias cognoscere quis te compellem. Hei mihi! quid agam? metuo ne, nomine viso, asper & animo alienato inspicias reliqua. Si quis hæc legerit, non metuam agnoscere me ad te scripsisse, & questum esse proprias ærumnas?

NOTÆ.

[a] *Tanti*] Seu vocem, seu gentis gloriam spectes. Fuit namque Fabiorum amplissima; qui non modò olim adversus assiduos & anniversarios Romanorum hostes privatum bellum gesserunt, sed plurimis fortissimis viris deinde Urbem Romam nobilitaverunt.

[b] *Non omnes*] Namque unum ex eâ gente domi relictum ob impuberem ætatem volunt, quo tempore cæteri cum Etruscis bellum gesserunt; ex quo genus propagatum.

[c] *Una*] Illam dicit quâ apud Cremeram cæsi trecenti ex Fabiâ gente, patricius exercitus; sicuti refert Florus libri primi capite duodecimo.

[d] *Durus*] *Difficilis*, atque iniquo animo.

[e] *Viderit*] Interrogativè legendum hoc distichon Micyllus censuit, ut sit dubitantis Nasonis, num nomine non celato audeat ad Maximum scribere. Verùm optimè meo judicio clariss. Heinsius, qui non modò ex lectionum diversitate sciolum quempiam quatuor ex duobus versibus procudendi ansam arripuisse credidit, sed elegantissimè suas Nasoni sic elegantias asseruit.

Viderit: audebo tibi me scripsisse fateri.
Audebo propriis ingemuisse malis.

Viderit autem pro *Prospexerit*, *Consuluerit* positum: quomodo in rebus maximè dubiis, non Ovidius tantùm sed & alii loqui amaverunt.

Viderit; audebo tibi me scripsisse fateri,
[Atque modum culpæ [f] notificare meæ.]
Qui, cùm me pœnâ dignum graviore fuisse
Confitear; possum vix graviora pati.
Hostibus in mediis intérque pericula versor:
Tanquam cum patriâ pax sit ademta mihi.
Qui, mortis sævo [g] geminent ut vulnere caussas,
Omnia vipereo spicula felle linunt.
His eques instructus perterrita mœnia lustrat,
More lupi clausas circueuntis oves.
At semel intentus nervo levis arcus [h] equino.
[i] Vincula semper habens irresoluta manet.
Tecta rigent fixis velùti [k] vallata sagittis,
Portáque vix firmâ submovet arma serâ.
Adde loci faciem nec fronde nec arbore tecti;
Et quòd iners hyemi continuatur hyems.
Hîc me pugnantem cum frigore, cumque sagittis,
Cumque meo fato, [l] quarta fatigat hyems.
Fine carent lacrymæ; nisi cùm stupor obstitit illis:
Et similis morti pectora torpor habet.
Felicem [m] Nioben, quamvis tot [n] funera vidit,
Quæ [o] posuit sensum saxea facta mali!

INTERPRETATIO.

Legerit, non metuam agnoscere me ad te scripsisse, atque patefacere mensuram mei peccati. Qui, cùm agnoscam me meruisse majus supplicium, vix possum ferre majus. Dego in hostibus mediis & inter discrimina, quasi pax sit mihi rapta cum patriâ. Qui, ut duplicent caussas lethi ferâ plagâ tingunt omnia tela felle anguineo. Eques his stipatus obit muros exterritos in modum lupi obeuntis pecudes clausas. At levis arcus semel intentus nervo equino stat semper habens vincula adstricta. Tecta horrent quasi septa impactis spiculis, & valvæ ægrè depellunt arma durâ serâ. Adjice faciem loci neque foliis neque arboribus velati; & quòd hyems pigra jungitur hyemi. Quarta hyems hîc me premit certantem cum frigore, & cum spiculis, & cum meâ sorte. Fletus sunt assidui, nisi cùm torpor illos impedit, & stupor par morti cor insidet. Beatam Nioben, quanquam sensit tot funera, quæ in saxum mutata deposuit sensum mali!

NOTÆ.

[f] *Notificare*] Quis credat, inquit clariss. Heinsius, *notificandi*, aut quod in aliis extat, *certificandi* verbo Nasonem esse usum?

[g] *Geminent*] Ferro & veneno *scilicet*.

[h] *Equino*] Ex equorum setis parato.

[i] *Vincula*] De arcus nervo intellige, quem nunquam laxent Getæ.

[k] *Vallata*] Vallis obsita.

[l] *Quarta*] Nasoni adeòque si credas per quatuor annorum spatium hyemem vidit continuam, quâ maximè infestatus sit. Næ ille si quid concupivit magnificè potuit verbis consectari.

[m] *Nioben*] De eâ Tantali filiâ, quæ in saxum diriguit, jam sæpius dictum. Fabulam vide in Metam.

[n] *Funera*] Filiorum septem, totidemque filiarum, Latonæ irâ sublatarum.

[o] *Posuit*] Atqui, ut neque Nasonem latuit; majora etiam à se impetrare potest mens humana, si modò viribus utatur suis, aut iis uti didicerit.

[p] Vos quoque felices, quarum clamantia fratrem
Cortice velavit populus ora novo.
Ille ego sum, lignum qui non admittar in ullum:
Ille ego sum, frustra qui lapis esse velim.
Ipsa [q] Medusa oculis veniat licèt obvia nostris,
[r] Amittat vires ipsa Medusa suas.
Vivimus, ut sensu nunquam careamus amaro:
Et gravior longâ fit mea pœna morâ.
Sic inconsumtum [s] Tityi sempérque renascens
Non perit, ut possit sæpe perire, jecur.
At [t] puto, cùm requies medicináque publica curæ
Somnus adest, solitis nox venit orba malis.
Somnia me terrent veros imitantia casus:
Et vigilant sensus in mea [u] damna mei.
Aut ego Sarmaticas videor vitare sagittas:
Aut dare captivas ad fera vincla manus.
Aut ubi decipior melioris imagine somni,
Aspicio patriæ tecta relicta meæ.
Et modò vobiscum, quos sum veneratus, amici,
Et modò cum carâ conjuge, multa loquor.
Sic, ubi percepta est brevis & non vera voluptas,
Pejor ab [x] admonitu fit status iste boni.

INTERPRETATIO.

Vos etiam beatas, quarum ora citantia fratrem populus obstruxit recenti cortice. Ego sum ille, qui non recipiar in ullum lignum; ego sum ille, qui nequicquam cupiam esse saxum. Quamvis ipsa Medusa occurrat nostris oculis, ipsa Medusa excidat suâ potentiâ. Vivimus, ut nunquam careamus sensu molesto: & meum supplicium fit asperius longo tempore. Et modo jecur Tityi inconsumtum & semper renascens non absumitur, ut possit sæpe absumi. At, credo, quando quies, & sopor remedium commune sollicitudinis advenit, nox est sine ærumnis consuetis. Species somni exhibentes veras clades me territant, & mei sensus sunt experrecti in mea mala. Vel ego videor effugere spicula Sarmatica; vel præbere manus captivas sævis catenis. Vel cùm fallor specie lætioris somni, video domos amissas mea patria. Et nunc plurima confero vobiscum, amici, quos colui, & nunc cum dilectâ uxore. Ità postquam fruitus sum brevi & falso gaudio, iste status fit pejor recordatione boni.

NOTÆ.

[p] *Vos*] Heliades dicit, quæ Phaëtontis fratris casum tanto luctu prosecutæ, ut denique obstupuerint, atque in Alnos, ut placet Virgilio, vel in Populos ex aliorum sententiâ, mutatæ sint.

[q] *Medusa*] Cujus vultus homines in saxa mutabat, ut fusè dictum in Metam.

[r] *Amittat*] *Quia in saxum mutari nequeam, qui ferendis miseriis natus videor.*

[s] *Tityi*] Hic Jovis ex Elarâ filius, cùm Latonæ vim inferre conatus esset; ab Apolline & Dianâ confixus, atque ad Inferos deturbatus, ibidem jecur semper renascens vulturi præbet exedendum. Quam fabulam satis apertè hic noster, quod & Lucretius aliique fecerunt, de curis atque animi sollicitudinibus exponit.

[t] Puto] Pro *fortè*. Per objectionem quandam figuram Rhetoricæ, nequidem per somnum vacare curis animum dicit.

[u] *Damna*] Siquidem & falsis imaginibus somni torquebatur.

[x] *Admonitu*] Pejus enim est *Habuisse*, quàm *nihil habere*.

Sive dies igitur caput hoc miserabile cernit,
Sive [y] pruinosi Noctis aguntur equi;
Sic mea perpetuis liquefiunt pectora curis,
Ignibus admotis ut nova cera solet.
Sæpe precor mortem, mortem quoque [z] deprecor idem;
Ne mea Sarmaticum contegat ossa solum.
Cùm subit, Augusti quæ sit clementia; credo
Mollia [a] naufragiis [b] littora posse dari.
Cùm video quàm sint mea fata tenacia, frangor;
Spesque levis magno victa timore cadit.
Nec tamen ulteriùs quidquam speróve precórve,
Quàm [c] malè mutato posse carere loco.
Aut [d] hoc, aut nihil est, pro me tentare modestè
Gratia quòd salvo [e] vestra [f] pudore queat.
Suscipe, Romanæ facundia Maxime linguæ,
[g] Difficilis caussæ [h] mite patrocinium.
Est [i] mala; confiteor: sed te [k] bona fiet agente.
Lenia pro miserâ fac modò verba fugâ.
Nescit enim Cæsar, quamvis Deus omnia norit,
Ultimus hîc quâ sit conditione locus.

INTERPRETATIO.

Seu ergo dies videt hoc caput lamentabile, seu equi pruinosi noctis agitantur, meum cor perinde diffluit assiduis felicitudinibus, ac cera recens solet diffluere *ignibus admotis. Sæpe voveo mortem, idem etiam averto precibus mortem; ne terra Sarmatica obruat mea ossa. Cùm succurrit, quanta sit clementia Augusti, arbitror littora quieta posse concedi* nostris *naufragiis. Cùm aspicio quantùm mea sors sit pertinax, despondeo animo, & spes levis vanescit superata ingenti metu. Neque tamen aut spero, aut rogo quidquam ampliùs, quàm posse carere loco malè mutato. Aut hoc, aut nihil est, quod Gratia vestra possit experiri verecundè salvo pudore. Maxime, Eloquentia linguæ Romanæ, suscipe lenem defensionem asperæ caussæ. Est mala, agnosco; verùm fiet bona, te defendente. Profer tantùm verba mitia in gratiam tristis exilii. Nescit enim Cæsar, quamvis Deus omnia cognoscat, quali statu sit hic locus novissimus.*

NOTÆ.

[y] *Pruinosi*] Quia per noctem congelatur ros, qui tum pruina dicitur.

[z] *Deprecor*] *Precibus amolior.*

[a] *Naufragiis*] Metaphoricè de exilio suo loquitur.

[b] *Littora*] Reditum in patriam, aut certè mitius solum quàm Scythiam intelligit.

[c] *Malè mutato*] Quasi quodlibet solum, modò ne Scythicum, Poëtæ gratum fuerit, hujus tantùm mutationem in aliud, utcumque malum, petit.

[d] *Hoc*] Loci mutatio.

[e] *Vestra*] Eam intelligo, quâ Maximus cæterique Nasonis amici, apud Augustum pollebant.

[f] *Pudore*] Verecundos esse decet qui aliquid petunt à Principe; ne magìs illum offendere, quàm amicis prodesse videantur.

[g] *Difficilis*] Quia ab Augusto læso venia impetranda.

[h] *Mite*] Quòd mite requirat ingenium ad Cæsarem demulcendum, dein & mitiget Poëtæ exilium.

[i] *Mala*] Propter Cæsarem offensum præsertim.

[k] *Bona*] *Vincibilis.*

Magna tenent illud rerum [l] molimina numen :
[m] Hæc eſt cæleſti pectore cura [n] minor.
Nec vacat, in qua ſint poſiti regione Tomitæ,
Quærere, finitimo [o] vix loca nota Getæ.
Aut quid Sauromatæ faciant, quid [p] Iazyges acres,
Cultáque [q] Oreſteæ Taurica terra Deæ.
Quæque [r] aliæ gentes, ubi frigore conſtitit Iſter,
Dura meant celeri [ſ] terga per amnis equo.
Maxima pars [t] hominum nec te, pulcherrima, curant,
Roma; nec Auſonii militis arma timent.
Dant animos arcus illis plenæque pharetræ;
Quamque libet longis curſibus aptus equus:
Quodque ſitim [u] didicêre diu tolerare famémque;
Quodque ſequens nullas hoſtis habebit aquas.
Ira Dei mitis non me miſiſſet in iſtam,
Si ſatis hæc illi nota fuiſſet, humum.
Nec me, nec quenquam Romanum gaudet ab hoſte,
Meque minùs, vitam cui [x] dedit ipſe, premi.
Noluit, ut poterat, minimo me perdere nutu.
[y] Nil opus eſt ullis in mea fata Getis.

INTERPRETATIO.

Ingens pondus rerum detinet illud numen: hac cura eſt minor mente cæleſti. Neque otium eſt petere in quâ orâ Tomitæ ſint ſiti, regio vix cognita Getæ vicino. Vel quid Sauromatæ rerum gerant, quid Jazyges acres, & tellus Taurica culta à Deâ Oreſteâ: & aliæ nationes, quæ, poſtquam Danubius concretus eſt frigore diſcurrunt velocibus equis per rigida terga fluvii. Maxima pars hominum neque tui habent rationem, Roma formoſiſſima; neque reformidant arma militis Itali. Arcus, & pharetra referta, atque equi idonei curſibus quantumvis longis augent illis animos; & quòd aſſueverunt diu pati ſitim & famem; & quòd hoſtis perſequens nullas habebit aquas. Ira lenis Dei non miſiſſet me in iſtam regionem, ſi ea fuiſſet illi ſatis cognita. Neque me, neque ullum Romanum lætatur opprimi ab hoſte; atque me minùs, cui ipſe præbuit vitam. Noluit me exitio dare, ut poterat minimo nutu. Nihil eſt opus Getis in meam mortem.

NOTÆ.

[l] *Molimina*] Pro rebus quæ magno molimine perficiuntur.

[m] *Hæc*] Ut cognoſcat quæ ſit conditio hujus loci.

[n] *Minor*] *Minùs digna.*

[o] *Vix nota*] Propter ignobilitatem.

[p] *Jazyges*] Iſtos jam ſuprà Sarmatiæ Europeæ populos vidimus.

[q] *Oreſtea*] Diana eſt, quam Oreſtes ex Tauricâ Cherſoneſo unà cum Iphigeniâ ſorore abſtulit; ut fusè dictum in præcedentibus.

[r] *Aliæ*] Ut ſunt Baſternæ, Alani, Daci, &c.

[ſ] *Terga*] Glaciem adeòque.

[t] *Hominum*] De iis gentibus agit in quibus verſabatur, maximo periculo.

[u] *Didicêre*] Atque equidem iſtud egregiâ diſciplinâ docente iſtud præſtantiſſimo Magiſtro Horatio. Pauculis egere maximum adverſus tyrannos fuit ſemper & erit præſidium.

[x] *Dedit*] Iſtud acutiſſimè atque ad rem appoſitiſſimè.

[y] *Nil opus*] Namque pro arbitrio Naſonem potuit Auguſtus occidere. Quanquam & Principes æqui atque decori tenentur leges quaſdam obſervare; niſi penitus unâ eâdemque ruinâ ſeſe cum populis ſuis feſtinant perdere.

Sed neque, cur morerer, quidquam mihi comperit actum:
Et [z] minùs infestus, quàm fuit, esse potest.
Tum quoque nil [a] fecit, nisi qnod facere ipse [b] coëgi,
Pænè etiam merito parcior ira meo.
Dî faciant igitur, quorum mitissimus ipse est,
Alma nihil majus Cæsare terra ferat.
Utque diu sub eo sit publica sarcina rerum;
Perque manus hujus [c] tradita gentis [d] eat.
At tu tam placido, quàm nos quoque [e] sensimus illum,
[f] Judice [g] pro lacrymis ora resolve meis.
Non petito ut bene sit, sed uti malè tutius; utque
Exsilium sævo distet ab hoste meum.
Quamque dedère mihi præsentia [h] numina vitam,
Non adimat stricto squallidus ense Getes.
Denique, si moriar, subeant pacatius arvum,
Ossa nec à Scyticâ nostra premantur humo.
Nec malè compositos (ut scilicet exule dignum)
[i] Bistonii cineres ungula pulset equi.
Et ne, si superest aliquid post funera sensûs,
[k] Terreat hîc manes Sarmatis umbra meos.

INTERPRETATIO.

Sed neque invenit quidquam patratum à me quamobrem perirem; & potest esse minùs infensus quàm fuit. Tunc etiam nihil fecit, nisi quod ipse coëgi facere: ira quoque minor meo merito. Dii ergo, quorum ipse est lenissimus, præstent ut alma Tellus nihil ferat majus Cæsare; & ut commune onus rerum sit diu sub eo, & datum vigeat per manus hujus gentis. At tu, arbitro tam leni, quàm nos etiam experti sumus illum, aperi os pro meis lacrymis. Ne roges ut bene sit, sed uti malè securiùs, & ut exsilium meum sit procul ab hoste fero: & Getes horridus non rapiat gladio nudato vitam quam Dii faventes mihi præbuerunt. Denique, si obeam, nostra ossa imponantur terra quietiori, neque urgeantur pulvere Scythico: neque ungula equi Bistonii calcet cineres malè conditos, ut scilicet dignum profugo: & ne, si reliquum est aliquid sensus post fata, Umbra Sarmatica hic pavorem incutiat meis Manibus.

NOTÆ.

[z] *Minus*] Quia ira deferbuerit.

[a] *Fecit*] *In me* scil.

[b] *Coëgi*] *Culpâ meâ, qui carmina scripsi amatoria.*

[c] *Tradita*] Sensus est ut imperium quasi per manus traditum ab Augusto suo successori atque ità deinceps, vigeat & floreat per manus ejus gentis.

[d] *Eat per manus*] Id est, *Ab invicem sibi succedentibus ex Augusti gente Terra quasi per manus tradita, regatur.*

[e] *Sensimus*] *quippe qui vitam acceperimus, cùm nos potuisset perdere.*

[f] *Judice*] Augusto *scil.* Cùm, inquit, ille sit tam mitis atque placidus.

[g] *Pro lacrymis*] Hoc est, lacrymosâ & miserâ conditione.

[h] *Numina*] Augusti præsertim.

[i] *Bistonii*] Pro Getico posuit Bistonium seu Thracium; quia *scilicet* Bistones Thraciæ populi Getis finitimi.

[k] *Terreat*] Ineptè videtur de Animarum statu sensisse Poëta. Verùm datâ operâ, ut caussæ suæ serviret, vulgarem sequutus est sententiam.

Cæſaris [l] hæc animum poterant audita movere,
Maxime; moviſſent [m] ſi tamen antè tuum.
Vox precor Auguſtas pro me tua molliat aures,
Auxilio trepidis quæ ſolet eſſe reis:
Aſſuetáque tibi doctæ dulcedine linguæ
Æquandi Superis pectora flecte [n] viri.
Non tibi [o] Theromedon, crudúſve rogabitur [p] Atreus;
[q] Quique ſuis homines pabula fecit equis:
Sed piger ad pœnas Princeps, ad præmia velox:
Quique dolet, quoties cogitur eſſe ferox.
Qui vicit ſemper, victis ut [r] parcere poſſet;
[ſ] Clauſit & æternâ civica bella ſerâ.
Multa [t] metu pœnæ, pœnâ qui pauca coërcet;
Et jacit invitâ fulmina rara manu.
Ergo tam placidas orator miſſus ad aures,
Ut propior patriæ ſit fuga noſtra, roga.
Ille ego ſum, qui te colui; [u] quem feſta ſolebat
Inter convivas menſa videre tuos.

INTERPRETATIO.

Hæ auribus accepta poterant mollire mentem Cæſaris, Maxime; ſi tamen tetigiſſent priùs tuam. Vox tua, quæſo, quæ conſuevit adeſſe timidis reis, leniat aures Auguſtas pro me; atque emollito cor viri æquandi Diis ſuavitate tibi ſolitâ linguæ eruditæ. Non Theromedon, vel ferus Atreus, & qui fecit viros eſcam ſuis equis à te rogabitur, ſed Princeps tardus ad ſupplicia, celer ad mercedes; & cui grave eſt quoties cogitur eſſe ſævus. Qui ſemper potitus eſt victoriâ, ut poſſet ignoſcere debellatis; & coërcuit bella civilia ſerâ inviolabili. Qui reprimit multa formidine ſupplicii, pauca ſupplicio, & mittit rara fulmina manu repugnante. Adeòque orator miſſus ad aures tam lenes, orato, ut exſilium noſtrum ſit minùs remotum à patriâ. Ego ſum ille qui te veneratus ſum; quem menſa feſta conſueverat cernere inter tuos convivas.

NOTÆ.

[l] *Hæc*] Quæ ego conqueror & timeo.

[m] *Si tamen*] Namque docente ſummo Magiſtro dicendi Horatio,

Ut ridentibus arrident, ità flentibus adflent
Humani vultus. Si vis me flere dolendū eſt
Primùm ipſi tibi: tunc tua me infortunia lædent.

[n] *Viri*] Auguſti *ſcil.*

[o] *Theromedon*] Crudeliſſimus fuit rex Scythiæ qui leones ſanguine humano, ut magìs ſævirent, quotidie alebat.

[p] *Atreus*] Qui fratri ſuo Thyeſtæ ex mactatorum filiorum corporibus epulas apparare non timuit.

[q] *Quique*] Diomedes eſt, ferus rex Thraciæ, qui equos ſuos humanâ carne alebat, iiſdem denique ab Hercule objectus. Calliditſſimè autem horum tyrannorum hîc mentionem facit Poëta, ut ab cædem ſævitiâ tacitè Auguſtum dehortetur.

[r] *Parcere*] Ea fuit laus ejus maxima.

[ſ] *Clauſit*] Ad Jani templum alludit; quòd Auguſtus, in pacis, omnibus conceſſæ, ſignum, clauſit.

[t] *Metu*] In eo prudentiæ ars ſumma.

[u] *Quem*] *Quique adeò fuit tibi charus.* Vix autem alia ulla efficacior ratio, quæ amicum ad benefaciendum porrò perducat, quàm quòd antea benefecerit. Fundamentum enim habet in illius laude atque honore: neque caret utilitate etiam.

Ille ego, qui duxi veſtros [x] Hymenæon ad [y] ignes ;
Et cecini fauſto carmina digna toro.
Cujus te ſolitum memini laudare libellos ,
Exceptis, domino [z] qui nocuère ſuo.
Cui tua nonnunquam miranti ſcripta legebas.
Ille ego, de [a] veſtrâ cui data nupta domo.
[b] Hanc probat, & primo dilectam ſemper ab ævo ,
Eſt inter comites [c] Marcia cenſa ſuas.
Inque ſuis habuit [d] matertera Cæſaris antè :
Quarum judicio ſiqua probata, proba eſt.
Ipſa ſuâ melior famâ, laudantibus iſtis ,
[e] Claudia divinâ non eguiſſet ope.
Nos quoque prætcritos ſine labe peregimus annos.
Proxima pars vitæ [f] tranſilienda meæ.
Sed de me ut ſileam, conjux mea [g] ſarcina veſtra eſt.
Non potes hanc ſalvâ diſſimulare fide.
Confugit hæc ad vos : veſtras amplectitur aras.
[Jure venit cultos ad ſibi quiſque Deos.]
Flenſque rogat, precibus lenito Cæſare veſtris ,
[h] Buſta ſui fiant ut propiora viri.

INTERPRETATIO.

Ego ille, qui duxi Hymenæū ad veſtros amores ; & cantavi verſus dignos felici lecto. Cujus recordor te conſueviſſe probare libellos demtu iis, qui obfuerunt domino ſuo. Cui admiranti legebas interdum tua ſcripta. Ego ille , cui uxor conceſſa de veſtrâ familiâ. Marcia hanc laudat , & numeravit ſemper caram à primâ ætate inter comites ſuas. Matertera Cæſaris priùs etiam habuit inter ſuas , quarum judicio ſi qua eſt probata, eſt proba. Ipſa Claudia caſtior ſuâ famâ non habuiſſet opus auxilio divino, iſtis probantibus. Nos etiam duximus annos anteactos ſine macula. Proxima pars vitæ meæ omittenda. Verùm ut taceam de me , uxor mea eſt veſtrum onus. Non potes hanc negligere integrâ fide. Hæc confugit ad vos, complectitur veſtra altaria. Meritò quiſque accedit ad Deos quos veneratus eſt. Atque lacrymans orat, ut, Cæſare placato veſtris precibus, ſepulcrum ſui mariti fiat propius.

NOTÆ.

[x] *Hymenæon*] Quia carmen aliquod nuptiale ſeu epithalamium ſcripſerat Naſo in Maximi honorem, dicit iſtud.

[y] *Ignes*] Id eſt Tædas, quæ nubentibus à pueris præferebantur.

[z] *Qui noc.*] De Amatoriis intelligit ; ut jam ſæpe al bi.

[a] *Veſtra*] Fuit itaque ex Maximorum familià Naſonis conjux.

[b] *Hanc*] Uxorem meam.

[c] *Marcia*] Hæc Maximi fuit uxor, Philippi filia.

[d] *Matertera*] Hanc Actiæ, quæ Auguſti mater, ſororem fuiſſe volunt,& Martiæ matrem , quam Naſonis uxor puella admodum coluerit.

[e] *Claudia*] Veſtalis fuit,quæ cùm in ſtupri ſuſpicionem veniſſet, ut pudicitiam ſuam comprobaret , Cybeles dicitur ſimulacrum in Tiberis vadis hærentem , ſeu potiùs navem quâ vehebatur, cingulo duxiſſe , quam multa hominum millia trahere nequiverant.

[f] *Tranſilienda*] Propter infamiam ex exilio, atque impuris verſibus.

[g] *Sarcina*] Quia ex Maximorum familiam Naſonis uxor, eaque proba.

[h] *Buſta*] De ſe quaſi de ſepulto, non ſine arte maximâ , & ad miſericordiam movendam aptiſſimâ, loquitur,

EPISTOLA III.

RUFINO.

ARGUMENTUM.

Hanc tibi Naso tuus.] *Ex Rufini literis magnam se cepisse voluptatem & spem fatetur Poëta: nec tamen eas quamvis eloquentes, tantam vim habuisse docet, ut dolorem potuerint amovere. Causam deinde assignat. Tum refellit eorum exempla, quos ipse dixerat forti animo tulisse exilium, ea ratione quòd illi tam longè à patria non exulassent. Fatetur tamen postremò, si posset ejus animus leniri, ipsius præcepta & literas elegantissimas id facturas fuisse: quas loco magni muneris se accepisse dicit.*

HAnc tibi Naso tuus mittit, Rufine, salutem;
Qui miser est, ulli [a] si suus esse potest.
Reddita confusæ nuper [b] solatia menti
Auxilium nostris spemque tulêre malis.
Utque [c] Machaoniis [d] Pæantius artibus heros
Lenito medicam vulnere sensit opem:
Sic ego mente jacens, & acerbo saucius ictu,
[e] Admonitu cœpi fortior esse tuo.
Et jam deficiens sic ad tua verba revixi,
Ut solet infuso vena redire mero.
Non tamen exhibuit tantas facundia vires,
Ut mea sint dictis pectora sana tuis.
Ut multùm nostræ demas de gurgite curæ;
Non minùs exhausto, quod superabit, erit.

INTERPRETATIO.

Naso tuus, si qui est infelix potest esse suus cuiquam, mittit tibi hanc salutem, Rufine. Oblata à te consolatio nuper animo turbato attulit spem & opem nostris ærumnis. Et quemadmodum heros Pæantius expertus est auxilium medicum vulnere sanato artibus Machaoniis; ità ego afflictus animo, & vulneratus ictu sævo, cœpi esse firmior tuo admonitu. Atque jam derelictus sic restitutus sum ad tuas voces, ut vena consuevit denuò micare vino affuso. Eloquentia tamen non præbuit tantas vires, ut meum cor convaluerit tuis dictis. Quamvis multùm tollas de barathro nostræ solicitudinis, quod restabit non erit minus eo quod demseris.

NOTÆ.

[a] *Si suus*] *Tuus* dixerat; jam excipit, quasi nullius esse possit qui miser est.

[b] *Solatia*] De litteris dicit sibi à Rufino missis, ex quibus solatium percepit.

[c] *Machaoniis*] Quæ ex Medicâ arte proveniunt. Fuit nempe Machaon Medicus Æsculapii filius, à quo & Medici *Machaones* dicti.

[d] *Pæantius*] Philoctetes est Pæantis filius, de quo jam sæpius, Metam. præsertim lib. 13.

[e] *Admonitu*] Consolationibus, quas ægro animo suggessisti. Siquidem autem proximè suis cogitationibus vivat mens nostra, hinc facilè est intelligere quantùm ad illius valetudinem conferre possint bona verba.

Tempore [f] ducetur longo fortasse cicatrix.
  Horrent admotas vulnera cruda manus.
Non est in medico semper, relevetur ut æger.
  Interdum doctâ plus valet arte malum.
Cernis, ut è molli sanguis pulmone remissus
  Ad Stygias [g] certo limite ducat aquas.
Afferat ipse licèt [h] sacras [i] Epidaurius herbas;
  Sanabit nullâ vulnera cordis ope.
Tollere nodosam nescit medicina podagram,
  Nec [k] formidatis auxiliatur aquis:
Cura quoque interdum nullâ medicabilis arte;
  Aut, ut sit, [l] longâ est extenuanda morâ.
Cùm bene firmarunt animum præcepta jacentem,
  Sumtáque sunt nobis pectoris [m] arma tui;
Rursus amor patriæ ratione valentior omni,
  Quod tua [n] texuerunt scripta, retexit opus.
Sive pium vis hoc, sive hoc [o] muliebre vocari;
  Confiteor misero molle cor esse mihi.

Interpretatio.

Fortè cicatrix claudetur longâ morâ: Plaga recentes refugiunt manus admotas. Non est semper penes medicum, ut ægrotus convalescat. Nonnunquam morbus plus potest arte medicâ. Aspicis, ut cruor ejectus ex tenero pulmone ducat ad aquas inferas certo calle. Quamvis ipse Epidaurius adhibeat sacra gramina, nullo auxilio levabit vulnera cordis. Medicina nequit fugare podagram nodosam, neque medetur aquis formidatis. Sollicitudo etiam nullâ arte quandoque sanabilis; vel, quanquam sit, minuenda est multo tempore. Postquam documenta tua bene asseruerunt mentem prostratam, & arma tui cordis sunt capta à nobis, rursus amor patriæ potentior omni ratione destruit opus quod tua scripta extruxerant. Seu vis istud appellare pium, seu fœmineum, agnosco cor esse tenerum mihi misero.

Notæ.

[f] *Ducetur*] Id est penitus obliterabitur dolor, aut exolescet cura. Metaphora est à vulneribus petita, quæ cùm sanantur cicatricem ducunt.

[g] *Certo*] Lethale est enim vulnus in pulmone.

[h] *Sacras*] Seu efficaciam herbarum, seu Æsculapii dignitatem spectes.

[i] *Epidaurius*] Æsculapius Apollinis filius, idemque Medicus insignis, qui primùm Epidauri, quæ Peloponnesi urbs fuit, ubi ille natus, pro Deo cultus est, deinde Romam translatus.

[k] *Formidatis*] Seu formidandis legas, & de hydrope accipias; seu ex formidatis aquis rabiem intelligas, utrique morbo, quanquam non sine discrimine maximo, medentur hodierni Medici.

[l] *Longa*] Non enim continuò suas facit animus rationes bonas quæ offeruntur, quia bonæ sunt. Tempore etiam illi opus est, & frequenti exercitio, ut denique in illis confirmetur & corroboretur.

[m] *Arma*] Consilia, & rationes quibus Nasonis mentem adversus ægritudinem Rufinus munire studuerat.

[n] *Texuerunt*] Metaphora ex lanificio petita, apertior quàm ut exponi mereatur.

[o] *Muliebre*] Reverâ est sæpius, aliquando & pium.

Non dubia est [p] Ithaci prudentia: sed tamen [q] optat
Fumum de patriis posse videre focis.
N.scio quâ natale solum dulcedine captos
Ducit, & immemores non sinit esse sui.
Quid melius Româ? Scythico quid littore pejus?
Huc tamen ex illâ barbarus urbe fugit.
Cùm bene sit clausæ caveâ [r] Pandione natæ;
Nititur in silvas illa redire suas.
Assuetos tauri saltus, assueta leones
(Nec feritas illos impedit) antra petunt.
Tu tamen exsilii morsus è pectore nostro
[s] Fomentis speras cedere posse tuis.
Effice, vos ipsi ne tam mihi sitis amandi,
[t] Talibus ut levius sit caruisse malum.
At, putò, quâ fueram genitus, tellure carenti,
In tamen [u] humano contigit esse loco.
Orbis in extremi jaceo desertus arenis:
Fert ubi perpetuas obruta terra nives.
Non ager hîc [x] pomum, non dulces educat uvas:
Non salices ripâ, robora monte virent.
Neve fretum terrâ laudes magis; æquora semper
Ventorum rabie, [y] solibus orba, tument.

INTERPRETATIO.

Prudentia Ithacensis non est incerta; sed tamen cupit posse cernere fumum de focis patriis. Terra patria agit motos, nescio quâ suavitate, neque patitur esse oblitos sui. Quid melius Româ? quid pejus littore Scythico? Barbarus tamen huc recurrit ex illâ urbe. Quanquam bene sit filia Pandionis caveâ clausa, illa conatur reverti in sua nemora. Tauri concedunt in saltus solitos; leones in speluncas solitas, neque feritas illis obstat. Tu tamen credis anxietates exsilii posse fugari ex nostro corde tuis fomentis? fac ne vos ipsi sitis mihi tam amabiles, ut minus sit damnum caruisse talibus. At, credo, obtigit mihi carenti solo in quo fueram natus, esse tamen in loco miti. Jaceo destitutus in arenis ultimi orbis, ubi tellus obruta fert nives assiduas. Campus non fert hic pomum, neque mites racemos: salices non virescunt in ripis, neque quercus in montibus. Neve probes magis mare quàm terram, maria privata solibus tolluntur semper furore ventorũ.

NOTÆ.

[p] *Ithaci*] Ulyssis *scilicet*: quem in virtutis atque prudentiæ exemplar proposuerunt.

[q] *Optat*] *Ithaca*, inquit ille, apud Homerum, *omnium charissima occasum versus, aspera quidem sed optima, juventutis altrix; quâ ego nihil unquam amœnius vidi.*

[r] *Pandione nata*] De Philomelâ agit Pandionis Athenarum regis filiâ, quæ in lusciniam mutata, utcumque maximâ curâ in caveâ alatur, vix nulla ibi non moritur, atque in silvas studet semper evolare.

[s] *Fomentis*] Consolationibus *scil.*

[t] *Talibus*] Fidelibus, amabilibus, &c. Venustè autem atque amabiliter id quod maximè amandum, quodque maximè cor urgeat, indicavit.

[u] *Humano*] Facile verò fuisset Romanam urbanitatem aliâ compensare, si obtigisset. Verùm ideo tantùm hujus meminit ut nullam esse fateatur.

[x] *Pomum*] Non tam mite quidem; verùm nullum non est verisimile.

[y] *Solibus*] *Calore.*

Quocunque aspicias, campi cultore carentes,
Vastáque, quæ nemo [z] vindicet, arva jacent.
Hostis adest dextrâ lævâque à parte timendus;
Vicinóque metu terret utrumque latus.
Altera Bistonias pars est sensura sarissas,
Altera Sarmaticâ spicula missa manu.
I nunc, & veterum nobis exempla virorum,
Qui forti casum mente tulêre, refer.
Et grave magnanimi robur mirare [a] Rutilî,
Non usi reditûs conditione dati.
Smyrna virum tenuit, non [b] Pontus & hostica tellus,
Pænè minùs [c] nullo Smyrna petenda loco.
Non doluit patriâ [d] Cynicus procul esse [e] Sinopeus:
Legit enim sedes, Attica terra, tuas.
Arma [f] Neoclides qui Persica [g] contudit armis,
Argolicâ [h] primam sensit in urbe fugam.
Pulsus [i] Aristides patriâ Lacedæmona fugit:
Inter [k] quas dubium, [l] quæ prior esset, erat.

INTERPRETATIO.

Quocumque oculos vertas, agri destituti colonis, & vasti campi quos nullus asserat, torpent. Hostis metuendus urget à parte dextrâ atque sinistrâ; & terret utrumque latus proximo metu. Altera pars est sensura lanceas Bistonias, altera sagittas impulsas manu Sarmaticâ. Ito jam, & nobis memora exempla antiquorum virorum, qui toleraverunt clades firmo animo. Atque admirare invictam constantiam magnanimi Rutilii non usi conditione reditus concessi. Smyrna tenuit virum, non Pontus & terra hostilis, Smyrna, inquam, *propemodum nullo loco minùs quærenda. Cynicus Sinopeus non agrè tulit longè esse à Patriâ, namque elegis tuas mansiones, tellus Attica. Neoclides, qui fregit armis arma Persica sensit primum exsilium in urbe Argolicâ. Aristides ejectus patriâ fugit Spartam; inter quas incertum erat, utra esset potior.*

NOTÆ.

[z] *Vindicet*] *Tanquam suos excolat atque tueatur.*

[a] *Rutili*] Vir fuit doctus atque sanctus, qui per Invidiam Româ pulsus, redeundi potestate factâ, Smyrnæ maluit consenescere atque obire.

[b] *Pontus*] Terra asperrima si cum Smyrnâ conferas.

[c] *Nullo*] Quia Ioniæ urbs præclarissima atque gratissima.

[d] *Cynicus*] Diogenem dicit, cui sicut & cæteris ejusdem sectæ à caninâ mordacitate quâ sine discrimine in omnium vitas inquirebant, nomen præsertim datum videtur.

[e] *Sinopeus*] Sinope, Paphlagoniæ, in littore Pontici maris sitâ urbe, oriundus; cui lucro fuit à Barbaris ad cultissimos homines, Athenienses dico, devenire.

[f] *Neoclides*] Themistocles est Atheniensis, Neoclis filius, cui, quanquam ab illis veniret difficile non fuit apud Græcos exilium pati.

[g] *Contudit*] Rem ipsam non pœniteat ex Plutarcho præsertim cognoscere.

[h] *Primam*] Namque sæpius pulsus.

[i] *Aristides*] Atheniensis fuit Philosophus, maximè Politicus. Themistocli coævus, cui à justitiâ datum cognomen.

[k] *Quas*] Urbes *scilicet.*

[l] *Quæ prior*] Non minùs enim tunc temporis Sparta quàm Athenæ florebat.

[m] Cæde puer factâ Patroclus [n] Opunta reliquit,
Thessalicámque adiit hospes Achillis humum.
Exul ab [o] Hæmoniâ [p] Pirenida cessit ad undam,
[q] Quo duce [r] trabs Colchas sacra cucurrit aquas.
Liquit [s] Agenorides [t] Sidonia mœnia Cadmus,
Poneret ut muros in [u] meliore loco.
Venit ad [x] Adrastum Tydeus Calydone fugatus;
Et [y] Teucrum Veneri grata recepit humus.
Quid referam veteres Romanæ gentis, apud quos
Exsulibus tellus ultima [z] Tybur erat?
Persequar ut [a] cunctos; nulli datus omnibus ævis
Tam procul à patriâ est, horridiórve locus.
Quò magis ignoscat sapientia vestra dolenti,
Qui facit ex dictis [b] non ità multa tuis.

INTERPRETATIO.

Patroclus puer deseruit Opunta patrato homicidio, & hospes Achillis venit in terram Thessalicam. Ille quo duce navis sacra sulcavit aquas Colchas exsul ab Hæmoniâ venit ad aquam Pirenidem. Cadmus Agenorides deseruit muros Sidonios, ut statueret mœnia in loco potiore. Tydeus pulsus Calydone concessit ad Adrastum; & terra dilecta Veneri excepit Teucrum. Quamobrem recenseam antiquos Romanæ gentis, apud quos Tybur erat terra novissima profugis? Quamvis omnes enumerem, nemini assignatus est ullâ ætate locus tam longè à patriâ, vel asperior. Quare faciliùs parcat vestra sapientia dolenti, qui non ità multa præstat ex dictis tuis.

NOTÆ.

[m] *Cæde*] Patroclus Menœtii filius cùm astragalis luderet, Aphidamantis filium Eanen, seu Clisonymum, ut alii vocant, iratus quòd sibi aliquos surripuisset, occidit. Quâre in Thessaliam, atque in urbem Phthiam ad Peleum confugit, ubi cum Achille arctissimam necessitudinem contraxit.

[n] *Opunta*] Ex Opunte Locridis oppido oriundum Patroclum testatur quoque Homerus.

[o] *Hæmoniâ*] Thessaliâ, cui & illud nomen.

[p] *Pirenida*] Fontis Pirenes, ad radices Acrocorinthi; ex quo Corinthum urbem intelligas, quò Iason confugit.

[q] *Quo duce*] Jason ipse est, qui Peliæ suasu in Colchicam expeditionem navigavit.

[r] *Trabs*] Argo navis est sacra Palladi: illâ namque Argonautæ, Jasone duce, Colchos petierunt.

[s] *Agenorides*] Fuit verò Cadmus Agenoris Phœniciæ regis filius. Pater, lege impiâ, ità illum sororem Europam jussit quærere, ut nisi eâ inventâ, reverti ne auderet. Ob eam rem exul igitur in Bœotiam venit, ubi Thebas condidit.

[t] *Sidonia*] Sidonis Phœniciæ urbis, in quâ Agenor Cadmi pater regnabat.

[u] *Meliore*] Quia Græciam suam Græci plurimi faciebant. Quanquam & Sidon urbs amplissima eademque opulentissima fuit.

[x] *Adrastum*] Talaonis fuit filius, rex Argivorum; ad quem Tydeus Oenei, occisis Alcathoo Lycotheoque nepotibus, profugit; ubi & Deiphylen regis filiam uxorem duxit.

[y] *Teucrum*] Finito bello Trojano, cùm Teucer, ob Ajacis fratris mortem, patri Telamoni invisus esset, neque in regnum reciperetur, sponte in Cyprum, Veneri sacram insulam, contendit, ubi urbem, nomine antiquo Patriæ, Salamina condidit.

[z] *Tybur*] Quæ 16 lapide tantùm distat ab Urbe. Nondum enim Imperii fines propagaverant Romani tunc temporis.

[a] *Cunctos*] Exules *scil.*

[b] *Non facit*] Neque potest dolorem suum delinire.

Nec tamen inficior, si possint nostra coïre
Vulnera; præceptis posse coïre tuis.
Sed vereor, ne me frustra servare labores;
Neu juver admotâ perditus æger ope.
Nec loquor hæc, quia sit major prudentia nobis;
Sed sim quàm medico notior ipse mihi.
Ut tamen hoc ita sit, munus tua [c] grande voluntas
Ad me pervenit, consulitúrque boni.

INTERPRETATIO.

Neque tamen nego, si plaga nostra possint coalescere, posse coalescere tuis monitis. Verùm timeo, ne incassum tentes me servare, neve ægrotus deploratus fovear auxilio adhibito. Neque hæc dico, quòd major sit nobis sapientia, sed sim ipse notior mihi quàm medico. Quamvis tamen hoc ità se habeat, benevolentia tua magnum donum ad me pervenit, & in bonam partem accipitur.

NOTÆ.

[c] *Grande*] Optimè sanè; namque ille omnia fecit qui pro virili suâ nos adjuvit,

EPISTOLA IV.

VXORI.

ARGUMENTUM.

Jam mihi deterior.] *Ad uxorem scribens Poëta, canum se & languidum factum esse designat. hujúsque rei causas duas esse colligit: senectutem scilicet, & dolorem, quo assiduò conficitur. Deinde factâ collatione Iasonis expeditionis qui in ea loca pervenit, & sui exilii: docet suum malum majus fuisse illius opere & peregrinatione. Postremò optat ut possit in patriam redire, fruique dulcissimæ conjugis amplexu & colloquio, Cæsaribúsque sacrificare.*

JAm mihi [a] deterior canis [b] aspergitur ætas,
Jámque meos vultus ruga senilis arat:
Jam vigor, & quasso languent in corpore vires,
Nec, juveni lusus qui placuêre, placent.
Nec si me subitò videas, agnoscere possis:
Ætatis facta est tanta ruina meæ.

INTERPRETATIO.

Ætas sequior jam mihi aspergitur crinibus albis, & ruga senilis jam sulcat meam faciem: jam vigor & vires languent in corpore exhausto; neque lusus, qui grati fuerunt juveni, grati sunt. Neque, si me ex improviso aspiciat, possit agnoscere: tanta est facta ruina meæ ætatis.

NOTÆ.

[a] *Deterior*] Senilis *scilicet.*

[b] *Aspergitur*] Canescere incipit.

Confiteor facere [c] hæc annos : sed & altera caussa est,
Anxietas animi, continuúsque labor.
Nam mea per longos si quis mala [d] digerat annos,
(Crede mihi,) [e] Pylio Nestore major ero.
Cernis ut in duris (& quid bove firmius?) arvis
Fortia taurorum corpora frangat opus.
Quæ nunquam vacuo solita est cessare [f] novali,
Fructibus assiduis lassa senescit humus.
Occidet, ad Circi si quis certamina semper,
Non intermissis cursibus ibit, equus.
Firma sit illa licèt, solvetur in æquore navis,
[g] Quæ nunquam liquidis [h] sicca carebit aquis.
Me quoque debilitat series immensa malorum,
Ante meum tempus cogit & esse senem.
Otia corpus alunt; animus quoque [i] pascitur illis.
Immodicus contra carpit utrumque labor.
Aspice, in [k] has partes quòd venerit [l] Æsone natus,
Quam laudem à serâ posteritate ferat.
At labor illius nostro leviórque minórque:
[m] Si modò non verum nomina magna premunt.

INTERPRETATIO.

Agnosco tempora facere hæc: sed sollicitudo mentis, & labor perpetuus est etiam alia caussa. Nam si quis distribuat meas ærumnas per longos annos, crede mihi, ero senior Nestore Pylio. Vides, ut labor terat dura corpora boüm in rigidis agris: & quid fortius bove? Terra quæ nunquam consuevit quiescere vervacte inani, defessa veterascit frugibus perpetuis. Si quis equus accedet semper ad prælia Circi, cursibus non intermissis, occumbet. Navis quæ nunquam arida carebit aquis fluidis, quanquam sit solida & bene compacta aperietur in mari. Tractus etiam infinitus ærumnarum me frangit, & cogit esse senem ante meum tempus. Relaxatio fovet corpus; mens etiam reficitur illâ. E contrario labor nimius absumit utrumque. Vide quam gloriam filius Æsonis reportet ab ultimâ posteritate, quòd accesserit ad istas oras. At labor illius & levior & minor nostro, si saltem nomina præclara non obruunt veritatem.

NOTÆ.

[c] *Hæc*] Ut vix sim cognoscendus.

[d] *Digerat*] Itâ disponat, ut, pro communi hominum sorte, singulis annis suum laborem attribuat.

[e] *Pylio*] Pylo enim Peloponnesi urbe Nestor oriundus fuit; qui ideò tertiam hominum ætatem dicitur vixisse, quòd ad 99 annum pervenerit, triginta videlicet annis pro unâ computatis ætate. Quanquam pro libitu Poëtæ aliter.

[f] *Novali*] Novale terra est proscissa quæ anno cessat, sine semine: Vel quæ primùm culta.

[g] *Quæ nunquam*] Atque adeò semper aquæ & ventorum vim patitur.

[h] *Sicca*] Quæ sicca sit si aquis careat.

[i] *Pascitur*] *Reficitur.* Verissimè dicit, modò ne nimio otio indulgeas.

[k] *Has*] Ponticas *scil.* cùm in Colchos navigavit.

[l] *Æsone natus*] Jasonem dicit, de quo jam toties.

[m] *Si modo*] Hoc est, si modò Virtus hominis humilioris non deprimitur dignitate potentioris; vel, quòd propè est idem, si ex se ipsâ, non ex hominum sorte Virtus æstimatur.

Ille eſt in Pontum Peliâ mittente profectus,
Qui [n] vix Theſſaliæ fine timendus erat.
Cæſaris ira mihi nocuit; quem Solis ab ortu
Solis ad occaſus [o] utraque terra tremit.
[p][Junctior Hæmonia eſt Ponto, quàm Roma ſit Iſtro:
Et brevius, quàm nos, [q] ille peregit iter.]
Ille habuit comites [r] primos telluris Achivæ:
At noſtram cuncti deſtituêre fugam.
Nos fragili vaſtum ligno ſulcavimus æquor:
Quæ tulit Æſoniden, firma carina fuit.
Nec [ſ] Tiphys mihi rector erat: nec [t] Agenore natus
Quas ſequerer docuit quas fugerémque vias.
Illum tutata eſt cum Pallade regia Juno:
Defendêrê meum numina [u] nulla caput.
Illum [x] furtivæ juvêre Cupidinis artes;
Quas à me [y] vellem non didiciſſet Amor.
Ille domum [z] rediit: nos [a] his moriemur in arvis,
Perſtiterit læſi ſi gravis ira [b] Dei.
Durius eſt igitur noſtrum, fidiſſima conjux,
Illo, quod ſubiit Æſone natus, onus.

INTERPRETATIO.

Ille venit in Pontum, Peliâ mittente, qui vix erat metuendus intra fines Theſſaliæ. Ira Cæſaris mihi obfuit, quem utraque terra ab ortu Solis ad occaſum Solis reformidat & veneratur. Hæmonia eſt vicinior Ponto, quàm Roma ſit Iſtro: & ille emenſus eſt viam breviorem quàm nos. Ille habuit ſocios principes regionis Graiæ: & omnes deſeruerunt noſtrum exſilium. Nos tranavimus vaſtum mare ligno fragili: navis quæ vexit Æſonidem fuit ſolida. Neque Tiphys erat mihi Nauclerus: neque filius Agenoris indicavit vias quas tenerem, & quas vitarem. Regia Juno cum Pallade defendit illum: nulli Dii protexerunt meum caput. Secretæ fraudes Amoris illi adfuerunt, quas optarem Amor non edoctus eſſet à me. Ille repetiit ſedes ſuas: nos occidemus in his agris, ſi gravis ira Dei offenſi permanſerit. Jugum ergo noſtrum, uxor fideliſſima, eſt gravius illo quod filius Æſonis tulit.

NOTÆ.

[n] *Vix*] Neque enim verè rex fuit Pelias, cui tantùm Æſon moriens regnum eâ lege crediderat, ut filio ſuo Jaſoni, cùm adultus eſſet, reſtitueret.

[o] *Utraque*] Orienti atque Occidenti Soli ſubjecta.

[p] *Junctior*] Non ſine cauſsâ ſuſpectum fuit clariſſ. Heinſio iſtud Diſtichon: namque & leviſſimum videtur quòd eo comprehendiſſet Poëta.

[q] *Ille*] Jaſon.

[r] *Primos*] Caſtorem putà & Pollucem, Herculem, plurimóſque alios quos apud Val. Flaccum, itemque Hyginum reperias.

[ſ] *Tiphys*] Qui peritiſſimus fuit Argo navis gubernator.

[t] *Agenore natus*] Phineum intelligit, qui Jaſonem, quo pacto Cyaneas petras pertranſiret, quamque viam teneret, edocuit.

[u] *Nulla*] Ethnico more quanquam Rhetoricè loquitur.

[x] *Furtiva*] Furtivo namque Medeæ amore, non Jaſon modò pericula maxima vitavit, quæ in Metam. vidimus; ſed & ejuſdem operâ atque conſilio vellus aureum reportavit.

[y] *Vellem*] Quia ideò relegatus.

[z] *Rediit*] Neque ſine laude atque gloriâ maximâ.

[a] *His*] Geticis *ſcil.* aſperrimis.

[b] *Dei*] Auguſti.

Te quoque, quam juvenem discedens Urbe reliqui,
Credibile est nostris insenuisse malis.
O ego Dî faciant, [c] talem te cernere possim,
Caráque mutatis oscula ferre genis;
Amplectíque meis corpus non pingue lacertis;
Et, gracile [d] hoc fecit, dicere, cura mei:
Et narrare meos flenti flens ipse labores:
Sperato nunquam colloquioque frui:
Thuráque [e] Cæsaribus cum [f] conjuge Cæsare digna,
Dîs veris, memori debita ferre manu!
Memnonis hanc utinam lenito Principe [g] mater
Quamprimùm roseo provocet ore diem!

INTERPRETATIO.

Verisimile est etiam, te, quam proficiscens ab Urbe reliqui adolescentem, consenuisse nostris ærumnis. O Dii præstent, ut ego possim te aspicere talem, & dare grata oscula genis mutatis; atque amplecti corpus gracile meis brachiis; & dicere, Anxietas de me reddidit istud macilentum; & lacrymans ipse referre meos labores lacrymanti; & oblectari confabulatione nunquam speratâ; & præbere thura debita manu gratâ Cæsaribus cum uxore dignâ Cæsare, Diis veris! Utinam mater Memnonis excitet quamprimùm ore roseo hanc diem, Principe mollito!

NOTÆ.

[c] *Talem te*] Venustè clariss. Heinsius *vel talem*, hoc est quæ insenuerit mariti malis. Plus verò est senem quàm nullam adspicere.

[d] *Hoc*] *Tanm, ô conjux dilectissima.*

[e] *Cæsaribus*] Augusto ejusque adoptivis liberis, Tiberio *scilicet* atque Germanico.

[f] *Conjuge*] Livia.

[g] *Mater*] Aurora est, quæ ex Tithono Memnonem peperit.

EPISTOLA V.

MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Ille tuos quondam.] *Ad Maximum scribens Poëta, illum admonet, ne miretur, si carmen minùs elegans & incultum offenderit: siquidem tot malis & situ ingenium oppressum, non possit eo calore insurgere, quo priùs. Deinde docet, cur, quamvis sibi carmina nocuerint, tamen adhuc scribat. Postremò consilium exponit, cur non conetur facere optimum carmen, & illud polire.*

ILle tuos quondam non ultimus inter amicos,
Ut sua verba [a] legas, Maxime, Naso rogat.

INTERPRETATIO.

Maxime, Naso ille non postremus olim inter tuos amicos orat ut legas sua verba.

NOTÆ.

[a] *Legas*] Neque aut Cæsaris ira, aut Poëtæ exilium prohibeat.

In quibus ingenium desiste requirere nostrum,
  Nescius [b] exsilii [c] ne videare mei.
Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus:
  Ut [d] capiant vitium, nî moveantur, aquæ.
Et mihi, si quis erat, [e] ducendi carminis usus
  Deficit; estque minor factus inerte [f] situ.
Hæc quoque, quæ legitis, (si quid mihi, Maxime, credis;)
  Scribimus invitâ vixque coacta manu.
[g] Non libet in [h] tales animum contendere curas;
  [i] Nec venit ad duros Musa vocata Getas.
Ut tamen ipse vides, luctor deducere versum,
  Sed non fit fato [k] mollior ille meo.
Cùm relego, scripsisse pudet: quia plurima cerno;
  Me quoque, qui feci, judice digna [l] lini.
Nec tamen emendo: labor hic quàm scribere major.
  Mensque pati durum sustinet ægra nihil.
[m] Scilicet incipiam limâ mordacius uti,
  Et sub judicium singula verba vocem?
Torquet enim Fortuna [n] parum, nisi [o] Nilus in [p] Hebrum
  [q] Confluat? & frondes Alpibus addat [r] Athos?

INTERPRETATIO.

In quibus omitte requirere ingenium nostrũ, ne videaris ignarus fuga mea. Vides ut quies enervet segne corpus, ut lympha corrumpantur, nisi agitentur. Si etiam aliqua mihi fuit facilitas pangendi versus, perit, & facta est minor ignavo otio. Ista etiam quæ evolvitis, (si quam mihi habes fidem, Maxime) exaramus manu repugnante, atque ægrè impulsâ. Non placet urgere ingenium ad hujusmodi studia, neque Musa invitata accedit ad Getas asperos. Sicuti tamen ipse cernis, conor pangere carmen: sed illud nonfit lenius sorte meâ. Me pudet exarasse, quando relego, quia video multa merita eradi, me etiam arbitro, qui scripsi. Neque interim corrigo: hic labor gravior quàm scribere: & animus morbidus nihil potest sufferre difficile. Nimirum instituam uti asperius limâ, & submittam omnes voces judicio? Namque fatum leviùs urget, nisi Nilus decurrat in Hebrum, & Athos adjiciat folia Alpibus?

NOTÆ.

[b] *Exilii*] Pro malis, quæ ex eo oriuntur.

[c] *Ne videare*] *Quin potiùs ex ingenii languore exsilii mei mala intelligas.*

[d] *Capiant vit.*] Putrescunt *scilicet.*

[e] *Ducendi*] *Componendi.*

[f] *Situ*] Pro desidiâ.

[g] *Non libet*] Cæterùm, ut jam sæpius admonuit, Carmina non nisi ex ingenii alacritate proveniunt.

[h] *Tales*] Quales versus scribendi poscunt.

[i] *Nec venit*] Sese exulem innuit ad scribendos versus non posse animum instituere.

[k] *Mollior*] Duros esse versus suos dicit sicut & fortuna sua. Quod tamen haud ità est.

[l] *Lini*] *Deleri.*

[m] *Scilicet*] Fortiùs negat, quàm si simpliciter se non posse dixisset.

[n] *Parum*] Ironia est.

[o] *Nilus*] Maximus est Ægypti fluvius; cui curas suas, vel minimas pares facit; ut nihil opus sit aliunde illis majorem cumulum quærere.

[p] *Hebrum*] Thraciæ est fluvius ex Rhodope monte defluens; per quem quas sibi creare noli[t] curas Poëta intelligit.

[q] *Confluat*] Curis adeòque curas addam.

[r] *Ath*[os]] Mons Maced[o]niæ in mare excurrens, à Xerxe olim perfossus. Idem autem hâc comparatione quod superiori innuit: nihil sibi opus esse videlicet curas curis stipare.

[f]Parcendum est animo miserabile [t] vulnus habenti.
Subducant oneri colla [u] perusta boves.
At, [x] puto, fructus adest justissima caussa laborum;
Et sata cum multo fœnore reddit [y] ager.
Tempus ad hoc nobis (repetas licèt omnia) [z] nullum
Profuit (atque [a] utinam non nocuisset!) opus.
Cur igitur scribam miraris? miror & ipse:
Et mecum quæro sæpe, [b] quid inde feram.
An populus [c] verè sanos negat esse poëtas;
Sumque fides [d] hujus maxima vocis ego?
Qui, [e] sterili toties cùm sim deceptus ab arvo,
Damnosâ persto [f] condere semen humo.
[g] Scilicet est cupidus studiorum quisque suorum;
Tempus & assuetâ ponere in arte juvat.
Saucius ejurat pugnam gladiator, & idem
Immemor antiqui vulneris arma capit.
Nil sibi cum pelagi dicit fore naufragus undis;
Et ducit remos, quâ modò navit aquâ.
Sic ego constanter studium non utile carpo;
Et repeto, nollem quas coluisse, [h] Deas.

INTERPRETATIO.

Ignoscendum est menti ferenti luctuosam plagam. Juvenci subtrahant juge cervices lasas. At credo utilitas non deest, ratio optima laborum, & arvum rependit semina cum fructu ubere. Quamvis omnia tempora revelvas, nullum opus huc usque nobis fuit utile, atque utinam non obfuisset! Miraris cur ergo exarem versus? Miror ego etiam, & frequenter apud me exquiro quid inde reportem. An plebs dicit cum ratione vates non esse sui compotes, atque ego sum testis certissimus hujus sententiæ? Qui cum sim toties delusus ab infertili agro, pergo obruere semen ingratâ terrâ. Nimirum quisque addictus suis studiis, & gratum est absumere dies in arte usitatâ. Gladiator vulneratus devovet certamina, & idem oblitus veteris plagæ induit arma. Naufragium passus ait nihil sibi fore cum fluctibus, & agitat remos in aquâ per quam modò cucurrit. Ita ego me trado obstinatè studio inutili; & reviso Deas quas nollem celebrasse.

NOTÆ.

[f] *Parcendum*] Ne denique impar sit oneri ferendo.

[t] *Vulnus*] De exsilio suo loquitur.

[u] *Perusta*] Jugo *scilicet*; quod atterendo urere videtur.

[x] *Puto*] Per objectionem istud proponit, ut maximè contrà evenire ostendat.

[y] *Ager*] De libellis suis aut studio Poëtico loquitur, in quo frustrà operam suam collocasse queritur.

[z] *Nullum profuit*] Sterilissimus verò est studiorum ager, nisi illis quisque contentus fuerit quæ propriâ manu emerit, aut in Mœcenatem inciderit quempiam; Nasoni autem savisse ipsum primum qui cæteris nomen fecit minùs eò fit verisimile, quòd ejus nuspiam, quod quidem recurrat, meminerit.

[a] *Utinam*] Propter libros Amatorios istud dicit, quorum causâ Naso pulsus voluit videri.

[b] *Quid inde feram*] *Quid inde capiam commodi.*

[c] *Verè negat*] *Ut & ipse nullâ ratione, sed vesaniâ quâdam ad scribendum impellar.*

[d] *Hujus*] Quòd nimirum non ratione sed furore quodam Poëtæ versus scribant.

[e] *Sterili arvo*] *Studio* scil. *Poëtico, ex quo fructum nullum consequutus sum.*

[f] *Condere semen*] *Carmen componere.*

[g] *Scilicet*] Aliam assignat caussam quamobrem versus scribat.

[h] *Deas*] Musas.

[i] Quid potiùs faciam? non ſum qui ſegnia ducam
Oria. [k] mors nobis tempus habetur iners.
Nec juvat [l] in lucem nimio [m] marceſcere vino:
Nec tenet [n] incertas alea [o] blanda manus.
Cùm dedimus ſomno, quas corpus poſtulat, horas,
Quo ponam vigilans tempora longa modò?
[p] Moris an oblitus patrii contendere diſcam
Sarmaticos arcus; & trahar arte [q] loci?
Hoc quoque me [r] ſtudium prohibent aſſumere [ſ] vires;
Menſque magis gracili corpore noſtra valet.
Cùm bene quæſieris, quid agam; magis utile nil eſt
Artibus his, quæ [t] nil utilitatis habent.
[u] Conſequor ex illis [x] casûs oblivia noſtri,
Hanc ſatis eſt meſſem ſi mea reddit [y] humus.
Gloria [z] vos acuat: vos ut recitata probentur
Carmina, [a] Pieriis invigilate choris.

INTERPRETATIO.

Quid agam potius? Non ſum qui indulgeam ignave otio: dies inutilis putatur à nobis eſſe interitus. Neque placet languere totâ nocte nimis immoderato mero; neque lenis alea mulcet manus dubias. Poſtquam indulſimus quieti tempus, quod corpus expetit, quomodo inſumam experrectus vaſtum ſpatium temporis? Anne immemor conſuetudinis patriæ experiar arcus Sarmaticos, & ducar arte loci? Vires inſuper vetant me indulgere huic ſtudio; & animus noſter eſt firmior macilento corpore. Poſtquam multùm perveſtigaveris quid poſſim facere; nihil magis conducit hoc ſtudio, quod nihil habet compendii. Obliviſcor per hoc noſtram calamitatem, ſufficit ſi meus ager prabet hanc meſſem. Gloria vos ſtimulet, excolite cœtus Muſarum, ut verſus recitati laudentur.

NOTÆ.

[i] *Quid potiùs*] A neceſſitate novam captat ſcribendi rationem.

[k] *Mors*] Utinam plurimis iſtud in mentem veniret, quod tam certum eſt atque utile.

[l] *In lucem*] Adeòque totâ nocte.

[m] *Marceſcere*] Non feritatem modò inducit nimium merum, & morbos plurimos; ſed languidum inſuper & inutile reddit corpus, mentemque hebetat.

[n] *Incertas*] Omnino, ſiquidem incertæ aleæ ſua bona credunt aleatores.

[o] *Blanda*] Quia ſpe lucri facilè ducuntur qui aleæ ſtudent.

[p] *Moris*] *Romanæ diſciplinæ.*

[q] *Loci*] Tomorum *ſcil.* aut Tomitanorum.

[r] *Studium*] Quod in intendendo arcu poſitum.

[ſ] *Vires*] Quæ tenues ſunt.

[t] *Nil. util.*] Namque
Mæonides nullas ipſe reliquit opes.

[u] *Conſequor*] Vera eſt una hæc ratio; ſiquidem.
Pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus.

Cæterùm neque deſperavit Naſo reditum ſibi per ingenium parare.

[x] *Caſus*] Exſilii.

[y] *Humus*] Studium dicit Poëticum.

[z] *Vos*] Poëtæ *ſcilicet*, quibus ſunt res ſecundæ.

[a] *Pieriis*] Adeòque Muſarum; quæ Pierum Theſſaliæ montem, ubi à quibuſdam natæ dicuntur, incoluerunt; deinde & Pierides ſecum certare auſas in picas deformaverunt.

Quod venit [b] ex facili, satis est componere nobis:
Et nimis intenti [c] caussa laboris abest.
Cur ego sollicitâ poliam mea carmina curâ?
An verear, ne non approbet illa Getes?
Fortsitan [d] audacter faciam, sed glorior Istrum
Ingenio nullum majus habere meo.
Hoc (ubi vivendum) satis est si consequor arvo,
Inter inhumanos esse poëta Getas.
[e] Quò mihi [f] diversum [g] famâ contendere in orbem?
[h] Quem Fortuna dedit, Roma [i] sit ille locus.
Hoc mea contenta est infelix Musa theatro.
Sic merui; magni sic voluère [k] Dei.
Nec reor [l] hinc istuc nostris iter esse libellis,
Quò [m] Boreas [n] pennâ deficiente venit.
Dividimur [o] cælo; quæque est procul [p] urbe Quirini,
Aspicit hirsutos [q] cominùs [r] Ursa Getas.
Per tantum terræ, tot aquas [s] vix credere possim
Indicium studii transiluisse mei.

INTERPRETATIO.

Satis est nobis condere quod nullo labore datur; & ratio nimia opera nulla est. Quamobrem ego olimem meos versus curâ anxiâ? An metuam ne Getes non laudet illos? Fortè temerè dicam, verùm glorior Danubium nullum habere ingenium præstantius meo. Abundè est si obtineo in hâc terrâ, in quâ degendum esse vates inter Getas feros. Quorsum mihi eniti famâ in orbem dissitum? Ille locus, quem fors obtulit sit Roma. Misera mea Musa est expleta hoc theatro. Sum ita meritus; excelsi Dii ita jusserunt. Neque puto dari viam hinc istuc nostris libellis, quò Aquilo accedit alis defessis. Disjungimur cælo; atque Ursa quæ est longè ab urbe Romuli videt cominus Getas hispides. Ægrè possim credere signum mea curæ transgressum esse tantùm terræ, & tot aquas.

NOTÆ.

[b] *Ex facili*] Sine ullo labore.

[c] *Caussa*] Quia neque gloriâ, neque spe reditus in patriam, aut alio præmio ducebatur.

[d] *Audacter*] Ingenium meum laudando.

[e] *Quò*] *Cui bene.*

[f] *Diversum*] *Longè hinc positum.*

[g] *Famâ cont.*] *Famam atque laudem meam magnam facere, ut Romam perveniat.*

[h] *Quem fort.*] *Adeòque mihi satis sit qualibuscumque versibus apud Scythas vatis famam reportare.*

[i] *Sit*] *Habeatur. Scythia mihi pro Româ.*

[k] *Dei*] Ad Augustum istud præsertim spectat.

[l] *Hinc istuc*] E Scythiâ Romam.

[m] *Boreas*] Utcumque ventus vehementissimus.

[n] *Pennâ*] Pro viribus. Alati autem venti finguntur propter velocitatem.

[o] *Cælo*] Non enim sub eodem climate comprehenduntur Romani & Scythæ.

[p] *Urbe Quirini*] *Româ*, quam Romulus, qui & *Quirinus* in cœlo dictus, ædificavit.

[q] *Cominus*] Quia multò plus ad plagam Septemtrionalem spectant Getæ quàm Romani.

[r] *Ursa*] Sydus illud Septemtrionale jam sæpe vidimus.

[s] *Vix*] Rhetoricè istud dicitur: namque satis apparet ex iis quæ hactenus legimus, sæpius Poëtam Româ accepisse litteras, quæ de eo missis suis libellis procul dubio mentionem facerent.

Finge legi, quodque est mirabile, finge placere:
Auctorem certè res juvet [t] ista nihil.
Quò tibi, si calidâ positus laudêre [u] Syene;
Aut ubi [x] Taprobanen [y] Indica cingit aqua?
Altius ire libet? si te distantia longè
[z] Pleïadum laudent signa, quid inde feras?
Sed neque pervenio scriptis mediocribus [a] istuc;
Famáque cum domino fugit ab Urbe suo.
[b] Vosque, quibus perii, tunc cùm mea fama [c] sepulta est,
Nunc quoque de nostrâ [d] morte tacere reor.

INTERPRETATIO.

Pene evolvi, & quod est stupendum, pene arridere; profectò istud nihil prodest auctori. Quodnam tibi compendium, si proberis situs calidâ Syene, aut ubi aqua Indica circumfluit Taprobanen? Placet ulterius progredi? Si sydera longè remota Pleïadum te extollant laudibus, quid inde consequaris? Verùm neque pervenio istuc versibus communibus & fama fugit ab Urbe cum Domino suo. Atque opinor vos, quibus sum ablatus tunc, cùm mea fama est extincta nunc etiam silere de nostro interitu.

NOTÆ.

[t] *Ista*] *Quòd placeant libelli à me conscripti.*

[u] *Syene*] Urbs est Ægypti Æthiopiæ juncta, quæ ideò calida dicitur quòd sub Tropico æstivo, seu Cancro, sita; adeòque propè sub zonâ torridâ.

[x] *Taprobanen*] Insula est magna Asiæ, in Oceano Indico, fœlici aromatum proventu nobilis, quæ hodie *Ceylan* dicitur.

[y] *Indica*] Oceani Indici.

[z] *Pleïadum*] De iis stellis, seu sydere, quod Latinis *Vergiliæ* sæpius dictum in præcedentibus.

[a] *Istuc*] Romam *scilicet.*

[b] *Vos*] De amicis suis loquitur.

[c] *Sepulta*] Augusti judicio, qui Poëtam damnavit, atque exilio multavit.

[d] *Morte*] Exilium Naso mortem esse duxit.

EPISTOLA VI.

GRÆCINO.

ARGUMENTUM.

Ecquid ut audisti.] *Ad Græcinum scribens, dolet Poëta eum non affuisse eo tempore quo ab Augusto relegatus est: quem arbitratur magnum cepisse dolorem, cùm primùm rem omnem acceperit. Secundò eum rogat, ut alloquio suo & litteris saltem consoletur: nec scire cupiat quam ob causam exularit, ne recrudescant vulnera jam occlusa. Postmodum docet non prorsus sibi ademptam esse spem reditus: Fatetúrque simul, in Cæsaris clementia plurimùm sperare: quem ut sibi reconcilietur, precatur. Demum dicit omnia impossibilia potiùs fieri posse, quàm credere se à Græcino fide & veteri amico posse destitui.*

ECquid ut audisti (nam te [a] diversa tenebat
Terra) meos casus, cor tibi triste fuit?

INTERPRETATIO.

Nonne postquam accepisti meam calamitatem, nam remota terra te habebat, cor tuum mœrore affectum est?

NOTÆ.

[a] *Diversa*] Romæ non erat Græcinus, cùm Urbe pulsus Naso.

Dissimules;

Diſſimules, metuáſque licet, Græcine, fateri;
Si bene te novi, triſte fuiſſe liquet.
Non cadit in mores feritas inamabilis [b] iſtos;
Nec minùs à ſtudiis diſſidet illa tuis.
Artibus ingenuis, quarum tibi maxima cura eſt,
Pectora molleſcunt, aſperitáſque fugit.
Nec quiſquam [c] meliore fide complectitur illas,
Quà ſinit officium, militiæque labor.
Certe ego, cùm primùm potui [d] ſentire quid eſſem,
(Nam fuit attonito mens mihi nulla diu)
Hoc quoque [e] Fortunæ ſenſi, quod amicus abeſſes:
Qui mihi præſidium grande [f] futurus eras.
Tecum tunc aberant ægræ ſolatia mentis,
Magnáque pars animæ conſiliíque mei.
At nunc, quod ſupereſt, fer opem, precor, [g] eminus unam:
Alloquioque juva pectora noſtra tuo.
Quæ (non mendaci ſi quidquam credis amico)
[h] Stulta magis dici, quàm ſcelerata, decet.
Nec leve, nec [i] tutum, peccati quæ ſit origo,
Scribere. tractari vulnera noſtra [k] timent.
Qualicunque modo mihi ſint ea facta, rogare
Deſine. [l] non agites, ſi [m] qua coïre velis.

INTERPRETATIO.

Quamvis tegas, Græcine, & nolis agnoſcere, ſi ſatis mihi perſpectus es conſtat te mæſtum fuiſſe. Sævitia inviſa non venit in iſtos mores; neque illa minùs diſcrepat à tuis ſtudiis. Corda leniuntur, & feritas pellitur diſciplinis liberalibus, quibus maximam das operam. Neque quiſquam favet illis animo magis ſincero, quantum officium, & labor militiæ concedit. Profectò poſtquam ego potui cognoſcere primùm quid eſſem (nam nullus ſenſus fuit diu mihi ſtupido) adverti hoc etiam eſſe *fati, quòd amicus longè eſſes, qui mihi fuiſſes magnum præſidium. Tunc ſolatia animi dejecti longè erant, & bona pars mentis; & conſilii mei. At nunc, quaſo quod reſtat, auxilium unum præbe è longinquo, & fove cor noſtrum tuis ſermonibus. Quod, ſi quam fidem habes amico veraci, debet potiùs vocari imprudens quàm nefarium. Neque parvum, neque tutum ſcribere quiſnam ſit fons culpæ: noſtra vulnera metuunt tangi. Omitte exquirere quæcunque modo ea ſint mihi inflicta: ſi cupias aliqua conglutinari, ne moveas.*

NOTÆ.

[b] *Iſtos*] Græcini liberales, atque amabiles.

[c] *Meliore fide*] *Conſtantiùs, & ex ſincero amore.*

[d] *Sentire*] Attonitum fuiſſe, quaſi fulmine afflatus eſſet, quo tempore exilio mulctatus eſt, indicat Poëta.

[e] *Fortunæ*] Adverſæ *ſcil.*

[f] *Futurus*] *Siquidem adfuiſſes.*

[g] *Eminus*] Per epiſtolas.

[h] *Stulta*] *Improvida, minùs cauta.*

[i] *Tutum*] Propter offenſum Auguſtum.

[k] *Timent*] Iſtud dicit, periculoſum eſſe de culpâ ſuâ verba facere, ne admonitu Cæſaris ira recrudeſceret, ex quâ calamitas ſua augeretur.

[l] *Non agites*] Optimum conſilium, illis præſertim qui cum potentioribus res habent difficiles.

[m] *Qua*] Vulnera *ſcilicet.*

Quicquid [n] id est, ut non facinus, sic culpa vocandum.
[o] Omnis an in magnos culpa Deos, scelus est?
Spes igitur menti pœnæ, Græcine, levandæ
Non est ex toto nulla relicta meæ.
[p] Hæc Dea, [q] cùm fugerent sceleratas numina terras,
In Dîs invisâ sola [r] remansit humo.
Hæc facit, ut vivat vinctus quoque compede [s] fossor;
Liberáque à [t] ferro crura futura putet.
Hæc facit, ut, videat cùm terras undique nullas,
Naufragus in mediis brachia [u] jactet aquis.
Sæpe aliquem sollers medicorum cura reliquit;
Nec spes huic [x] venâ deficiente cadit.
Carcere dicuntur clausi sperare salutem:
Atque aliquis pendens in cruce vota facit.
Hæc Dea quam multos laqueo sua colla ligantes
Non est [y] propositâ [z] passa perire nece!
Me quoque conantem gladio finire dolorem.
[a] Arcuit, injectâ [b] continuítque manu.

INTERPRETATIO.

Quidquid illud est, ut non dicendum flagitium, sic dicendum *peccatum: an omne peccatum in excelsos Deos est flagitium? Non ergo nulla est penitus spes concessa animo meo supplicio minuendi, Græcine. Illa Dea sola restitit in terrâ odiosâ Diis cùm illi discederent à terris scelestis. Illa præstat, ut fossor etiam constrictus compedibus vivat; atque credat tibias fore immunes ferri. Illa facit, ut naufragium passus agitet lacertos in mediis aquis, quamquam nullas aspiciat terras undique. Sæpe prudens cura medicorum destituit aliquem; neque spes hunc deficit venâ silente. Conjecti in carcerem dicuntur sperare salutem, atque aliquis cruci affixus vota concipit. Illa Dea non sivit plurimos prementes sua colla laqueo interire morte constitutâ. Prohibuit me etiam nitentem finem imponere ærumnæ ferro, & repressit manu injectâ.*

NOTÆ.

[n] *Id est*] *Quamobrem sum exilio multatus.*

[o] *Omnis an*] Summâ arte & scelus à se amolitur, & Augusto adblanditur.

[p] *Hæc*] Spes *scilicet.*

[q] *Cum fugerent*] Propter hominum scelera, finito sæculo aureo. Deos autem terris excessisse testatur etiam Maro Georgic. 2.

[r] *Remansit*] Illud ideò fictum, quòd neminem unquam spes sua destituat.

[s] *Fossor*] Servus qui in ergastulis colendi agri causâ retinetur.

[t] *Ferro*] *Compedibus.*

[u] *Jactet*] Spe enatandi, aut quoquo modo evadendi natans, qui in alto etiàm naufragium passi sunt.

[x] *Vena*] Quando non ampliùs micat aut salit arteria, viribus collapsis: quod quidem inter mortis signa recenset Plinius.

[y] *Propositâ*] *Genere mortis destinato, ut laqueo vitam finirent.*

[z] *Passa*] Quia ad lætiora converti posse omnia spes morituro suasit.

[a] *Arcuit*] Fortissimis quibusque Ethnicorum solenne fuit in morte perfugium adversus omnes ærumnas suas quærere; maximè verò per eam sese ab infensis tyrannis vindicare. Neque unquam aliter, nisi Deo jubente, quisquam sentiat, cui aliquis sensus virtutis, aut sanæ mentis mica reliqua fuerit. Quasi verò alienæ superbiæ atque crudelitati quasi victimam, aut ludibrium sese ultrò reservaverit, cui in fata sua licuerit? Pudendum itaque fuit inter viros præsertim, qui viros esse gloriarentur in deploratis, mulierum more conqueri. Istud dedecus ut effugiat Naso, à Spe mitii quidem sed potentissimâ Deâ prohibitum se, ne gladio finiret dolorem, ingeniosissimè testatur.

[b] *Continuit*] Ut hinc, & proximè præcedentis vocis intelligas, sæpius sibi violentas manus Nasonem intentare cupivisse, nisi Spes obstitisset.

Quidque facis? [c] lacrymis opus est, non sanguine, dixit:
Sæpe per has flecti Principis ira solet.
Quamvis est igitur meritis indebita nostris,
Magna tamen spes est in bonitate [d] Dei.
Qui ne difficilis mihi sit, Græcine, precare:
Confer & in votum tu quoque verba meum.
[e] Inque Tomitanâ jaceam tumulatus arenâ,
Si te non nobis [f] ista vovere liquet.
Nam priùs incipiant turres vitare columbæ,
Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas;
Quàm malè se præstet veteri Græcinus amico.
Non ita sunt fatis omnia versa meis.

INTERPRETATIO.

Quidque agis? inquit: Opus est fletibus non cruore. Sæpe indignatio Imperatoris solet molliri per illos. Tametsi ergo est indebita nostris meritis, tamen est magna spes in bonitate Dei. Qui ne sit mihi durus, orato, Græcine; & tu etiam conferto voces in desiderium meum. Atque jaceam sepultus in pulvere Tomitano, nisi constet te exoptare nobis ista. Nam columba ante incipient fugere turres, feræ speluncas, bruta herbas, mergus aquas, quàm Græcinus malè se præbeat antiquo amico. Omnia non sunt ita mutata meâ sorte.

NOTÆ.

[c] *Lacrymis*] Aptissima Spei oratio, & Nasonis lepidum commentum. Namque stultissimè ille sanguinem suum profuderit, qui lacrymis aliquid parare potuerit.

[d] *Dei*] *Augusti*: quem quidem iniquissimo animo toties, qui nunquam debuit, sanctissimo nomine appellatum video.

[e] *Inque*] Vitium est procul dubio hoc in loco. Quare pro *inque*, *namque* in Interpretatione reposui.

[f] *Ista*] *Ne Augustus sit mihi difficilis, atque in patriam concedatur reditus.*

EPISTOLA VII.

MESSALINO.

ARGUMENTUM.

Littera pro verbis.] *E Ponto ad Messalinum hanc scripsit Epistolam Ovidius; docétque simul ejus patris fratrísque amorem. Loquitur deinde de pœnâ, quâ eum affecit Augustus: cujus causâ se ab eo minimè rejiciendum esse colligit. Ostendit postremò, se officiosum semper fuisse in ejus domum.*

Littera [a] pro verbis tibi, Messaline, salutem,
Quam legis, à sævis attulit usque Getis.

INTERPRETATIO.

Messaline, epistola quam legis attulit tibi pro verbis, salutem usque à feris Getis.

NOTÆ.

[a] *Pro verbis*] *Quibus præsens Romæ olim te salute impertiebar.*

Indicat auctorem [b] locus? an, nisi nomine lecto,
 Hæc me Nasonem scribere verba latet?
Ecquis in extremo positus jacet orbe tuorum,
 Me tamen excepto, qui precor esse tuus?
Dî procul à cunctis, qui te venerantur amántque,
 [c] Hujus notitiam gentis abesse velint.
[d] Nos satis est inter glaciem Scythicásque sagittas
 Vivere: si vita est [e] mortis habenda genus.
[f] Nos premat aut [g] bello tellus, aut frigore cælum:
 Truxque Getes armis, grandine pulset hyems:
Nos habeat regio nec pomo fœta nec uvis;
 Et cujus nullum cesset ab hoste latus.
Cætera sit sospes cultorum turba tuorum;
 In quibus, ut [h] populo, pars ego parva fui.
Me miserum, si tu verbis offenderis [i] istis:
 Nósque [k] negas ullâ parte fuisse tuos!
[l] Idque sit ut verum, [m] mentito ignoscere debes.
 Nil demit laudi [n] gloria nostra tuæ.
[o] [Quis se Cæsaribus notus non fingit amicum?
 Da veniam fasso; tu mihi Cæsar eris.]

INTERPRETATIO.

Locus proditne autorem? an nescis, nisi nomine lecto, me Nasonem exarare has litteras? Ecquis tuorum desertus prostratus est in ultimo orbe, me tamen demto, qui oro esse tuus? Dii velint cognitionem hujus nationis longè esse ab omnibus qui te colunt & diligunt. Satis est nos vitam ducere inter glaciem & spicula Scythica; si genus mortis est credendum esse *vita. Nos aut terra urgeat bello, aut aër gelu, & ferus Getes armis, hyems feriat grandine; plaga neque pomis gravida, neque racemis, & cujus nullum latus quiescat ab hoste nos teneat: reliqua cohors clientium tuorum, inter quos, tanquam in turbâ, ego fui pars exigua, sit incolumis. Me infelicem si tu læderis his vocibus; & inficiaris nos fuisse tuos ullo modo! Et quamvis illud sit verum, debes parcere* mihi *mentito: nostra gloria nihil detrahit tua fama. Quis cognitus Cæsaribus non profitetur se amicum? Ignosce confitenti; tu eris mihi Cæsar.*

NOTÆ.

[b] *Locus*] Quia nullus alius inter Getas, qui ad Messalinum scriberet præter Ovidium.

[c] *Hujus*] Scythicæ, & maximè barbaræ.

[d] *Nos satis est*] *Ne insuper alii tui amici, Messaline, in hanc incidant calamitatem, quâ ego pretritus sum.*

[e] *Mortis genus*] De exilio loquitur quod inter feros homines sit tolerandum.

[f] *Nos premat*] Sibi soli malè precari videtur Naso, ut cæteros Messalini amicos ab omni malo liberet: eâdemque operâ, quasi aliud agendo, quæ sua sint incommoda cùm verecundè, tum maximè ingeniosè declarat.

[g] *Bello*] Hoc dicit quia inter Scythas prædâ & bello assuetos vivebat.

[h] *Populo*] Hinc ergo apud potentiores valuisse hunc Messalinum patet; oratioque est Nasonis honestissima.

[i] *Istis*] *Cùm me tuum dixi.*

[k] *Negas*] Metuendum Nasoni istud fuit; siquidem omnes in Augusti offensionem incurrere timebant.

[l] *Id*] *Quòd me negas tuum esse.*

[m] *Mentito*] *Mibi, qui tuum esse scripsi.* Hoc dicit autem ne amicum lædat, cui maxima fuit cautio Augustum non lædere.

[n] *Gloria*] *Quâ tuum fuisse profiteor.*

[o] *Quis*] Utcumque suspectum habuerit istud distichon clar. Hei[n]sius, ingenuosum tamen esse nullus credo non confitebitur.

Nec tamen irrumpo, quò non licet ire: satísque est,
[p] Atria si nobis non patuisse negas.
[q] Utque tibi fuerit mecum nihil ampliùs; uno
Nempe salutaris, quàm priùs, ore minùs.
Nec tuus est genitor nos inficiatus amicos,
Hortator studii caussáque [r] faxque mei.
Cui nos & lacrymas, supremum in funere munus,
Et dedimus medio [s] scripta canendo foro.
Adde quod est [t] frater tanto tibi junctus amore,
Quantus in [u] Atridis [x] Tyndaridísque fuit.
Is me nec comitem nec dedignatus amicum est:
[y] Si tamen [z] hæc illi non nocitura putas.
Si minùs, hac quoque me mendacem parte fatebor,
Clausa mihi potiùs tota sit [a] ista domus.
Sed neque claudenda est; & [b] nulla potentia vires
Præstandi, ne quid peccet amicus, habet.
Et tamen ut cuperem, [c] culpam quoque posse negari;
Sic facinus nemo nescit abesse mihi.

INTERPRETATIO.

Neque tamen irruo quò non conceditur ingredi: atque sufficit, si non negas atria nobis patuisse. Et quamvis nihil fuerit tibi mecum ampliùs; nimirum salutaris uno ore minus quàm antea. Neque tuus pater instigator, causa & lumen studii mei, cui nos præbuimus fletus, donum ultimum in funere & versus cantandos in medio foro, negavit nos esse amicos. Adde quod est tibi frater vinctus tanto amore, quantus fuit in Atridis, & Tyndaridis. Ille neque sprevit me sodalem, neque amicum, si tamen credis ista non obfutura illi. Sin aliter agnoscam me fuisse quoque falsum hac parte. Hæc tota domus sit potius mihi obserata. Sed neque est obseranda, neque ulla potentia habet vires efficiendi ne amicus in quod peccatum incidat. Et tamen sicuti optarem peccatum quoque posse negari; ita nemo ignorat flagitium nullum in me esse.

NOTÆ.

[p] *Atria*] *Quæ cum multis aliis, salutandi gratiâ, frequentavi.*

[q] *Utque*] Nihil isto potuit fingi ingeniosius, quo se Messalinus ab Augusti offensione, si qua fortè ob Nasonis esset amicitiam, posset liberare.

[r] *Fax*] Quia eo instigatore, aut etiam duce, studio Poëtico sese Naso addixerit.

[s] *Scripta*] Versus in Messalini honorem; ex more apud Romanos aliosque etiam vetustissimo, quibus solenne defunctos laudare.

[t] *Frater*] *Qui quidem mihi est arctissimâ amicitiâ conjunctus: quare neque te amicitia mea pudere debet.*

[u] *Atridis*] Agamemnone & Menelao, Atrei filiis.

[x] *Tyndaridis*] Castore & Polluce; quorum Tindareus pater dictus, quamvis alterius Jupiter fuit, si fabulis fides.

[y] *Si tamen*] Hinc, ni fallor, apparet satis ità primò fuisse scriptas has epistolas, ut si quod fuisset periculum, ne ex illis Nasonis amicis minùs Augustus faveret, facilè possent supprimi.

[z] *Hæc*] *Quæ de ejus in me amore dico.*

[a] *Ista*] Messalinorum.

[b] *Nulla pot.*] Hæc est Nasonis ratiocinatio. *Mihi non est claudenda tua domus, Messaline; quia ob meam amicitiam, si tibi Irasci velit Augustus, ipse sibi injurius videatur. Nihil enim commeruisti aut peccasti; qui non potuisti impedire ne qua scriberem minùs illi grata, aut te mihi amicum verè aut falsò prædicarem.*

[c] *Culpam*] Errorem dicit, propter quem sese agnoscit exilio multatum.

Quòd nisi delicti pars excusabilis esset;
[d] Parva relegari pœna futura fuit.
Ipse sed hoc vidit, qui pervidet omnia, Cæsar;
Stultitiam dici crimina posse mea.
Quaque ego [e] permisi, quaque est res passa, pepercit:
Usus & est modicè fulminis igne sui.
Nec vitam, nec opes, nec ademit posse reverti:
Si sua per vestras victa sit ira preces.
At [f] graviter cecidi. [g] quid enim mirabile, si quis
A Jove percussus non leve vulnus habet?
Ipse suas ut jam vires inhiberet Achilles,
Missa graves ictus [h] Pelias hasta tulit.
Judicium nobis igitur cùm [i] vindicis adsit,
Non est cur tua me janua nosse neget.
Culta quidem (fateor) [k] citrà, quàm debuit illa:
Sed fuit in fatis hoc quoque, credo, meis.
Nec tamen officium sensit magis altera nostrum.
[l] Hîc illic vestro sub Lare semper eram.
Quæque tua est pietas; ut te non excolat ipsum,
Jus aliquod tecum fratris amicus habet.

INTERPRETATIO.

Quòd nisi pars peccati esset excusabilis, supplicium fuit futurum leve relegari. Sed ipse Cæsar, qui perspicit omnia, hoc intellexit, mea delicta posse appellari incogitantiam. Et quatenus ego sivi, & quatenus res tulit, ignovit: & est usus parcè flammâ fulminis sui. Neque sustulit vitam, neque facultates, neque posse redire, si sua ira sit superata per vestras preces. At graviter cecidi: quid enim mirum, si quis ictus à Jove fert altam plagam? Quanquam ipse Achilles retineret etiam suas vires, hasta Pelias impegit magnas plagas. Cùm ergo sententia judicis nobis faveat, non est causa quamobrem ostium tuum diffiteatur me nosse. Illa quidem frequentata (agnosco) minùs quàm par fuit; sed credo hoc fuit etiam in sorte meâ. Neque tamen alia sensit magìs nostram reverentiam: hîc illic eram semper sub vestrâ tutelâ. Et ut se habet tua pietas; quamvis amicus fratris non amplectatur te ipsum, habet tecum jus aliquod.

NOTÆ.

[d] *Parva*] Scopus est Poëtæ ostendere, eam non fuisse relegandi causam, ut ideò ità alienatus fuerit, ne amicis secum rem habere per Augustum licuerit.

[e] *Permisi*] Hoc maximè intendit, sibi non ità esse infensum Cæsarem; sed quasi coactum, & Poëtæ delicto impulsum, ipsum relegasse: ne scilicet contagium ex clade suâ amici reformidarent.

[f] *Graviter*] Natum istud ex eo quod dixit Poëta, sibi Augustum pepercisse; quod minùs cum gravissimis suis querimoniis stare videbatur.

[g] *Quid enim*] Jam objectioni respondet, atque acutissimè, neque sine maximâ Augusti adulatione.

[h] *Pelias*] Achillis hasta fraxinea.

[i] *Vindicis*] Augusti, qui Nasonem exilio, non morte multavit.

[k] *Citrà*] *Minùs.*

[l] *Hîc illic*] Atque adeò *ubique*. Sese semper præsidium in Messalinorum amicitiâ habuisse testatur. Operosior autem videtur hæc Epistola; neque temere aliquid intervenisse suspiceris, quod callidè atque latenter quasi excusare nitatur Naso.

Quid, quòd, ut [m] emeritis referenda est gratia semper,
Sic est [n] fortunæ promeruisse tuæ?
Quòd si permittis nobis suadere, quid optes:
[o] Ut des, quàm reddas, plura, precare Deos.
Idque facis, quantúmque licet meminisse, solebas
[p] [Officii caussa pluribus esse dati:]
Quo libet in numero me, Messaline, repone;
Sim modò pars vestræ non aliena domûs.
Et mala Nasonem (quoniam meruisse videtur)
Si non ferre doles, at [q] meruisse dole

Interpretatio.

Quid, quòd, sicuti gratia est semper reddenda pro meritis, ità est fortuna tua conciliasse? Quod si nobis concedis consulere, quid voveat; orato Deos ut plura prabeas, quàm referas. Atque id facis, & quantùm possum recordari, consueverat esse auctor multis beneficii prastiti. Messaline habeto me in quolibet ordine, dum sim pars aliqua vestra domus. Et si non fers agrè Nasonem pati arumnas, quandoquidem videtur dignum esse, at agrè ferat eum meritum esse.

Notæ.

[m] *Emeritis*] Ii sunt qui suis erga amicos sunt functi officiis.

[n] *Fortuna*] Est namque potentioris, prior ut beneficiis suis minorem suum faciat.

[o] *Ut des*] Plus verò est atque jucundius Dare quam Accipere, docente id ipso Supremo mundi Doctore.

[p] *Officii*] Quid sibi velit Naso satis apparet: Messalinum nempe plurimis consuluisse & dedisse potiùs quam accepisse. Quid autem ejus verba sonent latinè vix quisquam satis declaret. Nempe hìc latet mendum.

[q] *Meruisse*] Acutè sanè.

EPISTOLA VIII.

SEVERO.

Argumentum.

A tibi dilecto.] *Severo amico exponit se cinctum hostibus, in assiduis semper praliis versari, miroque amicorum, conjugis, filia, & patria desiderio teneri. Simul dolet, quod cùm careat pradiolo & hortis, arando, seminando, curas imminuat. Colligit tamen pra hostium multitudine, qua Tomitanam civitatem semper infestant, non posse id sibi prastari. Postremò latatur quòd contrà in Severo sint omnia secunda: monétque, ut impetret locum aliquem magis propinquum dari sibi ab Augusto.*

A Tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe, pars animæ magna, Severe, meæ.
Neve roga, quid agam: si persequar omnia, flebis.
Summa satis nostri si tibi nota mali.

Interpretatio.

Severe, pars magna anima mea, accipe salutem missam à Nasone tibi caro. Neve quaras quid faciam: si retulero cuncta, lacrymaberis. Abundè est *si sũma nostri mali sit tibi cognita*

Vivimus assiduis expertes pacis in armis,
    Dira pharetrato bella movente Getâ.
Deque [a] tot expulsis sum miles in exsule solus:
    Tuta (nec invideo) cætera turba jacet.
Quoque magis nostros veniâ dignere libellos,
    Hæc in [b] procinctu carmina facta leges.
Stat vetus urbs, ripæ vicina [c] binominis Istri,
    Mœnibus & positu vix adeunda loci.
[d] Caspius Ægypsos (de se si credimus ipsis)
    Condidit; & proprio nomine dixit [e] opus.
Hanc ferus [f] Odrysiis inopino [g] Marte peremtis
    Cepit, & in Regem sustulit arma Getes.
Ille memor magni generis, [h] virtute quod auget,
    Protinùs innumero milite cinctus adest.
Nec priùs abscessit, meritâ quàm cæde nocentum
    Se nimis ulciscens extitit ipse [i] nocens.
[k] At tibi, Rex ævo, detur, fortissime nostro,
    Semper honoratâ sceptra tenere manu.
Teque, quod & præstat, (quid enim tibi pleniùs optem?)
    [l] Martia cum magno Cæsare Roma probet.

INTERPRETATIO.

Vivimus inopes pacis in armis continuis, Getâ pharetrato ciente sæva bella; & de tot ejectis sum solus miles in exsule: reliqua turba est secura; neque invideo. Et quò magis ignoscat nostris libellis, leges hos versus scriptos in expeditione. Est Urbs antiqua proxima ripæ Danubii binominis, ægrè subeunda propter muros, & situm loci. Siquidem fidem habemus ipsis de se, Ægypsos Caspius illam *posuit, & appellavit opus nomine proprio. Sævus Getes invasit hanc bello subito, Odrysiis mactatis; & cœpit arma in Regem. Ille non oblitus nobilis generis, quod amplificat Virtute, continuò accurrit stipatus ingentibus copiis. Neque priùs recessit, quàm ipse fuit nocens ulciscens se supra modum cæde meritâ noxiorum. At, ô Rex strenuissime nostro tempore, detur tibi tractare semper sceptra manu honoratâ, & Roma Martia cum ingenti Cæsare sibi faveat, quod facit etiam, (quid enim tibi voveam ampliùs?)*

NOTÆ.

[a] *Tot*] Quæ res non multùm Augusti clementiam commendat.

[b] *Procinctu*] *Apparatu*; & quidem bellico.

[c] *Binominis*] Qui *Danubius* usque ad Axium oppidum præsertim; inde verò usque ad mare *Ister* dicitur.

[d] *Caspius*] Ex gente Caspiâ oriundus, quæ Caspio mari nomen dedit.

[e] *Opus*] Urbem *scilicet*, quam Ægypsum appellavit.

[f] *Odrysiis*] Ægypsi urbis incolis, Odrysâ, Thraciæ urbe, oriundis.

[g] *Marte*] *Prælio inexpectato.*

[h] *Virtute*] Scilicet generi virtus splendorem addit, quâ solâ vera paratur nobilitas.

[i] *Nocens*] Non equidem ego nocentem dixero, qui grassantes latrones ad unum sustulerit.

[k] *At tibi*] Sermonem ad regem istum, non ineptâ ad scopum figurâ, cautus naso convertit.

[l] *Martia*] Non modò quia Martem generis sui auctorem propter Romulum jactabat; sed reverà belli studiosissima erat.

Sed

Sed memor [m] unde abii, queror, ô jucunde sodalis,
Accedant nostris sæva quòd [n] arma malis,
Ut careo vobis [o] Stygias detrusus in oras,
Quattuor [p] autumnos [q] Pleïas orta facit.
[r] Nec tu credideris urbanæ commoda vitæ
Quærere Nasonem. [s] quærit & illa tamen.
Nam modò vos animo dulces reminiscor amici;
Nunc mihi cum carâ conjuge [t] nata subit:
Eque domo rursus pulcræ loca vertor ad [u] Urbis,
Cunctáque mens oculis pervidet illa suis.
Nunc fora, nunc ædes, nunc marmore tecta theatra,
Nunc subit [x] æquatâ [y] porticus omnis humo.
Gramina nunc [z] Campi pulcros spectantis in hortos,
Stagnáque & [a] Euripi, [b] Virgineúsque liquor.

INTERPRETATIO.

Verùm non oblitus unde digressus sum, queror ô grate amico, quòd crudelia arma adjiciantur nostris malis. Pleias orta facit quatuor Autumnos, ex quo non fruor vobis pulsus in oras Stygias. Neque tu existimaveris Nasonem optare commoda vitæ urbanæ: & tamen optat illa. Nam aliquando vos mente recolo, Cari amici; modò filia se mihi offert cum dilectâ uxore: & rursus me refero ex domo ad loca formosa Urbis, & mens perlustrat illa omnia suis oculis. Modò fora, modò Templa, modò Theatra strata marmore, modò omnis porticus recurrit, terrâ æquatâ. Modò gramina Campi prospicientis in formosos hortos subeunt, *& stagna, & Euripi, & aqua virginea.*

NOTÆ.

[m] *Unde*] A querimoniis, *scilicet*, ad illius regis laudes qui regnum suum fortiter asseruit.

[n] *Arma*] Quæ inferunt Getæ finitimi.

[o] *Stygias*] Perinde Naso de exilio suo loquitur, ac si ad Inferos deturbatus esset. Sciunt quippe omnes Stygem Inferorum paludem esse.

[p] *Autumnos*] Pro annis posuit.

[q] *Pleias*] De eo sydere, quod fecerunt Atlantis filiæ jam sæpe dictum. Oriuntur autem 4 Nonas Apriles Ovidio Cosmicè, ut ipse docet in Fastis. Sed hîc de Acronico, quem vocant, commodiùs intelligas, quo vesperi supra terram feruntur. Id enim fit Autumno, quo tempore pulsus Naso. Per ortus verò atque occasus astrorum tempora æstimari atque numerari nihil est opus ut admoneamus.

[r] *Nec quærere*] Illa enim non quærimus quæ consequi omnino non possumus.

[s] *Quærit*] Recurrit verò semper quærere quæ amamus, utcumque consequi minùs minusve queamus.

[t] *Nata*] Perilla, *scilicet*, quam solam habuisse Nasonem vel hinc satis liquet.

[u] *Urbis*] Romæ, *scilicet*, quam ut maximam & Orbis dominam, *Urbem* simpliciter, honoris causâ, vocitabant.

[x] *Æquata*] Pavimentis æquis strata.

[y] *Porticus*] Inter clara fuerunt Urbis ædificia, vel ædibus sacris, vel illustrium virorum domibus, vel publicis ædificiis annexæ, necessitatis, ornamenti, & voluptatis causâ extructæ: ubi plerumque animi gratiâ, æstivis præsertim caloribus, ad captandam umbram inambulabant.

[z] *Campi*] Martium intellige propter celebritatem.

[a] *Euripi*] Canales dicit seu aquæductus, cujusmodi fuerunt præsertim in Circo maximo, ubi aquæ stagnabant.

[b] *Virgineus*] Virgineam aquam dicit, quam Agrippa ædilis in agro Luculliano collectam Romam perduxit; quòd quærentibus militibus fontes virguncula quasdam venas monstravit, quas sequuti qui foderant aquæ ingentem modum invenerunt.

At, [c] puto, ſic Urbis miſero eſt erepta voluptas,
Quolibet ut ſaltem rure frui liceat.
Non meus [d] amiſſos animus deſiderat agros,
Ruráque [e] Peligno conſpicienda ſolo:.
Nec quos piniferis poſitos in collibus hortos
Spectat [f] Flaminiæ [g] Clodia juncta viæ.
Quos ego [h] neſcio cui colui, quibus ipſe ſolebam
Ad ſata fontanas (nec pudet) addere aquas.
Sunt [i] ibi, ſi vivunt, noſtrâ quoque conſita quondam,
Sed non & noſtrâ poma legenda manu.
Pro quibus amiſſis utinam contingere poſſit
Hîc ſaltem profugo gleba colenda mihi!
Ipſe ego [k] pendentes ([l] liceat modò) rupe capellas,
Ipſe velim baculo paſcere [m] nixus oves.
Ipſe ego, ne ſolitis inſiſtant pectora curis,
Ducam ruricolas ſub juga panda boves.
Et diſcam Getici quæ [n] norint verba juvenci:
Aſſuetas illis adjiciámque minas.

INTERPRETATIO.

At, credo, jucunditas Urbis itâ eſt mihi ademta, ut poſſim ſaltem frui quolibet agro. Mens mea non optat campos perditos, & agros videndos in ſolo Peligno; neque hortos ſitos in clivis Piniferis, quos via Clodia juncta Flaminia proſpicit. Quos ego neſcio cui ornavi, in quibus ipſe conſueveram ducere aquas fontanas ad ſegetes, neque pudet. Sunt ibi, ſi vivunt poma etiam poſita olim noſtrâ manu, ſed non etiam colligenda noſtrâ manu. Pro quibus perditis utinam poſſit obvenire hic mihi exuli ceſpes colendus. Ipſe ego, modò concedatur optem paſcere capras affixas rupibus; ipſe incumbens fuſti optem paſcere oves. Ipſe ego ne cor inhæreat curis quotidianis agam tauros ruricolas ſub curva juga. Et diſcam voces quas boves Getici cognoſcant, & addam minas illis familiares.

NOTÆ.

[c] *Puto*] Minimè verò putabat Poëta. Ironicus eſt loquendi modus.

[d] *Amiſſos*] Quos non eripuerat relegato Auguſtus, ſed relinquere coëgerat.

[e] *Peligno*] Sulmo enim Poëtæ patria in Pelignis fuit inter Marſos & Samnites.

[f] *Flaminiæ*] Eam viam Româ per Thuſciam & Umbriam uſque Ariminum C. Flaminius M. Lepidi collega in conſulatu ſtravit.

[g] *Clodia.*] Hæc in parte fuit Hetruriæ, ubi & præfecturæ Claudii, & forum Claudii, non procul à lacu Cimino: ut ſit Naſonis ſententia, ſe neque jam hortos, quos in Pelignis habuit deſiderare, neque eos quos juxta Flaminiam coluit, eo loco ubi Flaminia & Claudia via jungebantur. Namque de viâ Appiâ ſeu Claudiâ, quam à portâ Capenâ Capuam uſque muniendam curavit Appius Claudius Cenſor, non poſſis intelligere.

[h] *Neſcio cui*] Quod certè maximè moleſtum.

[i] *Ibi*] *In hortis illis quos irrigare ſolebam.*

[k] *Pendentes*] Amant verò illæ loca aſpera & prærupta ſequi: unde pendere videntur.

[l] *Liceat*] Dixit antea Naſo vix Tomitanis licere portam aut mœnia, hoſtium metu, egredi.

[m] *Nixus*] Paſtorum more.

[n] *Norint*] Scilicet habent bubulci ſuum: quique modum & propria verba quibus in diverſis regionibus diverſè boves ad opus urgeant, aut regant.

Ipse manu [o] capulum prensi moderatus aratri
Experiar [p] motâ spargere semen humo.
Nec dubitem [q] longis purgare ligonibus arva:
Et dare jam, sitiens quas bibat hortus, aquas.
Unde sed [r] hoc nobis, minimum quos inter & hostem
Discrimen murus clausáque porta facit?
At tibi nascenti (quod toto pectore lætor)
Nerunt fatales [f] fortia fila Deæ.
Te modò [t] Campus habet, [u] densâ modò porticus umbrâ:
Nunc, in quo ponis tempora [x] rara, Forum.
[y] Umbria nunc revocat: nec non [z] Albana petentem
[a] Appia [b] ferventi ducit in arva rotâ.
Forsitan hîc [c] optes, ut justam supprimat iram
Cæsar; & hospitium sit tua villa meum.
Ah nimium est, quod, amice, petis! moderatius opta:
Et voti, quæso, [d] contrahe vela tui.
Terra velim [e] propior, nullique obnoxia bello
Detur: erit nostris pars bona demta malis,

INTERPRETATIO.

Ipse tenens manu stivam prehensi aratri, tentabo spargere semen in terram subactam. Neque abnuam repurgare agres longis rutris; & jam dare aquas, quas hortus sitiens absorbeat. Verùm unde hoc nobis, inter quos & hostem murus & obserata valva faciunt exiguam distantiam? At Deæ fatales (quod gaudeo toto corde) duxerunt tibi nascenti fila valida. Nunc Campus te tenet, nunc Porticus umbrâ opacâ: nunc forum cui das exiguum temporis. Nunc Umbria te revocat; & Appia ducit euntem in agros Albanos rotâ fervidâ. Fortè hic voveas, ut Cæsar extinguat justam iram; & villa tua sit meum diversorium. Ah amice, quod optas est nimium! veve minùs; &, precor, coge vela tui desiderii. Optem solum propius, & nulli bello opportunum mihi concedatur: Pars multa erit detracta nostris ærumnis.

NOTÆ.

[o] *Capulum*] Stivam. *Le manche de la charruë.*

[p] *Mota*] *Aratro inversa.*

[q] *Longis*] Non propter capulum, ut alii censuerunt, sed propter dentes longos.

[r] *Hoc*] Ut liceat hortum colere, &c.

[f] *Fortia*] Quæ nulla calamitas frangat. Nihil autem opus jam, toties repetita de Parcis, quas hominum partui atque sorti præesse voluerunt, denuò inculcare.

[t] *Campus*] Martium intellige, ubi exercitationes & certamina.

[u] *Densâ*] Propter adjunctos hortos nemorosos.

[x] *Rara*] Quia vix aliud magis invisum cordato viro quàm forum aut lites.

[y] *Umbria*] Quæ regio inter Thuscos & Sabinos jacebat; ubi procul dubio villam aliquam, Severus habuit.

[z] *Albana*] Prædia dicit quæ Severus ad Albam, Marsorum oppidum, inter Sabinos & Pelignos habuit.

[a] *Appia*] Via *scilicet*, de quâ paulò antea.

[b] *Ferventi*] Citâ adeòque; quod ad voluptatem facit maximè. Incalescere autem rotas quæ celeriter moventur frustrà admonetim.

[c] *Optes*] Admodum verecundè officii Severum admonet.

[d] *Contrahe*] A nautis petitâ metaphorâ, minus quid optandum indicat.

[e] *Propior*] Minùs ab Urbe distans quàm Tomi.

EPISTOLA IX.

MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Quæ mihi de rapto.] *Factus certior Poëta literis Maximi, de obitu Celsi amici, à quo unicè amabatur : sperabátque ejus precibus Maximum daturum operam, ut reduceretur in patriam : dicit se eam epistolam lacrymis madefecisse : nec acerbius sibi quicquam ea re contigisse eo toto tempore quo fuit in Ponto. simul ejus erga se, ac etiam Maximum fidem & amorem exponit. Quam ob causam fatetur velle se quoque posse modo ejus funus decorare, sibi quoque haud secus ac mortuo ut opem ferat precatur.*

QUæ mihi de [a] rapto tua venit epistola Celso,
Protinus est lacrymis humida facta meis.
Quodque [b] nefas dictu, fieri nec posse putavi,
Invitis oculis littera lecta tua est.
Nec quidquam ad nostras pervênit acerbius aures
Ut sumus in Ponto; perveniárque precor.
Ante meos oculos tanquam [c] præsentis imago
Hæret: & exstinctum vivere fingit amor.
Sæpe refert animus lusus gravitate [d] carentes:
Seria cum liquidâ sæpe peracta fide.
Nulla tamen subeunt mihi tempora densius illis;
Quæ vellem vitæ summa fuisse meæ.
Cùm domus ingenti subitò mea lapsa ruinâ
Concidit, in domini procubuítque caput.
Adfuit ille mihi, cùm [e] pars me magna reliquit,
Maxime; Fortunæ [f] nec fuit ipse comes.

INTERPRETATIO.

[a] *Littera tua, quæ mihi allata sunt de Celso sublato, statim sunt madefacta meis lacrymis. Et quod horrendum memoratu, nec credidi posse evenire, epistola tua est lecta oculis abnuentibus. Neque quidquam tristius pervenit ad nostras aures, ex quo tempore sumus in Ponto; & precor perveniat. Vultus ejus est præ meis oculis, tanquam præsentis; & amor fingit mortuum vivere. Mens sæpe reminiscitur jocos minùs severos: sæpe refert seria absoluta cum fide sincerâ. Nulla tamen tempora frequentiùs mihi recurrunt illis, quæ vellem fuisse ultima vitæ meæ: cùm domus mea repentè collapsa maxima clade ruit, & cecidit in cervices domini. Ille mihi adstitit, Maxime, cùm pars multa me destituit, neque ipse fuit comes fortunæ.*

NOTÆ.

[a] *Rapto*] *Immaturo funere sublato.*
[b] *Nefas*] Quia lætis oculis amicorum epistolæ perleguntur.
[c] *Præsentis*] Celsi *scilic.* quem vehemens amor morti quasi surripiebat.
[d] *Carentes*] *Minùs severos.*
[e] *Pars*] Amicorum *scil.* tempori & fortunæ servientium.
[f] *Nec fuit*] Quia, neglectâ Augusti offensione, Nasonem amicum in adversis solatus.

Illum ego non aliter flentem mea [g] funera vidi,
Ponendus quàm si frater [h] in igne foret.
Hæsit in amplexu, consolatúsque jacentem est:
Cumque meis lacrymis miscuit usque suas.
O quoties vitæ custos invisus amaræ
Continuit [i] promtas in mea fata manus!
O quoties dixit, Placabilis ira [k] Deorum est.
Vive, nec ignosci tu tibi posse nega.
[l] Vox tamen illa fuit celeberrima, Respice quantùm
Debeat auxilii [m] Maximus esse tibi.
Maximus incumbet; quaque est pietate, rogabit,
Ne sit ad extremum Cæsaris ira tenax.
Cumque suis fratris vires adhibebit, & omnem,
Quò levius doleas, experietur opem.
Hæc mihi verba malæ minuerunt tædia vitæ.
Quæ tu, ne fuerint, Maxime, vana, [n] cave.
[o] Huc quoque venturum mihi se jurare solebat;
[p] Non nisi te longæ jus sibi dante viæ.
Nam tua non alio coluit [q] penetralia ritu,
Terrarum [r] dominos quàm colis ipse Deos.

INTERPRETATIO.

Ego illum intuitus sum non secùs deplorantem meam cladem quàm si frater fuisset collocandus in igne. Mansit in amplexu, & est consolatus dejectum; & miscuit semper suas lacrymas cum meis. O quoties custos gravis vitæ invisæ prohibuit manus expeditas in meam necem! O quoties dixit ira Deorum est placabilis: Vive neque diffitearis tu posse tibi parci. Illa tamen fuit vox celeberrima, Vide quantùm opis Maximus debeat esse tibi. Maximus annitetur; &, quæ est ejus *pietas, orabit, ne ira Cæsaris perstet usque ad finem. Et adhibebit gratiam fratris cum suâ, & conabitur omnibus viribus, ut leniùs doleas. Hic sermo lenivit mihi odium vitæ ærumnosæ. Quæ ne fuerint inania prospicias, Maxime. Consueverat etiam mihi jurare se huc concessurum non nisi te faciente sibi jus longinqui itineris. Nam non secùs coluit tuam domum, quàm ipse colis Deos Dominos terrarum.*

NOTÆ.

[g] *Funera*] De exilio & calamitate suâ loquitur.

[h] *In igne*] Atque adeò mortuus, & de more antiquo comburendus.

[i] *Promtas*] *In meam necem paratas.*

[k] *Deorum*] Atque adeò Augusti, ejusque liberorum. Notum illud Horatii,

Informes hyemes reducit
Jupiter: idem
Summovet. Non si malè nunc & olim
Sic erit:

[l] *Vox*] Celsi, *scilicet.* Ingeniosè autem admodum Maximum de officio sibi præstando admonet.

[m] *Maximus*] Hic fuit, ad quem scripsit Naso, gratiâ multùm pollens apud Cæsarem.

[n] *Cave*] Atque adeò pro me fac ut enitaris.

[o] *Huc*] Tomos, *scil.* ubi Poëta relegatus degebat.

[p] *Non nisi*] Id est, *Te, Maxime, id probante.*

[q] *Penetralia*] Loca secretiora domus pro totâ posuit: domum deinde pro ipso domino.

[r] *Dominos*] Non malè de Augusto ejusque liberis intelligas.

Crede mihi: multos habeas cùm [f] dignus amicos,
Non fuit è multis quolibet ille [t] minor.
Si modò nec census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniúmque facit.
Jure igitur lacrymas Celso libamus [u] ademto;
Cùm [x] fugerem, vivo quas dedit ille mihi.
Carmina jure damus [y] raros testantia mores;
Ut tua venturi nomina, Celse, legant.
[z] Hoc est, quod possum Geticis tibi mittere ab arvis:
Hoc solum est istic, quod liquet esse meum.
Funera nec potui [a] comitare, nec [b] ungere corpus:
Aque tuis [c] toto dividor orbe rogis.
Qui potuit, quem tu pro numine vivus habebas,
Præstitit [d] officium Maximus omne tibi.
Ille tibi exsequias, & magni funus honoris
Fecit; & in gelidos fudit [e] amoma sinus.
[f] Diluit & lacrymis mœrens unguenta profusis;
Ossáque [g] vicinâ condita texit humo.
Qui quoniam exstinctis, quæ debet, præstat amicis,
[h] Et nos exstinctis annumerare potest.

INTERPRETATIO.

Habeas mihi fidem; quanquam tibi sint meritò multi amici, ille non fuit inferior quolibet ex multis; si saltem, neque opes, neque illustre nomen majorum, sed candor & ingenium facit magnos. Ergo meritò damus lacrymas Celso sublato, quas ille mihi præbuit, cùm proficiscerer in exilium. Meritò exhibemus versus declarantes eximios mores; ut posteri legant tua nomina, Celse. Istud est quod possum tibi mittere ab agris Geticis: istud est hic unum quod certum est esse meum. Neque licuit prosequi funus, neque ungere corpus; & disjungor toto Orbe à tuis bustis. Maximus qui potuit, quem tu superstes habebas pro numine, tibi præstitit omne officium. Ille tibi adornavit exequias, & funus magni honoris; & sparsit amoma in sinus frigidos. Fletu diluit etiam unguenta lacrimis profusis; & operuit ossa composita terrâ proximâ. Qui siquidem præbet amicis defunctis quæ debet, potest etiam recensere nos inter defunctos.

NOTÆ.

[f] *Dignus*] *Qui virtute & beneficiis illos parasti.*

[t] *Minor*] *Minoris pretii.*

[u] *Ademto*] *Morte sublato.*

[x] *Fugerem*] *In exilium proficiscerer.*

[y] *Raros*] Omni virtute decoratos, cujusmodi pauci inter mortales esse solent.

[z] *Hoc*] De carminibus suis loquitur Poëta.

[a] *Comitare*] In activâ formâ posuit: quod rarum.

[b] *Ungere*] De more: quomodo & apud Maronem,

Corpúsque lavant frigentis, & ungunt.

[c] *Toto*] Quia in Septemtrionali plagâ ille, in meridionali Celsus fuerat.

[d] *Officium*] In curando funere.

[e] *Amoma*] Hujus odorati fruticis usus fuit multus in ungendis & condiendis defunctorum corporibus: qui tamen hodie ignoratur.

[f] *Diluit*] Lacrymæ *scilicet* ad diluenda unguenta non ineptæ. Maximum dicit largos in Celsi funere fletus effudisse.

[g] *Vicinâ*] Non peregrinâ, cujusmodi obrui Naso metuere se alicubi testatur.

[h] *Et nos*] Ingeniosissimè certè Maximi opem & officia petit Naso.

EPISTOLA X.

FLACCO.

ARGUMENTUM.

Naso suo profugus.] *Ad Flaccum scribens Poeta, corporis languorem, ejusque rei causam exponit, eumque rogat cum fratre, ut sibi opem ferat, Augustumque ei mitiorem reddat.*

NAso suo profugus mittit tibi, Flacce, salutem:
Mittere rem si quis, quâ caret ipse, potest.
[a] Longus enim curis vitiatum corpus amaris
Non patitur vires languor habere suas.
Nec dolor ullus adest, nec febribus uror [b] anhelis;
Et peragit soliti [c] vena tenoris iter.
Os [d] hebes est, positæque movent fastidia mensæ:
Et queror, invisi cùm venit hora cibi.
Quod [e] mare, quod tellus, appone, quod educat [f] aër;
Nil ibi, quod nobis esuriatur, erit.
[g] Nectar & [h] ambrosiam, latices epulásque Deorum,
Det mihi formosâ nava [i] Juventa manu;
Non tamen exacuet torpens sapor ille palatum:
Stabit & in stomacho pondus [k] inerte diu.
[l] Hæc ego non ausim, cùm sint verissima, cuivis
Scribere; [m] delicias ne mala nostra vocent.

INTERPRETATIO.

Flacce, Naso exul mittit tibi amico suo salutem; si quis potest mittere rem quam ipse non habet. Mœror enim diutinus non sinit corpus corruptum gravibus curis obtinere suas vires. Neque quisquam dolor adest, neque ardeo febribus anhelis; & vena absolvit iter tenoris consueti. Os est languidum, & mensa apposita creant nauseam: & queror cùm tempus esca odiosa adest. Offer quod mare, quod terra, quod aër nutrit, nihil erit ibi quod à nobis appetatur. Juventa sedula prabeat mihi pulchrâ manu Nectar, & Ambrosiam, potus, & cibos Deorum, tamen ille sapor non irritaverit palatum languens: & pondus diu harebit in pigro ventriculo. Quanquam hac sint certissima, ego non ausim scribere cuivis; ne appellent arumnas nostras delicias.

NOTÆ.

[a] *Longus*] Quamobrem salute careat ostendit.

[b] *Anhelis*] *Quæ corpus anhelum faciunt.*

[c] *Vena*] Quæ ultra modum micare & salire solet febricitantibus.

[d] *Hebes*] Quod cibi nulla appetentia movetur.

[e] *Mare*] Unde pisces.

[f] *Aër*] Aves significat, quia & in aërem tolluntur, tametsi ex terrâ aut aquâ victum suum plerumque sumant.

[g] *Nectar*] Quam Græci dixerunt Deorum potionem.

[h] *Ambrosiam*] Qui cibus cœlestium, suavissimus.

[i] *Juventa*] Quæ & *Hebe*, Junonis filia, Diis pocula ministrare, Poëtarum munere, solita.

[k] *Inerte*] Qui cibos neque concoquit, neque digerit.

[l] *Hæc*] Quæ de ciborum dico meo fastidio.

[m] *Delicias*] Quasi delicati sim palati.

[n] Scilicet is ſtatus eſt, ea rerum forma mearum,
Deliciis etiam poſſit ut eſſe locus?
Delicias illi precor has contingere, ſi quis,
Ne mihi ſit levior Cæſaris ira, timet.
Is quoque, qui gracili [o] cibus eſt in corpore, ſomnus,
Non alit officio corpus inane ſuo.
Sed vigilo, vigilántque mei ſine fine dolores;
Quorum materiam dat locus ipſe mihi.
[p] Vix igitur poſſis viſos agnoſcere vultus:
Quoque ierit, quæras, qui fuit antè, color.
Parvus in exiles ſuccus mihi pervenit artus
Membráque ſunt cerâ pallidiora novâ.
Non hæc immodico contraxi damna [q] Lyæo:
Scis mihi quàm ſolæ pænè bibantur aquæ.
Non epulis oneror: quarum ſi tangar amore,
Eſt tamen in Geticis copia nulla locis.
Nec vires adimit Veneris damnoſa voluptas.
Non ſolet in mœſtos illa venire toros.
[r] Unda locúſque nocent: & cauſſa valentior iſtis,
Anxietas animi, quæ mihi ſemper adeſt.
Hanc niſi tu pariter [ſ] ſimili cum fratre levares,
Vix mens triſtitiæ mœſta tuliſſet onus.
Vos eſtis fragili tellus [t] non dura phaſelo:
Quamque negant multi, vos mihi fertis opem.

INTERPRETATIO.

Nimirum ea eſt conditio, ea facies rerum mearum, ut locus etiam eſſe poſſit deliciis? Voveo hujuſmodi delicias illi obvenire, ſi quis metuit ne ira Cæſaris ſit mihi minor. Ille etiam ſomnus, qui eſt alimentum in corpore macilento non fovet corpus exſangue ſuo beneficio. Sed ſum experrectus, & ærumnæ meæ ſunt ſemper experrectæ, quibus ipſe locus præbet mihi eſcam. Adeòque ægrè poſſis agnoſcere faciem viſam, & petas quò color exceſſerit, qui fuit priùs. Exiguus ſuccus illabitur in membra gracilia, & artus ſunt pallidiores cerâ recenti. Non accerſivi iſta incommoda nimio mero: noſti quàm propè pura aqua potentur à me. Non gravor cibis, quorum amore ſi movear, nulla eſt tamen abundantia in locis Geticis. Neque voluptas perniciosa Veneris ſubtrahit vires. Illa non ſolet venire in triſtes lectos. Aqua & locus obſunt: & ſollicitudo mentis cauſa potentior iſtis, quæ nunquam recedit à me. Niſi tu juxta cum fratre tibi ſimili hanc minueres, ægrè animus triſtis par fuiſſet ponderi mœſtitiæ. Vos eſtis terra propitia fragili cymbæ, & vos præbetis mihi auxilium quod multi recuſant.

NOTÆ.

[n] *Scilicet*] Ironicè, neque ſine ſtomacho, loquitur.

[o] *Cibus*] Namque is corpus maximè mulcet & reficit.

[p] *Vix*] Quia color exſanguis, carnes flaccidæ aut nullæ, &c.

[q] *Lyæo*] *Baccho*, aut certè vino illius manere.

[r] *Unda*] Ex locis verò aquaticis odores tetri aut maligni vapores ſaltem educi ſolent, qui corpus morbis plurimis inquinant.

[ſ] *Simili*] Qu[illegible] utriuſque eadem virtus, uterque inſup[illegible] Poëtæ auxilium ſuum præſtabat.

[t] *Non dura*] S[illegible] dicit exulem & adversâ fortunâ, qua[illegible] in undis vexatum, apud Flaccum ejuſque fr[illegible]em cùm portum tum terram hoſpitalem inveniſſe.

Ferte,

Fette, precor, ſemper, quia ſemper egebimus illâ ;
Cæſaris offenſum dum mihi numen erit.
Qui meritam nobis minuat, non finiat iram,
Suppliciter [u] veſtros quiſque rogate Deos.

INTERPRETATIO.

Prabeto ſemper, quaſo, quia ſemper opus habebimus illo, quandiu numen Cæſaris erit mihi infeſtum. Qui ut leniat non extinguat iram, quâ dignus ſum, orate quiſque humiliter veſtros Deos.

NOTÆ.

[u] *Veſtros*] De Auguſti liberis agit, quos ſciebat Naſo ab amicis ſuis ſummâ curâ cultos, multâ deinde gratiâ apud Cæſarem potentes.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLARUM
EX PONTO
LIBER II.

EPISTOLA I.
GERMANICO CÆSARI.

ARGUMENTUM.

Huc quoque Cæſarei.] *Tiberii Neronis ovationem, quam hic digniori nomine* triumphum *appellat poëta, ad ſe in Scythiam fama pertulerat, quam dicit ſibi magnam lætitiam attuliſſe : ejuſque formam deſcribens, Cæſaris clementiam laudat, qui cùm hoſtibus in bello captis vitam conceſſerit, ſperat quoque majorem in modum illum uſurum in ſe eâdem clementiâ. Deinde deos precatur, ut Tiberio longiorem vitam concedant.*

Uc quoque Cæſarei pervênit fama [a] triumphi,
Languida quo [b] feſſi vix venit aura Noti.
Nil fore dulce mihi Scythicâ regione putavi.
[c] Jam minùs hic odio eſt, quàm fuit antè, locus.

INTERPRETATIO.

Fama triumphi Cæſarei penetravit etiam huc, quò ſpiritus exhauſtus Noti laſſi ægrè pervenit. Credidi nihil mihi futurum ſuave in regione Scythicâ. Jam hic locus eſt mihi minùs invisſus quàm fuit antè.

NOTÆ.

[a] *Triumphi*] De Pannonio ſermo eſt, quem Tiberius egit : neque ea res ex tabulis chronologicis dubia eſſe poteſt.

[b] *Feſſi*] Quaſi tantùm ab Italicis oris diſſita fuiſſet regio Scythica, ubi Naſo commorabatur, ut vix à meridie ſpirans Notus illuc penetrare potuiſſet.

[c] *Jam minùs*] Ingenioſiſſimè profectò Tiberio aſſentatur Poëta.

Tandem aliquid [d] pulsâ curarum nube serenum
Vidi; Fortunæ verba [e] dedique meæ.
Nolit ut ulla mihi contingere gaudia Cæsar,
Velle potest cuivis hæc tamen una [f] dari.
Dî quoque, ut à cunctis hilari pietate colantur,
Tristitiam poni per sua festa jubent.
[g] Denique, quod certus furor est audere fateri,
Hac ego lætitiâ, si vetet ipse, fruar.
Jupiter utilibus quoties juvat imbribus agros,
Mixta tenax segeti crescere [h] lappa solet.
Nos quoque frugiferum sentimus inutilis herba
Numen; & invitâ sæpe juvamur ope.
Gaudia [i] Cæsareæ mentis pro parte virili
Sunt mea: privati [k] nil habet illa domus.
Gratia, Fama, tibi: per quam spectata triumphi
Incluso mediis est mihi pompa Getis.
Indice te didici, nuper [l] visenda coîsse
Innumeras gentes ad Ducis ora sui.
Quæque [m] capit vastis immensum mœnibus orbem,
Hospitiis Romam vix habuisse locum.

INTERPRETATIO.

Spectavi denique aliquid latum, nebulâ sollicitudinum remotâ; & fefelli sortem meam. Quamvis Cesar nolit ullam voluptatem mihi obvenire, nihilominus potest cupere hanc unam concedi cuivis. Dii etiam imperant mœrorem omitti tempore suorum festorum, ut colantur ab omnibus alacri pietate. Tandem, quod est certus furor non vereri agnoscere, ego fruar hoc gaudio tametsi ipse prohibeat. Quoties Jupiter irrigat arva fœcundâ pluviâ, lappa tenax mixta segeti consuevit crescere. Nos etiam gramen inutile experimur numen benignum, & sæpe sustentamur auxilio invito. Lætitia animi Cæsarei est mea quantum quee: illa demus nihil habet proprium. Fama tibi est gratia, per quam pompa Triumphi est visa à me clauso in mediis Getis. Intellexi te docente, nationes innumeras convenisse nuper ad spectandos vultus sui Imperatoris: Et Romam qua comprehendit amplis muris orbem immensum egrè habuisse locum hospitiis.

NOTÆ.

[d] *Pulsâ*] Triumphi famâ, quem de Pannoniis egisse Tiberium modò diximus.

[e] *Dedi*] *Qui per lætitiam ex Tiberii triumpho fortuna adversa deludo.*

[f] *Dari*] Quia *scilicet* ex re fuit etiam Augusti ut Tiberius filius de hostibus suis triumpharet.

[g] *Denique*] Vix aliud fingi potuit magis ingeniosum, ut favorem quo totam domum Cæsaris prosequebatur, in aperto poneret.

[h] *Lappa*] *De la Bardane* Herba in agro inutilis, cui se similem facit Naso, ut sibi pariter Augusti beneficio lætari liceat, sicuti illi ex Jovis imbribus conceditur crescere.

[i] *Cæsarea*] Quæ Cæsar ex victoriâ concepit.

[k] *Nil habet*] Siquidem pro voto etiam Augusti, omnes de bonis ejus gaudeant, atque sua faciant.

[l] *Visenda*] Romam *scilicet* confluebant undique populi ad triumphi spectandum apparatum & pompam, itemque duces victores, victósque, &c.

[m] *Capit*] Quia etiam regit, & quicquid in orbe est præstantissimum suum facit.

Tu mihi narrasti, cùm multis lucibus antè
  Fuderit assiduas nubilus Auster aquas,
Lumine cælesti Solem fulsisse serenum,
  Cum populi vultu [n] conveniente die.
Atque ita victorem, cum magno vocis honore,
  Bellica laudatis [o] dona dedisse viris:
Claráque sumturum [p] pictas insignia vestes,
  Thura priùs sanctis imposuisse focis:
Justitiámque sui castè placasse [q] Parentis;
  [r] Illo quæ templum pectore semper habet.
Quaque ierit, felix adjectum plausibus omen;
  Saxáque [s] roratis [t] erubuisse rosis.
Protinus [u] argento versos imitantia muros
  Barbara cum victis oppida lata viris.
Fluminàque, & montes, & in altis pascua silvis;
  Armáque cum telis in strue mista suis.
Deque [x] triumphato, quod Sol [y] incenderit, auro
  [z] Aurea [a] Romani tecta fuisse fori.

INTERPRETATIO.

Tu mihi retulisti, cùm multis diebus antè Notus nubibus sparserit imbres continuos, solem purum splenduisse numine cœlesti, die congruente cum vultu populi. Atque ità victorem prabuisse dona bellica viris celebratis cum magno honore sermonis; & illum capturum vestes pictas, illustria insignia, immisisse prius thura sacris focis: & placasse castè justitiam sui patris, qua habet semper Templum in illo pectore: & quà transiverit omen latum additum plausibus, & saxa erubuisse rosis roratis. Continuò Urbes Barbaras transvectas referentes ex argento muros dejectos, cum viris victis. Et fluvios, & montes, & pascua in montibus excelsis, & arma in cumulo, mista cum telis suis. Et tecta fori Romani fuisse aurea de auro triumphato, quod Sol illustraverit.

NOTÆ.

[n] *Conveniente*] Serenum verò cœlum lætitiæ, quàm nubilum aut pluviâ deformatum meliùs multò respondet.

[o] *Dona*] Armillas, hastas, torques, aliaque id genus solemne fuit illis dare qui sese fortiter in bello gessissent.

[p] *Pictas*] Togam dicit palmatam seu Trabeam quâ induti vehebantur triumphantes.

[q] *Parentis*] Augusti vitrici, qui & Tiberii pater fuit per adoptionem.

[r] *Ille*] Tiberii *scilicet*, quasi justus maximè justitiam coluerit.

[s] *Roratis*] Atque adeò recentibus, & splendentibus; neque verò parum ad pulchritudinem rosarum confert ros leviter aspersus.

[t] *Erubuisse*] Quia maximâ copiâ per vias projectæ, ad decorandum Tiberii triumphum.

[u] *Argento*] Ex quo structæ urbium imagines, quæ à Tiberio eversæ, & in triumphi ferculis unâ cum montibus & fluminibus aliisque, de more, latæ.

[x] *Triumphato*] Quod in triumphum latum fuit.

[y] *Incenderet*] Ardere verò videntur metalla expolita, cùm Solis radiis illustrantur.

[z] *Aurea*] Ex repercussu radiorum Solis ex auro fulgentium. Namque aliam hujus loci expositionem non probo.

[a] *Romani*] Vetus & magnum dictum fuit inter Capitolinum & Palatinum montes, cui templum Capitolinum imminebat, quò Triumphantes ascendebant.

Totque tulisse duces captivis addita collis
  Vincula, pæne hostes [b] quot satis esse fuit.
Maxima pars horum vitam veniámque tulêrunt :
  In quibus & belli summa capútque [c] Bato.
Cur ego posse negem minui mihi [d] Numinis iram,
  Cùm videam [e] mites hostibus esse Deos ?
Pertulit huc idem nobis, [f] Germanice, rumor,
  Oppida sub titulo nominis îsse tui.
Atque ea te contra, nec muri mole, nec armis,
  Nec satis [g] ingenio tuta fuisse loci.
Dî tibi dent annos ! à te nam cætera sumes ;
  Sint modò virtuti [h] tempora longa tuæ.
Quod precor eveniet. sunt quiddam oracula vatum.
  Nam Deus optanti prospera signa dedit.
Te quoque victorem [i] Tarpeias scandere in arces
  Læta [k] coronatis Roma videbit equis.
Maturósque Pater nati spectabit honores,
  Gaudia percipiens, quæ dedit ipse suis.

INTERPRETATIO.

Et tot duces tulisse laqueos injectos collis subditis, quot ferè satis fuit esse hostes. Maxima pars horum consecuti sunt vitam & veniam, inter quos etiam Bato summa & caput belli. Quam ob rem ego nolim iram numinis mihi infensi posse leniri, cùm cernam Deos esse lenes hostibus? Fama eadem pertulit nobis huc, Germanice, Urbes transvectas sub titulo nominis tui. Atque eas neque crassitudine muri, neque armis, neque naturâ loci fuisse satis tuta adversus te. Dii tibi prebeant vitam! Nã capies cætera à te; dum tempora sint longa tuæ Virtuti. Quod oro fiet: Oracula Poëtarum sunt aliquid: nam Deus fecit signa læta voventi. Roma læta aspiciet etiam te victorem ascendere in arces Tarpeïas equis coronatis, & pater intuebitur honores properatos filii, sentiens lætitiam quam ipse præbuit suis.

NOTÆ.

[b] *Quot*] *Quot in toto aliquo hostium exercitu satis esset, fuisse.* Captivi, inquit, justum exercitum facere potuissent.

[c] *Bato*] Pannonius dux fuit, quem præmiis ingentibus donatum Tiberius Ravennam transtulit; gratiam referens, ut ait Suetonius, quòd se quondam cum exercitu iniquitate loci circumclusum, passus esset evadere.

[d] *Numinis*] De Augusto loquitur.

[e] *Mites*] Siquidem Tiberius, Augustusque adeò Batoni aliisque ducibus Pannoniis pepercerunt.

[f] *Germanice*] Filius fuit Drusi, à Tiberio patruo, Augusti voluntate adoptatus, qui cum Tiberio eodem præclara multa in Germaniâ gessit; ob quæ oppida dicit isse sub titulo nominis sui: deinde solus Triumphum alium meruit, quem quarto, ab Augusti obitu, anno de Chattis & Cheruscis, multò antè decretum egit.

[g] *Ingenio*] Cùm aut in paludibus, aut præruptis montibus posita essent ea oppida.

[h] *Tempora*] Non abs re vitam Germanico precabatur, qui veneno à Pisone, non sine Tiberii fraude, tollendus fuit.

[i] *Tarpeias*] In monte Tarpeio positum erat Capitolium, quò Triumphantes Diis gratias acturi ascendere solebant. Dictus autem fuit eo nomine mons ille à Tarpeiâ virgine Vestali, scutis ibidem ab iisdem Sabinis obrutâ quibus patri suo concreditam Capitolinam arcem prodiderat.

[k] *Coronatis*] Lauro verò coronabantur etiam quatuor equi albi, qui triumphalem currum trahebant.

Jam nunc hæc à me, juvenum bellóque [l] togâque
Maxime, dicta tibi vaticinante, nota.
Hunc quoque carminibus referam fortasse triumphum:
[m] Sufficiet nostris si modò vita malis.
Imbuero Scythicas si non priùs ipse sagittas:
Abstuleritque ferox hoc caput ense Getes.
Quòd si, me salvo, dabitur tibi [n] laurea templis;
Omina [o] bis dices vera fuisse mea.

INTERPRETATIO.

Maximo juvenum & bello & pace, hæc nunc jam perspecta dicta tibi à me vaticinante. Fortè cantabo quoque hunc triumphum versibus; si modò vita sufficiet nostris ærumnis; nisi ipse tinxero priùs spicula Scythica & sævus Getes reciderit hoc caput gladio. Quod si laurea tibi offeretur in tẽplis me salvo fateberis præsagia mea fuisse bis vera.

NOTÆ.

[l] *Togâ*] Pacis tempore.
[m] *Sufficiet*] Atqui non suffecit; namque circa Triumphi hujus tempora diem obivit.
[n] *Laurea*] Corona ex lauro, quam diis deponebant in Capitolio qui triumphaverant.
[o] *Bis*] Quia & Tu triumphum duxeris, & ipse salvus fuero.

EPISTOLA II.

MESSALINO.

ARGUMENTUM.

Ille domus vestræ.] *Messalinum rogat, ut eo quo solebat vultu, salutem accipiat missam vel ab ipso mari Euxino, ubi Poëta exulabat. Eumque monet, ut lecto ejus nomine, non dubitet etiam legere totam epistolam: quandoquidem non perpetravit tot ac tanta mala; at ejus carmina non possint ab eo legi. Deinde illum artificiosè precatur, ut quum tempus ad id idoneum extet, sibi Augustum reconciliet. Postremò monet, ut hoc tentet eâ lege, si viderit sibi id minimè nociturum.*

ILle domûs vestræ primis venerator ab annis
Pulsus ad Euxini Naso [a] sinistra freti;
Mittit ab indomitis hanc, Messaline, salutem,
Quam solitus præsens est tibi ferre, Getis.
Hei mihi, si lecto vultus tibi nomine non est
[b] Qui fuit, & dubitas cætera perlegere!

INTERPRETATIO.

Ille Naso cultor domus vestræ à primâ ætate relegatus ad læva Ponti Euxini mittit tibi, Messaline, hanc salutem à feris Getis, quam consuevit ferre præsens. Væ mihi misero, si nomine viso facies non est tibi eadem quæ fuit, & vereris perlegere reliqua!

NOTÆ.

[a] *Sinistra*] Tomi enim ab Euxini maris parte sinistrâ illuc venientibus apparent.
[b] *Qui fuit*] Serenus *scilicet* atque hilaris.

Perlege, nec mecum pariter mea verba relega:
  Urbe licet vestrâ versibus esse meis.
Non ego concepi, si [c] Pelion Ossa tulisset,
  Clara meâ [d] tangi sidera posse manu.
Nec nos, [e] Enceladi dementia castra secuti,
  In rerum dominos movimus arma Deos.
Nec, quod [f] Tydidæ temeraria dextera fecit,
  Numina sunt telis ulla petita meis.
Est mea culpa gravis, sed quæ me perdere solum
  Ausa sit, & nullum majus adorta nefas.
Nil nisi non sapiens possum timidúsque vocari:
  Hæc duo sunt animi nomina [g] vera mei.
Esse quidem fateor, meritam post Cæsaris iram,
  Difficilem precibus te quoque jure meis.
Quæque tua est pietas in totum [h] nomen Iüli,
  Te lædi, cum quis læditur [i] inde, putas.
Sed licèt arma [k] feras, & vulnera sæva mineris;
  Non tamen efficies, ut timeare mihi.
Puppis [l] Achæmeniden Grajum Trojana recepit:
  Profuit & [m] Myso [n] Pelias hasta duci.

INTERPRETATIO.

Perlege, neque pelle pariter meos sermones mecum: Conceditur meis carminibus esse in Urbe vestrâ. Ego non induxi in animum astra lucida posse tangi meâ manu, si Ossa tulisset Pelion. Neque nos secuti castra furiosa Enceladi, gessimus arma adversùs Deos Dominos rerum. Neque, quod manus audax Tydidæ patravit, ullus Deus vulneratus est armis meis. Meum peccatum est magnum, sed quod potuerit perdere me solum, neque incepit majus flagitium. Nihil possum appellari nisi non cautus, & pavidus: hæc duo sunt vera nomina mei ingenii. Agnosco equidem te esse meritò durum precibus meis, post iram meritam Cæsaris. Et ut se habet sua pietas in totam gentem Iüli, credo te offendi, cùm aliquis ex illa offenditur. Verùm tametsi geras arma, & intentes feras plagas, non tamen consequaris, ut metuaris à me. Navis Trojana recepit Achæmeniden Græcum: & hasta Pelias opem tulit duci Myso.

NOTÆ.

[c] *Pelion*] Thessaliæ mons fuit altissimus, cui Ossam ejusdem regionis alium montem Gigantes olim cœlum petituri imposuisse dicuntur.

[d] *Tangi*] Ut deinde gigantêo more Diis bellum intentarem.

[e] *Enceladi*] Quem terræ filium, fulmine ictum, Jupiter Ætnæ monti supposuit.

[f] *Tydidæ*] Diomedis, Tydei filii, qui Venerem bello Trojano ferro violavit.

[g] *Vera*] Ut graviori notâ non possit argui.

[h] *Nomen*] Gentem Juliam; quæ ab Iülo Æneæ filio in Julium Cæsarem derivata, tum temporis in Augusto, Julii filio per adoptionem, florebat.

[i] *Inde*] Ex domo Juliâ.

[k] *Feras*] *Stes à partibus Cæsaris*: namque armis nihil opus hîc fuit. Tropicè loquutus est.

[l] *Achæmeniden*] Hunc Ulyssis infelicem comitem Æneas in navem recepit, cujus admonitu Cyclopum effugit sævitiam, ut elegantissimè narrat Virgilius.

[m] *Myso*] Telepho, Herculis filio, regi Mysiæ in Phrygiâ; qui quidem ab Achille vulneratus, quo tempore hic in Trojam navigaret, oraculo admonitus fuit, ut ex eâdem hastâ, sibi remedium peteret, quâ fuerat percussus. Quare Herculi reconciliatus, ex illius hastæ rubigine malagma paravit, quo sanitati pristinæ restitutus fuit.

[n] *Pelias*] Eo nomine appellata hasta Achillis quam præter ipsum nullus ob magnitudinem vibrare poterat.

Confugit interdum templi violator ad aram,
  Nec petere offensi numinis horret opem.
Dixerit [o] hoc aliquis tutum non esse; fatemur.
  Sed [p] non per placidas it mea puppis aquas.
Tuta petant alii. Fortuna miserrima [q] tuta est:
  Nam timor eventûs deterioris abest.
[Qui rapitur fatis, [r] quid præter fata requirat?
  Sæpe [s] creat molles aspera spina rosas.
Qui rapitur spumante salo, sua brachia cauti
  Porrigit, & spinas duráque saxa capit.]
Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,
  Audet ad humanos fessa venire sinus.
Nec se vicino dubitat committere tecto,
  Quæ fugit infestos territa cerva canes.
Da, precor, accessum lacrymis, mitissime, nostris:
  Nec rigidam timidis vocibus obde forem.
Verbáque nostra favens [t] Romana ad Numina perfer,
  Non tibi [u] Tarpejo culta Tonante minus.
Mandatique mei legatus suscipe caussam:
  Nulla meo quamvis [x] nomine caussa bona est.
Jam propè [y] depositus, certè jam frigidus æger,
  Servatus per te, si modò server, ero.

INTERPRETATIO.

Nonnunquam violator templi confugit ad altare; Neque aversatur poscere auxilium Dei læsi. Aliquis dixerit hoc non esse tutum; Agnoscimus; verùm navis mea non currit per aquas quietas. Alii sequantur tuta. Fortuna miserrima est tuta: namque nullus est metus pejoris eventus. Qui abstrahitur fatis, cujus opem poscat nisi fati? sæpè spina sæva gignit teneras rosas. Qui aufertur mari spumoso tendit suos lacertos rupi, & prehendit spinas, & saxa aspera. Avis metuens accipitrem pennis trementibus, lassa non reformidat venire ad sinus humanos. Neque cerva tremens quæ vitat canes sævos veretur se credere domui proximæ. Præbe quæso, lenissime, aditum nostris fletibus; neque occlude januam sævam verbis pavidis. Et æquus perfer nostros sermones ad Deos Romanos, tibi non minus honoratos tonante Tarpeio. Atque orator præcepti mei admitte causam; tametsi causa nequaquam est bona meo nomine. Jam ferè sepultus, sanè jam ægrotus gelidus ero restitutus per te, si saltem restituar.

NOTÆ.

[o] *Hoc*] Ad violati numinis aras confugere.

[p] *Non it.*] Omnia adeòque, si fortè prosint, uti in maximo periculo tentanda.

[q] *Tuta*] Est sanè siquidem nihil pejus possit accedere.

[r] *Quid præter*] Istud significat, siquidem fatis abripiatur per fata, & quasi sine consilio, sibi omnia esse tentanda.

[s] *Creat*] Atque adeò ex mediis calamitatibus lætissima quandoque exsurgunt. Tempestate in portum nonnunquam naves impelluntur.

[t] *Romana*] Augustum & liberos.

[u] *Tarpeio*] Jove Capitolino.

[x] *Nomine*] Quod Augusto invisum.

[y] *Depositus*] Sepultus.

. Nunc tua pro lapsis nitatur gratia rebus;
Principis [z] æterni quam tibi præstat amor.
[a] Nunc tibi & eloquii nitor ille domesticus adsit,
Quo poteras trepidis utilis esse reis.
Vivit enim in vobis facundi lingua parentis;
Et [b] res hæredem repperit illa suum.
Hanc ego [c] non, ut me defendere tentet, adoro.
Non est confessi caussa tuenda rei.
Num tamen excuses erroris imagine factum,
An nihil expediat [d] tale movere, vide.
[e] Vulneris id genus est, quod cùm sanabile non sit,
Non contrectari tutius esse putem.
Lingua, [f] sile: non est [g] ultra narrabile quidquam.
Posse velim cineres [h] obruere ipse meos.
Sic igitur, [i] quasi me nullus deceperit error,
Verba face, ut vitâ, quam dedit ipse, fruar.
Cùmque serenus erit, [k] vultúsque remiserit illos,
Qui secum terras imperiúmque movent;
Exiguam ne me prædam sinat esse Getarum,
Detque solum miseræ mite, precare, fugæ.

INTERPRETATIO.

Favor tuus quem tibi præstat amor Principis immortalis nunc contendat pro rebus perditis. Nunc etiam splendor ille familiaris eloquentia, que poteras juvare reos pavidos tibi præsto sit. Lingua enim diserti patris est superstes in vobis, & illa res invenit hæredem suum. Ego illam non imploro, ut conetur me tueri; causa rei confessi non est defendenda. Perpende tamen an excuses factum specie erroris, an nihil juvet tale incipere. Illud est genus vulneris, quod cùm non sit medicabile, arbitrer esse meliùs non tangi. Lingua tace: nihil est ampliùs dicendum. Ipse cupiam posse sepelire meos cineres. Perinde ergo loquere, ac si nulla inscitia me fefellerit, ut fruar vitâ quam ipse indulsit. Et cùm lubens erit, & posuerit illos vultus, qui agitant secum terras & imperium, orato ne patiatur me esse tenuem prædam Getarum, & præbeat quietam terram infelici exilio.

NOTÆ.

[z] *Æterni*] *Immortalis* Augusti.

[a] *Nunc*] *Cùm pro me orabis.*

[b] *Res*] Lingua *scilicet* facundi parentis, aut Eloquentia.

[c] *Non adoro ut*] *Quia me reum esse fateor.*

[d] *Tale*] Excusare factum imagine erroris, quasi imprudens & nolens Poëta Augustum læserit.

[e] *Vulneris*] De crimine suo agit, potiùs Cæsaris offensione.

[f] *Sile*] Siquidem vulnus non sanabile.

[g] *Ultra*] Postquam non sanabile esse intelligitur.

[h] *Obruere*] Ne quicquam de me exter ampliùs.

[i] *Quasi*] Cautissimum istud fuit. Namque Poëta si quasi ob errorem relegatum se finxisset, graviori pœnæ locum dedisset, si fortè majus ejus crimen cognovisse postea Augustus testatus esset. Confitendo contra se ob crimen suum, cujuscumque generis illud denique fuerit, ab Augusto pulsum 1 siquidem Poëtæ vitam concessisset, injurium non fuit ab eodem petere, uti igitur commutato exilii loco, eâ frui liceret, quæ Tomis pro sententiâ ejus non concederetur.

[k] *Vultus*] Graves ac severos.

Tempus adest aptum precibus. valet ipse, vidétque
Quas fecit vires, Roma, valere tuas.
Incolumis [l] conjux sua [m] pulvinaria servat:
Promovet [n] Ausonium [o] filius imperium.
[p] Præterit ipse suos animo Germanicus annos,
Nec vigor est [q] Drusi nobilitate minor.
Adde [r] nurus, [s] neptésque pias, natósque nepotum,
Cateráque Augustæ [t] membra valere domûs,
Adde triumphatos modò [u] Pæonas, adde quieti
Subdita montanæ brachia [x] Dalmatiæ.
Nec dedignata est abjectis [y] Illyris armis
[z] Cæsareum famulo vertice ferre pedem.
[a] Ipse super currum placido spectabilis ore
Tempora [b] Phœbeâ virgine nexa tulit.

INTERPRETATIO.

Tempus adest idoneum precibus: ipse valet, & videt opes tuas, quas fecit pellere, ô Roma. Uxor salva servat sua pulvinaria: filius auget imperium Ausonium. Ipse Germanicus superat animo suam ætatem, neque vigor Drusi est inferior nobilitate. Adde nurus, & pias neptes, & filios nepotum, & reliquas partes domûs Augustæ valere. Adde Pæonas modò triumphatos; adde viros Dalmatiæ montanæ pacatas. Neque Illyris negavit ferre pedem Cæsareum capite subdito, armis projectis. Ipse conspiciendus vultu leni in curru habuit tempora vincta Virgine Phœbeâ.

NOTÆ.

[l] *Conjux*] Livia.

[m] *Pulvinaria*] Optimè pro thalamo seu conjugio posita pulvinaria scripsit Mycillus. Adulandi enim causâ tanquam de Diis loquitur, quibus in templis pulvinaria sterni solebant.

[n] *Ausonium*] *Italum*: namque ab Ausonibus antiquissimis Italiæ populis Ausonia quoque ea dicta est.

[o] *Filius*] Tiberius *scilicet*, cui, ob res fortiter gestas, jam diu decretus triumphus; quem tamen, ob cladem Varianam mœstâ civitate, distulit.

[p] *Præterit*] Major quia fuit virtus, quàm per ætatem liceret.

[q] *Drusi*] Hic fuit Tiberii ex Agrippinâ filius; cujus uxor Livia soror Germanici; de quo Tacitus.

[r] *Nurus*] Antoniam Drusi Tiberii fratris, Agrippinam Germanici, Liviamque Drusi Tiberii filii, uxores intellige; namque de Caii & Lucii Cæsarum jam diu defunctorum, uxoribus minùs commodè accipias.

[s] *Neptes*] Per neptes nepotesque, Germanici Drusique junioris, de quo modò, liberos intellige, in quibus quidem Caligula, qui Tiberio successit, Agrippina, quæ primùm Domitio nupsit, unde Nero, mox Claudio imperatori juncta est, Iulia item & Drusilla, aliique, de quibus Tacitus.

[t] *Membra*] Propinquos & quoquo modo Augustæ domui conjunctos dicit.

[u] *Pæonas*] Gens fuit in Mysiæ superioris confinio, non longè ab Illyriis & Pannoniis, quas in partes Tiberius unà cum Germanico Romanas acies intulit.

[x] *Dalmatiæ*] Illyrici pars est, cujus regionis incolæ plerumque sub sylvis agebant, unde in latrocinia promtissimi, sæpius etiam adversus Romanos rebelles.

[y] *Illyris*] Regio est ad oram maris Adriatici Italiæ opposita.

[z] *Cæsareum*] Tiberii, qui de Dalmatis & Pannoniis, aliisque ejus tractus gentibus triumphavit.

[a] *Ipse*] Tiberius *scilicet*, non Augustus, sicuti nonnulli exposuerunt.

[b] *Phœbeâ*] Lauro, in quam Daphne mutata Penei filia, Phœbo carissima.

Quem pia [c] vobiscum [d] proles comitavit euntem,
Digna parente suo, [e] nominibúsque datis.
[f] Fratribus assimilis, quos proxima templa tenentes
Divus ab excelsâ Julius [g] æde videt.
[h] His Messalinus, quibus omnia [i] cedere debent,
Primum lætitiæ non negat esse locum.
[k] Quicquid ab his superest, [l] venit in certamen amoris:
Hac hominum nulli parte secundus eris.
[m] Hunc colis, [n] ante diem per quem decreta [o] merenti
Venit honoratis laurea digna comis.
[p] Felices, quibus hos licuit spectare triumphos,
Et [q] Ducis ore Deos [r] æquiparante frui.
At mihi Sauromaræ pro Cæsaris ore videndi,
Terráque pacis inops, undáque vincta gelu.
Si tamen hæc audis, & vox mea pervenit istuc,
Sit [f] tua [t] mutando gratia blanda loco.

INTERPRETATIO.

Quem pii liberi, digni patre suo, & nominibus concessis comitati sunt vobiscum dum incederet. Persimilis est fratribus, quos habentes ades proximas, divus Julius videt ex sublimi templo. Messalinus non diffitetur primum locum lætitiæ esse his, quibus omnia debent cedere. Quicquid reliquum est ab istis, venit in certamen amoris: nulli hominum eris inferior hâc in parte. Istum venerâris, per quem laurea digna decreta ante tempus merenti venit comis decoratis. Beati quibus concessum est cernere hos triumphos, & gaudere vultu Imperatoris simili Diis. At Sauromatæ sunt mihi spectandi pro vultu Cæsaris, & tellus nescia pacis, & aqua compacta glacie. Si tamen audis hæc & verba mea pertingunt istuc, favor tuus sit lenis ad commutandum locum.

NOTÆ.

[c] *Vobiscum*] De Messalino aliisque Tiberio additis ducibus loquitur, qui currum ejus prosequuti, dum triumpharet.

[d] *Proles*] Drusus *scilicet*, Tiberii filius.

[e] *Nominibus*] Cæsar quippe appellabatur, sicut & reliqui ex domo Augustâ.

[f] *Fratribus*] Cajum & Lucium Cæsares intelligendos esse omninò censeo, qui tanquam successores Julii Cæsaris, Augusti verò ex filiâ nepotes, in æde Veneris genitricis sub ipsius Cæsaris simulacro locati fuerant. Quanquam aliorum sequi opinionem si quis voluerit per me licet, neque anxiè hujusmodi nugas astruere unquam libuerit.

[g] *Æde*] Julio verò Cæsari divini honores attributi, templa etiam dicata, Romæ quidem in eâ regione, ubi ædes Castoris.

[h] *His*] Quos memoravit ex gente Augustâ.

[i] *Cedere*] Namque illos maximè ex victoriâ partóque triumpho lætari decuit.

[k] *Quicquid*] Hominum *scilicet* reliquum est post illos suprà recensitos.

[l] *Venit*] Quia nulli cessurus est præterea Messalinus.

[m] *Hunc*] De Tiberio intelligendum, qui Messalino Pannoniæ præfecto ornamenta triumphalia ab Augusto impetravit. Quæ res ex Suetonio & Dione comprobatur.

[n] *Ante diem*] Quia juvenis admodum cum Tiberio triumphavit.

[o] *Merenti*] Prudentissimè addita vox ista, ne ex Tiberii favore minor videretur Messallini virtus.

[p] *Felices*] Suum amorem hâc maximè declarat exclamatione Poëta.

[q] *Ducis*] Non Augusti, sed Tiberii.

[r] *Æquiparante*] Jovis quippe ornatu decorati, togâ pictâ, laureâque, curruque aurato vecti, Triumphantes in Capitolium ascendebant.

[f] *Tua*] Quâ polles apud Cæsares.

[t] *Mutando*. *Atque adeò propiùs Romam, aut in locum mitiorem transferar.*

Hoc pater [u] ille tuus, primo mihi cultus ab ævo,
Si quid [x] habet sensûs umbra [y] diserta, petit.
Hoc petit & frater: quamvis fortasse veretur,
Servandi [z] noceat ne tibi cura mei.
Tota [a] domus petit hoc. nec tu potes ipse negare,
Et nos in [b] turbæ parte fuisse tuæ.
Ingenii certè, quo nos [c] malè sensimus usos,
Artibus exceptis, sæpe probator eras.
Nec mea, si tantùm peccata novissima demas,
Esse potest domui vita pudenda tuæ.
Sic igitur vestræ vigeant [d] penetralia gentis;
Curáque sit Superis [e] Cæsaribúsque tui:
Mite, sed iratum meritò mihi [f] Numen, adora;
Eximat ut Scythici me feritate loci.
[g] Difficile est, fateor, sed tendit in ardua virtus:
Et talis meriti gratia major erit.
Nec tamen [h] Ætnæus vasto Polyphemus in antro
Accipiet voces [i] Antiphatésve tuas:

INTERPRETATIO.

Ille tuus genitor honoratus à me ab annis teneris, si Manes facundi habent aliquid sensus, istud desiderant. Frater tuus *etiam istud desiderat, tametsi fortè metuit ne desiderium mei servandi tibi obsit. Tota domus istud expetit: neque tu ipse potes diffiteri nos quoque fuisse in parte tui agminis. Certè artibus demtis, sæpè laudabas ingenium, quo sensimus nos malè usos. Neque vita mea potest esse erubescenda domui tuæ, si modò tollas errorem ultimum. Ita ergo penetralia vestra domûs floreant, & Dii atque Cæsar te ament. Precare Deum lenem, sed mihi jure infensum, ut me liberet asperitate loci Scytici. Arduum est, agnosco; verùm Virtus petit difficilia: & Gratia hujusmodi officii erit major. Neque verò Polyphemus Ætnæus in amplâ cavernâ, vel Antiphates accipiet verba tua;*

NOTÆ.

[u] *Ille*] Dignitatem atque reverentiæ testimonium habet vox ista.

[x] *Habet*] Quasi dicat hoc maximè in parentis Messalini votis esse, si quid sentiat eorum quæ in terris geruntur, ut Nasonem gratiâ suâ adjuvet.

[y] *Disertâ*] Orator enim eloquentissimus fuit Messalinus.

[z] *Noceat*] *Si fortè invitis oculis Augustus aut Tiberius videriat quòd mihi faveas.*

[a] *Domus*] Messalinorum *scilicet.*

[b] *Turba*] Facit hoc ad Messalini dignitatem; quem plurimos habuisse clientes hinc apparet.

[c] *Malè*] Quia ad Amores irritandos ingenio abusus, in libris præsertim de Arte amandi, uti ille quidem fatetur.

[d] *Penetralia*] Domus, atque adeò quæcumque ad gentem attinent vestram.

[e] *Cæsaribusque*] Augusto, Tiberio, Germanico, Druso, illisque omnibus qui in Cæsaream domum adoptati.

[f] *Numen*] Ad Augustum refer.

[g] *Difficile*] *Istud*, scilicet, *ab Augusto consequi, ut me loci feritate eximat.*

[h] *Ætnæus*] Polyphemum crudelissimum, atque inter Cyclopas viribus præstantissimum, Ætnæum quoque, quique illius montis antra celebraret, finxit Virgilius.

[i] *Antiphates*] Læstrygonum anthropophagorum rex, de cujus feritate in Metamorph. Callidissimè verò horum monstrorum commemoratione, Augustum à sævitiâ, si fortè suas epistolas inspiceret, Naso studet revocare: námque cum cùm dicit non esse qui Polyphemi aut Antiphatæ mores induerit, iisdem parem fore tacitè indicat, si quid graviùs in amicos pro se orantes statuerit.

Sed placidus facilisque Parens, veniæque paratus;
Et qui fulmineo sæpe [k] sine igne tonat.
Qui, cùm triste aliquid statuit, [l] fit tristis & ipse:
Cuique ferè pœnam [m] sumere pœna sua est.
Victa tamen vitio est hujus clementia nostro:
Venit & [n] ad vires ira coacta suas.
[o] Qui quoniam patriâ totò sumus orbe remoti;
Nec licet ante ipsos procubuisse Deos;
Quos colis, ad Superos hæc fer mandata [p] sacerdos:
Adde sed & [q] proprias in mea verba preces.
Sic tamen hæc tenta, si non nocitura putabis.
Ignoscas; [r] timeo naufragus omne fretum.

INTERPRETATIO.

sed lenis pater atque facilis, & placabilis: & qui frequenter tonas sine flammâ fulmineâ. Qui cùm decernit aliquid luctuosum, ipse etiam luget; cuique est ferè supplicium suum repetere pœnas. Attamen hujus mansuetudo est superata nostrâ culpâ: & ira coacta sumpsit vires suas. Qui quandoquidem sumus disjuncti à patriâ toto orbe, neque datur procubuisse coram ipsis Diis, tu sacerdos perferte hæc jussa ad superos quos veneraris; sed etiam adjice proprias preces meo nomine. Cæterùm experiaris ista si credas non obfutura. Parcas mihi: naufragus metuo omne mare.

NOTÆ.

[k] *Sine igne*] Quasi dicat verbis, non factis aut suppliciis injurias suas ulcisci Cæsarem.

[l] *Fit tristis*] Ea verò Deo laus digna.

[m] *Sumere*] A reis reposcere.

[n] *Ad vires*] *Ut per vim, non verbis tantùm, crimen meum argueret.*

[o] *Qui*] De seipso loquitur Poëta.

[p] *Sacerdos*] Cujus officium & partes pro aliis orare.

[q] *Proprias*] Verecundè; quasi plus quid & quomodo à Diis Augusto Tiberiove petendum fuerit Messalinus quàm Naso intellexerit.

[r] *Timeo*] Allegoricè loquitur, ut se omnia timere doceat.

EPISTOLA III.

MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Maxime qui claris, &c.] *Maximi fidem & constantiam in rebus suis miseris & perditis laudat Poëta, qui non utilitate, ut vulgus ignobile, sed honestate & virtute eos probat, quos semel amandos suscepit, hortaturq; illum ut in fide perstet, & sibi quantùm potest opem ferat.*

MAxime, qui claris nomen virtutibus [a] æquas,
[b] Nec sinis ingenium nobilitate premi;

INTERPRETATIO.

Maxime, qui æquiparas nomen illustribus virtutibus, neque pateris ingenium obscurari genere;

NOTÆ.

[a] *Æquas*] Quique adcò summis virtutibus præditus: namque *Maximus* nomine.

[b] *Nec sinis*] Tantùm valuit ingenio, quantùm nobilitate, aut generis dignitate.

Culte mihi (quid enim ſtatus [c] hic à funere differt?)
[d] Supremum vitæ tempus adúſque meæ:
Rem facis, afflictum non averſatus amicum,
Quâ non eſt ævo rarior ulla [e] tuo.
Turpe quidem dictu, ſed (ſi modò vera fatemur)
Vulgus amicitias utilitate [f] probat.
Cura quid expediat prius eſt, quàm quid ſit honeſtum:
Et cum Fortunâ ſtatque caditque fides.
Nec facile invenias multis è millibus unum,
[g] Virtutem pretium qui putet eſſe ſui.
Ipſe decor recti, facti ſi præmia deſint,
[h] Non movet, & gratis pœnitet eſſe probum.
Nil, niſi quod prodeſt, carum eſt. i, detrahe menti
Spem fructûs avidæ, nemo [i] petendus erit.
At reditus jam quiſque ſuos amat, & ſibi quid ſit
Utile, [k] ſollicitis ſupputat articulis.
Illud Amicitiæ quondam venerabile nomen
[l] Proſtat, & in queſtu pro meretrice ſedet.
Quò magis admiror, non, ut torrentibus undis,
Communis vitii te quoque labe trahi.
Diligitur nemo, niſi cui Fortuna ſecunda eſt.
Quæ ſimul intonuit, proxima quæque fugat.

INTERPRETATIO.

Venerate à me uſque ad ultimum tempus vitæ meæ (quid enim hic ſtatus diſtat à morte:) facis rem, quâ nulla eſt rarior ætate tuâ, non dedignatus amicum proſtratum. Eſt *equidem turpe dictu, ſed ſi modò agnoſcimus vera, vulgus laudat amicitias ex uſu. Quæritur antè quid proſit, quàm quid ſit decorum; & fides permanet & deficit cum fortunâ. Neque temerè reperias unum ex multis millibus, qui credat virtutem eſſe ſibi mercedem. Ipſa pulchritudo virtutis non tangit, ſi merces abſit, & piget eſſe bonum gratis. Nihil eſt dilectum, niſi quod eſt utile. Ito, deme animo cupido ſpem mercedis. Nemo erit petendus. At quiſque jam quærit ſuos proventus, & numerat anxiis digitis quid ſibi ſit utile. Illud nomen olim venerandum Amicitiæ proſtat, & fides in quæſtu pro ſcorto. Quare magis admiror, te non etiam abripi ſorde vulgaris vitii, tanquam aquis currentibus. Nullus amatur, niſi cui fortuna favet; Quæ ſimul intonuit, in fugam vertit omnia proxima.*

NOTÆ.

[c] *Hic*] *Quo ego ſum inter barbaros.*

[d] *Supremum*] Quia, ut dixit, jam inter defunctos cenſendus.

[e] *Tuo*] Non temerè dixit, ſed quaſi ipſe non ampliùs in vivis.

[f] *Probat*] Neque ſine utilitate amicos ullos curat.

[g] *Virtutem*] Id eſt, *qui credat ſibi Virtutem præmium eſſe maximum.* Contrà tamen ſi quis reputaverit nullum aliud majus, neque præſtabilius, neque propius bonum quàm eſſe ſeipſum bonum atque Deo proximum invenerit. Verùm Simiis noſtris haud quaquam iſtud in animum induxero, quandiu circulus non deerit ubi choreas celebrare, & crura jactare licuerit.

[h] *Non movet*] Quod ni ſit tamen, cur quiſquam ſibi plaudat, aut Deum amare ſe quamobrem jactet, planè non video.

[i] *Petendus*] Qui virtutem velit colere.

[k] *Sollicitis*] Sollicitos digitos pro mente poſuit ſolicitâ, quæ in digitis proventus ſuos enumeret.

[l] *Proſtat*] Quaſi vile ſcortum eſſet, precio deliniendum.

En ego, non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura secunda meis;
[m] Ut fera nimboso tumuerunt æquora vento,
In mediis lacerâ puppe relinquor aquis.
Cùmque alii nolint etiam me nosse videri,
Vix duo projecto tresve tulistis opem.
Quorum tu [n] princeps. nec enim comes esse, sed auctor,
Nec petere exemplum, sed dare dignus eras.
Te, nihil [o] exacto, nisi nos peccasse fatentem
Sponte suâ probitas officiúmque [p] juvant.
Judice te mercede [q] caret, per seque petenda est
Externis virtus incomitata bonis.
Turpe putas abigi, quia sit miserandus, amicum;
Quodque sit infelix, desinere esse tuum.
Mitius est lasso digitum supponere mento;
Mergere quàm liquidis ora natantis aquis.
Cerne, quid [r] Æacides post mortem præstet amico:
Instar & [s] hanc vitam mortis [t] habere puta.
Pirithoum Theseus [u] Stygias comitavit ad undas:
A Stygiis [x] quantùm sors mea distat aquis!

INTERPRETATIO.

Ecce ego olim stipatus plurimis amicis, quandiu ventus propitius impulit vela mea; cùm primùm maria inflata sunt vento imbrifero, deferor in mediis aquis navi fractâ. Et cùm alii metuant videri etiam me novisse, vix duo aut tres juvistis afflictum. Quorum tu primus; neque enim merebaris esse socius, sed auctor, neque sumere exemplum sed dare. Probitas, & officium satis sunt tibi sponte suâ, nihil agnoscenti accuratè, nisi nos errasse. Virtus tuo judicio caret præmio, & quærenda est per se destituta bonis externis. Credis probrosum esse amicum expelli, quòd sit deflendus; & cessare esse tuum quòd sit miser. Levius est submittere manum mento defesso, quàm deprimere os natantis in aquis fluidis. Vide quid Æacides faciat amico post fata: atque crede hanc vitam habere pondus mortis. Theseus secutus est Pirithoum ad aquas inferas: quantùm fata mea differunt ab aquis inferis!

NOTÆ.

[m] *Ut fera*] Grande sonat hic versus, advetre. Quamobrem tute vides.

[n] *Princeps*] Cæteris antecelluisse in præstandâ fide, & juvando amico testatur.

[o] *Exacto*] Adverbium videtur, ut sit sensus, Maximum ità à Nasonis partibus stetisse, ut quanquam Augusti gratiâ peccasse quidem illum fateretur, nullum tamen criminis indicium faceret. Utut sit, fuerit hæc prudentiæ & amicitiæ egregia cautio.

[p] *Juvant*] *Abundè tibi est in virtutis mercedem probum & officiosum fuisse.*

[q] *Caret*] Verissimè sanè: Utcumque enim cor lato viro etiam mercaturam facere & profiteri sui causâ liceat, quæ est nostra inopia; non tamen illud ipsum laudi duxerit, aut sibi virtutis loco apposuerit, quod non scelestissima modò hominum, sed brutorum ferocissima ingenia minùs minúsve omiserint.

[r] *Æacides*] Achilles Æaci nepos, qui Patrocli amici causâ arma induit.

[s] *Hanc*] *Ærumnosam quam hic in Getis traho.*

[t] *Habere*] *Ut cùm hæc vita mortis loco habeatur, mei non aliter curam geras, quàm Patrocli mortui Achilles.*

[u] *Stygias*] Stygis inferorum fluvii. Si quis autem tritissimas hasce non intelligis fabulas, Indicis beneficio quære in suis oribus.

[x] *Quantùm*] Parum, uti quidem vult videri.

Adfuit insano [y] juvenis Phocæus Orestæ :
  Et mea non minimùm culpa [z] furoris habet.
Tu quoque magnorum laudes [a] admitte virorum ;
  Utque facis, [b] lapso, quam potes, affer opem.
Si bene te novi ; si, quod priùs esse solebas,
  Nunc quoque es, atque animi non cecidêre tui,
Quò Fortuna magis sævit, magis ipse resistis :
  Utque decet, ne te vicerit illa, caves.
Et bene uti pugnes, bene pugnans [c] efficit [d] hostis.
  Sic eadem [e] prodest caussa, [f] nocétque mihi.
Scilicet indignum, juvenis [g] rarissime, ducis
  Te fieri comitem stantis in orbe [h] Deæ.
Firmus es ; &, quoniam non sunt ea qualia velles,
  [i] Vela regis quassæ qualiacunque ratis.
Quæque ita concussa est, ut jam casura putetur,
  Restat adhuc humeris fulta ruina tuis.
Ira quidem primò fuerat tua justa, nec ipso
  Lenior, offensus qui mihi jure fuit.
Quique dolor pectus tetigisset Cæsaris alti,
  Illum jurabas protinus esse tuum :

INTERPRETATIO.

Adolescens Phocæus opem tulit Orestæ vesano : meus error etiam non caret multâ insaniâ. Tu etiam admitte gloriam virorum illustrium ; & sicuti facis præbe auxilium quod potes decepto. Si bene te novi, si es nunc etiam quod consueveras esse anteà, atque virtus tua non elanguit, quò magis fortuna furit, ipse magis stas contrà ; & sicuti decet prospicis ne illa te superaverit. Atque hostis fortiter dimicans, facit uti fortiter certes ; ita eadem causa mihi prodest & obest. Nempe, adolescens præclarissime putas indecorum te fieri æqualem Deæ stantis in urbe. Fortis es ; & quandoquidem vela non sunt qualia cuperes, flectis vela qualiacumque navis fractæ. Et quæ ità impulsa est ut jam credatur peritura, restat adhuc ruinâ sustentatâ humeris tuis. Ira quidem tua fuerat justa initio, nec mitior ipso qui fuit mihi infensus. Et jurabas illum dolorem qui læsit cor excelsi Cæsaris, esse continuò tuum.

NOTÆ.

[y] *Juvenis*] Pylades Strophii Phocensis filius, qui Orestem ob matrem interfectam furiis agitatum nunquam deseruit.

[z] *Furoris*] Ut non sponte, sed mente alienatus peccasse videatur.

[a] *Admitte*] *Ut tua sint per virtutem, fidem præsertim, amicos, me in primis, sublevando.*

[b] *Lapso*] Qui nolens peccavi.

[c] *Efficit*] Ita quidem, cum eo fuerit ingenio Maximus, ut sæviente fortunæ magis resisteret.

[d] *Hostis*] Adversam fortunam, intellige.

[e] *Prodest*] Quia ex fortunæ sævitia incalescit Maximi virtus.

[f] *Nocet*] Quia per ejusdem fortunæ sæviriam exulabat Naso.

[g] *Rarissime*] Siquidem paucissimi amicitiam non ex re, seu commodo suo, sed ex ipsâ & virtute metiantur.

[h] *Deæ*] Fortunæ *scilicet*, quæ & super volubili orbe, propter levitatem, depingi solet.

[i] *Vela*] Favores exponunt : malè : namque Auras aut ventos secundos dixisses. Vela, Negotia credideris Poëtæ, quibus Augusti favorem opus fuit conciliare.

Ut tamen audita est nostræ tibi cladis origo;
Diceris erratis ingemuisse meis.
Tum tua me primùm solari litera cœpit;
Et læsum flecti spem dare posse Deum.
Movit amicitiæ tum te constantia longæ;
[k] Ante tuos ortus quæ mihi [l] cœpta fuit.
Et quod eras aliis factus, mihi natus amicus:
Quòdque tibi in cunis oscula prima dedi.
Quòd, cum vestra domus teneris mihi semper ab annis
Culta sit, esse vetus nunc tibi cogor onus.
Me tuus ille pater Latiæ facundia linguæ,
Quæ [m] non inferior nobilitate fuit,
Primus ut auderem committere carmina Famæ
Impulit. ingenii dux fuit ille mei.
[n] Nec, quo sit primum nobis à tempore cultus,
Contendo fratrem posse referre tuum.
Te tamen ante omnes ita sum complexus, ut unus
Quolibet in casu gratia nostra fores.
Ultima me tecum vidit, mœstísque cadentes
Excepit lacrymas Æthalis [o] Ilva genis.
Cùm tibi quærenti, num verus nuncius esset,
Attulerat culpæ quem mala fama meæ:
[p] Inter confessum dubiè dubièque negantem
Hærebam pavidas dante timore notas:

INTERPRETATIO.

Postquam tamen fons nostræ calamitatis est tibi cognitus, diceris indoluisse meis peccatis. Tum epistola tua cœpit me primùm consolari; & spem facere Deum infensum posse leniri. Tum constantia longæ amicitiæ, quæ instituta fuit à me ante tuos natales movit te. Et quod eras factus amicus aliis, natus mihi; & quòd obtuli tibi prima suavia in cunabulis. Quòd, cùm vestra domus semper mihi culta sit à primâ ætate, nunc cogor tibi esse onus. Ille tuus genitor eloquentia linguæ Latinæ, quæ non fuit minor nobilitate, primus suasit, ut non vererer credere versus famæ. Ille fuit moderator mei ingenii. Sponsione certavere fratrem tuum nō posse dicere à quo tempore sit primùm nobis cultus. Attamen te ità amavi præ cæteris, ut solus esses voluptas nostra in quolibet infortunio. Ilva Æthalis ultima vidit me tecum, & excepit lacrymas fluentes ex tristibus oculis. Cùm hærebam inter confessum, & dubiè atque dubiè negantem, metu præbente timida indicia tibi petenti, an nuncius quem pravus rumor attulerat mei peccati esset verus;

NOTÆ.

[k] *Ante tuos*] *Priusquam nascereris.*

[l] *Cœpta*] Quia familiariter Maximi patre utebatur.

[m] *Non inferior*] *Par eloquentiâ & nobilitatis splendore.*

[n] *Nec quo*] Sensus est, A cunis ipsis inceptam amicitiam, quæ inter Maximi fratrem atque Poëtam intercedebat.

[o] *Ilva*] Tyrrheni maris est insula, Græcis dicta *Æthalia*,

—inexhaustis chalybum generosa metallis,

Virgilio, Gall. *L'Isle d'Elbe.*

[p] *Inter confessum*] Quod potuit vir honestus ingeniose profitetur.

Exemploque

Exemploque nivis, quam solvit aquaticus Auster,
[q] Gutta per attonitas ibat oborta genas.
Hæc igitur referens; & quòd mea crimina [r] primi
Erroris veniâ posse latere vides;
Respicis antiquum lapsis in rebus amicum;
Fomentísque juvas vulnera nostra tuis.
Pro quibus optandi si nobis copia fiat,
Tam bene promerito commoda mille precer.
Sed si [f] sola mihi dentur tua vota; precabor,
Ut tibi sit salvo Cæsare salva parens.
Hæc ego, cùm [t] faceres altaria pinguia thure,
Te solitum memini prima rogare Deos.

INTERPRETATIO.

atque gutta prodiens fluebat per malas attonitas ad modum nivis, quam Notus aquaticus diluit. Ergo revolvens ista, & quòd cernis mea peccata posse tegi veniâ primi erroris, respicis veterem amicum in rebus afflictis, & opem fers nostris vulneribus tuis fomentis. Pro quibus si nobis liceat vota concipere, optavero mille bona tam benè promerito. Sed si tua desideria sola mihi concedantur, vovebo ut mater sit tibi salva salvo Cæsare. Recordor te consuevisse petere ista prima à Diis, cùm faceres altaria pinguia thure.

NOTÆ.

[q] *Gutta*] *Lacryma.*
[r] *Primi*] Ignoscitur verò non ità ægrè, si quis primò peccaverit.
[f] *Sola*] *Ut ex voto tuo tantùm bene precari oporteat.*
[t] *Faceres*] *Sacrificares adeòque.*

EPISTOLA IV.

ATTICO.

ARGUMENTUM.

Accipe colloquium.] *Attico veterem amicitiam, ejusque fructus ultrò citróque jucundiores commemorat: quibus fretus dicit sibi persuadere, illum quamvis absentem, adhuc in fide permanere: quod ut faciat, hortatur.*

ACcipe colloquium gelido Nasonis ab Istro,
Attice, judicio [a] non dubitande meo.
Ecquid adhuc remanes memor infelicis amici?
[b] Deserit an partes languida cura suas?

INTERPRETATIO.

Attice non incerto amice *judicio meo, accipe colloquium Nasonis à Danubio frigido. Ecquid recordaris adhuc miseri amici? An cura segnis destituit partes suas.*

NOTÆ.

[a] *Non dubitande*] *Qui certus es amicus.*
[b] *Deserit*] *Si fortè parciùs me amas.*

Non ità Dî [c] tristes mihi sunt, ut credere possim,
Fasque putem jam te non meminisse mei.
Ante meos oculos tua stat, tua semper imago est:
Et videor vultus mente videre tuos.
[d] Seria multa mihi tecum collata recordor:
Nec data jucundis tempora pauca jocis.
Sæpe citæ longis visæ sermonibus horæ:
Sæpe fuit [e] brevior, quàm mea verba, dies.
Sæpe tuas factum venit modò carmen ad aures;
Et [f] nova judicio subdita Musa tuo est.
Quòd tu laudaras, populo [g] placuisse putabam:
[h] Hoc pretium curæ dulce recentis erat.
Utque meus [i] limâ rasus liber esset amici,
Non semel admonitu facta [k] litura tuo est.
Nos fora viderunt pariter, nos porticus omnis,
Nos via, nos [l] junctis curva theatra locis.
Denique tantus amor nobis, carissime, semper,
Quantus in [m] Æacide [n] Nestorideque fuit.
Non ego, si biberes [o] securæ pocula Lethes,
Excidere hæc credam pectore posse tuo.

INTERPRETATIO.

Dii non sunt ità mihi infensi ut possim credere, & arbitrer fieri posse, te jam mei non recordari. Tua facies est semper præ meis oculis, & videor cernere animo tuam speciem. Memini multa seria à me tractata tecum, neque exigua tempora adhibita gratis lusibus. Sæpè horæ visæ præcipites prolixis discursibus; sæpè dies fuit brevior quàm mei sermones, sæpè Versus modò compositi venerunt ad aures tuas; & nova Musa submissa est judicio tuo. Arbitrabar id *quod tu probaveras gratum fuisse plebi: hæc erat, grata merces novæ curæ. Atque ut liber meus esset politus limâ amici littura facta est sæpè tuâ admonitione. Fora viderunt nos pariter, omnis porticus nos* vidit, *nos via, nos curva Theatra* in *locis proximis. Denique tantus amor fuit semper nobis dilectissime quantus* in *Æacide & Nestoride. Ego non credam ista posse deleri ex memoriâ tuâ, quanquam haurires pocula Lethes obliviosa.*

NOTÆ.

[c] *Tristes*] *Infensi.*

[d] *Seria*] Hæc eadem, quanquam aliis verbis, suprà de Celso memoravit.

[e] *Brevior*] Solet istud inter amicos evenire: quippe qui sermonum jucunditate tempus fallunt.

[f] *Nova*] Quia novum Nasonis Carmen, Musæ instinctu deductum.

[g] *Placuisse*] Quasi Attici tam exquisitum judicium fuerit, ut quod ipse probasset à nemine posset improbari.

[h] *Hoc*] Quòd tibi placere, atque adeò populo placitura carmina mea intelligerem.

[i] *Limâ*] Metaphoricè de censurâ aut castigatione Attici amici loquitur.

[k] *Litura*] Ut quod minùs probatum tolleretur, melius aliquid reponeretur.

[l] *Junctis*] Quia assidebant, & unà semper erant, utcumque licebat, amicorum more.

[m] *Æacide*] *Achille*, Æaci nepote.

[n] *Nestoride*] Antilochum dicit, Achillis etiam inter familiares. Quanquam hìc sibi non constant scripta exemplaria; habentque plurima *Actorideque*, hiatu Nasoni non usitato. Hic ab istâ lectione si te minùs deterreat, per *Actoriden* Patroclum summum illum Achillis intellige Actoris nepotem, filium Menœtii.

[o] *Securæ*] Quia Lethes inferorum fluvii si quis aquas gustasset præteritorum omnium obliviscebatur.

Longa dies citiùs [p] brumali sidere, noxque
Tardior hibernâ [q] solstitialis erit.
Nec [r] Babylon æstum, nec frigora [s] Pontus habebit,
[t] Calthâque [u] Pæstanas vincet odore rosas:
Quàm tibi nostrarum veniant oblivia rerum.
Non ita pars fati [x] candida nulla mei.
Ne tamen hæc dici possit fiducia mendax,
Stultáque credulitas nostra fuisse, cave;
Constantíque fide veterem tutare sodalem
[y] Quà licet, & quantùm non onerosus ero.

INTERPRETATIO.

Dies erit citiùs prolixa sole hiberno, & nox solstitialis longior hibernâ. Neque Babylon sentiet calorem, neque Pontus frigora, & Caltha superabit odore rosas Pæstanas; quàm oblivia rerum nostrarum te capiant. Non ità nulla pars sortis meæ est læta. Vide tamen ne hæc fiducia possit dici falsa, & credulitas nostra fuisse falsa; atque defende firmâ fide antiquum amicum quatenus conceditur, & quantùm non ero molestus.

NOTÆ.

[p] *Brumali*] Solstitio hyberno.

[q] *Solstitialis*] Æstivam intellige: namque & hybernum est solstitium, quo nox longissima. Quanquam *Solstitium* simpliciter de æstivo dicitur; *Bruma* de hyemali.

[r] *Babylon*] Fuit urbs illa Asiæ maxima à Belo condita, à Semiramide muris cincta, inter septem mundi miracula; quæ ad meridiem magis posita procul dubio fervidos sensit Solis radios.

[s] *Pontus*] De cujus regionis nivibus & glacie sæpe querentem habuimus Poëtam.

[t] *Caltha*] *La fleur de Soulci*; cujus lenis est odor.

[u] *Pæstanas*] Quæ apud Pæstum Lucaniæ oppidum magnâ copiâ & fragrantissimo odore nascuntur.

[x] *Candida*] *Læta*.

[y] *Quà licet*] Nolebat Naso ut suâ caussâ Atticus in Cæsaris offensionem incurreret.

EPISTOLA V.

SALANO.

ARGUMENTUM.

Condita disparibus numeris.] *Ad Salanum scribit, agitque illi gratias, quandoquidem tam molestè tulerit relegationem suam, quamvis modico amicitiæ usu illi junctus fuerit: dicitque sibi gratum fuisse, carmina sua à se laudata fuisse. Eum deinde rogat, ut si ad ejus aures liber de triumpho Germanici pervenerit, ejus tutelam suscipiat. Postremò docet quandam esse conjunctionem ingeniorum.*

CONdita [a] disparibus numeris ego Naso Salano
Præpositâ misi verba salute meo.

INTERPRETATIO.

Ego Naso misi voces adstrictas numeris inæqualibus Salano meo amico *salute præmissâ.*

NOTÆ.

[a] *Disparibus*] Quia versibus elegis scripsit.

Quæ rata sit cupio, [b] rebúsque ut comprobet omen,
Te precor à salvo possit, amice, legi.
Candor, in hoc ævo res intermortua pænè,
[c] Exigit, ut faciam talia vota, tuus.
Nam fuerim quamvis modico tibi cognitus usu,
Diceris exsiliis ingemuisse meis.
Missáque ab [d] extremo legeres cùm carmina Ponto;
Illa tuus juvit qualiacunque favor.
Optastíque brevem salvi mihi Cæsaris iram;
[e] Quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.
[f] Moribus ista tuis tam mitia vota dedisti:
Nec minùs idcirco sunt ea grata mihi.
Quòque magis moveare malis, doctissime, nostris,
Credibile est [g] fieri conditione loci.
Vix hac invenias totum (mihi crede) per orbem,
Quæ minùs [h] Augustâ Pace fruatur, humum.
Tu tamen hîc structos [i] inter fera prælia versus
Et legis, & lectos ore favente probas.
Ingenióque meo, [k] venâ quod paupere manat,
Plaudis; & è rivo flumina magna facis.
Grata quidem sunt hæc animo suffragia nostro;
[l] Vix sibi cùm miseros posse placere putes.

INTERPRETATIO.

Quæ opto sit firma; & ut faciat omen vanum per res ipsas; oro possit legi à te incolumi, amico. Sinceritas tua res propè extincta his temporibus facit, ut concipiam hujusmodi vota. Nam etsi tibi fuerim notus parvâ consuetudine, diceris indoluisse meâ fugâ: Et cùm legeres versus missos ab ultimo Ponto, favor tuus defendit illa qualiacumque. Atque optavisti mihi brevem iram Cæsaris incolumis, quod tamen si ipse intelligat desiderari, patiatur. Præbuisti ista vota tam lenia tuis moribus; neque ideò illa sunt mihi minùs accepta. Et quò magis tangaris nostris ærumnis, litteris excultissime, credibile est fieri sorte loci. Crede mihi ægrè reperias in orbe terram quæ minùs gaudeat pace Augustâ hâc. Tu tamen & legis carmina condita hic inter sæva certamina, & laudas lecta ore æquo. Atque plaudis ingenio meo, quod fluit venâ tenui; & facis ingentes fluvios ex rivulo. Illa quidem suffragia placent animo meo, quanquam vix credas infelices posse sibi acceptos esse.

NOTÆ.

[b] *Rebus*] Salute ipsâ *scilicet*.
[c] *Exigit*] Ad Salani commendandum candorem spectat vox ista.
[d] *Extremo*] Ibi verò sita urbs Tomi, ubi exulavit Naso.
[e] *Quod*] Ut Augusti in Nasonem ira sit brevis.
[f] *Moribus*] Quasi dicat se non meritum Salani favorem.
[g] *Fieri*] *Ut movearis nostris malis.*
[h] *Augustâ*] *Excellenti atque Venerabili ab Augusto paratâ.*
[i] *Inter fera*] Secessum verò & otia boni versus amant.
[k] *Venâ paup.*] Infœcunditatem culpat ingenii.
[l] *Vix sibi*] Suffragia dicit Salani sibi grata, tametsi, sibi neque ipse, utpote miser, neque sui adeò versus, placere possint.

Dum tamen in [m] rebus tentamus carmina parvis,
Materiæ gracili sufficit ingenium.
Nuper ut huc magni pervênit Fama [n] triumphi;
Ausus sum tantæ sumere molis [o] opus.
Obruit audentem [p] rerum gravitásque nitórque:
[q] Nec potui cœpti pondera ferre mei.
[r] Illic quam laudes, erit officiosa voluntas.
Cætera materiâ [f] debilitata jacent.
Quòd si fortè liber vestras pervênit ad aures;
Tutelam mando sentiat ille tuam.
[t] Hoc tibi facturo, vel si non ipse rogarem,
Accedat [u] cumulus gratia nostra levis.
Non ego laudandus, sed sunt tua pectora, lacte
Et non calcatâ candidiora nive.
Mirarísque alios, cùm sis mirabilis ipse;
Nec lateant [x] artes, eloquiumque tuum.
Te juvenum [y] Princeps, cui dat Germania nomen,
Participem studii Cæsar habere solet.
Tu comes antiquus, tu primis junctus ab annis,
Ingenio mores æquiparante, places.
Te dicente priùs fit protinus [z] impetus illi:
Teque habet, [a] elicias qui sua verba tuis.

INTERPRETATIO.

Dum tamen conamur scribere versus in materiâ tenui, ingenium par est materia tenui. Nuper ut fama magni triumphi penetravit huc, non veritus sum aggredi opus tanti moliminis. Gravitas & splendor argumenti depressit audentem; neque potui ferre onus mei ausus. Ibi erit voluntas obsequiosa quam probes: reliqua deficiunt fracta argumento. Quòd si fortè liber pervenit ad aures vestras, hortor ille sentiat tuum favorem. Gratia nostra superveniat cumulus levis tibi præstituro idem, etiamsi ipse non orarem. Ego non sum laudandus, verùm cor tuum est candidius lacte & nive intactâ. Atque suspicis alios, cùm ipse sis suspiciendus: Neque Virtus & eloquentia tua sint in occulto. Cæsar Princeps juvenum, cui Germania dat nomen, consuevit habere te sodalem ad studia. Tu comes vetus, tu addictus à teneris unguibus, gratus es ingenio consimili moribus. Te priùs concionante continuò fit illi impetus; & habet te, qui moveas suam vocem tuâ.

NOTÆ.

[m] *Rebus parvis*] *Tenui argumento.*
[n] *Triumphi*] De eo suprà.
[o] *Opus*] Ut triumphum illum versibus suis comprehenderet.
[p] *Rerum*] Gestarum *scilicet*, quæ triumphum meruerant.
[q] *Nec potui*] Non videbantur versus materiæ æquare dignitatem.
[r] *Illic*] In Triumphi descriptione.
[f] *Debilitata*] Quia Res gestæ ampliores quàm Nasonis versibus dicerentur.
[t] *Hoc*] Ut Nasonis libellum defenderet.
[u] *Cumulus gratia*] Appositio est. Optat Poëta, ut sui causâ Salanus, aliquid illi addat quod ex se facturus erat.
[x] *Artes*] Bonas intellige, & disciplinas, quibus imbutus Salanus.
[y] *Princeps*] Germanicus est, cui à peccatâ Germaniâ datum nomen.
[z] *Impetus*] Dicendi *scilicet*, & eloquentiâ suâ æquiparandi.
[a] *Elicias*] Quasi æmulus Salani fuerit Germanicus.

Cùm tu desîsti, [b] mortaliáque ora quierunt,
Clausáque non longâ conticuêre morâ;
Surgit [c] Iülêo juvenis cognomine dignus,
Qualis [d] ab Eois [e] Lucifer ortus aquis.
Dumque [f] silens adstat, [g] status est vultúsque diserti,
Spemque decens doctæ vocis [h] amictus habet.
Mox, ubi pulsa mota est, atque os cæleste solutum,
Hoc Superos jures more solere loqui.
Atque, Hæc est, dicas, facundia Principe digna:
Eloquio tantùm nobilitatis inest.
Huic tu cùm placeas, [i] & vertice sidera tangas,
Scripta tamen profugi vatis [k] habenda putas.
Scilicet ingeniis aliqua est concordia [l] junctis,
Et [m] servat studii fœdera quisque sui.
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem [n] dubiæ navita puppis amat.
Tu quoque [o] Piëridum studio, studiose, teneris;
Ingenióque faves, ingeniose, meo.

INTERPRETATIO.

Cùm tu absolvisti, & os mortale quievit, & clausum non conticuit longo tempore, juvenis dignus cognomine Iülao surgit, qualis lucifer ortus ab aquis Eois. Et dum adstat tacens, status & vultus est eloquentis, & vestitus decorus facit expectationem vocis disertæ. Mox, postquam sublata est cunctatio, atque os cœleste apertum, jures Deos consuevisse loqui hoc modo. Atque dicas, Hæc est eloquentia digna Principe, tantum nobilitatis inest dictioni. Cùm tu gratus sis huic, & tangas astra vertice, credis tamen scripta Poëta relegati esse habenda. Nimirum aliqua est concordia ingeniis junctis, & quisque tuetur jura studii sui. Agrestis amat agricolam, miles moventem sæva bella, nauta gubernatorem incerta navis. Tu quoque studiose faves studio Piëridum, & ingeniose, amas ingenium meum.

NOTÆ.

[b] *Mortalia*] Hinc Germanici & os & eloquentiam immortalem intelligas.

[c] *Iülêo*] Cæsares dicebantur quotquot in Iuliam gentem per adoptionem adsciti.

[d] *Ab Eois*] Quia ex mari oriri, & in idem occidere astra videntur, ideò quasi de re verâ eo modo Poëtæ locuti sunt.

[e] *Lucifer*] Stella matutina, quæ Solem orientem solet antecedere.

[f] *Silens*] Præstantissimorum Oratorum more, qui priusquam exordiantur, morâ aliquâ auditorum solent quodammodo sollicitare attentionem.

[g] *Status & vultus*] Quæ duo non parùm ad Oratoris præstantiam conferunt.

[h] *Amictus*] Habet & hic, quantumvis leve quid videatur, vim suam ad faciendam expectationem.

[i] *Et vertice*] Felicem dicit Salanum quod Germanico placeat.

[k] *Habenda*] Atque adeò probanda.

[l] *Junctis*] Quæ idem amant.

[m] *Servat*] Non sine cautione istud accipiendum: namque contrà evenit sæpe ut sociis suis plurimi invideant.

[n] *Dubia*] Quia tempestatibus ut plurimùm objecta.

[o] *Piëridum*] Musarum; quæ à Piero Thessaliæ monte, aut Pieri filiabus in Picas mutatis, quòd cùm Musis certare ausæ, eo nomine dictæ sunt.

[p] Distat opus nostrum; sed [q] fontibus exit ab îsdem:
Artis & ingenuæ cultor uterque sumus.
[[r] Thyrsus enim vobis, gestata est [s] laurea nobis;
Sed tamen ambobus debet inesse [t] calor.]
Utque meis numeris [u] tua dat facundia nervos;
Sic venit à [x] nobis in [y] tua verba nitor.
Jure igitur studio confinia carmina vestro,
Et [z] commilitii sacra tuenda putas.
Pro [a] quibus ut maneat, [b] de quo censeris, amicus
Comprecor ad vitæ tempora summa tuæ:
Succedátque [c] suis orbis moderator habenis.
Quod mecum populi vota precantur idem.

INTERPRETATIO.

Opus nostrum differt; verum prodit ex iisdem fontibus: & uterque sumus cultor artis Liberalis. Namque Thyrsus est latus à vobis, laurea à nobis; cæterùm ardor debet esse ambobus. Atque ut tua eloquentia præbes vires meis numeris, ita splendor oritur à nobis suis sermonibus. Meritò ergo credis versus affines studio vestro, & sacra commilitii esse defendenda. Pro quibus oro, ut amicus, de quo censeris, perstet ad ultima tempora vita sua: Et succedat moderator orbis suis loris. Quod idem vota populi orant mecum.

NOTÆ.

p *Distat*] Quia Poëticæ Naso, Oratoriæ Salanus vacabat.

q *Fontibus*] Quibus præsunt Musæ.

r *Thyrsus*] Bacchi fuit gestamen, hasta hederâ involuta; per quam hoc in loco Oratoriam intellige facultatem, eam præsertim quæ in administrandis rebus politicis elucet: Bacchus quippe, si Horario credis, non Imperator tantùm sed Doctor fuit eximius.

s *Laurea*] Quâ Poëtæ ornari solebant.

t *Calor*] Mentis quidam impetus, quo sine vix quisquam aliquid memoriâ dignum incipiat.

u *Tua*] Perinde in Amici gratiam loquitur, ac si ille Oratoriæ facultatis fontes servaret.

x *Nobis*] A Poëticâ facultate.

y *Tua*] Scilicet à Poëtis plurima mutuantur Oratores; atque ut habet Cicero, *Est finitimus Oratori Poëta numeris adstrictior paulò, verborum autem licentiâ liberior; multis verò ornandi generibus socius, ac penè par &c.*

z *Commilitii sacra*] Deos, & jura intellige, quibus conjuncti Oratores & Poëtæ, quasi commilitones, sese invicem tuerentur.

a *Quibus*] Quòd *scilicet* sacra tuenda putas, faves, &c.

b *De quo*] Ex cujus gratiâ & favore censum habes; & ab omnibus tua dignitas & æstimatio augetur.

c *Suis*] Veterem lectionem revocavi, quam excluserat clariss. Heinsii auctoritas, utcumque vetustis exemplaribus nixa. Nullum enim satis idoneum sensum ex hâc, optimum ex illâ decerpimus. Vovet nimirum Poëta, ut, postquam Germanicus Cæsaris auspiciis multa præclara gesserit, ex sese & arbitrio proprio Orbem terrarum regat.

EPISTOLA VI.

GRÆCINO.

ARGUMENTUM.

Carmine Græcinum.] *Ad Gracinum scribens Poëta, eum monet ne crimen admissum culpet, quandoquidem praterita mutari non possunt. Illum postremò monet, ut malit sibi lapso opem aliquam ferre, ut facit, quàm ea damnare qua potius excusanda sunt.*

CArmine Græcinum, qui præsens voce solebat,
Tristis ab [a] Euxinis Naso salutat aquis.
Exsulis hæc vox est. præbet mihi [b] litera linguam:
Et, si non liceat scribere, [c] mutus ero.
Corripis, [d] ut debes, stulti peccata sodalis:
Et mala me meritis ferre minora doces.
Vera facis, sed sera, meæ convicia culpæ.
Aspera confesso verba [e] remitte reo.
Cùm poteram [f] recto transire [g] Ceraunia velo,
Ut fera vitarem saxa, monendus eram.
Nunc mihi [h] naufragio quid prodest discere facto,
Quam mea debuerit currere cymba viam?
Brachia da lasso potiùs prendenda natanti:
Nec pigeat [i] mento supposuisse manum.
Idque facis, faciásque precor. sic mater & uxor,
Sic tibi sint fratres, totáque salva domus.

INTERPRETATIO.

Naso mœstus qui consueverat salutem dicere voce, cùm adesset, salutat Gracinum versibus ab aquis Euxinis. Hac est vox relegati: epistola dat mihi linguam: & nisi liceat scribere ero mutus. Arguis ut debes errata insani amici: atque ostendis me pati mala leviora meritis. Facis aqua sed tarda convicia peccato meo. Parce savis dictis erga reum confessum. Eram admonendus, ut effugerem savas rupes, cum poteram pratevire Ceraunia velo recto. Nunc quid me juvat discere, naufragio facto, quonam iter meus Phaselus debuerit tenere? Porrige potiùs lacertos corripiendos natanti defesso; neque pigeat submisisse manum mente. Atque id prastas, & prastes oro: ita genitrix & conjux, ità fratres & tota domus sit tibi incolumis.

NOTÆ.

[a] *Euxinis*] Tomis nempe exulabat Naso, ad Ponti-Euxini oram occiduam.

[b] *Littera*] Illis verò absentes alloquimur.

[c] *Mutus*] Vix enim ad absentes aliter quàm litteris verba liceat facere.

[d] *Ut debes*] Omnino, siquidem & amico verè, & sibi cautè prospicere vellet.

[e] *Remisse*] Optimè certè Naso: namque officii admonere oportet amicum cùm ad peccandum pronus est, non autem postquam & peccavit & peccatum agnovit.

[f] *Recte*] Hoc est Vitam sapienter instituere. Metaphora est à navigantibus petita.

[g] *Ceraunia*] Montes sunt Epiri in mare excurrentes præternavigantibus periculosissimi.

[h] *Naufragio*] Postquam & peccavi, & in exilium missus sum.

[i] *Mento supp.*] Quod solent facere qui lasso aut vix satis enatanti opem ferunt

[k] Quodque soles animo, quod semper voce precari,
Omnia Cæsaribus sic tua facta probes.
Turpe erit in miseris veteri tibi rebus amico
Auxilium nullâ parte tulisse tuum.
Turpe [l] referre pedem, nec passu stare tenaci:
Turpe laborantem deseruisse ratem.
[Turpe sequi casum, & fortunæ cedere amicum
Et, nisi sit felix, esse negare suum.]
Non ita vixerunt [m] Strophio atque [n] Agamemnone nati:
Non hæc [o] Ægidæ Pirithoïque fides.
Quos prior est mirata, sequens mirabitur ætas:
In quotum plausus tota [p] theatra sonant.
Tu quoque, per durum servato tempus amico,
Dignus es in tantis nomen habere viris.
Dignus es: &, quoniam laudem pietate mereris,
Non erit officii gratia [q] surda tui.
Crede mihi, (nostrum si non mortale futurum
Carmen) in ore frequens posteritatis eris.
Fac modò permaneas [r] lapso, Græcine, fidelis;
Duret & in longas [s] impetus iste moras.
Quæ tu cùm præstes, [t] remo tamen utor in aurâ.
Nil nocet admisso subdere calcar equo.

INTERPRETATIO.

Et, quod soles vovere animo, & petere semper voce, itâ approbes omnia tua facta Cæsaribus. Indecorum erit nullâ parte tulisse opem tuam tuo sodali in rebus afflictu. Indecorum retrocedere, neque consistere firmo gressu: indecorum destituisse navem fatiscentem. Indecorum amicum sequi casum, & cedere fortunæ, & nisi sit beatus inficiari esse suum. Filii Strophii atque Agamemnonis non sic vixerunt: non hæc fuit fides Ægidæ & Pirithei. Quos ætas præterita mirata est & futura mirabitur, in quorũ plausus tota Theatra perstrepunt. Tu etiam mereris consequi famam inter tantos viros, amico servato per durum tempus. Mereris: &, quandoquidem dignus es laude per pietatẽ, meritum beneficii tui non erit vanũ. Crede mihi, si versus nostri non sunt interituri, multus eris in ore posterorum. Fac modò, Græcine, perstes fidelis lapso, & iste fervor maneat in longum tempus. Quæ cùm tu facias, adhibeo tamen remos adspirante vento. Nihil obest addere calcar equo incitato.

NOTÆ.

[k] *Quodque*] Ut, *scilicet* te Cæsaribus approbes. Namque apud Magnates habenda est etiam gratia si quid in bonam partem accipiunt quod bene factum fuerit.

[l] *Referre*] Amicitiâ desistere. Metaph. est à militibus.

[m] *Strophio*] Pyladea dicit, de quo sæpius, Oresti amicitiâ conjunctissimus.

[n] *Agamemnone*] Fuit hic Orestis pater, notior quàm ut de eo quicquam dicatur.

[o] *Ægida*] Thesei Ægei filii, cujus cum Pirithoo sæpe jam vidimus certam amicitiam.

[p] *Theatra*] Illorum nempe amicorum decantata fides in Tragœdiis.

[q] *Surda*] Ut quam iniisti, neque intelligam, neque referam.

[r] *Lapso*] *Mihi qui erravi.*

[s] *Impetus*] Ardor amicitiæ. At enim & laudat, & callidè officii amicum admonet Naso.

[t] *Remo tam.*] Eleganti Metaph. rationem reddit, cur amicum sponte suâ opem ferentem, officii admoneat.

EPISTOLA VII.

ATTICO.

ARGUMENTUM.

Esse salutatum.] *Ad Atticum scribens, primò eum salutat. Deinde percunctatur quid agat, & an eum amet: querlitúrque de fortunâ, ac mala sua breviter commemorat, & innumerabilia esse dicit. Postremò in tot tantisque malis solam sibi spem relictam solatii esse asserit: precatúrque, in fide pristinâ permaneat, nec se amicum deserat.*

ESse salutatum vult te mea littera primùm
A [a] malè pacatis, Attice, missa Getis.
Proxima subsequitur, quid agas, audire voluptas.
Et si, quicquid agas, sit tibi cura mei.
Nec dubito quin sit: sed me timor ipse [b] malorum
Sæpe supervacuos cogit habere metus.
Da veniam, quæso, nimióque ignosce timori.
Tranquillas etiam naufragus horret aquas.
Qui semel est læsus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis [c] æra subesse putat.
Sæpe canem longè visum fugit agna, lupúmque
Credit; & ipsa [d] suam nescia vitat opem.
Membra reformidant mollem quoque saucia tactum:
Vanáque [e] sollicitis incutit umbra metum.
Sic ego Fortunæ telis confixus iniquis,
Pectore concipio nil nisi triste meo.

INTERPRETATIO.

Attice, mea epistola scripta à Getis malè domitis jubet primùm te esse salutatum. Proxima voluptas subsequitur accipere quid facias; & si quicquid facias me ames: Neque sum incertus quin id fiat; verùm ipse metus malorum sæpè subigit frustrà timere. Parce, precor, & da veniam nimio timori. Naufragus metuit etiam aquas quietas. Piscis semel vulneratus ab hamo doloso, arbitratur æra curva latere sub omnibus escis. Sæpe agna vitat canem longè conspectum, & arbitratur esse lupum, & ignara ipsa fugit præsidium suum. Artus vulnerati metuunt etiam levem contactum; & umbra vana creat timorem iis qui sunt anxii. Ità ego saucius infestis telis fortunæ nihil induco in animum meum nisi lugubre.

NOTÆ.

[a] *Malè pacat.*] Quia bellum semper inter illos barbaros.

[b] *Malorum*] Cujuscumque fuerint generis. Solent verò illi qui adversam fortunam senserunt, ad omnia extimescere.

[c] *Æra*] Ex quibus hami conficiuntur.

[d] *Suam*] Quia à canibus oves adversus lupos defenduntur.

[e] *Sollicitis*] Qui sibi tuti satis non videntur, & ex diverso impendentia mala reformidant.

Jam mihi fata liquet [f] cœptos servantia cursus
Per sibi consuetas semper itura vias,
Observare Deos, ne quid mihi cedat amicè;
[g] Verbáque Fortunæ vix puto posse dari.
Est illi curæ me perdere, quæque solebat
Esse [h] levis, constans & bene certa nocet.
Crede mihi, si sum [i] veri tibi cognitus oris,
Nec fraus in nostris casibus esse potest;
[k] Cinyphiæ segetis citiùs numerabis aristas,
Altáque quàm multis floreat [l] Hybla thymis:
Et quot aves motis nitantur in aëra pennis;
Quotque natent pisces æquore, certus eris:
Quàm tibi nostrorum statuatur summa laborum,
Quos ego sum terrâ, quos ego passus aquâ.
Nulla Getis toto gens est truculentior orbe:
Sed tamen hi nostris ingemuêre malis.
Quæ tibi si memori coner perscribere versu,
[m] Ilias est fatis longa futura meis.
Non igitur vereor, quòd te rear esse verendum,
Cujus amor nobis pignora mille dedit:
Sed quia res timida est omnis miser; & quia longo
Tempore lætitiæ janua clausa meæ est.

INTERPRETATIO.

Jam mihi constat fata tenentia cursus inceptos itura semper per iter solitum. Arbitror, amico, Deos invigilare ne quid mihi benè vertat, & vix fortunam posse decipi. Est illi cura me perdere, & qua consueverat esse inconstans, obest constans & bene confirmata. Fidem mihi habe, si sum tibi perspectus veridicus, neque dolus potest esse in nostris infortuniis; Recensebis priùs spicas segetis Cinyphia, & quàm multis thymis Hybla excelsa floreat; & quot aves tollantur in aërem alis agitatis, & tibi constabit quot pisces natent in mari, quàm tibi definiatur summa malorum nostrorum, qua ego toleravi terrá, qua ego toleravi aquâ. Nulla natio est ferocior in toto mundo quàm Geta; sed tamen hi doluerunt nostris ærumnis. Qua si tentavero tibi enumerare carmine fideli, longa Ilias futura est meis fatis. Non ergo metuo, quòd putem te esse metuendum, cujus amor exhibuit nobis mille indicia. Verùm quia omnis infelix est res meticulosa, & quia fores occlusa sunt meo gaudio longo spatio.

NOTÆ.

[f] *Cœptos*] Poëtæ maximè iniquos.

[g] *Verba fortuna*] Ut decepta mihi nocere non possit.

[h] *Levis*] Quia datâ operâ ideò tantùm favere videtur, ut graviùs noceat: neque diu eadem manet.

[i] *Veri oris*] Atque adeò minimè mendax.

[k] *Cyniphia*] Libycæ; est namque Ciuyps Libyæ fluvius, per uberrima arva decidens, Melâ teste. Quare & Libya horreum dictum Romanorum.

[l] *Hybla*] Mons fuit Siciliæ Thymo & melle optimo celeberrimus; juxtàque urbs ejusdem nominis.

[m] *Ilias*] Id est, longum opus; cujusmodi fuit Homeri Poëma de bello Troiano, quod *Ilias* dicitur.

Jam dolor in morem venit meus: utque caducis
  Percussu crebro saxa cavantur aquis;
Sic ego continuo Fortunæ vulneror ictu:
  Vixque habet in nobis jam nova plaga locum.
Nec magis assiduo vomer tenuatur ab usu,
  Nec magis est curvis [n] Appia trita rotis,
Pectora quàm mea sunt serie [o] cæcata laborum:
  Et nihil inveni, quod mihi ferret opem.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis:
  Infelix perii [p] dotibus ipse meis.
Vita prior vitio caret, & sine labe peracta:
  Auxilii misero nil tulit illa mihi.
Culpa gravis precibus donatur sæpe suorum:
  Omnis pro nobis gratia [q] muta fuit.
Adjuvat in duris alios [r] præsentia rebus:
  Obruit hoc absens vasta [s] procella caput.
Quæ non horruerint tacitam quoque Cæsaris iram?
  Addita sunt pœnis aspera verba meis.
Fit [t] fuga temporibus levior: [u] projectus in æquor
  [x] Arcturum subii [y] Pleïadúmque minas.

INTERPRETATIO.

Jam dolor meus mutatus est in consuetudinem, & quemadmodum silices teruntur frequenti ictu aquis decidentibus, ità ego lædor assiduo percussu fortunæ, atque jam vix unum vulnus habet locum in nobis. Neque vomer magis minuitur usu continuo neque Appia est magis trita curvis rotis, quàm meum cor est obsessum catervâ malorum; neque quicquam repperi, quod mihi auxilio esset. Multi invenerunt gloriam per artes liberales: Miser ipse interii per meas dotes. Vita anteacta est sine culpâ & absoluta absque maculâ. illa nihil profuit mihi [illegible]. Sæpe grave peccatum condonatur pre[illegible] suorum; omnis favor fuit mutus pro nobis. Præsentia prodest aliis in rebus asperis: ingens procella subvertit hoc caput ab[illegible]. Quæ non reformidaverint iram etiam mutam Cæsaris? Voces sævæ adjectæ sunt supplicio meo. Exilium fit tolerabilius pro tempe[illegible]atibus: ego pulsus in mare me objeci Arcturo & minis Pleiadum.

NOTÆ.

[n] *Appia*] Viam dicit ab Appio Censore stratam & cognominatam, quæ ab Româ Brundusium usque pertingebat.

[o] *Cæcata*] Alii codices habeat *calcata*: verùm illa vox altera multò meliùs atræ curæ designat molestias & horrores.

[p] *Dotibus*] Quia per artes Poëticas seu potiùs Amatorias exilio mulctatus.

[q] *Muta*] Quia vel pro me amici Imperatorem non oraverunt; vel eorum preces inutiles fuerunt.

[r] *Præsentia*] Quia scilicet pro se caussam dicunt præsentes, ad amicos confugiunt &c.

[s] *Procella*] De Cæsaris irâ loquitur, quæ absentem premebat.

[t] *Fuga*] De suâ non loquitur. se[illegible] in genere leniri exilium eorum dicit, qui t[illegible]m[illegible]ore navigationi apto, proficiscuntur.

[u] *Projectus*] Quasi certo periturus.

[x] *Arcturum*] Stella est in majoris Ursæ caudâ, quæ exortu suo tempestates dicitur ciere; quas & sibi esse quæritur Naso. O[illegible]ur autem illa octavo Cal[illegible]das Octobris.

[y] *Pleiadum*] Stellæ sunt septem in capite Tauri, quæ quanquam naviga[illegible]di tem[illegible] suo exortu indicant, qui in quartum no[illegible]as Apriles rejicitur, nihilominus tamen [illegible] trahere credebantur.

Sæpe ſolent hyemem placidam ſentire carinæ :
Non [z] Ithacæ puppi [a] ſævior unda fuit.
Recta fides [b] comitum poterat mala noſtra levare :
Ditata eſt ſpoliis perfida turba meis.
Mitius exſilium faciunt loca : triſtior iſtâ
Terra ſub [c] ambobus non jacet ulla polis.
Eſt aliquid patriis vicinum finibus eſſe :
Ultima me tellus, ultimus orbis habet.
Præſtat & exſulibus pacem tua [d] laurea, Cæſar :
Pontica finitimo terra ſub hoſte jacet.
Tempus in agrorum cultu conſumere dulce eſt :
Non patitur verti barbarus hoſtis humum.
Temperie cæli corpúſque animúſque juvantur :
Frigore perpetuo [e] Sarmatis ora riget.
Eſt in aquâ dulci [f] non invidioſa voluptas :
Æquoreo bibitur cum ſale miſta [g] palus.
Omnia deficiunt : animus tamen omnia vincit.
Ille etiam vires corpus habere facit,
Suſtineas ut [h] onus, nitendum vertice pleno eſt ;
At flecti nervos ſi patiare, cadet.

INTERPRETATIO.

Sæpe naves conſueverunt experiri hyemem lenem : Aqua non fuit aſperior navi Ithacenſi. Fides intemerata ſociorum poterat minuere noſtros labores : ſceleſtum agmen auctum eſt meis ſpoliis. Loca reddunt fugam minùs aſperam ; nulla terra eſt ſub utroque axe mœſtior iſtâ. Eſt aliquid eſſe proximum finibus patriis : remotiſſima terra, pars mundi remotiſſima tenet me. Tua laurea certam facit pacem profugis, Cæſar : terra Pontica eſt ſub hoſte proximo. Suave eſt traducere tempus in agriculturâ : Hoſtis Barbarus non ſinit terram ſubigi. Corpus & animus exhilarantur temperaturâ aëris : regio Sarmatica indurata eſt continuo frigore. Eſt voluptas non invidioſa in aquâ dulci : palus potatur confuſa cum ſale marino. Omnia deſunt, tamen animus ſuperat omnia ; ille facit etiam corpus habere vires. Contendendum eſt totis cervicibus, ut feras pondus : at ſi ſinas nervos flecti, ruet.

NOTÆ.

[z] *Ithaca*] Ulyſſis Ithacenſis, qui per decennium erravit, & multa adverſa pertulit, priuſquam Ithacam ſuam tangere poſſet. Inſulam autem illam in Ionio mari fuiſſe, è regione Acarnaniæ nihil opus eſt, credo, toties repetere.

[a] *Sævior*] Quam mihi fuit, ſupple, aut navi quâ vectus ſum.

[b] *Comitum*] De amicis non intellexero, verùm de iis hominibus qui cum Poëtâ, rei faciendæ causâ, aut ob alias rationes navigationi ſeſe commiſerant.

[c] *Ambobus*] Arctico *ſcil.* & Antarctico.

[d] *Laurea*] Coronam ex lauro pro Cæſaris gloriâ & imperio poſuit, quia illa Victoriarum & Gloriæ ſignum.

[e] *Sarmatis*] Tomos in Sarmatiam relegatum Poëtam centies vidimus.

[f] *Non invid.*] Quia omnibus haurire licet.

[g] *Palus*] *Aqua paluſtris.*

[h] *Onus*] *Quo quis premitur.* In genere & ſententiosè hoc dicit, ſui quaſi hortandi causâ, & conſilium probandi : quomodo dicimus Gallicè, *Il faut bien faire ferme, lors que &c.*

Spes quoque, posse morâ mitescere Principis iram,
Vivere ne nolim deficiámque, [i] cavet.
Nec vos parva datis [k] pauci solatia nobis,
Quorum spectata est per mala nostra fides.
[l] Cœpta tene, quæso; nec in æquore desere [m] navem:
Meque simul serva, [n] judiciúmque tuum.

INTERPRETATIO.

Spes est etiam, iram Principis posse molliri tempore; prospicit ne nolim vivere atque deficiam. Neque præbetis nobis levem consolationem, vos pauci, quorum fides probata est per nostras ærumnas. Permaneas, oro, in instituto, neque destitue navem in mari, atque tuere me simul & judicium tuum.

NOTÆ.

[i] *Cavet*] Spes, *scilicet*, quæ ultima miserorum consolatio.
[k] *Pauci*] De amicis loquitur.
[l] *Cœpta*] *In meam gratiam.*
[m] *Navem*] Allegoricè de se loquitur, quasi dicat, *Ne me destituas in meis periculis.*
[n] *Iudicium*] Veniâ dignum Poëtam censuerat Atticus; vel bene sperandum dixerat.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO COTTÆ.

ARGUMENTUM.

Redditus est nobis.] *Hanc epistolam scribit ad Cottam, eique gratias agit, quod ad se miserit Augusti Cæsaris, Liviæ, ac etiam Tiberii imagines: quos quoniam præsentes, & aliter videre non poterat, pro diis venerabatur. Rogat deinde eos, ut sibi mitius exilium concedant: nec patiantur eorum imagines, quas habet semper secum, esse in hostili & inviso loco.*

REdditus est nobis [a] Cæsar cum Cæsare nuper,
Quos mihi misisti, Maxime Cotta, Deos.
Utque tuum munus numerum, [b] quem debet, haberet,
Est ibi Cæsaribus Livia juncta [c] suis.
Argentum felix, omníque beatius auro,
Quod fuerit pretium cum [d] rude, [e] numen habet.

INTERPRETATIO.

Maxime Cotta, Cæsar cum Cæsare, quos Deos mihi misisti nuper, nobis est redditus: atque, ut suum deum haberet numerum, quem debet, Livia est ibi addita suis Cæsaribus. Argentum beatum, atque felicius omni auro, quod cùm fuerit pretium rude habet numen.

NOTÆ.

[a] *Cæsar cum Cæsare*] Augusti & Tiberii imagines.
[b] *Quem debet*] Quia sine Liviâ suâ, alterâ sui parte, Augusto satis prospectum non fuisset.
[c] *Sui*] Marito *scilicet* & filio.
[d] *Rude*] Non signatum.
[e] *Numen*] Propter impressas in argento anteà rudi Cæsarum imagines.

Non mihi divitias dando majora dediſſes,
[f] Cælitibus miſſis noſtra ſub ora tribus.
Eſt aliquid ſpectare Deos, & adeſſe putare;
Et quaſi cum vero numine poſſe loqui.
Præmia quanta, Dei! [g] nec me tenet ultima tellus:
Utque priùs mediâ ſoſpes in Urbe moror.
Cæſareos video vultus, velut antè videbam:
Vix hujus voti ſpes fuit ulla mihi.
Utque ſalutabam, numen cæleſte ſaluto.
Quod reduci tribuas, nil (puto) majus habes.
Quid noſtris oculis niſi ſola [h] Palatia deſunt?
Qui locus, ablato Cæſare, vilis erit.
Hunc ego cùm ſpectem, videor mihi cernere Romam.
Nam patriæ faciem ſuſtinet ille ſuæ.
Fallor? an irati mihi ſunt in imagine vultus;
Torváque neſcio quid forma minantis habet?
Parce, [i] vir immenſo major virtutibus orbe,
Juſtáque vindictæ [k] ſupprime lora tuæ.
Parce, precor, ſæcli decus indelebile noſtri;
Terrarum dominum quem ſua cura facit.
Per patriæ nomen, quæ te tibi carior ipſo eſt;
Per nunquam ſurdos in tua vota Deos;
Perque [l] tori ſociam, quæ par tibi ſola reperta eſt,
Et cui majeſtas non oneroſa tua eſt;

INTERPRETATIO.

Prabendo mihi divitias, non obtuliſſes majora munera *tribus cœleſtibus miſſis ſub noſtrum conſpectum. Eſt aliquid intueri Deos: & credere adeſſe, & poſſe loqui tanquam cum vero numine. Quantum munus, Dii! Neque remotiſſima terra me habet: & incolumis verſor in mediâ Urbe, ut anteà. Intueor faciem Cæſaris, ſicut priùs intuebar. Vix ulla mihi ſpes fuit hujus voti. Atque ſaluto numen cœleſte, ſicut ſalutabam. Credo, nihil habes majus, quod prabeas reduci. Quid niſi ſola palatia deſunt noſtris oculis? qui locus erit contemtus, Cæſare ſublato. Cùm ego hunc videam, mihi videor ſpectare Romam: nam ille tuetur formam patria ſua. Decipior, an facies eſt mihi infenſa in effigie, & figura iniqua habet neſcio quid minantis? Ignoſce vir major virtutibus mundo immenſo, & attrahe juſtas habenas vindicta tua. Ignoſce, oro, honos indelebilis noſtri avi, quem ſua cura facit dominum terrarum;* oro *per nomen Patria, qua eſt tibi carior te ipſo, per Deos nunquam difficiles in tua deſideria; & per conſortem lecti, qua ſola inventa eſt tibi aqualis, & cui Majeſtas tua non eſt inventa oneroſa;*

NOTA.

[f] *Cœlitibus*] In conſpectum datis tribus, quos tanquam Deos Naſo, ſicut & alii, venerabatur, aut certè venerari teſtabatur.

[g] *Nec me tenet*] Se jam dicit in Scythiâ non eſſe, cùm Deos præſentes habeat, qui Romæ imperium habebant. Subtiliſſima eſt adulatio.

[h] *Palatia*] Ubi Auguſtus habitavit, in Palatino monte.

[i] *Vir*] Auguſtum in numiſmate alloquitur.

[k] *Supprime*] Hâc ab aurigis petitâ metaphorâ, iram ſuam coërcere cupit Auguſtum.

[l] *Tori ſociam*] Liviam *ſcilicet*, quæ Auguſti fuit uxor.

Perque tibi [m] similem virtutis imagine natum,
Moribus agnosci qui tuus esse potest;
Perque [n] tuos vel [o] avo vel dignos [p] patre nepotes,
Qui [q] veniunt magno per tua vota gradu;
Parte leva minimâ nostras & contrahe pœnas;
Daque, procul Scythico qui sit ab hoste, locum.
Et tua, (si fas est) à Cæsare [r] proxime Cæsar,
Numina sint precibus non inimica meis.
Sic fera quamprimùm [s] pavido Germania vultu
Ante triumphantes serva feratur equos.
Sic [t] pater in [u] Pylios, [x] Cumæos mater in annos
Vivant; & possis filius esse diu.
[y] Tu quoque, conveniens ingenti nupta marito,
Accipe non durâ supplicis aure preces.
Sic tibi vir sospes, sic sint cum [z] prole [a] nepotes,
Cumque bonis nuribus quas peperêre nurus,
Sic, quem dira tibi rapuit Germania, [b] Drusus
Pars fuerit partûs sola caduca tui.
Sic tibi fraterni maturè funeris ultor
[c] Purpureus niveis [d] filius instet equis.

INTERPRETATIO.

& per filium tibi similem specie virtutis, qui potest agnosci esse tuus per mores; & per nepotes tuos dignos vel avo vel patre, qui veniunt magno gressu per tua desideria, minue nostrum supplicium, & leva parte minimâ, atque assigna locum longè ab hoste Scythico. Tum, Cæsar proxime à Cæsare, tua numina ne sint contraria meis votis, si fas est. Ità sæva Germania feratur brevì serva facie timidâ ante equos triumphantes. Ità pater vivat in annos Pylios, & mater in annos Cumaos, & possis esse diu filius. Tu e·iam uxor apta magno marito, audi vota supplicis aure propitiâ. Ità maritus sis ti·i incolumis, ità nepotes cum posteris suis, & nurus quas pepererunt cum bonis nuribus sint incolumes. Ità Drusus, quem fera Germania tibi abstulit, fuerit sola pars caduca tuorum liberorum. Ità filius purpurâ indutus sit tibi citò vindex necis fraternæ in equis candidis.

NOTÆ.

[m] *Similem*] Tiberium dicit.
[n] *Tuos*] Tiberii filios.
[o] *Avo*] Augusto.
[p] *Patre*] Tiberio.
[q] *Veniunt*] Virtute & dotibus omnis generis augentur.
[r] *Proxime*] Tiberium alloquitur.
[s] *Pavido*] Quomodo victam pingi oportuit aut repræsentari in curru triumphali.
[t] *Pater*] Augustus.
[u] *Pylios*] Longissimos, quales Nestoris Pylii fuerunt, qui ad tertiam pervenit ætatem. Pylo verò Peloponnesi urbe ortum Nestorem sæpiùs in præcedentibus.
[x] *Cumaos*] Quales dicuntur fuisse Sibyllæ Cumanæ.
[y] *Tu*] Liviam Augusti uxorem quam apud maritum plurimùm posse intelligebat, Naso alloquitur.
[z] *Prole*] Tiberio.
[a] *Nepotes*] Tiberii filios.
[b] *Drusus*] Frater fuit Tiberii; atque is in Germaniâ periit; cujus obitus causâ ad matrem Liviam Naso carmen scripsit consolatorium.
[c] *Purpureus*] Purpurâ Triumphali indutus, de more.
[d] *Filius*] Tiberius *scil.*

Annuite

Annuite ô timidis mitissima numina votis.
[e] Præsentes aliquid prosit habere Deos.
Cæsaris [f] adventu totâ gladiator arenâ
[g] Exit; & auxilium [h] non leve vultus habet.
Nos quoque vestra juvet quòd, [i] quà licet, ora videmus:
Intrata est Superis quòd domus una [k] tribus.
Felices illi, qui non simulacra, sed ipsos,
Quique Deûm coràm corpora [l] vera vident.
Quòd quoniam nobis invidit inutile fatum,
Quos dedit ars votis, effigiémque colo.
[m] Sic homines novêre Deos, quos arduus æther
Occulit: & colitur pro Jove forma Jovis.
Denique, quæ mecum est, & erit sine fine, cavete,
Ne sit in [n] inviso vestra figura loco.
Nam caput è nostrâ citiùs cervice recîdi,
Et patiar fossis lumen abire genis:
Quàm caream raptis, ô publica numina, vobis.
Vos eritis nostræ [o] portus & ara fugæ.
Vos ego complectar, Geticis si cingar ab armis:
Vósque meas [p] Aquilas, vos mea signa sequar.
Aut ego me fallo, nimiâque cupidine ludor:
Aut spes exsilii commodioris adest.

INTERPRETATIO.

O Dii lenissimi favete precibus pavidis; aliquid juvet habere Deos præsentes. Gladiator exit totâ arenâ adventu Cæsaris, & facies ejus *præbet non parvam opem. Nobis etiam prosit, quòd intuemur vestros vultus quatenus conceditur; quòd una domus est visitata à tribus Diis. Beati illi, qui non intuentur imagines, sed ipsos, & qui vident Deum coram*, & *corpora vera. Quòd cùm iniquum fatum nobis negavit, veneror simulacrum & quos ars obtulit desideriis. Ità homines noverunt Deos, quos excelsum cœlum velat, & forma Jovis colitur pro Jove. Denique prospicite ne vestra effigies, quæ est & erit usque mecum, sit in loco odioso. Nam sinam potiùs caput avelli à nostris cervicibus, & oculos erui genis fossis, quàm vobis ablatis destituar, ô numina communia: Vos eritis portus & ara nostro exilio. Ego vos complectar, si fuero circumventus armis Geticis, & sequar vos meas Aquilas, vos mea signa. Vel ego mihi impono, & decipior nimio desiderio, vel spes exilii commodioris adest.*

NOTÆ.

[e] *Præsentes*] Quia ex argento expressas habuit imagines hoc dicit; ad illud alludens quòd *præsentem Deum* idem sit, quod *propitium* habere.

[f] *Adventu*] Cùm in Circum venit.

[g] *Exit*] Circo arenâ strato egreditur. Victi nimirum Gladiatores ad pedes Cæsaris confugiebant, & dimittebantur.

[h] *Non leve*] Imò maximum, siquidem servi liberarentur.

[i] *Quà licet*] Ex imagine *scilicet* argento expressâ.

[k] *Tribus*] Augusto, Liviæ, & Tiberio.

[l] *Vera*] Non imagines.

[m] *Sic*] Per Imagines. Subtilissimè istud adjecit, ut quemadmodum Jupiter ex Imagine præsentem opem indulget, ità & Augustus suam præbeat.

[n] *Inviso*] Hostili *scilic.* ubi perire possit.

[o] *Portus*] Proverbio dictum, pro *Salus* & *perfugium*.

[p] *Aquilas*] Cujusmodi in exercitu Signa sequebantur.

Nam minùs & minùs eſt facies in imagine triſtis ;
Viſáque ſunt dictis annuere ora meis.
Vera precor fiant timidæ præſagia mentis :
Juſtáque quamvis eſt, ſit minor ira Dei.

INTERPRETATIO.

Nam ſpecies minùs atque minùs eſt ſevera in effigie, & vultus viſus eſt favere meis ſermonibus. Oro omina animi mei *pavidi ſint certa, & quamvis ira Dei ſit juſta, ſit levior.*

EPISTOLA IX.

COTYI REGI.

ARGUMENTUM.

Regia progenies.] *Ad Cotium filium Cotii regis Thraciæ hanc epiſtolam ſcribit, laudatque illum à generis origine : monétque, regium ac divinum eſſe, miſeris ſuccurrere, & ſibi potiſſimum, ob ſtudia poëtica facultatis : ſiquidem illa quaſi quoddam amicitiæ vinculum habent. Poſtremò eum rogat, ut oranti terra ſua bellicoſa, in qua exulabat, ſit ei fida & amica.*

REgia progenies, cui nobilitatis origo
Nomen in [a] Eumolpi pervenit uſque, [b] Coty ;
Fama loquax veſtras ſi jam pervênit ad aures,
Me tibi finitimi parte jacére ſoli ;
Supplicis exaudi, juvenum mitiſſime, vocem :
Quamque potes profugo (nam potes) affer opem.
Me Fortuna tibi (de quâ ne conquerar, [c] hoc eſt)
Tradidit ; hoc uno non inimica mihi.
Excipe naufragium non [d] duro littore noſtrum,
[e] Ne fuerit terrâ tutior unda tuâ.

INTERPRETATIO.

Coty, Soboles regia, cui origo nobilitatis pertingit uſque in nomen Eumolpi ; ſi fama garrula jam pervenit ad aures veſtras, me jacere in parte terræ tibi vicinæ, leniſſime juvenum, obtempora voci ſupplicis ; & præbe auxilium quod potes exſuli, namque potes. Fortuna, de quâ hoc eſt ne conquerar, dedit me tibi, non infenſa mihi hoc ſolo. Excipe naufragium noſtrum littore non ſævo, ne aqua fuerit tutior tuâ terrâ.

NOTÆ.

[a] *Eumolpi*] Hic Neptuni & Chiones fuit filius, rex Thracum ; qui Eleuſinis adverſus Athenienſes opem ferens ab Erechtheo fuit obtruncatus : *Apollodorus.*

[b] *Coty*] Hic Cotys, Cotius, aut Cotyſon, nam idem videtur eſſe ex Tranquillo, rex fuit Thraciæ in Getas imperium ſuum proferens.

[c] *Hoc*] Quod Tibi *ſcil.* ſum vicinus. Ne, inquit, de fortunâ quererer, fecit ut tibi traderer.

[d] *Duro*] *Iniquo.*

[e] *Ne fuerit*] Tutò in mari tuo navigavi, inquit ; Tutò igitur & in terrâ tuâ habitem ; ne hæc illo, contra naturam iniquior videatur.

[f] Regia (crede mihi) res est, succurrere lapsis;
Convenit & tanto, quantus es ipse, viro.
Fortunam [g] decet hoc istam: quæ maxima cùm sit,
Esse potest animo vix tamen æqua tuo.
Conspicitur nunquam meliore potentia caussâ,
Quàm quoties vanas non sinit esse preces.
Hoc nitor iste tui generis desiderat: hoc est
A Superis ortæ nobilitatis opus.
Hoc tibi & [h] Eumolpus generis clarissimus auctor,
Et prior Eumolpo suadet [i] Erichthonius.
Hoc tecum commune Deo: quod uterque togati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.
Num quid erit, quare solito dignemur honore
Numina, si demas [k] velle juvare Deos?
Jupiter oranti [l] surdas si præbeat aures;
Victima pro templo [m] cur cadat icta Jovis?
Si pacem nullam [n] Pontus mihi præstet eunti,
[o] Irrita Neptuno cur ego thura feram?
Vana laborantis si fallat vota coloni,
Accipiat gravidæ cur [p] suis exta Ceres?

INTERPRETATIO.

Fidem mihi habe, res est regia subvenire illis qui ceciderunt, & decet tantum virum, quantus tu es. Istud convenit huic fortunæ, quæ cùm sit summa, vix tamen potest esse par tuo animo. Potentia nunquam cernitur caussâ potiore, quàm quoties non patitur preces esse inanes. Splendor ille tuæ stirpis istud expetit, hoc est opus nobilitatis derivatæ à Diis. Eumolpus illustrissimus autor gentis, & Erichthonius antiquior Eumolpo suadet tibi hoc. Istud commune Deo tecum, quòd ambo rogati consuevistis auxilium præbere vestris supplicibus. An aliquid erit quamobrem honoremus Deos de more, si tollas numina velle prodesse? Si Jupiter præbeat aures surdas precanti; quare bestia percussa procumbat ad templum Jovis? Si mare nullam indulgeat tranquillitatem mihi *eunti, quamobrem ego præbeam thura vana Neptuno? Quamobrem Ceres accipiat viscera porcæ prægnantis, si illudat inanibus votis agricolæ opus facientis?*

NOTÆ.

[f] *Regia*] Verissimè sanè, namque & ità Deus Gloriam suam amat patefacere. At enim quibus istud inculces hodie ægrè repeciuntur. Meliùs videtur plerisque brutis quæ humana larva regit ex protritorum sanguine dapes sibi inemtas apparare.

[g] *Decet*] Sæpissimè hâc voce utuntur boni autores, ad illud significandum quod maximè necessarium est, & homini præsertim convenit. Verùm quid deceat quid non oblitos esse decere maximè plerique hodie arbitrantur.

[h] *Eumolpus*] Qui Eleusiniis opem tulit.

[i] *Erichthonius*] Hic pedibus draco ex Vulcani semine procreatus, Athenarum regnum, pulso Amphictyone, invasit. Ad illum Chione Eumolpi mater genus suum referebat; ut prolixè narratur ab Apollodoro: quem vide si tanti est.

[k] *Velle juvare*] Scilicet juvare vult Deus vetus saltem: ast opem ejus contemnunt depravatione suâ excæcati homines.

[l] *Surdas*] Inexorabiles.

[m] *Cur*] Stultissimè quidem illum quisquam veneretur, quem nullius boni auctorem cognoverit.

[n] *Pontus*] *Mare*, in quod Neptunus imperium obtinet.

[o] *Irrita*] *Vana*, quæque ad votorum confirmationem nihil conferunt.

[p] *Suis*] Cereri frugum Deæ sus mactabatur præserrim fœmina, quia illius muneribus præ cæteris animalibus infesta.

Nec dabit intonso jugulum caper hostia Baccho,
Musta [q] sub adducto si pede nulla fluant.
Cæsar ut imperii moderetur fræna precamur,
Tam bene quòd patriæ consulit ille suæ.
Utilitas igitur magnos hominésque Deósque
Efficit; auxiliis [r] quoque favente suis.
Tu quoque fac prosis [s] intra tua castra jacenti,
O Coty, progenies digna parente tuo.
Conveniens homini est, hominem servare, voluptas:
Et meliùs nullâ quæritur arte favor.
Quis non [t] Antiphaten Læstrygona devovet? aut quis
Munifici mores improbat [u] Alcinoi?
Non tibi [x] Cassandreus pater est gentísve [y] Pheretæ;
[z] Quive repertorem torruit arte suâ:
Sed quàm Marte ferox, & vinci nescius armis,
Tam nunquam factâ pace cruoris amans.
Adde, quòd ingenuas didicisse fideliter artes,
Emollit mores, nec sinit esse feros.
Nec Regum quisquam magis est instructus ab illis,
Mitibus aut studiis tempora plura dedit.

INTERPRETATIO.

Neque hædus victima præbebit jugulum Baccho crinito, si nulla musta currant sub pede calcante uvas. Oramus ut Cæsar tractet habenas imperii, quòd ille tam bene prospicit suæ patriæ. Ergo commodum facit homines & Deos magnos; singulis tuentibus sua præsidia. Tu etiam fac juves prostratum intra tua castra, ô Coty, soboles digna patre tuo. Voluptas est homine digna servare hominem; neque gratia meliùs conciliatur ullâ arte. Quis non execratur Antiphaten Læstrigonem; aut quis damnat mores liberalis Alcinoï? Cassandreus non est tibi genitor, aut gentis Pheree, vel qui torruit inventorem arte suâ: sed quàm sævus bello, & nescius superari armis, tam nunquam gaudens sanguine pace factâ. Adjice quòd doctum esse accuratè artes liberales facit mores placidos, neque patitur esse sævos. Neque ullus regum est magìs ornatus ab illis, aut præbuit plura tempora studiis mollibus.

NOTÆ.

[q] *Sub pede*] Si nullam vini copiam, cui præest Bacchus, præbeat.

[r] *Quoque favente*] Singulis utilitati suæ consulentibus.

[s] *Intra tua*] Quia undiquaque Scythis Cotyis imperio subjectis cinctus erat, sic loquitur,

[t] *Antiphaten*] Hic Læstrigonum rex fuit efferis moribus, populis consimilis ingenii imperitans, qui primò Formiis, deinde in extremâ Italiâ Siciliam versus habitaverunt. Illum docet Homerus ex Ulyssis sociis unum devorarisse.

[u] *Alcinoi*] Phæacum rex fuit justissimus, cujus liberalitatem sensit Ulysses naufragus.

[x] *Cassandreus*] Apollodorum Cassandriæ tyrannum intellige, de cujus sævitiâ præ cæteris Ælianus variæ historiæ lib. 14. cap. 41.

[y] *Pheretæ*] Alexandrum Pheræorum in Thessaliâ crudelissimum tyrannum designat, ab uxore Thebe ejusque fratribus denique obtruncatum: de quo Xenophon, Diodorus Siculus, Plutarchus, Valer. Maximus, Alii.

[z] *Quive*] Phalaris is fuit, qui Perillum ænei bovis repertorem, quo homines inclusi torrerentur, primum omnium suâ arte excruciavit. De quibus in superioribus.

Carmina testantur; quæ, [a] si tua nomina demas,
[b] Threïcium juvenem composuisse negem.
Neve sub [c] hoc tractu vates foret unicus Orpheus;
[d] Bistonis ingenio terra superba tuo est.
Utque tibi est animus, [e] cùm res ita postulat, arma
Sumere, & hostili tingere cæde manum;
Atque ut es excusso jaculum torquere lacerto,
Colláque velocis flectere doctus equi;
Tempora sic data sunt studiis ubi justa paternis,
Utque suis [f] humetis forte quievit opus;
Ne tua marcescant per inertes otia somnos,
Lucida [g] Pïeriâ tendis in astra viâ.
[h] Hæc quoque res aliquid tecum mihi fœderis adfert:
Ejusdem [i] sacri cultor uterque sumus.
Ad vatem vates orantia brachia tendo,
Terra sit exsiliis ut tua fida meis.
Non ego cæde nocens in Pontica littora veni;
Mistáve sunt nostrâ dira venena manu:
Nec mea subjectâ [k] convicta est [l] gemma tabellâ
Mendacem linis imposuisse notam.
Nec quidquam, quod lege veter committere, feci.
Et tamen his gravior noxa fatenda mihi est.

INTERPRETATIO.

Versus faciunt fidem; quos negem juvenem Thracium scripsisse, si tollas tuum nomen. Et ne Orpheus esset unicus Poeta sub hâc plagâ, tellus Bistonis sese effert suo ingenio. Utque properas arma capere, & inficere manum nece hostili, cùm res ità suadet, atque ut es peritus mittere jaculum brachio impulso, & torquere colla equi pernicis; sic postquam tempora justa data sunt studiis paternis, & cùm opus asperum suis numeris intermissum est, ne tua otia languescant per pigros somnos, petis cœlum splendidum viâ Pïeria. Ea res etiam facit mihi aliquid fœderis tecum: sumus ambo cultores ejusdē sacri. Ego Poe*ta porrigo brachia procantia ad Poetam; ut tua terra sit tuta mea fugæ. Ego non accessi homicida in oras Ponticas, aut fera toxica sunt mista manu nostrâ: Neque meus annulus convictus est infixisse signum fallax linis, tabellâ suppositâ. Neque patravi quicquam, quod prohibear lege patrare: Et tamen majus peccatum est mihi agnoscendum.*

NOTÆ.

[a] *Si demas*] Ut à quo conscripta fuerint carmina per nomen appositum non intelligatur.

[b] *Threicium*] Atque adeò barbarum, minimèque Latinis litteris excultum.

[c] *Hoc*] Thracio *scilicet*, ubi Orpheus olim, Poëta & Philosophus insignis, Corys deinde rex vixerunt.

[d] *Bistonis*] *Thracia*, à Bistone stagno sic dicta.

[e] *Cùm res*] Laus summa.

[f] *Humetis*] Nisi hîc latet mendum *Sui humeri* dicuntur qui opus aut onus suum absolverunt aut pertulerunt.

[g] *Pieriâ*] A Musis institutâ; quæ *Pieria* & *Pierides* vel à Piero monte, vel à Piero natis virginibus in Picas mutatis appellatæ.

[h] *Hac res*] Quod Musas colis.

[i] *Sacri*] Apollinis namque Sacerdotes Poëtæ, itemque Musarum.

[k] *Convicta*] Quasi falsò apposita fuerit illa aut sigillum meum.

[l] *Gemma*] Pro sigillo.

Neve roges quid ſit; ſtultam conſcripſimus [m] Artem.
Innocuas nobis hæc vetat eſſe manus.
Ecquid præterea peccarim, quærere noli:
Ut pateat ſolâ culpa ſub Arte mea.
Quidquid id eſt, habui moderatam vindicis iram:
Qui niſi natalem nil mihi demſit humum.
Hac quoniam carco; tua nunc vicinia præſtet,
Inviſo poſſim tutus ut eſſe loco.

INTERPRETATIO.

Neve quæras quod ſit, Ars ſtulta, quam ſcripſi, ea prohibet manus eſſe nobis innocentes. Ne petas ecquid peccaverim præterea, ut peccatum meum cognoſcatur ſub ſolâ arte meâ. Quicquid id eſt, habui eram ultoris lenem, qui nihil mihi abſtulit præter terram natalem. Quandoquidem eâ ſum privatus, nunc tua vicinitas faciat ut poſſim eſſe ſecurus in loco odioſo.

NOTÆ.

[m] *Artem*] Amandi *ſcilicet.*

EPISTOLA X.

MACRO.

ARGUMENTUM.

Ecquid ab impreſſæ.] *Ad Macrum poëtam ſcribens, multis indiciis oſtendit, debere eum eſſe memorem ſui, & priſtinæ amicitiæ: cujus fructus & amoris ſigna, ſi illi in mentem venerint, dicit ſe abſentem futurum illi tanquam præſentem ſemper ante oculos: quod ut ipſe quoque efficiat impenſe precatur Poëta.*

ECquid ab impreſſæ cognoſcis imagine ceræ
Hæc tibi Naſonem ſcribere verba, Macer?
Auctoríſque ſui ſi non eſt anulus index,
Cognitáne eſt noſtrâ littera facta manu?
An tibi notitiam mora temporis eripit [a] horum?
[b] Nec repetunt oculi ſigna vetuſta tui?
Sis licèt oblitus pariter gemmæque manûſque,
Exciderit tantùm ne tibi cura mei.

INTERPRETATIO.

Macer ecquid cognoſcis ab figurâ ceræ impreſſa Naſonem tibi ſcribere has voces? Et ſi annulus non eſt index ſui autoris, littera eſtne cognita ſcripta noſtrâ manu? An ſpatium temporis tollit tibi memoriam horum, neque oculi tui revocant ſigna antiqua? Eſto oblivioni tradideris pariter ſigillum & manum, modò ne amor mei à te receſſerit.

NOTÆ.

[a] *Horum*] Cùm ſigilli, tum ſcripturæ Poëtæ.

[b] *Nec repetunt*] Revocare nequeunt, aut in memoriam reducere.

Quam tu vel longi debes convictibus ævi,
Vel mea quòd conjux non aliena tibi;
Vel ſtudiis, quibus es, quàm nos, ſapientiùs uſus;
Utque decet, nullâ factus es Arte nocens.
Tu canis æterno quicquid [c] reſtabat Homero,
Ne careant ſummâ Troïca bella manu.
Naſo parum prudens, Artem dum tradit Amandi,
Doctrinæ pretium triſte magiſter habet.
Sunt tamen inter ſe communia ſacra poëtis;
Diverſum quamviſque ſequamur iter.
Quorum te memorem (quamquam procul abſumus eſſe)
Suſpicor; & caſus velle levate meos.
Te duce magnificas Aſiæ perſpeximus urbes:
[d] Trinacris eſt oculis [e] te duce nota meis.
Vidimus [f] Ætneâ cælum ſplendeſcere flammâ;
Suppoſitus monti quam vomit ore [g] gigas:
[h] Hennæóſque lacus, & olentia ſtagna [i] Palici,
Quaque ſuis [k] Cyanen miſcet [l] Anapus aquis.
Nec procul hinc [m] Nymphen, quæ, dum fugit [n] Elidis amnem,
Tecta [o] ſub æquoreâ nunc quoque currit aquâ.

INTERPRETATIO.

Quem tu debes vel convictibus longi temporis; vel quòd mea uxor non eſt tibi aliena, vel ſtudiis, quibus es uſus prudentiùs quàm nos, & nullâ Arte factus es reus, ut decet. Tu canitas quicquid ſupererat immortali Homero, ne bella Troiana careant manu ultimâ. Naſo magiſter parùm ſapiens habet lugubrem mercedem doctrina dum docet Artem amandi. Poeta habent tamen ſacra communia inter ſe; quamvis ſinguli teneamus viam diverſam. Quorum ſuſpicor te eſſe memorem, quamvis procul diſſiti ſumus, & cupere ſubvenire meo infortunio. Luſtravimus ſplendidas urbes Aſia te duce, Sicilia eſt cognita oculis meis te duce. Vidimus aerem lucere igne Ætnae, quem Gigas ſubjectus monti eructat ore; & lacus Hennaos, & ſtagna olentia Palici, & quâ Anapus jungit Cyanen aquis ſuis: Neque longè hinc vidimus Nympham, qua dum fugit fluvium Elidis nunc etiam fluit tecta ſub aquâ marinâ.

NOTÆ.

[c] *Reſtabat*] Uſque ad mortem Hectoris, carmen ſuum Homerus de bello Trojano perduxerat: cætera ſcribenda aſſumſerat Macer.

[d] *Trinacris*] Sicilia; quæ à triangulari formâ tribuſque promontoriis eo nomine dicta.

[e] *Te duce*] Cum Macro igitur multas regiones luſtraverat Naſo.

[f] *Ætneâ*] Quæ ex Ætnâ Siciliæ incenſo monte erumpit.

[g] *Gigas*] Typhœus *ſcil.* de quo in Metamorph.

[h] *Hennaeos*] Qui ab Ennâ Siciliæ urbe inſigni in inſulæ umbilico, fontibus irriguâ, nomen ſortiti ſunt.

[i] *Palici*] Hi fratres fuerunt, quos Jovis filios nonnulli, Heſychius Adrani cujuſdam meliùs ſcripſit; à quibus lacus duo ſulphureo odore in Siciliâ, inde illi prodiiſſe dicuntur, nomen acceperunt.

[k] *Cyanen*] Fons eſt Siciliæ, in quem Nympha hujus nominis Proſerpinæ à Plurone raptæ dolore, mutata: de quâ in Metam.

[l] *Anapus*] Siciliæ fluvius per campos Syracuſanos in mare defluens.

[m] *Nymphen*] Arethuſa eſt, Dianæ comes, quæ in fontem ſui nominis, dum Alpheum amnem fugit, mutata eſt: ut prolixè dictum in Metam.

[n] *Elidis*] Regiuncula eſt Peloponneſi, quam & irrigat Alpheus fluvius.

[o] *Sub æquoreâ*] Iſtud dicit, quia per ſubterraneos meatus Siciliam uſque; ne ſuas aquas cum Alpheo commiſceret, Arethuſa perfugit.

[p] Hic mihi labentis pars anni magna peracta est.
Eheu, quàm dispar est locus ille Getis!
Et [q] quota pars hæc sunt rerum, quas vidimus ambo,
Te mihi jucundas efficiente vias!
Seu rate cæruleas pictâ sulcavimus undas;
[r] Esseda nos agili sive tulère rotâ.
Sæpe brevis nobis [s] vicibus via visa loquendi;
Pluráque, si numeres, verba fuère [t] gradu.
Sæpe dies sermone minor fuit; inque loquendum
[u] Tarda per æstivos defuit hora dies.
Est [x] aliquid, casus pariter timuisse marinos;
Junctáque ad æquoreos vota tulisse Deos:
Et modò res egisse simul; modò rursus ab illis,
Quorum non pudeat, posse referre jocos.
Hæc tibi si subeant (absim licèt), omnibus horis
Ante tuos oculos, ut modò visus, ero.
Ipse quidem extremi cùm sim sub cardine mundi,
Qui semper liquidis [y] altior extat aquis;
Te tamen intueor, quo solo pectore possum;
Et tecum [z] gelido sæpe sub axe loquor.
Hic es, & ignoras: & ades celeberrimus absens:
Inque Getas mediâ [a] jussus ab Urbe venis.
Redde vicem: &, quoniam regio felicior [b] ista est,
Illic me memori pectore semper habe.

INTERPRETATIO.

Hic bona pars anni currentis à me transacta est. Eheu quàm ille locus est dissimilis Getis! Atque hæc quantula sunt pars rerum quas ambo spectavimus, te mihi præstăte iter gratum! Sive eruimus aquas glaucas navi pictâ; sive carpenta nos vexerunt rotâ fervidâ. Sæpe iter visum est nobis breve vicibus confabulandi, & si recenseas voces fuerunt plures quàm gressus. Sæpe dies fuit brevior colloquiis, & longa hora per dies æstivos defuit. Est aliquid metuisse æqualiter casus æquoreos, atque unà nuncupavisse vota Diis marinis: & nunc tractasse negotia simul; nunc rursus ab illis posse commemorare ludos, quorum non pudeat. Si hæc veniant tibi in mentem singulis horis, quanquam sim procul, ero coram oculis, tanquam modò conspectus. Ego quidem, tametsi sim sub polo orbis ultimi, qui semper apparet excelsior aquis fluidis, nihilominus te specto animo, quo solo licet, & fabulor sæpe tecum sub cardine frigido. Hic es, & nescis, & absens adeo frequentissimus, & venis ab Urbe mediâ in conspectus Scythicos. Par pari refer; & quandoquidem plaga ista est beatior, habe me semper illic corde memori.

NOTÆ.

[p] *Hic*] In Siciliâ.
[q] *Quota*] Minimam innuit.
[r] *Esseda*] Vehiculi genus, more Gallico.
[s] *Vicibus loq.*] Sermones alternatim cædendo.
[t] *Gradu*] Singulis quippe passibus pluscula verba proferebant.
[u] *Tarda*] Æstate nimirum dies sunt longiores.
[x] *Aliquid*] Quo *scil.* foveatur amicitia.
[y] *Altior*] Polus verò Arcticus, cui propior Naso, in Getis agens, Oceano nunquam mergitur.
[z] *Gelido*] Scilicet Septemtrionalis plaga frigidior.
[a] *Jussus*] Poëtæ phantasiâ *scilicet*.
[b] *Ista*] Italiam verò nullus Scythicis regionibus feliciorem non crediderit.

EPIST.

EPISTOLA XI.

RUFO.

ARGUMENTUM.

Hoc tibi Rufe brevi.] *Ad Rufum Fundanum uxoris suæ avunculum hanc epistolam scribit Poëta: cujus merita dicit se habere in memoriâ, quamvis sit longissimo intervallo remotus. Deinde deos precatur, ut illi meritas gratias referant.*

[a] HOc tibi, Rufe, brevi [b] properatum tempore mittit
Naso [c] parum faustæ conditor Artis opus:
Ut, quanquam longè toto sumus orbe remoti,
Scire tamen possis nos meminisse tui.
Nominis antè mei veniant oblivia nobis,
Pectore quàm pietas sit tua pulsa meo.
Et priùs hanc animam vacuas reddemus in auras,
Quàm fiat meriti gratia [d] vana tui.
Grande voco lacrymas meritum, quibus ora rigabas,
Cùm mea concreto sicca dolore forent.
Grande voco meritum, mœstæ solatia mentis;
Cùm pariter nobis illa tibique dares.
Sponte quidem, per seque mea est laudabilis uxor;
[e] Admonitu melior fit tamen illa tuo.
Namque quod [f] Hermiones Castor fuit, Hector [g] Iüli,
[h] Hoc ego te lætor conjugis esse meæ.
Quæ, ne dissimilis tibi sit probitate, laborat;
Seque tui [i] vitâ sanguinis esse probat.

INTERPRETATIO.

Rufe, Naso auctor Artis parùm beatæ mittit tibi hoc opus festinatum exiguo tempore; ut quamvis sumus procul dissiti toto orbe, possis tamen intelligere nos recordari tui. Priùs obliviscar nominis mei, quàm amor tuus excedat meo corde. Atque priùs efflabimus spiritum in tenuem aërem, quàm gratia beneficii tui vanescat. Dico magnum meritum lacrymas quibus spargebas faciem, cùm mea essent arida dolore coacto. Dico magnum meritum consolationes tristis animi, cùm præberes illas tibi juxtà & nobis. Equidem mea conjux est bona ultro & per se, attamen illa fit laudabilior tuo consilio. Namque quod Castor fuit Hermiones, Hector Iüli, ego gaudeo te hoc esse meæ uxoris; quæ contendit ne sit tibi dispar moribus, & ostendit vitæ probitate esse tui generis.

NOTÆ.

[a] *Hoc*] De secundo libro hoc loquitur.
[b] *Properatum*] *Festinanter perscriptum.*
[c] *Parùm faustæ*] Quia ideò relegatus.
[d] *Vana*] Per meam oblivionem.
[e] *Admonitu*] Consiliis & hortationibus.
[f] *Hermiones*] Ea fuit Helenæ filia, cujus ergo Castor Helenæ frater, fuit avunculus.
[g] *Iüli*] Hic Æneæ filius, matrem habuit Creusam Hectoris sororem; adeòque Hectorem ipsum avunculum.
[h] *Hoc*] Avunculum ergo.
[i] *Vitâ*] Integrâ & honestâ *scil.*

Ergo, quod fuerat ſtimulis factura ſine ullis,
Plenius [k] auctorem te quoque nacta facit.
Acer, & ad [l] palmæ per ſe curſurus honores,
Si tamen horteris, fortiùs ibit equus.
Adde, quòd abſentis curâ mandata fideli
Perficis, & nullum ferre gravaris onus.
O referant grates, quoniam non poſſumus ipſi,
Dî tibi: qui referent, ſi pia facta vident.
Sufficiátque diu corpus quoque moribus iſtis,
Maxima [m] Fundani gloria, Rufe, ſoli.

INTERPRETATIO.

Quod igitur erat factura ſine ullo ſuaſu facit meliùs nacta te repulſorem. Equus generoſus, & curſurus per ſe ad honores palmæ, curret tamen meliùs, ſi inſtiges. Addo quòd exequeris juſſa abſentis curâ fideli, & nullum onus quereris portare. O quandoquidem ipſi non poſſumus, Dii tibi referant gratias, qui referent ſi aſpiciant pia facta: Atque corpus ſubminiſtret quoque diu iſtis moribus, Rufe honos maximo terra Fundanæ.

NOTÆ.

[k] *Auctorem*] Qui virtute tuâ illi meæ uxori facem præfers.

[l] *Palma*] Quæ victoribus in honoris teſtimonium datur.

[m] *Fundani*] Fundi oppidum fuit Campaniæ, hujus Rufi patria, ad quem ſcribit Naſo.

P. OVIDII NASONIS EPISTOLARVM

EX PONTO

LIBER III.

EPISTOLA I.

UXORI.

ARGUMENTUM.

Æquor Iaſonio pulſatum remige.] *Hanc hujus libri primam epiſtolam ad uxorem mittit, cui Pontica regionis, ubi exulabat, incommoda narrat. quibus dicit debere illi minimè mirum videri, ſi mitioris ſoli exilium petit: quâ in re ipſa pro marito debet præ cæteris laborare, ſi vult bonæ uxoris officio fungi. Docet deinde id ſibi præſtari poſſe, ſi ad Liviæ Augusti uxoris præſidium confugerit: cujus clementiam ac benignitatem exponit. ad quam rem peragendam eligendum eſſe tempus idoneum admonet. quo pacto autem id agendum, quidve petendum ſit, elegantiſſimè colligit Poëta.*

ÆQuor [a] Iaſonio pulſatum remige primùm,
Quæque nec hoſte fero, nec nive [b] terra cares,
Ecquod erit tempus, quo vos ego Naſo relinquam,
In minùs hoſtilem juſſus abire locum?
An mihi Barbariâ vivendum ſemper in iſtâ?
Inque Tomitanâ condar oportet humo?
Pace tuâ, ſi pax ulla eſt tibi, Pontica tellus,
Finitimus rapido quam terit hoſtis equo;
Pace tuâ dixiſſe velim; tu peſſima duro
Pars es in exſilio, tu mala noſtra gravas.

INTERPRETATIO.

MAre primùm agitatum à remige Jaſonio, & Terra, quæ neque deſtituta es hoſte ſævo, neque nive, eritne aliquod tempus, quo ego Naſo vos deſeram, juſſus concedere in aliquem locum minùs inviſum? An ſemper mihi degendum in iſtâ Barbariâ, & neceſſe eſt ſepeliar in terrâ Tomitanâ. Pace tuâ, ſi ulla eſt pax tibi, Terra Pontica, quam hoſtis vicinus pulſat equo veloci, velim dixiſſe pace tuâ; Tu es pars graviſſima in aſpero exilio, tu auges noſtra incommoda.

NOTÆ.

[a] *Jaſonio*] Jaſonem Argo navi per Ponticum mare ad rapiendum vellus aureum vectum in Metam. vidimus.

[b] *Terra*] Scythicam alloquitur.

Tu neque ver sentis cinctum florente coronâ :
  Tu [c] neque messorum corpora nuda vides.
Nec tibi pampineas autumnus porrigit uvas :
  Cuncta sed immodicum tempora frigus habent.
Tu glacie freta vincta tenes : & in æquore piscis
  Inclusus [d] tectâ sæpe natavit aquâ.
Nec tibi sunt fontes, laticis nisi pænè marini :
  Qui potus dubium sistat [e] alátne sitim.
Rara, [f] neque hæc felix, in apertis eminet arvis
  Arbor ; & in terrâ est [g] altera forma maris.
Non avis [h] obloquitur : silvis nisi si qua remotis
  Æquoreas rauco gutture potat aquas.
[i] Tristia per vacuos horrent absinthia campos,
  [k] Conveniénsque suo messis amara loco.
Adde metus, & quòd [l] murus pulsatur ab hoste ;
  Tinctáque mortiferâ [m] tabe sagitta madet.
Quòd procul hæc regio est, & ab omni devia cursu :
  Nec pede quo quisquam, nec rate tutus eat.
Non igitur mirum, finem quærentibus [n] horum
  Altera si nobis usque rogatur humus.
Te magis est mirum non [o] hoc evincere, conjux ;
  Inque meis lacrymas posse tenere malis.

INTERPRETATIO.

Tu neque sentis ver coronatum sertis florentibus ; Tu neque cernis corpora nuda messorum. Neque Autumnus tibi prabet racemos pampineos, sed omnes tempestates habent frigus immoderatum. Tu tenes maria compacta gelu ; & piscis clausus mari natavit sæpe, aquâ opertâ. Neque habes fontes, nisi ferè aqua marina, qui potus incertum est leniat an accendat sitim. Rara arbor, neque hac fœcunda apparet in campis patentibus, & altera est species maris in terrâ. Non avis obmurmurat ; nisi si qua bibit aquas marinas in sylvis remotis. Amara absynthia surgunt per vastos agros, & messis ingrata conveniens suo loco. Adde timores, & quòd mœnia impetuntur ab hoste, & spicula infecta fluunt veneno pestifero ; quòd hic tractus est longè, & remotus ab omni itinere, & quo nullus securus transeat neque pede, neque navi. Non mirum igitur si altera terra semper rogatur à nobis expetentibus finem horum. Magis mirandum est, uxor, te non consequi istud, & posse compescere fletus in meis ærumnis.

NOTÆ.

[c] *Neque messorum*] Adeòque nec æstatem.
[d] *Tectâ*] Glacie *scilicet*.
[e] *Alat*] Sal nempe sitim acuit.
[f] *Neque felix*] Quia aut nihil, aut fructus profert asperos.
[g] *Altera*] Quia æquor aut planities sterilis, & gignentium vacua.
[h] *Obloquitur*] *Cantat*. Sed ad varias alludit Metamorphoses.
[i] *Tristia*] *Amara*.
[k] *Conveniens*] Quia locus asper & ingratus.
[l] *Murus*] Tomitana mœnia.
[m] *Tabe*] Veneno sagittas suas tingere solebant Scythæ.
[n] *Horum*] Quæ mala commemoravit.
[o] *Hoc*] Ut altera humus mibi assignetur.

Quid facias, quæris? quæras hoc scilicet ipsum;
 Invenies, verè si reperire voles.
Velle parum est: cupias, ut re potiaris, oportet;
 Et faciat somnos hæc tibi cura [p] breves.
[q] Velle reor multos. quis enim mihi tam sit iniquus,
 Optet ut exsilium pace carere meum?
Pectore te toto cunctisque incumbere nervis,
 Et niti pro me nocte dieque decet.
Utque juvent alii, tu debes [r] vincere amicos,
 Uxor; & ad [s] partes prima venire tuas.
Magna tibi imposita est nostris [t] persona libellis:
 Conjugis exemplum diceris esse bonæ.
[u] Hanc cave degeneres. ut sint præconia nostra
 Vera vide; Famæ quo [x] tuearis opus.
Ut nihil ipse querar; tacito me Fama queretur,
 Quæ debet, fuerit ni tibi cura mei.
Exposuit mea me populo Fortuna videndum;
 Et plus notitiæ, quàm fuit antè, dedit.
Notior est factus [y] Capaneus de fulminis ictu:
 Notus humo mersis [z] Amphiaraüs equis.

INTERPRETATIO.

Petis quid agere oporteat. Nimirum quæras istuc ipsum: Reperies, si cupias invenire. Leve est velle, opus est optes ut rem consequaris, & hoc negotium reddat tibi somnos exiguos. Puto multos velle; quis enim sit mihi tam infensus, ut cupiat meum exilium esse sine pace? Decet te niti toto animo, & totis viribus, & contendere pro me die & nocte. Atque ut cæteri opem ferant, tu conjux debes superare amicos, & prima succedere officio tuo. Magna Persona est tibi data nostris libellis: Diceris esse exemplum bonæ uxoris. Prospice ne hanc corrumpas: fac laudes nostra sint vera; ut protegas opus famæ. Quanquam ego nihil conquerar, fama queretur, me silente, nisi cura mei quæ debet esse fuerit tibi. Sors mea exposuit me spectandum populo, & dedit plus nominis quàm fuit prius. Capaneus celebratus est de ictu fulminis; Amphiaraüs cognitus equis absorptis terrâ.

NOTÆ.

[p] *Breves*] Nocte adeòque aliquid excogites, quo Imperator flectatur, & mitius faciat mihi exilium.

[q] *Velle*] Id est. sine studio aut curâ approbare.

[r] *Vincere*] *Operâ & diligentiâ in me juvando alios superare.*

[s] *Partes*] *Ad officium tuum, mihi succurrendo.*

[t] *Persona*] Pro nomine & famâ posuit.

[u] *Hanc deg.*] Degenerare honorem, propinquos, palmas apud bonos auctores invenias: quæ locutiones quid sibi velint nullus non intelligit.

[x] *Tuearis*] Falsa enim si fama prædicet, statim dissolvitur.

[y] *Capaneus*] Unus fuit ex ducibus Argivis, qui unà cum Polynice ad bellum Thebanum profectus, dum muris scalas admoveret lapidibus obrutus est: quare à Jove fulmine ictum finxerunt.

[z] *Amphiaraüs*] Oeclei fuit filius & Græcus vates, qui Eriphiles uxoris fraude ad bellum Thebanum ab Adrasto perductus, hiatu terræ absorptus est; tum pro Deo cultus.

Si minùs [a] erraſſet, notus minùs eſſet Ulyſſes ;
  Magna [b] Philoctetæ vulnere fama ſuo eſt.
Si locus eſt aliquis tanta inter nomina parvis ;
  Nos quoque conſpicuos noſtra ruina facit.
Nec te neſciri patitur mea pagina ; qua non
  Inferius [c] Coâ Battide nomen habes.
Quicquid ages igitur, ſcenâ ſpectabere magnâ :
  Et pia non parvis teſtibus uxor eris.
Crede mihi ; quoties laudaris carmine noſtro,
  Qui legit has laudes, an mereare rogat.
Utque favere reor plures virtutibus [d] iſtis,
  Sic tua non paucæ carpere facta volent.
Quare, tu præſta, ne livor dicere poſſit ;
  Hæc eſt pro miſeri lenta ſalute viri.
Cùmque ego deficiam, nec poſſim [e] ducere currum ;
  Fac tu ſuſtineas [f] debile ſola jugum.
Ad [g] medicum ſpecto venis [h] fugientibus æger :
  Ultima pars [i] animæ dum mihi reſtat, [k] ades.
Quodque ego præſtarem, ſi te magis ipſe valerem,
  Id mihi, cùm valeas fortiùs, ipſa refer.
Exigit hoc ſocialis amor, fœdúſque maritum ;
  Moribus hoc, conjux, exigis ipſa tuis.

INTERPRETATIO.

Si Ulyſſes minùs erraſſet, eſſet minùs cognitus : fama Philoctetæ eſt ingens plagâ ſuâ. Si aliquis eſt locus parvis inter tanta nomina, noſtra clades reddit nos etiam claros. Neque mei libelli ſinunt te ignorari, quibus conſequuta es famam non leviorem Battide Coa. Quicquid ergo facies, conſpicièris magno theatro ; & eris conjux fida non parvis teſtibus. Crede mihi, quoties celebraris noſtris verſibus, qui legit hæc præconia quærit an ſis digna. Atque ut puto multas plaudere iſtis virtutibus, ſic non paucæ cupient reprehendere acta tua. Quare fac tu ne invidia queat dicere ; Hæc eſt tarda pro ſalute infelicis mariti. Et cùm deficiam, neque poſſim agere currum, vide ut tu ſola feras infirmum jugum. Ægrotus reſpicio ad medicum venis deficientibus : faveas mihi dum pars noviſſima ſpiritus ſupereſt : & redde mihi quod ego facerem, ſi ipſe fruerer firmiori valetudine te, cùm tu fruaris meliori. Amor conjugalis, & fœdus maritum hoc poſcit : tu ipſa uxor poſcis hoc ex moribus tuis.

NOTÆ.

[a] *Erraſſet*] Per decem annos terrâ marique jactatum priuſquam in patriam reverti poſſet decantaverunt Poëtæ.

[b] *Philoctetæ*] De hoc Herculis comite, ejuſque ſagittis venenatis, itemque ipſius vulnere, jam ſæpiùs dictum.

[c] *Coâ*] Coo inſulâ oriundâ, quam Philetas carminibus ſuis celebravit.

[d] *Iſtis*] Tuis, quas laudo.

[e] *Ducere currum*] *Meis rebus præeſſe.* Metaph. ab aurigis petita.

[f] *Debile jugum*] Res afflictas & dubias.

[g] *Medicum*] Uxorem ſuam non ſecus ac Medicum in extremis ſpectare ſe Naſo agnoſcit.

[h] *Fugientibus*] *Deficientibus.* Quæ res ad commovendos bonæ uxoris affectus maximè idonea.

[i] *Animæ*] Pro vitâ poſuit.

[k] *Ades*] *Fer opem.*

Hoc domui debes, de qua [l] censeris, ut illam
Non magis officiis, quàm probitate, colas.
Cuncta licèt facias; nisi sis laudabilis, uxor,
Non poterit credi [m] Marcia culta tibi.
Nec sumus indigni; nec (si vis vera fateri)
Debetur meritis gratia nulla meis.
Redditur illa quidem grandi cum fœnore nobis,
Nec te, si cupiat lædere, livor habet.
Sed tamen hoc factis adjunge prioribus unum;
Pro nostris ut sis [n] ambitiosa malis.
Ut minùs infestâ jaceam regione, labora:
[o] Clauda nec officii pars erit ulla tui.
Magna peto, sed non tamen invidiosa roganti.
Utque ea non [p] teneas, [q] tuta repulsa tua est.
Nec mihi succense, toties si carmine nostro,
Quod facis, ut facias, [r] teque imitere, rogo.
Fortibus assuevit tubicen [f] prodesse; suoque
Dux bene pugnantes incitat ore viros.
Nota tua est probitas, testatáque tempus in omne;
[Sit [t] virtus etiam non probitate minor.]

INTERPRETATIO.

Debes hoc domui, de quâ censeris, ut illam exornes non plus officiis quàm probitate. Quamvis omnia agas; nisi sis bona conjux, Marcia non poteris credi honorata à te. Neque sumus immeriti: neque, si vis agnoscere verum, nulla gratia debetur meis beneficiis. Illa quidem refertur nobis cum magno fructu; neque Invidia habet quod possit carpere, si cupiat: verùm tamen adjice hoc unum factis precedentibus, ut sis ambitiosa pro nostris calamitatibus. Contende ut jaceam in plagâ minùs tumultuosâ; neque ulla pars officii tui erit infirma. Posco ingentia, sed non tamen invidiosa oranti; & quanquam non consequaris, repulsa tua est secura. Neque mihi irascaris, si oro toties nostris versibus ut agas quod agis, & te amuleris. Tubicen consuevit accendere strenues, & imperator hortatur suo ore viros fortiter dimicantes. Probitas tua perspecta est, & probata in omne tempus; fortitudo sit quoque non minor probitate.

NOTÆ.

[l] *Censeris*] In censu numeraris. Scilicet omnes familiæ in censum referebantur.

[m] *Marcia*] Maximi fuit uxor, Martii Philippi, Vitrici Augusti, filia.

[n] *Ambitiosa*] Id est, quæ sollicitè quorumlibet gratiam & favorem, meâ causâ ambire nunquam desinas.

[o] *Clauda nec*] Omnia præstitetis, quæ ex te optare possim.

[p] *Teneas*] *Consequaris.*

[q] *Tuta*] Neque eo quicquam tibi mali eveniet.

[r] *Teque imit.*] Acutè sanè uxorem ad officium præstandum hortatur.

[f] *Prodesse*] Injurium quia videtur, neque sine causâ, quempiam ad illud hortari, quod ex se ultro præstare debeat; ideò exemplis ostendit Naso contra posse fieri ut ad bonos & sponte suâ officio fungentes hortamina dirigantur.

[t] *Virtus*] Plura ad virtutem, seu animi fortitudinem & bonarum rerum audaciam, quàm ad probitatem requiruntur.

Non tibi [u] Amazonia est pro me sumenda securis,
Aut [x] excisa levi pelta gerenda manu.
[y] Numen adorandum est; non ut mihi fiat amicum,
Sed sit ut iratum, quàm fuit antè, minùs.
Gratia si nulla est, lacrymæ tibi [z] gratia fient.
Hac potes, aut nullâ, parte movere Deos.
Quæ tibi ne desint, bene per mala nostra cavetur:
[a] Meque viro flendi copia dives adest.
Utque meæ res sunt; omni (puto) tempore flebis.
Has Fortuna tibi nostra ministrat opes.
Si mea mors redimenda tuâ (quod abominor) esset:
[b] Admeti conjux, quam sequereris, erat.
Æmula Penelopes fieres, si fraude pudicâ
Instantes velles [c] fallere nupta procos.
Si comes extincti manes sequerêre mariti,
Esset dux fati [d] Laodamia tui.
[e] Iphias ante oculos tibi erat ponenda, volenti
Corpus in accensos mittere fortè rogos.
Nil opus est letho, nil [f] Icariotide telâ.
Cæsaris at [g] conjux ore precanda tuo.

INTERPRETATIO.

Securis Amazonia non tibi capienda, aut scutum excisum gerendum alacri manu pro me. Deus orandus est, non ut fiat mihi amicus, sed sit minùs infensus quàm fuit priùs. Si nullus est favor, fletus tibi conciliabunt favorem: potes flectere numina hac parte aut nullâ. Qui ne te destituant bene prospicitur per nostras ærumnas; & cùm sim tibi maritus, adest tibi ampla materia lacrymandi. Atque, ut res meæ se habent, lacrymabis, credo, omni tempore. Nostra fortuna tibi præbet eas divitias. Si obitus meus esset compensandus tuo, quòd detestor, uxor erat Admeti, quam imitareris. Fieres æmula Penelopes, si uxor velles decipere dolo verecundo procos instantes. Si comes sequereris Manes viri mortui, Laodamia esset dux fati sui. Iphias erat tibi sistenda ante oculos, cùm velles dare corpus strenuum in rogos accensos. Nihil est opus morte, nihil telâ Icariotide: Uxor Cæsaris est oranda tuo ore;

NOTÆ.

[u] *Amazonia*] Cujusmodi utebantur Amazones mulieres bellicosæ. A negotii facilitate uxorem suam Naso hortatur.

[x] *Excisa*] Quia ad Lunæ decrescentis similitudinem facta scuta illa quibus Amazones utebantur.

[y] *Numen*] Augusti *scil.*

[z] *Gratia fient*] Plurimùm posse apud cordatos & generosos viros, modò ut dolis ne sint confictæ, experientia testatur.

[a] *Me viro*] *Cùm me tam infelicem habeas maritum.*

[b] *Admeti*] Hic Pheræorum in Thessaliâ rex fuit, cujus uxor Alcestis, Peliæ filia, pro eo mortem oppetere non dubitavit.

[c] *Fallere*] Quomodo illa procorum importunitatem telâ suâ eluserit videsis in Epistolis.

[d] *Laodamia*] Quæ Protesilai sui fata sequuta est; sicuti in præcedentibus vidimus.

[e] *Iphias*] Evadne est Iphidis filia, quæ sese in ardentem Capanei sui rogum per nimium amorem præcipitem dedit.

[f] *Icariotide*] Cujusmodi Icarii filia Penelope in decipiendis procis suis usa est.

[g] *Conjux*] Livia.

Quæ præstat virtute suâ, ne prisca vetustas
Laude pudicitiæ sæcula nostra [h] ptemat.
[i] Quæ Veneris formam, mores Junonis habendo,
Sola est cælesti digna reperta toro.
Quid trepidas, & adire times? non impia [k] Progne,
[l] Filiave Æëtæ voce movenda tuâ est:
Nec [m] nurus Ægypti, nec sæva [n] Agamemnonis uxor;
[o] Scylláque, quæ Siculas inguine terret aquas;
[p] Telegonive parens vertendis nata figuris;
Nexáque nodosas [q] angue [r] Medusa comas.
Fœmina sed Princeps; in qua Fortuna [s] videre
Se probat, & cææ crimina falsa tulit.
[t] Quâ nihil in terris, [u] ad finem Solis ab ortu
Clarius, excepto Cæsare, mundus habet.
[x] Eligito tempus captatum sæpe rogandi,
[y] Exeat adversâ ne tua navis aquâ.

INTERPRETATIO.

qua facit per suam virtutem, ne prisca antiquitas vincat nostrum avum laude pudicitia: qua cùm habeat pulcritudinem Veneris, & mores Junonis, sola inventa est digna lecto cœlesti. Quid tremis, & metuis accedere? Non fera Progne, aut nata Æëta est flectenda tuâ voce; neque nurus Ægypti, neque crudelis conjux Agamemnonis, & Scylla qua terrorem incutit aquis Siculis inguine: vel mater Telegoni facta ad transmutandas formas, seu Medusa habens capillos impexos implicatos serpentibus. Sed fœmina princeps, in quâ fortuna ostendit se cernere, & quòd tulit falsa crimina cæca; quâ Orbis nihil habet illustrius in terris ab ortu Solis ad occasum, si excipias Cæsarem. Elige tempus sæpe quæsitum orandi, ne tua navis solvatur aquâ contrariâ.

NOTÆ.

[h] *Premat*] Pudicarum fœminarum laude nostrum sæculum superet.

[i] *Qua Veneris*] Laus magna Liviæ, quam raris tribuas.

[k] *Progne*] Quæ, ut habetur in Metam. filium Ityn patri Tereo epulandum apposuit.

[l] *Filia*] Medea est Æetæ Colchorum regis filia, cujus crudelitatem in patrem, fratrem, maritum, aliosque, sæpius vidimus.

[m] *Nurus*] Quælibet Danaïdum puellarum, quæ unâ nocte maritos suos patrueles Ægypti filios omnes præter Hypermnestram occiderunt.

[n] *Agamemn. uxor*] Clytemnestra, quæ in adulteri gratiam maritum suum Troiâ redeuntem occidit.

[o] *Scylla*] Hæc patrem Nisum Minoi hosti non verita est unà cum regno ejus tradere.

[p] *Teleg. par.*] Circe est de quâ toties, cum quâ postquam consuevisset Ulysses, Telegonum peperit.

[q] *Angue*] In angues à Pallade Medusæ mutati capilli quibus maximè placebat, quod in ejus templo cum Neptuno sese commiscuisset.

[r] *Medusa*] Phorci fuit filia, immane monstrum denique, quod nullus tam cautè intueri posset, quin saxi formam indueret, donec illi Minervæ ope Perseus caput abstulit, cui tamen vis sua permansit.

[s] *Videre*] Neque cæcam esse, ut plerique omnes calumniantur. Dicit Poëta siquidem ad Principatum Liviam fors evexerit, tantæ virtutis fœminam, indicio esse quòd non temerè, sed consultò, & pro merito eorum quos extollit, sua bona conferat.

[t] *Quâ*] Liviâ *scil.* fœminâ principe.

[u] *Ad finem*] *Ad occasum*

[x] *Eligito*] Optimum, si ullum datur, consilium; ex quo insuper quàm miserum sit cum potentioribus rem habere, nisi generosissimi fuerint, quivis intelligat.

[y] *Exeat*] Ne, sicuti navis, quæ ventis adversis & turbatæ aquæ infeliciter quandoque ab imperitis creditur; tu etiam inania verba & vanas preces in Liviæ aures ingeras.

[Non ſemper [z] ſacras reddunt oracula ſortes :
Ipſáque non omni tempore fana patent.]
Cùm ſtatus Urbis erit, qualem nunc auguror eſſe ;
Et nullus populi [a] contrahet ora dolor ;
Cùm domus Auguſti, [b] Capitolî more colenda,
Læta, quod eſt, [c] & ſit, plenáque pacis erit ;
[Tum tibi Dî faciant adeundi copia fiat,
Profectura aliquid tum tua verba puta.]
[d] Si quid aget majus, differ tua cœpta ; cavéque
Spem feſtinando præcipitare meam.
[Nec rurſus jubeo, dum ſit vacuiſſima [e] quæras.]
Corporis ad curam vix vacat illa ſui.
[[f] Curia cum [g] patribus fuerit ſtipata verendis ;
Per rerum turbam tu quoque oportet eas.]
Cùm tibi contigerit vultum [h] Junonis adire,
Fac ſis [i] perſonæ, quam tueare, memor.
Nec factum defende meum : mala cauſſa ſilenda eſt.
Nil niſi ſollicitæ ſint tua verba preces.
[k] Tum lacrymis demenda mora eſt : ſubmiſſáque terræ
Ad [l] non mortales brachia tende pedes.

INTERPRETATIO.

Oracula non proferunt ſemper ſacras ſortes, & templa ipſa non ſunt ſemper aperta. Cùm ſtatus Urbis erit, qualem conjicio nunc eſſe, & nulla ærumna corrugabit faciem plebis ; cùm domus Auguſti colenda ritu Capitolii, quòd eſt læta, & ſit & erit plena pacis ; tum dii faciant tibi liceat accedere : credo tuas voces aliquid tum opis allaturas. Si quid faciat majus, protrahe tuum inſtitutum, & noli perdere ſpem meam urgendo. Neque contrà hortor, ut quæras donec ſit otioſiſſima : illa vix habet ſpatium ad curandum ſuum corpus. Cum Palatia erunt plena Senatoribus venerandis, oportet ut tu etiam accedas per turbam rerum. Cùm potueris venire in conſpectum Junonis fac recorderis perſonæ quam ſuſtineas. Neque tuere factum meum ; cauſſa mala eſt tacenda. tuæ voces nihil ſint niſi preces anxiæ. Tum ſine cunctatione indulgendum fletibus ; & porrige brachia in terram, inclinata ad pedes divinos.

NOTÆ.

[z] *Sacras*] Quas venereris & ames.

[a] *Contrahet*] Corrugabit, ut ſolet, cùm gravis eſt dolor.

[b] *Capitoli*] Quod per lætitiam & triumphos intratur.

[c] *Et ſit*] Mali ominis avertendi cauſâ, quaſi non ſemper lætam fore Auguſti domum innuiſſet, cautiſſimè hæc verba ſubjecit.

[d] *Si quid aget*] O optimum conſilium ! cujuſmodi ſemper uti ſi prudentia daret, animi impotentia non prohiberet !.

[e] *Quæras*] *Rogandi captos opportunitatem.*

[f] *Curia*] Auguſti domus.

[g] *Patribus*] *Senatoribus*, qui gratulabundi ad Auguſti ædes per publicam lætitiam confluunt.

[h] *Junonis*] Liviam Junoni parem facit.

[i] *Perſonæ*] Mœſtiſſimæ uxoris *ſcil.* quam ſummâ ope & ante omnes cauſſam meam agere, & pro me niti decet.

[k] *Tum lacrymis*] Egregius artifex.

[l] *Non mort.*] Liviæ *ſcil.*

Tum pete nil aliud, sævo nisi ab [m] hoste recedam:
　Hostem Fortunam sit [n] satis esse mihi.
Plura quidem subeunt: sed jam turbata timore
　Hæc quoque vix poteris ore tremente loqui.
Suspicor [o] hoc damno tibi non fore: [p] sentiat illa
　Te majestatem pertimuisse suam.
[Nec tua si fletu scindentur verba, nocebit,
　Interdum lacrymæ pondera vocis habent.]
[q] Lux etiam cœptis facito bona talibus adsit;
　Horaque conveniens, [r] auspiciúmque favens.
Sed priùs imposito sanctis altaribus igni,
　Thura fer ad magnos vináque pura Deos.
E quibus ante omnes Augustum numen adora;
　[s] Progeniémque piam, [t] participémque tori.
Sint utinam mites solito tibi more; tuásque
　Non duris lacrymas vultibus aspiciant.

INTERPRETATIO.

Nihil aliud tum pesce, nisi ut removear ab hoste crudeli: sufficiat fortunam esse mihi infensam. Plura quidem veniunt in mentem; sed jam turbata metu, ægrè etiam poteris proferre hæc ore tremente. Auguror hoc tibi non futurum detrimento: illa cognoscat te reveritam esse Majestatem suam. Neque oberit, si voces tuæ abrumpantur lacrymis. fletus habent nonnunquam vim sermonis. Vide etiam ut faustus dies detur hujusmodi incœptis, itemque tempus idoneum, & propitium augurium. Verùm igni admoto anteà sacris aris prabe thura & merum magnis Diis; è quibus cole præ cæteris numen Augustum, & piam prolem, & sociam lecti. Utinam sint tibi faciles de suo more, & cernant tuos fletus placidis vultibus.

NOTÆ.

[m] *Hoste*] Scythâ *scil.*

[n] *Satìs*] Ne insuper Scytharum experiar sævitiam.

[o] *Hoc*] Quòd timore turbata vix loqui poteris.

[p] *Sentiat*] Plaudi autem sibi in suâ excelsitate amant Magnates. Num tutò ipsi videant.

[q] *Lux*] Dies felix, inter atros non numeratus.

[r] *Auspicium*] Namque, ut habet Virgilius,

Nihil invitis fas quemquam fidere Divis.

[s] *Progeniem*] Tiberium intellige præsertim.

[t] *Particip.*] Liviam *scil.* Augusti conjugem.

EPISTOLA II.

COTTÆ.

ARGUMENTUM.

Quam legis à nobis.] *Ad Cottam Romanum scribens, ejus fidem laudat Poëta: quòd cùm alii amicum in rebus adversis deseruerint, ipse semper in amicitia firma opinione permanserit, cujus merita dicit futura sibi semper in memoria, quoad vixerit, ac etiam post ejus mortem, si modò ejus scripta ad posteros pervenerint.*

QUam legis à nobis missam tibi, Cotta, salutem,
Missa sit ut [a] verè, perveniátque, precor.
Namque meis sospes multùm cruciatibus aufers;
Utque sit è nobis pars bona salva, facis.
Cùmque labent [b] alii, jactaráque [c] vela relinquant;
Tu laceræ remanes [d] anchora sola rati.
Grata tua est igitur pietas. ignoscimus illis,
Qui cum Fortunâ terga dedêre fugæ.
Cùm feriant unum, [e] non unum fulmina terrent:
Junctáque percusso turba pavere solet.
Cùmque dedit paries venturæ signa ruinæ,
Sollicito vacuus fit locus ille metu.
Quis non è timidis ægri contagia vitat?
Vicinum metuens ne trahat inde malum?
Me quoque amicorum nimio terrore metuque,
Non odio, quidam destituêre mei.
Non illis pietas, non officiosa voluntas
Defuit: adversos extimuêre Deos.

INTERPRETATIO.

Oro, Cotta, ut salus quam legis tibi missam à nobis sit verè missa & ad te perveniat. Namque incolumis multùm demis meis doloribus, & facit ut bona pars mei sit intacta. Et cùm alii vacillent, & deserant lintea agitata, tu perstas sola anchora navi quassæ. Adeòque tua pietas est accepta. Parcimus illis qui dilapsi sunt cum fortunâ. Cùm fulmina percutiant unum non incutiunt terrorem soli, & agmen proximum illi qui ictus est consuevit formidare: & cùm paries facit indicia ruina futura, ille locus deseritur pavore anxio. Quis meticulosus non fugit commercia cum morbido, timens ne inde contrahat morbum proximum? Nonnulli etiam ex familiaribus meis deseruerunt me nimio pavore & metu, non odio. Non Amor, non voluntas officiosa defuit: reformidaverunt Deos infensos.

NOTÆ.

[a] *Verè*] Atque adeò valeas.
[b] *Alii*] Ex amicis olim meis.
[c] *Vela*] Hic somniavit Interpres. *Vela jactata* expone Nasonis fortunam dubiam.
[d] *Anchora*] Rerum mearum firmamentum.
[e] *Non unum*] *Non te solum* exposuerunt. Dormitabant. Amicos temporarios excusat Naso; dicitque in genere ità fieri, ut uno afflicto plurimi, quasi eodem fulmine afflati essent, dejiciantur.

Utque magis cauti possunt timidíque videri,
　Sic appellari non meruêre mali.
At meus excusat caros ira candor amicos;
　Utque [f] habeant de me crimina nulla, favet.
Sint hac contenti veniâ, [g] signénrque licebit
　Purgari factum me quoque teste suum.
Pars estis pauci potior, qui rebus in arctis
　Ferre mihi nullam turpe putastis opem.
Tunc igitur meriti morietur gratia vestri,
　Cùm cinis [h] absumto corpore factus ero.
[i] Fallor, & illa meæ superabit tempora vitæ,
　Si tamen à memori posteritate legar.
Corpora debentur [k] mœstis exsanguia bustis:
　Effugiunt structos nomen honórque rogos.
Occidit & Theseus, & [l] qui comitavit Oresten:
　Sed tamen in laudes [m] vivit uterque suas.
Vos etiam seri laudabunt sæpe nepotes;
　Claráque erit scriptis gloria vestra meis.
Hîc quoque Sauromatæ jam vos novêre Getæque:
　Et [n] tales animos barbara turba probat.
Cùmque ego de vestrâ nuper probitate referrem,
　(Nam didici Geticè Sarmaticèque loqui)
Fortè senex quidam, cœtu cùm staret in illo,
　Reddidit ad nostros talia verba sonos:

INTERPRETATIO.

Et sicuti possunt videri providi & meticulosi, ità non digni sunt dici improbi. At candor meus sic excusat dilectos amicos, & favet ne habeant ulla crimina de me. Sint expleti hac indulgentiâ; & concedatur scribant suum factum exemtum esse ab omni culpâ, me etiam teste. Pauci estis pars melior, qui credidistis non esse indecorum prabere mihi omne auxilium in rebus afflictis. Gratia ergo vestri beneficii tunc intercidet, cùm ero factus pulvis corpore consumto. Decipior, atque illa porrigetur ultra spatium vita mea, si tamen legar à posteris memoribus. Corpora mortua debentur tristibus rogis; fama atque gloria subtrahuntur structis pyris. Et Theseus, & qui comitatus est Oresten mortuus est; sed tamen uterque superstes est in suam gloriam. Ultimi successores celebrabunt vos quoque frequenter, & laus vestra erit illustris meis versibus. Sauromata & Geta jam quoque vos noverunt hic, & agmen barbarum laudat hujusmodi animos. Et cùm nuper verba facerem de vestro candore, (nam didici loqui Geticè & Sarmaticè) cùm fortè senex quidam esset in illâ turbâ, excepit nostram orationem hujusmodi narratione:

NOTÆ.

[f] *Habeant de me*] Meâ caussâ nulli sint crimini obnoxii.

[g] *Signent*] Testentur.

[h] *Absumto*] Igne *scil.* in rogo post mortem meam.

[i] *Fallor*] Corrigit illud quod gratitudini metas posuerat; vult namque versibus suis æternam.

[k] *Mœstis*] Quia à mœstissimis colliguntur ex bustis defunctorum ossa & cineres.

[l] *Qui comit.*] Pylades *scil.* de quo paulò antea.

[m] *Vivit*] Quia à Poëtis fides & amicitia eorum celebrata.

[n] *Tales*] Tam fidos.

Nos quoque amicitiæ nomen bene novimus, [o] hoſpes,
Quos procul à vobis frigidus Iſter habet.
[p] Eſt locus in Scythiâ, ([q] Tauros dixère priores)
Qui Geticâ longè non ita diſtat humo.
Hac ego ſum terrâ (patriæ nec pœnitet) ortus.
[s] Conſortem Phœbi gens colit illa Deam.
Templa manent hodie vaſtis innixa columnis:
Perque quater denos itur in illa gradus.
Fama refert illic [t] ſignum cæleſte fuiſſe.
Quoque minùs dubites, ſtat baſis [u] orba Dea.
Araque, quæ fuerat naturâ candida ſaxi,
[x] Decolor affuſo tincta cruore rubet.
Fœmina ſacra facit [y] tædæ non nota jugali:
Quæ ſuperat Scythicas nobilitate [z] nurus.
Sacrificî genus eſt, (ſic inſtituêre priores)
Advena [a] virgineo cæſus ut enſe cadat.
Regna Thoas habuit [b] Mæotide clarus in orâ:
Nec fuit Euxinis notior alter [c] aquis.
Sceptra tenente illo, liquidas [d] feciſſe per auras.
Neſcio quam dicunt Iphigenian iter.

INTERPRETATIO.

Nos etiam, peregrine, quos frigidus Danubius tenet longè à vobis, novimus bene nomen amicitiæ. Eſt locus in Scythiâ, (veteres appellaverant Tauros) qui non ità procul diſſitus eſt à terrâ Geticâ. Ego ſum ortus illâ terrâ, (neque me piget patriæ.) Illa natio adorat ſororem Apollinis. Templa ſtant hodie impoſita columnis ingentibus, & aſcenditur in illa per quadraginta gradus. Fama prædicat illic fuiſſe ſtatuam cœleſtem; & quò minùs diffidas, baſis reſtat deſtituta deâ. Atque altare, quod fuerat album naturâ marmoris, decolor rubet infectum ſanguine aſperſo. Puella non cognita faci connubiali quæ vincit nobilitate puellas Scythicas habet curam ſacrificii. Genus eſt ſacri, at peregrinus interemtus procumbat cultro virgineo: (veteres ità ſanxerant.) Thoas illuſtris in regione Mæotide tenuit imperium, neque alius fuit illuſtrior in aquis Euxinis. Cùm ille potiretur ſceptro, aiunt neſcio quam Iphigeniam adveniſſe per aërem fluidum.

NOTÆ.

[o] *Hoſpes*] Ad Naſonem orationem ſuam dirigebat hic ſenex Geta.

[p] *Eſt locus*] Principium eſt narrationis Scythæ.

[q] *Tauros*] In Cherſoneſo Tauricâ ad paludem Mæotim, paulò ultra Getas, ad Septemtrionem fuiſſe famoſam illam Dianæ aram de quâ mox dicetur, nullus neſcit qui aliquem Poëtam inſpexerit.

[r] *Patriæ*] Optime ſanè; namque & Ranis ſua placent ſtagna.

[s] *Conſortem*] Dianam *ſcil.* Phœbi, ſeu Apollinis ſororem.

[t] *Signum*] Deæ ſtatua *ſcil.*

[u] *Orba*] Quia Deam Oreſtes unà cum Iphigeniâ ſorore fugiens abſtulit.

[x] *Decolor*] Nativo candore deſtituta.

[y] *Tædæ non*] Atque adeò virgo: namque cum tædis celebrari ſolitas nuptias ſæpiùs in Amoribus diximus.

[z] *Nurus*] Pro puellis poſitæ, ut vides.

[a] *Virgineo*] Virginis Sacerdotis.

[b] *Mæotide*] Ad Mæotim paludem ſitâ.

[c] *Aquis*] Id eſt Populis qui ad mare Euxinum poſiti.

[d] *Feciſſe*] Dianæ immolandam Iphigeniam, à Deâ per aërem in Tauricam regionem delatam, cervâ pro eâ aræ ſuppoſitâ, in Metam. vidimus.

Quam levibus ventis sub nube per æquora vectam
Creditur his [e] Phœbe deposuisse locis.
Præfuerat templo multos ea ritè per annos,
[f] Invitâ peragens tristia sacra manu.
Cùm duo veliferâ juvenes venere carinâ;
Presseruntque suo littora nostra pede.
Par fuit his ætas, & amor: quorum alter Orestes,
Alter erat Pylades. nomina fama tenet.
Protinus immitem [g] Triviæ ducuntur ad aram,
Evincti geminas ad sua terga manus.
Spargit [h] aquâ captos lustrali [i] Graja sacerdos,
Ambiat ut fulvas [k] infula longa comas.
Dumque parat sacrum, dum velat tempora vittis;
Dum tardæ caussas invenit usque moræ,
Non ego crudelis, juvenes ignoscite, dixit;
Sacra suo facio barbariora loco.
Ritus [l] is est gentis. quâ vos tamen urbe venitis?
Quove parum fausta puppe petistis iter?
Dixit: &, audito patriæ pia nomine virgo,
Consortes [m] urbis comperit esse suæ.
Alteruter votis, inquit, cadat hostia sacris;
Ad patrias sedes nuncius alter eat.
Ire jubet Pylades carum periturus Oresten.
Hic negat: inque vicem pugnat uterque mori.

INTERPRETATIO.

Quam latam per aerem sub nube ventis velo ... Diana dicitur deposuisse in his locis. Ea præposita fuerat ritè delubro per multos annos, ac solvens lugubria sacrificia manu repugnante; cùm duo adolescentes appulerunt navi veliferâ, & calcaverunt nostra littora suo pede. Ætas & amor fuit illis æqualis, quorum alter Orestes, alter erat Pylades: fama servat nomina. Continuò ducuntur ad triste altare Triviæ, habentes ambas manus religatas post suum dorsum. Sacerdos Græca aspergit captos aquâ lustrali, ut prolixa infula cingat flavos capillos. Et dum adornat sacrum, dum coronat tempora vittis, dum repperit sine fine caussas re... ctationis; Juvenes, inquit, date veniam. Ego non sum crudelis, facio sacra sæviora suo loco. Is est mos nationis. Vos tamen ex quâ urbe accedltis, quòve contendistis navi parùm felici? Dixit, & virgo pia, nomine audito Patriæ, invenit esse consortes urbis suæ. Alteruter, ait, procumbat victima votis sacris; alter eat nuntius ad habitationes patrias. Pylades moriturus jubet dilectum Orestem discedere; hic negat; & uterque certat vicissim procumbere.

NOTÆ.

[e] *Phœbe*] Diana Phœbi soror.

[f] *Invitâ*] Parùm quippe virgini vivos homines mactare & aris admovere placebat.

[g] *Trivia*] Dianæ, quæ viis triviisque præesse credebatur; quare & in triviis ei sacrificabatur.

[h] *Aquâ lustr.*] Quâ ad lustrandas purgandásque hostias utebantur.

[i] *Graia*] Scilicet Iphigenia Agamemnonis filia Græca fuit.

[k] *Infula*] Fascia fuit in modum diadematis, à quâ vittæ ab utrâque parte dependebant.

[l] *Is*] Homines Dianæ immolare.

[m] *Urbis*] Mycenarum *scil.* ubi Agamemnon Orestis & Iphigeniæ imperium tenebat.

Exstitit [n] hoc unum, quo non convenerit illis.
Cætera par concors & sine lite fuit.
Dum peragunt pulchri juvenes certamen amoris;
Ad fratrem scriptas exarat illa notas.
Ad fratrem mandata dabat, cuique illa dabantur,
(Humanos casus aspice) frater erat.
[o] Nec mora; de templo rapiunt simulacra Dianæ:
Clamque per immensas puppe feruntur aquas.
Mirus amor juvenum, quamvis abiêre tot anni,
In Scythiâ magnum nunc quoque nomen habet.
Fabula narrata est postquam vulgaris ab illo:
Laudarunt omnes facta piámque fidem.
Scilicet hac etiam (quâ nulla ferocior) orâ
Nomen amicitiæ barbara corda movet.
Quid facere [p] Ausoniâ geniti debetis in Urbe,
Cùm tangant diros talia facta Getas?
Adde, quod est animus semper tibi mitis; & altæ
Indicium [q] mores nobilitatis habet;
Quos [r] Volesus patrii cognoscat nominis auctor;
Quos [s] Numa maternus non neget esse suos:
[t] Adjectíque probent genitiva ad nomina Cottæ,
Si tu non esses, [u] interitura domus.

INTERPRETATIO.

Istud unum fuit in quo non congruerent: in cæteris fuerunt par concors, & sine rixâ. Dum adolescentes absolvunt litem egregia amicitia, illa scribit epistolam ad fratrem. Dabat jussa ad fratrem, & (vide sortes humanas) ille erat frater cui jussa dabantur. Et sine cunctatione, tollunt signum Dianæ ex templo; & vehuntur secretò per vastum æquor. Stupendus amor adolescentum, tametsi tot anni effluxerunt, habent nunc etiam præclaram famam in Scythiâ. Postquam fabula trita recitata est ab illo, omnes probarunt acta & piam fidem. Nimirum regione etiam istâ, quâ nulla truculentior, nomen amicitia tangit animos feroces. Quid debetis præstare nati in urbe Ausoniâ, cùm hujusmodi acta moveant crudeles Getas? Adjice quòd est semper tibi animus lenis, & mores præbent testimonium excelsæ nobilitatis. Quos Volesus autor nominis patrii probet, quos Numa maternus non diffiteatur esse suos; & Cottæ additi tuis nominibus gentilitiis, domus peritura nisi tu esses, laudent.

NOTÆ.

[n] *Hoc*] Quod neuter socium mori passus est; uterque pro amici salute mactari cupiit.

[o] *Nec mora*] Namque statim per eas litteras & quæ esset Iphigenia Oresti, & quis esset Orestes Iphigeniæ patuit.

[p] *Ausoniâ*] Româ *scil.* Pulcrè verò ratiocinatur Naso, longèque meliùs quàm plurimi faciunt Christiani; qui vix aliter sapere quàm ut jus sit malè facere didicerunt.

[q] *Mores*] Illos *scil.* de quibus agitur, mansuetos & humanos.

[r] *Volesus*] Ab illo paternum genus traxisse Cottam indicat, quem Spartanam propaginem scripsit Silius.

[s] *Numa*] Romanorum rex secundus.

[t] *Adjecti*] Adoptione innuit hunc ad quem scribit amicum Naso in Aureliam Cottarum familiam transiisse. Verùm lege Interpretationem; neque Commentatorem audietis somniantem.

[u] *Interitura*] Hinc defecisse Cottarum gentem intelligas, in quam hic cooptatus.

Digne

Digne vir hac [x] serie, lapso succurrere amico
Conveniens istis moribus esse puta.

INTERPRETATIO.

Vir digne eo Majorum *ordine crede esse congruum istis moribus subvenire amico qui erravit.*

NOTÆ.

[x] *Serie*] Majorum ordine, quocumque modo spectaveris.

EPISTOLA III.

FABIO MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Si vacat exiguum.] *Ad Fabium Maximum scribens, fingit sibi in lecto cubanti sese obtulisse Cupidinem, poëtamque de illo questum, quòd quum ejus causa in exilium objectus sit, velit etiam efficere, ut Augustus placatus, mitius exilium concedat. Postremò inducit etiam Cupidinem ad ea respondentem.*

SI vacat exiguum profugo dare tempus amico,
O sidus Fabiæ Maxime gentis, ades:
Dum tibi quæ vidi referam; seu corporis umbra,
Seu veri species, seu fuit ille sopor.
Nox erat: & [a] bifores intrabat Luna fenestras,
Mense ferè medio quanta nitere solet.
Publica me requies curarum somnus habebat,
Fusáque erant toto languida membra toro:
Cum subitò pennis agitatus inhorruit aër;
Et gemuit parvo mota fenestra sono.
Territus in cubitum relevo mea membra sinistrum:
Pulsus & è trepido pectore somnus abit.
Stabat [b] Amor vultu, non quo prius esse solebat,
[c] Fulcra tenens lævâ tristis acerna manu.

INTERPRETATIO.

Si licet præbere breve spatium amico exsuli, adesto, ô Maxime, splendor gentis Fabiæ: dum tibi narrabo quæ intuitus sum, sive illud fuit spectrum, sive repræsentatio veri, sive somnus. Nox erat, & Luna subibat fenestras bipartitas, propemodùm quanta solet splendere mense medio. Sopor communis requies curarum tenebat me; & artus inertes erant strati toto lecto; cùm repentè aër concussus alis intremuit, & fenestra mota crepuit exiguo sono. Tremefactus tollo meos artus in cubitum sinistrum; & sopor fugatus excessit ex pavido pectore. Amor consistebat vultu, non quo antè consueverat, mœstus tractans manu sinistrâ scipionem acernum;

NOTÆ.

[a] *Bifores*] Bipartitas.
[b] *Amor*] Cupido deus.
[c] *Fulcra*] Baculum ex acere ligno factum.

Nec torquem collo, nec habens [d] crinale capillis;
Nec bene diſpoſitas comtus, ut [e] antè, comas.
Horrida pendebant molles ſuper ora capilli;
Et viſa eſt oculis humida penna meis.
Qualis in aëriæ tergo ſolet eſſe columbæ,
Tractantum multæ quam tetigère manus.
Hunc, ſimul agnovi, (neque enim mihi notior alter),
Talibus affata eſt libera lingua ſonis:
O puer, exſilii decepto cauſſa [f] magiſtro,
Quem fuit utilius non [g] docuiſſe mihi;
[h] Huc quoque veniſti, pax eſt ubi tempore nullo,
Et coït [i] adſtrictis barbarus Iſter aquis?
Quæ tibi cauſſa viæ? niſi uti mala noſtra videres?
Quæ ſunt, ſi neſcis, invidioſa tibi.
Tu mihi dictaſti juvenilia carmina primus:
Appoſui [k] ſenis te duce quinque pedes.
Nec me [l] Mæonio conſurgere carmine, nec me
Dicere magnorum paſſus es acta ducum.
Forſitan exiguas, aliquas tamen, [m] arcus & ignis
Ingenii vires comminuêre mei.
Namque ego dum canto tua regna, tuæque [n] parentis,
In nullum mea mens grande vacavit opus.

INTERPRETATIO.

neque habens torquem in collo, neque crinale in capillis, neque crines bene compositos ornatos ut priùs. Crines delicati fluebant super faciem hispidam; & alæ visæ sunt madidæ oculis meis: Quales solent esse in tergo columbæ aëriæ, quam multæ manus tractantium tetigerunt. Cùm primùm cognovi, (neque enim alius mihi familiarior) lingua mea *libera est alloquuta* cum *hujusmodi vocibus. O puer caussa fugæ deluso præceptori, quem fuit mihi commodius non erudivisse, accessisti etiam huc, ubi nunquam pax datur, & Danubius barbarus concrescit gelidis aquis? Quæ tibi caussa itineris, nisi ut cerneres nostram calamitatem? quæ, si ignoras, est tibi invidiæ. Tu primus suggessisti mihi versus juveniles: te autore adjeci quinque pedes senis. Neque sivisti me ferè clarum versu Homerico, neque me cantare facta ingentium imperatorum. Arcus & ignis fregerunt vires ingenii mei fortè parvas, attamen non nullas. Namque dum ego celebro tua regna, & tuæ matris, ingenium meum non dedit operam ulli magno Poëmati.*

NOTÆ.

[d] *Crinale*] Faſciam, quâ cohibentur crines, ne in os defluant.

[e] *Ante*] Quo tempore Amatoria Naſoni ſuadebat.

[f] *Magiſtro*] Me Ovidio Amorum Doctore.

[g] *Docuiſſe*] Cupidinem Amoris Magiſtrum habuit Naſo *ſcilicet.*

[h] *Huc*] In Scythiam ubi exulo.

[i] *Adſtrictis*] *Gelu compactis.*

[k] *Senis*] Pedibus *ſcil.* quibus conſtat hexameter pentametro præpoſitus. Cujuſmodi verſuum genere Amatoria ſcripſit Naſo.

[l] *Mæonio*] *Heroico*, quali uſus eſt Homerus Mæonius.

[m] *Arcus*] Quæ arma ſunt Cupidinis, à quo corruptum ingenium aut comminutum queritur Poëta.

[n] *Parentis*] Veneris *ſcil.*

Nec satìs id fuerat; stultus quoque carmina feci,
[o] Artibus ut posses non rudis esse meis.
Pro quibus exsilium misero mihi reddita merces:
Id quoque in extremis, & sine pace, locis.
At non [p] Chionides Eumolpus in [q] Orphea talis;
In [r] Phryga nec Satyrum talis Olympus erat.
Præmia nec [s] Chiron ab Achilli talia cepit,
Pythagoræque ferunt non nocuisse [t] Numam.
Nomina neu referam longum collecta per ævum,
Discipulo perii solus ab ipse meo.
Dum [u] damus arma tibi, dum te, lascive, docemus;
[x] Hæc te discipulo dona magister habet.
Scis tamen; ut liquidò juratus dicere possis,
Non me legitimos sollicitasse toros.
Scripsimus hæc istis, quarum nec [y] vitta pudicos
Contingit crines, nec [z] stola longa pedes.
Dic, precor, ecquando didicisti fallere nuptas;
Et facere [a] incertum per mea jussa genus?
[b] An sit ab [c] his omnis rigidè submota libellis,
Quam lex [d] furtivos arcet habere viros?

INTERPRETATIO.

Neque illud satìs fuerat: insanus scripsi quoque versus, ut posses non esse imperitus aut ineptus meis Artibus. Pro quibus exsilium est attributum præmium mihi infelici, atque illud in locis remotissimis & sine pace. At Eumolpus Chionides non erat talis erga Orpheum; neque Olympus talis erga Satyrum Phrygem. Neque Chiron reportavit similem mercedem ab Achille; & dicunt Numam non obfuisse Pythagoræ. Neve recenseam nomina deportata ex prolixis temporibus, ego solus interii à meo discipulo. Dum instruimus te armis, dum erudimus te, lascive, præceptor refert hæc præmia te discipulo. Habes tamen compertum, & possis profiteri verè juratus, me nihil quicquam machinatum esse adversus lectos legitimos. Ista scripsimus iis, quarum neque vitta tangit comas pudicas, neque prolixa stola pedes. Dic, quæso, ecquando doctus es decipere nuptas, & reddere sobolem incertam per mea præcepta. An omnis fœmina sit severè repulsa ab his libellis, quam lex vetat habere viros adulteros?

NOTÆ.

[o] *Artibus*] Libris de Arte amandi.

[p] *Chionides*] Chiones filium Eumolpum suprà diximus.

[q] *Orphea*] Orpheum insignem vatem & Theologum Thracium jam sæpiùs habuimus.

[r] *Phryga*] Marsyam dicit Celænis Phrygiæ oppido oriundum, qui tibiâ Appollinem ausus provocare.

[s] *Chiron*] Centaurus, de quo in Metam. Achillis præceptor.

[t] *Numam*] Ex illorum opinione loquitur, qui hunc Romanorum regem secundum Pythagoræ Philosophi discipulum credunt fuisse.

[u] *Damus arma*] Præcepta sua de expugnandis puellis arma vocat.

[x] *Hæc*] Exilium *scil.*

[y] *Vitta*] Vestalium & matronarum capitis tegmen aut fascia coërcendis crinibus fuit.

[z] *Stola*] Vestis erat quæ ad imos pedes defluebat.

[a] *Incertum*] Nothi certè quo patre nati sint ut plurimùm ignorant.

[b] *An sit*] Vana excusatio; namque venenum quod in Amoribus Naso propinavit ad omnes pariter est derivatum.

[c] *His*] Amatoriis *scil.*

[d] *Furtivos*] Cujusmodi sunt adulteri, qui furtim ad alienas uxores commeant.

Quid tamen hoc prodest, vetiti si [e] lege severâ
  Credor adulterii composuisse [f] notas ?
At tu [g] sic habeas ferientes cuncta [h] sagittas ;
  Sic nunquam rapido [i] lampades igne vacent ;
Sic regat imperium, terrásque coërceat omnes
  Cæsar , ab [k] Æneâ qui tibi fratre nepos ;
Effice , sit nobis non implacabilis ira ;
  Meque loco plecti commodiore velit.
Hæc ego visus eram [l] puero dixisse volucri.
  Hos visus nobis ille dedisse [m] sonos.
Per mea tela faces, & per mea tela sagittas ,
  Per matrem juro, Cæsareúmque caput ;
Nil, nisi concessum, nos te didicisse magistro ;
  [n] Artibus & nullum crimen inesse tuis.
Utque hoc, sic utinam defendere cætera posses !
  Scis aliud, quod te læserit , esse magis.
Quicquid id est (neque enim debet dolor ille referri)
  Non potes à culpâ dicere abesse tuâ.
Tu licèt erroris sub imagine crimen obumbres ;
  Non gravior merito vindicis ira fuit.
Ut tamen aspicerem , consolarerque jacentem ,
  Lapsa per immensas est mihi penna vias.

INTERPRETATIO.

Quid tamen istud juvat , si dicor scripsisse præcepta adulterii interdicti lege rigidâ ? At tu , sic habeas spicula vulnerantia omnia ; sic nunquam faces careant flammâ violentâ ; Sic Cæsar, qui est tibi nepos à fratre Æneâ , administret imperium , & compescat omnes terras , fac ira ejus non sit nobis inexorabilis , & patiatur me puniri in loco minus molesto. Ego visus eram dixisse hæc puero alato ; ille visus est reposuisse nobis has voces. Juro per mea tela tædas , & per mea tela sagittas , per genitricem & Caput Cæsareum , nos nihil didicisse te præceptore nisi permissum ; & nullum crimen esse in Artibus tuis: Utinam posses tueri cætera sicut istud! Nosti esse magis aliud quod te perdiderit. Quicquid illud est (neque verò ille dolor debet memorari) non potes dicere carere tuo crimine. Quamvis tu tegas delictum sub specie erroris , ira ultoris non fuit sævior merito. Ut tamen viderem & consolarer te afflictũ, ala mea descendit per immensas vias.

NOTÆ.

[e] *Lege*] Juliam dicit , quæ in adulteros gladio neque temerè animadvertebat.

[f] *Notas*] Versus intelligit , quibus adulteria suasisse Naso arguebatur.

[g] *Sic*] Formulâ utitur solenni , cùm quidpiam impensè magis aliquis ab alio expeteret.

[h] *Sagittas*] Quæ altera arma Cupidinis.

[i] *Lampades*] *Faces*, Cupidinis altera tela, ut docuit noster in lib. de Arte.

[k] *Æneâ fratre*] Cupidinis Æneas frater, si quidem matrem uterque habuit Venerem. Augustus verò Cupidinis nepos , quia Julii Cæsaris filius per adoptionem, qui Julius ab Iulo seu Ascanio Æneæ filio, genus suum ducebat, aut ducere dicebatur.

[l] *Puero*] Cupidini alato.

[m] *Sonos*] *Verba*.

[n] *Artibus*] *Libellis de Arte Amandi.*

[o] Hæc loca tum primùm vidi, cùm matre rogante
[p] Phasias est telis fixa puella meis.
Quæ nunc cut iterùm post sæcula longa revisam,
Tu facis, ô castris miles amice meis.
Pone metus igitur; mitescet Cæsatis ira:
Et veniet votis mollior hora tuis.
Neve motam timeas, tempus, quod quætimus, instat:
Cunctáque lætitiæ plena [q] ttiumphus habet.
Dum [r] domus, & nati, dum mater Livia gaudet:
Dum gaudes Patriæ magne Ducísque [s] Pater:
Dum tibi gratatur populus, totámque pet Urbem
Omnis [t] odoratis ignibus ara calet:
Dum faciles aditus ptæbet venetabile [u] templum;
Sperandum nosttas posse valete preces.
Dixit; & aut ille est tenues dilapsus in autas,
Cœperunt sensus aut vigilate mei.
Si dubitem, quin his faveas ô, [x] Maxime, dictis,
[y] Memnonio cignos eisse colore putem.
Sed neque mutatut nigrâ pice lacteus humor:
[z] Nec, quod erat candens, fit [a] terebinthus, ebur.

INTERPRETATIO.

Aspexi tum primùm hæc loca, cùm jussu genitricis puella Phasias est vulnerata meis telis. Quæ quidem loca tu causa es ut nunc repetam denuò post longa tempora, ô miles amice castris meis. Omitte ergo timeres: ira Cæsaris lenietur; & tempus mitius dabitur tuis desideriis. Et ne metuas dilationem, hora quam poscimus propè est; & Triumphus habet omnia plena gaudii. Dum domus & filii, dum genitrix Livia lætatur; dum lætaris Pater ingens Patriæ & ducis; dum plebs tibi gratalatur, & omne altare est incensum flammis odoratis; dum templum venerandum dat accessus faciles, sperandum preces nostras posse valere. Dixit, & aut ille evanuit in subtilem aërem, aut mei sensus cœperunt vigilare. Si dubitem quin faveas his vocibus, ô Maxime, credam cygnos esse colore Memnonio. Sed neque liquor lacteus transit in atram picem, neque ebur quod erat album, fit terebinthus.

NOTÆ.

[o] *Hæc*] Scythica *scil.*

[p] *Phasias*] Medea est, cui à Phasi Colchorum fluvio, quibus imperabat Æëtes ejus pater, hoc nomen datum.

[q] *Triumphus*] Pannonium intellige seu Dalmaticum, quem quarto anno ab Ovidii fugâ Tiberius egit.

[r] *Domus*] Augusta *scil.* cum Augusti filiis, Tiberio, & Germanico, itemque uxore Livia.

[s] *Pater*] Augustum dicit Tiberii ducis patrem per adoptionem, & patriæ per amorem & curas. Cæterùm assenterer me utrique, Tiberio præsertim, nihil opus est ut ego dicam.

[t] *Odoratis*] Ex thure per triumphi lætitiam apposito.

[u] *Templum*] Capitolium *scil.* quo Triumphantes ascendebant, Jovi gratias acturi.

[x] *Maxime*] Fabium Maximum alloquitur Naso.

[y] *Memnonio*] Nigro, cujusmodi Memnonis Æthiopis Auroræ ex Tithono filii color fuisse dicitur.

[z] *Nec quod*] Adeòque neque Tu, Maxime, unquam mutaberis.

[a] *Terebynthus*] Arbor est eximii ac nigri splendoris in Syriâ præsertim nascens.

Conveniens animo genus est tibi: nobile namque
Pectus & [b] Herculeæ simplicitatis habes.
Livor iners virium mores non exit in [c] istos;
Utque latens imâ vipera serpit humo.
Mens tua sublimis supra genus eminet ipsum:
Grandius ingenio nec tibi nomen inest.
Ergo alii noceant miseris, optentque timeri:
Tinctáque mordaci [d] spicula felle gerant.
At tua supplicibus domus est assueta juvandis:
In quorum numero me precor esse velis.

INTERPRETATIO.

Genus est tibi simile animo; namque habes cor generosum & candorem Herculei. Invidia vitium ignavum non infestat istos mores; & repit veluti vipera condita terrâ infimâ. Animus tuus excelsus tollitur supra nobilitatem ipsam; neque nomen est tibi illustrius naturâ. Alii igitur obsint afflictis, & cupiant esse pavori, & ferant sagittas infectas felle amaro. At tua domus solet opem ferre abjectis; in quorum numero oro patiaris me esse.

NOTÆ.

[b] *Herculeæ*] Qualis fuit in Hercule, quem Plutarchus Fabiæ gentis auctorem scripsit.

[c] *Istos*] Tuos candidos.

[d] *Spicula*] De linguæ intelligit præsertim venenatis aculeis.

EPISTOLA IV.

RUFINO.

ARGUMENTUM.

Hæc tibi non vanam.] *Tiberii ovationem seu triumphum de Germania, vel potius de Illyrio, Romam mittens Poeta Rufino amico & doctissimo viro commendat. Excusatque se multis rationibus, quod non ita eleganter materiam istam absolvat, ut aquum fuerat. Postremò vertit sermonem ad Liviam Cæsaris matrem, vaticinatúrque fore, ut brevi alterum etiam triumphum de Germaniâ ipsa consequatur, ut inferiùs dicemus.*

HÆc tibi non vanam portantia verba salutem,
Naso Tomiranâ mittit ab urbe tuus;
Utque [a] suo faveas mandat, Ruffine, Triumpho;
In vestras venit si tamen ille manus.

INTERPRETATIO.

Naso tuus mittit tibi ab urbe Tomitanâ has voces ferentes salutem veram, Rufine, atque jubet ut faveas suo triumpho, si tamen ille venit in vestras manus.

NOTÆ.

[a] *Suo*] Quia illum in Tiberii honorem scripserat; quem temporis injuria, ut multa alia, nobis præripuit.

Est opus exiguum, [b] vastísque paratibus impar.
Quale tamen cunque est, ut tueare rogo.
Firma valent per se, nullúmque [c] Machaona quærunt:
Ad medicam dubius confugit æger opem.
Non opus est magnis placido lectore poëtis:
Quamlibet invitum difficilémque tenent.
Nos, quibus ingenium longi minuêre labores,
Aut etiam nullum forsitan antè fuit,
Viribus infirmi, vestro [d] candore valemus.
Quem mihi si demas, [e] omnia rapta putem.
Cunctáque cùm mea sint propenso nixa favore
Præcipuum veniæ [f] jus habet [g] ille liber.
Spectatum vates alii scripsêre triumphum.
Est aliquid memori visa notare manu.
Nos ea vix avidam [h] vulgo captata per aurem
Scripsimus: atque oculi [i] fama fuêre mei.
Scilicet affectus similes, aut impetus idem,
Rebus ab auditis conspicuísque [k] venit?
Nec nitor argenti, quem vos vidistis, & auri,
Quod mihi defuerit, purpuráque illa, queror.
Sed loca, sed gentes [l] formatæ mille figuris
Nutrîssent carmen, [m] præliáque ipsa meum.

INTERPRETATIO.

Opus est tenue, neque conveniens magno apparatui. Qualecumque tamen est, oro ut defendas. Quæ sana sunt stant per se, neque recurrunt ad ullum Machaonem; ægrotus incertus implorat auxilium medici. Non opus est lectore indulgente Poëtis excellentibus; tenent quantumvis nolentem & morosum. Nos quibus labores diutini fregerunt ingenium, aut fortè quoque nullum priùs fuit, debiles viribus, probamur vestro favore: quem si mihi auferas, credam omnia sublata. Et cùm omnia mea sint sustentata favore benevolo, ille liber habet jus maximum indulgentiæ. Alii Poëtæ descripserunt Triumphum conspectum. Est aliquid signare visa manu memori. Nos scripsimus ea ægrè quæsita per vulgus aure cupidâ: atque oculi mei fuerunt rumor. Quasi verò affectus pares, seu idem furor oriatur ex rebus auditis & visis? Neque doleo quòd splendor argenti & auri, quem vos aspexistis, & illa purpura mihi defuerit. Verùm loca, verùm nationes ficta mille modis, & ipsa certamina aluissent meos versus.

NOTÆ:

[b] *Vastu*] Non sine maximo apparatu *scil.* Triumphus ille de Illyriis & Pannoniis actus est.

[c] *Machaona*] Fuit Machaon insignis inter Græcos ad Trojam medicus Æsculapii filius; cui Rufinum similem facit Naso, ut ejus ope, quam orat, Carmen suum stare possit.

[d] *Candore*] Animi æquitate & benevolentiâ.

[e] *Omnia*] Ut carmen meum nullius sit pretii.

[f] *Jus*] Quia Materia amplissima, & de Imperatoris Tiberii Triumpho.

[g] *Ille*] De Cæsaris triumpho.

[h] *Vulgo*] Neque ullo certo Auctore, qui singula accuratè referret.

[i] *Fama*] Quia non aliter quàm audiendo quæ fuerit Triumphi pompa cognoscere potuit.

[k] *Venit*] Ut minor sit impetus ex auditis, quàm qui ex visis oritur.

[l] *Formata*] In tabulis pictæ, quæ per triumphum ostentabantur.

[m] *Prælia*] In tabulis descripta.

Et [n] Regum vultus certiſſima [o] pignora mentis,
Juviſſent aliqua forſitan illud opus.
Plauſibus ex ipſis populi lætoque favore
Ingenium quodvis incaluiſſe poteſt.
Tamque ego ſumſiſſem tali clangore vigorem,
Quàm rudis auditâ miles ad arma tubâ.
Pectora ſint nobis nivibus glacieque licebit,
Atque hoc, quem patior, [p] frigidiora loco:
[q] Illa Ducis facies in curru ſtantis [r] eburno
Excuteret frigus ſenſibus omne meis.
His ego defectus, dubiiſque auctoribus uſus,
Ad veſtri venio jure favoris opem.
Nec mihi nota ducum, nec ſunt mihi nota locorum
Nomina: materiam vix habuêre manus.
[s] Pars quota de tantis rebus, quam Fama referre,
Aut aliquis nobis ſcribere poſſet, erat?
Quò magis, ô lector, debes ignoſcere, ſi quid
Erratum ſt [t] illic, præteritúmve mihi.
Adde, quòd aſſiduam [u] domini meditata querelam
Ad [x] lætum carmen vix mea verſa [y] lyra eſt.
Vix bona pòſt [z] tanto quærenti verba ſubibant:
Et gaudere aliquid, res mihi viſa nova eſt.

INTERPRETATIO.

Atque facies regum, indicia indubitata animi, contuliſſent fortè aliquid ad illud poëma. Quodlibet ingenium poteſt efferbuiſſe ex ipſis plauſibus & alacri favore plebis. Atque ego tam cepiſſem vires hujuſmodi acclamationibus, quàm miles inexpertus belli auditâ tubâ. Tametſi cor eſſet nobis frigidius nivibus & glacie, atque iſto loco, quem fero, ille vultus Imperatoris ſedentis in curru eburneo expelleret omnem torporem ſenſibus meis. Ego deſtitutus iſtis, & uſus auctoribus incertis non ſine causâ recurro ad auxilium veſtri favoris. Neque nomina ducum, neque nomina locorum ſunt mihi perſpecta: manus ægrè habuerunt argumentum. Quota pars erat de tantis rebus, quam fama poſſet narrare nobis, aut quiſpiam ſcribere? Quò magis, ô Lector, debes dare veniam, ſi quid eſt ibi peccatum & prætermiſſum à me. Adjice quòd mea lyra quæ incubuit continua querimonia domini, ægrè mutata eſt ad feſtivum poëma. Vix læta voces recurrebant mihi *inveſtiganti tanto* tempore *pòſt; atque lætari ob rem aliquam eſt mihi viſa res inuſitata.*

NOTÆ.

[n] *Regum*] Qui vincti in Triumphi ſpectaculis.

[o] *Pignora*] Vultus enim animi index.

[p] *Frigidiora*] A que adeò ad inveniendum & componendum minùs apta.

[q] *Illa Duc.*] Magnificè & callidiſſimè, quaſi aliud agendo, Tiberio aſſentatur Naſo.

[r] *Eburno*] Quia in illo Sella curulis eburnea.

[s] *Pars quota*] Minimam fuiſſe innuit.

[t] *Illic*] In Triumphi deſcriptione.

[u] *Domini*] Naſonis *ſcil.*

[x] *Lætum*] Cujuſmodi eſſe debet Triumphale.

[y] *Lyra*] Pro ingenio aut ſcribendi arte poſuit.

[z] *Tanto*] *Tempore* ſupple: quemadmodum *longo poſt tempore* dixit Virgilius

Utque

Utque reformidant insuetum lumina Solem,
  Sic ad lætitiam mens mea segnis erat.
Est quoque cunctarum [a] novitas carissima rerum;
  Gratiáque officio, quod mora tardat, abest.
Cætera certatim de magno scripta triumpho
  Jampridem populi suspicor ore legi.
[b] Illa bibit sitiens, lector mea pocula plenus:
  Illa recens pota est, nostra [c] tepescit aqua.
Non ego cessavi, nec fecit inertia serum;
  Ultima me vasti sustinet ora freti.
Dum venit huc rumor, properatáque carmina fiunt,
  Factáque eunt ad vos, annus abîsse potest.
[d] Nec minimùm refert, intacta rosaria primus,
  An serâ carpas pæne relicta manu.
Quid mirum, lectis exhausto floribus horto,
  Si Duce non facta est digna corona suo?
Deprecor, hæc vatum contra sua carmina ne quis
  Dicta putet. pro se Musa locuta mea est.
Sunt mihi vobiscum communia sacra, poëtæ;
  In vestro [e] miseris si licet esse choro.
Magnáque pars animæ mecum vixistis, amici:
  Hac ego vos absens nunc quoque parte colo.
Sint igitur vestro mea commendanda favori
  Carmina, non possum pro [f] quibus ipse loqui.

INTERPRETATIO.

Et quemadmodum oculi metuunt Solem insolitum, ità animus meus erat piger ad gaudium. Novitas est etiam gratissima omnium rerum; & favor destituit officium quod cunctatio remoratur. Conjicio cætera scripta certatim de magno triumpho jam pridem teri ore populi. Lector avidus potat illa pocula expletus mea: ille liquor novus haustus est, noster languescit. Ego non requievi, neque ignavia reddidit tardum; novissima regio magni maris habet me. Dum fama huc penetrat, & versus festinati panguntur, & compositi transmittuntur ad vos, annus potest effluxisse. Neque minimùm interest primus legas rosaria integra, an serò omissa, manu tardâ. Quid mirum si horto spoliato floribus collectis, sertum non est compositum dignum suo duce? Absit, ut quisquam Poëtarum credat hæc prolata adversus suos versus; Musa mea loquuta est pro se. O Poeta, sacra sunt mihi communia vobiscum, si conceditur miseris esse in vestro cœtu. Atque amici vixistis mecum pars animæ meæ; ego quoque vos veneror nunc dissitus in hac regione. Versus ergo mei, pro quibus ego non possum loqui, sint commendandi vestra benevolentia.

NOTÆ.

[a] *Novitas*] Ut qui primi Poëtæ Tiberii triumphum descripserint dum recens erat in potiori fuerint conditione. Quâ ex re sibi ignoscendi novam rationem petit Naso.

[b] *Illa*] Aliorum poëmata poculis quæ sitientes avidè corripiant, comparat.

[c] *Tepescit*] Nauseam verò creat aqua tepida; cui argutè Carmen suum simile facit Poëta.

[d] *Nec minimùm*] Comparatio nova; quâ insuper se favore dignum esse contendit.

[e] *Miseris*] Qualis ego sum.

[f] *Quibus*] Carminibus *scil.* quæ in tantum remotus non possum defendere.

[g] Scripta placent à morte ferè; quia lædere vivos
Livor, & injusto carpere dente solet.
Si genus est mortis [h] malè vivere; terra [i] moratur:
Et desunt fatis sola sepulcra meis.
Denique opus nostræ culpetur ut undique curæ,
[k] Officium nemo qui reprehendat erit.
Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas:
Hac ego contentos auguror esse Deos.
Hæc facit, ut veniat pauper quoque gratus ad aras;
Et placeat cæso non minùs agna bove.
[l] Res quoque tanta fuit, quantæ [m] subsistere summo
[n] Æneïdos vati grande fuisset onus.
Ferre etiam molles elegi tam vasta triumphi
Pondera [o] disparibus non potuêre rotis.
Quo pede [p] nunc utar, dubia est sententia nobis.
Alter enim de te, Rhene, triumphus adest.
Irrita verorum non sunt præsagia vatum.
Danda Jovi [q] laurus, dum prior illa viret.
Nec mea verba legis, qui sum submotus ad [r] Istrum,
Non bene pacatis flumina pota Getis:

INTERPRETATIO.

Scripta propè grata sunt post obitum, quia invidia consuevit mordere & appetere superstites dente iniquo. Si species est obitus infeliciter vivere, terra me expectat; & sola sepulcra desunt meæ morti. Denique, quamvis opus nostri studii reprehendatur, nullus erit qui damnet studium & voluntatem meam. Tametsi vires deficiant, nihilominus conatus est probandus: conjicio Deos esse contentos eo. Is præstat, ut inops accedat etiam gratus ad altaria, & agna non minùs sit accepta tauro mactato. Res etiam tanta fuit quantam ferre fuisset onus magnum p[illegible] tissimo Auctori Æneidos. Teneri quo[illegible] non potuerunt portare rotis inæqual[illegible] magna pondera triumphi. Quo pede nunc utar incertus sum, alter enim triumph[illegible] de te prope est Rhene. Omnia veridicorum pe[illegible] tarum non sunt vana. Laurus o[illegible] erenda [illegible] dum illa prior viret. Neque legis mea dicta qui sum relegatus ad Danubium fluvium haustum à Getis malè pacatis.

NOTÆ.

[g] *Scripta*] Rationem dicit, ob quam versus sui sint minùs carpendi; quia *scilic.* in mortuis magis quàm in vivis sit recensendus.

[h] *Malè*] Infeliciter.

[i] *Moratur*] Quasi mortuum exspectat.

[k] *Officium*] *Studium, & Voluntatem.*

[l] *Res*] Triumphi descriptio.

[m] *Subsistere*] *Parem esse oneri ferendo.*

[n] *Æneid.*] Virgilio *scil.*

[o] *Disparibus*] Istud dicit, quia in Carmine Elegiaco Hexameter uno pede Pentametro major est.

[p] *Nunc*] Postquam heroïco carmine ab aliis, Elegis à se Tiberii descriptus sit Triumphus, & novus describendus instet.

[q] *Laurus*] Lauro coronati in Capitolium ascendebant Triumphantes, qui ibidem more optimo, cætera si paria fuissent, Jovi Lauream suam deponebant. Per illud ade[illegible]e quòd novam laurum Jovi dandam d[illegible]cit dum prior viret, intellige eum dicere, novum Triumphum à Tiberio ducendum de Germaniâ, dum laurea ex Illyrico Triumpho in Capitolio viresceret.

[r] *Istrum flumina*] Appositio.

Ista [f] Dei vox est : Deus est in pectore nostro.
Hæc duce prædico vaticinórque Deo.
Quid cessas currum pompámque parare triumphis,
Livia? jam [t] nullas dant tibi bella moras.
[u] Perfida [x] damnatas Germania projicit hastas.
Jam [y] pondus dices omen habere meum.
Crede, brevíque fides aderit; geminabit honorem
Filius, & junctis, ut prius, [z] ibit equis.
Prome, quod injicias humeris victoribus, [a] ostrum.
Ipsa potest solitum nosse corona caput.
Scuta, sed & galeæ gemmis radientur & auro,
Stentque super vinctos [b] trunca tropæa viros.
[c] Oppida turritis cingantur eburnea muris:
Fictáque res [d] vero more putetur agi.
Squallidus immissos [e] fractâ sub [f] arundine crines
Rhenus, & [g] infectas sanguine portet aquas.
Barbara jam capti poscunt [h] insignia Reges,
Textáque fortunâ [i] divitiora suâ.

INTERPRETATIO.

Ista est vox Dei : Deus est in nostro corde; Prædico & Vaticinor hac Deo duce. Livia quid moraris adornare currum & pompam Triumphis? Nulla bella jam te retinent. Perfida Germania abjicit hastas damnatas. Jam dices præsagium meum habere pondus. Fidem habe, & brevì fides fiet, filius repetet honorem, atque vehetur ut antea equis junctis. Para purpuram, quam insternas humeris victoribus. Ipsa laurea potest cognoscere caput assuetum. Verùm cassides & clypei distinguantur gemmis & auro, & tropha trunca stent super viros ligatos. Urbes eburneæ muniantur muris turritis; & res ficta credatur agi vero more. Rhenus squallidus ferat capillos collectos sub junco lacero, & aquas tinctas cruore. Jam reges captivi petunt ornamenta barbara, & vestes pretiosiores sorte suâ.

NOTÆ.

[f] *Dei*] Apollinis *scil.* à quo correptum se Poëta innuit.

[t] *Nullas*] Quasi dicat, nullam deinceps gentem adversùs Tiberium stare posse.

[u] *Perfida*] Propter cladem Vari istud dicit, qui à Germanis in silvas per fraudem deductus, cum tribus legionibus, sex cohortibus & tribus alis equitum cæsus est; nisi quod ipse & multi alii sibi manus intulerunt.

[x] *Damnatas*] Utpote sceleris pœnitens, bella damnabat Germania.

[y] *Pondus*] Non esse vanum.

[z] *Ibit*] Triumphabit de novo.

[a] *Ostrum*] Purpuream togam & palmatam, quâ Triumphantes in Capitolium ducebantur.

[b] *Trunca*] Quia ex arboribus amputatis hosti detracta arma & spolia, monumenta victoriæ, suspendebant.

[c] *Oppida*] Illorum simulacra ex ebore aut argento in Triumphorum ferculis transvehebantur.

[d] *Vero*] Quasi non simulacra urbium, sed urbes verè essent.

[e] *Fractâ*] Propterea quòd victus.

[f] *Arundine*] Coronâ arundineâ, cujusmodi fluviorum diis affixerunt Poëtæ.

[g] *Infectas*] Ex interfectorum cruore.

[h] *Insignia*] Quia patrio more decorati, quanquam vincti per Triumphum victi reges ducebantur.

[i] *Divitiora*] Quia ipsi reges omnibus exuti fortunis suis.

Et [k] quæ præterea virtus invicta [l] tuorum
Sæpe [m] parata tibi, sæpe paranda facit.
Dî quorum monitu sumus eventura locuti,
Verba (precor) [n] celeri nostra probate fide.

INTERPRETATIO.

Et quæ præterea à te adornata sæpe virtus invicta tuorum facit sæpe adornanda. Dii, quorum jussu diximus futura, confirmate, oro, vaticinia nostra fide veloci.

NOTÆ.

[k] *Quæ*] Prome *scil.*
[l] *Tuorum*] Augusti & liberorum.
[m] *Parata*] Quia illi triumphaverant.
[n] *Celeri*] Quæ celeri effectu appareat.

EPISTOLA V.

MAXIMO COTTÆ.

ARGUMENTUM.

Quam legis.] *Ad maximum Cottam hanc epistolam mittit, ad quem etiam superiùs scripserat: laudátque ejus orationem, quam Romæ in foro judiciali habitam, legendam miserat: precatúrque, ut crebrò studii sui hujusmodi pignora mittat. Deinde dicit se absentem illum tanquam præsentem intueri, viderique cum eo Romæ esse, tanquam in cœlo. Cùm verò meminit se esse in Scythiâ, dicit videri se ad inferos reverti.*

QUam legis, unde tibi mittatur epistola, quæris?
Hinc, ubi [a] cæruleis jungitur Ister aquis.
Ut [b] regio dicta est; succurrere debet & auctor,
[c] Læsus ab ingenio Naso poëta suo.
Qui tibi, quam mallet præsens adferre salutem,
Mittit ab [d] hirsutis, Maxime Cotta, Getis.
Legimus, ô juvenis, patrii non degener [e] oris,
Dicta tibi pleno [f] verba diserta foro.
Quæ, quanquam linguâ mihi sunt [g] properante per horas,
Lecta satìs [h] multas, [i] pauca fuisse queror.

INTERPRETATIO.

Petis unde epistola quam legis ad te mittatur? Hinc ubi Danubius miscetur aquis glaucis. Postquam ora dicta est, autor Naso, vates afflictus ab ingenio suo debet etiam in mentem venire. Qui mallet afferre tibi præsens salutem, quam mittit ab hispidis Getis. Legimus, ô juvenis, qui non descivisti ab ore patrio, verba prolata à te in foro frequenti. Quæ quamvis sunt lecta à me linguâ festinâ, per horas satìs multas, doleo fuisse pauca.

NOTÆ.

[a] *Caruleu*] Maris Pontici.
[b] *Regio*] In quâ ego vitam traho.
[c] *Læsus*] Quia propter ingenium, seu potiùs illius in scribendis amatoriis abusum patriâ pulsus.
[d] *Hirsutis*] Quia hirsutis pellibus induti, qui moribus & vultu asperi atque hispidi.
[e] *Oris*] Pro Eloquentiâ posuit.
[f] *Verba*] *Orationem.*
[g] *Properante*] Ut solent qui aliquid jucundum legunt.
[h] *Multas*] Ut hinc copiosum Cottæ dicendi genus intelligatur.
[i] *Pauca*] Quia gratissima.

Plura sed hæc feci [k] relegendo sæpe; nec unquam
Non mihi, quàm primò, grata fuêre [l] magis.
Cùmque nihil toties lecta è dulcedine perdant,
Viribus illa suis, non novitate, placent.
Felices, quibus hæc ipso cognoscere in [m] actu,
Et tam facundo contigit ore frui!
Nam quanquam sapor est allatâ dulcis in undâ,
Gratiùs ex ipso [n] fonte bibuntur aquæ.
Et magis [o] adducto pomum decerpere ramo,
Quàm de cælatâ sumere lance juvat.
At nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset,
Quod legi, tua vox exhibuisset opus.
Utque fui solitus, sedissem [p] forsitan unus
De centum judex in tua verba viris.
Major & implesset præcordia nostra voluptas,
Cùm [q] traherer dictis annuerémque tuis.
[r] Quem quoniam fatum, vobis patriâque relictis,
Inter inhumanos maluit esse Getas:
Quod licet, ut videar tecum magis esse, legendo,
Sæpe, precor, studii [s] pignora mitte tui:

INTERPRETATIO.

Verùm feci ea plura relegendo sæpe, neque unquam fuerunt mihi non magis accepta quam primò. Et cùm toties lecta nihil amittant de suâ jucunditate, illa grata sunt suis viribus non novitate. Beati quibus licuit cognoscere hæc in ipso actu, & frui ore tam diserte. Nam tametsi sapor est gratus in aquâ allatâ, liquor ducitur gratiùs ex ipsâ scaturigine: atque magis placet deripere pomum ramo adducto, quàm petere ex patinâ sculpta. At nisi errassem, nisi mea Musa me ejecisset, vox tua obtulisset opus quod legi. Et ubi consuevi, ferè adstitissem unus arbiter ex centum viris in tua dicta. Atque major voluptas implevisset nostra viscera, dum ducerer vocibus tuis, & assentirer. Quem siquidem fors maluit esse inter feros Getas, vobis relictis & patriâ, mitte sæpe, oro, pignora studii tui, quod conceditur, ut videar ampliùs esse tecum legendo

NOTÆ.

[k] *Relegendo*] Fateatis oportet ingenii vim magnam fuisse Nasoni nostro, qui aliquid si vellet verbis ornare tam facilè posset.

[l] *Magis*] Fuerit ergo perfectissima illa oratio necesse est: namque ejus rei istud maximum indicium: quod iis maximè observandum qui aliquid memoriâ dignum student in medium proferre.

[m] *Actu*] Gestus enim & recitandi modus, si bonus est, quantam vim afferat orationi difficile non est intelligere.

[n] *Fonte*] Optimè verò hac comparatione illud nescio quid designat Naso, quod ex intimo cujusque ingenio & sensu, in accentum & vocis sonum derivatur, & ad persuadendum vim maximam habet.

[o] *Adducto*] *Ad se tracto.*

[p] *Forsitan*] Quia & Naso in centum viris fuit; uti suprà dictum.

[q] *Traherer*] *Rationibus tuis in sententiam tuam adducerer.*

[r] *Quem*] Me, *scil.*

[s] *Pignora*] Filii patrum pignora, dicuntur; tum scripta Auctorum quasi liberi intelliguntur.

Exemplóque meo, nisi dedignaris [t] idipsum,
Utere : quod nobis [u] rectiùs ipse dares.
Namque ego, qui perii jam pridem, Maxime, vobis,
Ingenio nitor non periisse meo.
Redde vicem : nec rara tui monumenta laboris
Accipiant nostræ grata futura manus.
Dic tamen, ô juvenis studiorum [x] plene meorum;
Ecquid ab his ipsis admoneare mei?
Ecquibus ut recitas factum modò carmen amicis,
Aut, quod sæpe soles, exigis ut recitent,
Interdum quæritur tua mens, oblita quid absit?
[y] (Nescio quid certè sentit abesse sui)
Utque loqui de me multùm præsente solebas,
Nunc quoque Nasonis nomen in ore tuo est?
Ipse quidem Getico peream violatus ab arcu,
(Et sit perjuri quam [z] propè pœna vides)
Te nisi momentis video pænè omnibus absens.
Gratia Dìs, menti [a] quòlibet ire licet.
[b] Hac ubi perveni, nulli cernendus, in Urbem,
Sæpe loquor tecum; sæpe loquente fruor.
Tam, mihi difficile est, quàm sit bene, dicere; quàmque
Candida judiciis illa sit hora meis.
Tum me, (si qua fides) cælesti sede receptum
Cum fortunatis suspicor esse Deis.

INTERPRETATIO.

atque utere exemplo mei, nisi contemnis id ipsum, quod ipse meliùs nobis praberes. Namque ego, qui jam diu perii vobis, Maxime, contendo non periisse ingenio meo. Par pari refer, neque manus nostra accipiant rara indicia tui studii futura mihi *grata. Dic tamen, ô juvenis plene meorum studiorum, ecquid admonearis mei ab his ipsis? Ecquibus cùm recitas amicis, aut legis versus modò conditos; aut quod sape consuevisti, requiris ut legant; doletne nonnunquam tuus animus, immemor quid desideretur? (Sanè sentit nescio quid sui desiderari.) Et sicuti consueveras multùm loqui de me prasente; nuncne etiam nomen Nasonis est in ore tuo? Ego quidem occidam vulneratus ab arcu Getico, & sit supplicium perjuri quod propè cernis, nisi absens intueor te propè omnibus momentis. Gratia Diis, conceditur animo vadere quò lubet. Postquam illo perveni in Urbem, nemini conspiciendus, sape loquor tecum; sape fruor confabulante. Difficile est mihi dicere, quàm sit tum bene, quàmque illa hora sit fausta meâ sententiâ. Si quid* mihi *creditur, tum conjicio me admissum in sedes cœlestes esse cum Diis beatis.*

NOTÆ.

[t] *Idipsum*] Exemplum meum,& opuscula quæ ad te mitto.

[u] *Rectiùs*] Quia meliùs scribis,& dignior es quem ego imiter.

[x] *Plene*] Quia ad eandem artem Poëticam animum suum adjecerat Cotta, istud dicit Naso.

[y] *Nescio quid*] S. se innuit Naso à Cottâ desiderandum.

[z] *Propè*] Quia quotidie à Getis imminet periculum.

[a] *Quòlibet*] Beneficium maximum; namque omnibus non licet eo modo seipsis frui, & quæcumque volunt mente agitare.

[b] *Hac*] Mente *scil.*

Rursus, ut huc redii, [c] cælum Superósque relinquo.
A [d] Styge [e] nec longè Pontica distat humus.
Unde ego si fato nitor prohibente reverti ;
Spem sine profectu, Maxime; [f] tolle mihi.

INTERPRETATIO.

Cùm rursus huc reversus sum, desero cœlum & Deos, neque terra Pontica procul remota est à Styge : Unde si ego contendo redire fato obstante, ô Maxime deme mihi spem nibil profuturam.

NOTÆ.

[c] *Cœlum*] Magnificè de Româ & Amicis suis loquitur.

[d] *Stygo*] Quæ Inferorum palus pro ipsis Inferis sæpe sumitur.

[e] *Nec longè*] Quia in Ponto inter Barbaros vivere, & in Inferis esse propè idem Poëtæ visum.

[f] *Tolle*] Per litteras ostendendo, fieri non posse, ut redeam. Quanquam enim in bonis nostris spem quoque recenseamus ; excidere eâ si fuerit necesse, non leve est, mihi quidem, maturè idipsum intelligere. Quanquam aliter se fecisse alicubi videtur Poëta : nisi magis rhetoricè suæ ibi serviviſſe causæ & votis arbitreris.

EPISTOLA VI.

AMICORUM CUIDAM.

ARGUMENTUM.

Naso suo posuit.] *Ad amicum quendam, qui nolebat à Poëta in scriptis suis propter Augustum nominari, hanc epistolam scribit : colligitque nibil timendum esse, quandoquidem Cæsare nibil sit clementius, tamen pollicetur se non ulteriùs ejus nomen monumentis suis inserturum. Postremò rogat, ut quandoquidem tutò non possit se apertè amare, latenter saltem amicitiæ velit meminisse.*

NAso suo, nomen posuit cui pænè, sodali
Mittit ab Euxinis hoc breve carmen aquis.
At; si cauta parum scripsisset dextra, quis esses,
Forsitan officio parta [a] querela foret.
Cur tamen, hoc aliis tutum credentibus, unus,
Appellent ne te carmina nostra, rogas ?
Quanta sit in mediâ clementia Cæsaris irâ,
Ex me, si nescis, certior esse potes.

INTERPRETATIO.

Naso mittit suo socio, cui ferè addidit nomen, istud exiguum poëma ab aquis Euxinis. At si manus parùm provida scripsisset quis esses, fortè querimonia esset parata officio meo. *Quamobrem tamen, cùm cæteri arbitrentur istud* esse *securum, solus petis ne versus nostri te indicent. Potes cognoscere ex me, si ignoras, quanta sit lenitas Cæsaris in mediâ irâ.*

NOTÆ.

[a] *Querela*] Quippe questus esset amicus, quòd sese eo pacto amicum esse palam fecisset : quod plurimi propter Augusti offensionem nolebant,

Huic ego, quam patior, nil possem demere pœnæ,
Si judex meriti cogerer esse mei.
Non vetat ille sui quenquam meminisse sodalis;
Nec prohibet tibi me scribere, teque mihi.
Nec scelus admittas, si consoleris amicum:
Mollibus & verbis aspera fata leves.
Cur, dum tuta times, facis ut reverentia [b] talis
Fiat in Augustos [c] invidiosa Deos?
Fulminis afflatos interdum vivere telis
Vidimus, & refici non prohibente Jove.
Nec, quia Neptunus navem [d] lacerarat Ulyssis,
[e] Leucothoë nanti ferre negavit opem.
Crede mihi, miseris cælestia numina parcunt:
Nec semper læsos & sine fine premunt.
Principe nec nostro Deus est moderatior ullus.
Justitiâ vires temperat ille suas.
Nuper eam Cæsar facto de marmore [f] templo,
Jampridem posuit [g] mentis in æde suæ.
Jupiter in multos [h] temeraria fulmina torquet,
Qui pœnam culpâ non meruêre pari.
Obruerit sævis cùm tot [i] Deus æquoris undis,
Ex illis mergi pars quota digna fuit?

INTERPRETATIO.

Si cogerer esse arbiter mei meriti, ego nihil possem detrahere supplicio quod patior. Ille non prohibet quenquam recordari sui amici, neque vetat me tibi scribere, teque mihi. Neque patraveris flagitium si consolatus fueris sodalem, & leniveris crudele fatum blandis vocibus. Quamobrem, dum reformidas quæ sunt secura, facis ut talis timor & observantia fiat invidiosa in Deos Augustos? Nonnunquam aspeximus tactos telis fulminis vitâ frui, & recreari Jove non obstante. Neque, quia Neptunus disjecerat navem Ulyssis, Leucothoë abnuit præbere auxilium naviganti. Crede mihi, numina cælestia ignoscunt afflictis, neque urgent semper & sine fine vulneratos. Neque ullus Deus est lenior nostro Principe. Ille facit modum potentiæ suæ justitiâ. Cæsar posuit eam nuper in templo structo ex marmore, jam diu in templo mentis suæ. Jupiter mittit fulmina temeraria in multos, qui non digni fuerunt per crimen pati pœnam. Cùm Deus maris tot merserit undis asperis, quota pars ex illis meruit obrui?

NOTÆ.

[b] *Talis*] Quæ facit, ut ne amicum quidem te mihi esse velis intelligi.

[c] *Invidiosa*] Omnes *scil.* odio habent illos, qui ità sunt iracundi & ad vindictam proni, ut nullas metas in ulciscendis Inimicis ponant.

[d] *Lacerarat*] Propterea quòd Polyphemum filium occæcaverat.

[e] *Leucothoë*] Nympha maris, in quam mutata Ino Cadmi filia.

[f] *Templo*] De eo cùm nihil apud idoneos auctores legatur, ad Martis ultoris ædem fortè alludit, quod ab ultione Cassii & Bruti appellatum fuit. Est enim vindicta pars quædam Justitiæ.

[g] *Mentis*] Quâ sede nulla Justitiæ magis acceptum templum.

[h] *Temeraria*] Quæ temerè & sine consilio deciduut. Ethnico more loquutus est.

[i] *Deus æquor.*] Neptunus.

Cùm

Cùm pereant acie fortissima quæque, vel ipso
Judice, [k] delectus Martis iniquus erit.
At, si fortè velis in [l] nos inquirere, nemo est
Qui se, quòd patitur, commeruisse neget.
Adde, quòd extinctos vel [m] aquâ, vel [n] Marte, vel [o] igni,
Nulla potest iterum restituisse dies.
Restituit multos, aut pœnæ parte levavit
Cæsar; & in multis me velit esse precor.
An tu, cùm tali populus sub Principe simus,
[p] Alloquio profugi credis inesse metum?
Forsitan hæc domino [q] Busiride jure timeres,
Aut [r] solito clausos urere in ære viros.
Desine mitem animum vano infamare timore.
Sæva quid in placidis saxa vereris aquis?
Ipse ego, quòd primò scripsi sine nomine vobis,
Vix excusari posse mihi videor.
Sed pavor attonito rationis ademerat usum:
Cesserat omne novis consiliúmque malis.
Fortunámque meam metuens, non vindicis iram,
Terrebar titulo nominis ipse mei.
Hactenus [s] admonitus memori concede poëtæ;
Ponar ut in chartis nomina cara suis.
Turpe erit ambobus, longo mihi proximus usu,
Si nullâ libri parte legare mei.

INTERPRETATIO.

Siquidem omnia fortissima occidant in bello, electio Martis erit injusta, vel ipso judice. At si fortè velis in nos Romanos *inquirere, nullus est qui diffiteatur se commeruisse quod patitur. Adde quòd nulla dies potest denuò refecisse oppressos vel aquâ, vel bello, vel igne. Cæsar recreavit multos, aut ademit partem pœnæ, atque oro ut velit me esse inter multos. An, cùm vivamus sub ejusmodi Principe, putas esse timorem in colloquio exsulis? fortè metueres hæc meritò Busiride domino, vel solito torrere homines clausos in ære. Omitte dedecorare placidam mentem inani metu. Quamobrem times asperos scopulos in aquis tranquillis? Ipse ego vix mihi videor posse excusari, quòd scripsi vobis sine nomine. Verùm timor sustulerat usum rationis attonito; & omne consilium recesserat recentibus ærumnis. Atque reformidans meam sortem, non iram alterius, ipse expavescebam titulo nominis mei. Admonitus eò usque indulge vati non oblito tui, ut referat nomina dilecta in suas chartas. Indecorum erit utrique, si mihi conjunctus longâ consuetudine nullâ parte libri mei legaris.*

NOTÆ.

[k] *Delectus*] Quo fortissimos quosque perimit.
[l] *Nos*] Romanos *scil.*
[m] *Aqua*] Mari aut Neptuno.
[n] *Marte*] Seu bello.
[o] *Igni*] Fulmine aut Jove.
[p] *Alloquio*] Periculosum credis alloqui profugum, & amicum confiteri.
[q] *Busiride*] Qui Ægypti rex fuit crudelissimus.
[r] *Solito*] Phalaride, qui solitus bove æreo inclusos homines igni supposito torquere.
[s] *Admonitus*] *Multis rationibus inductus*; quæ tamen omnes præclarè inventæ, ast satis non tutè.

Ne tamen iste metus [t] somnos tibi rumpere possit;
Non ultrà, quàm vis, officiosus ero.
Teque tegam, qui sis: nisi cùm permiseris ipse.
Cogetur nemo [u] munus habere meum.
Tu modò, quem poteras vel apertè tutus amare,
Si res est [x] anceps ista, latenter ama.

INTERPRETATIO.

Ne tamen hic timor queat tibi turbare somnos, non ero officiosus plus quàm sinis. Atque celabo, qui sis, nisi cùm ipse concesseris. Nullus cogetur frui meo beneficio. Tu tantùm, si res ista est dubia, occultè amato quem poteras amare securus etiam palam.

NOTÆ.

[t] *Somnos*] Ex timore *scil.* ne dicto tuo nomine, te mihi amicum esse Augustus intelligat.

[u] *Munus*] Ut in meis versibus legatur.

[x] *Anceps*] *Dubia.* Si me amare palam non sit tutum.

EPISTOLA VII.

AMICIS.

ARGUMENTUM.

Verba mihi, &c. *Ad amicos e Ponto scribens Poeta, de eis queritur, quòd suis precibus nullus jam finis imponatur sibique, cùm antea variis epistolis ab eisdem petierit, ut scilicet: eorum operâ aut reditus, aut mitius exilium ab Augusto impetretur, dicit jam verba deesse: variandamque nunc esse materiam, ne illis molestus sit, ac etiam uxori, quæ præ timore non audebat sibi opem ferre. Ea autem omnia sibi ferenda æquo animo proponit, quandoquidem majora etiam tulerit. Postremò in exilio sibi moriendum esse colligit.*

VErba mihi desunt eadem tam sæpe roganti,
Jamque pudet vanas fine carere preces.
Tædia consimili fieri de carmine vobis,
Quidque petam, cunctos edidicisse reor.
Nostráque quid portet jam nostis epistola, quamvis
Charta sit à vinclis non labefacta suis.
Ergo mutetur nostri sententia scripti,
Ne toties contrà, quàm rapit [a] amnis, eam.

INTERPRETATIO.

Voces destituunt me orantem toties eadem, Jamque pudet preces inanes carere fine. Puto tædere vos versuum consimilium, & omnes intellexisse quid orem. Jamque cognovistis quid nostra epistola velit, quamvis charta non sit soluta suis vinculis. Adeòque sensus nostri scripti mutetur, ne toties feram contra quàm fluvius trahit.

NOTÆ.

[a] *Amnis*] Fortunæ malignitas, aut fati iniquitas.

Quòd bene de vobis ſperavi, ignoſcite, amici:
  Talia peccandi jam mihi finis erit.
Nec gravis uxori dicar: quæ ſcilicet in me
  Quam proba, tam timida eſt, [b] experiénſque parum.
[c] Hæc quoque, Naſo, feres: etenim pejora tuliſti:
  Jam tibi ſentiri ſarcina nulla poteſt.
Ductus ab armento taurus detrectat aratrum:
  Subtrahit & duro colla novella jugo.
Nos, quibus aſſuevit fatum [d] crudeliter uti,
  Ad mala jam pridem non ſumus ulla rudes.
Venimus in Geticos fines; moriamur in illis:
  [e] Parcáque ad extremum, quâ mea cœpit, eat.
[f] Spem juvet amplecti, quæ non juvat irrita ſemper;
  Et fieri cupias ſi qua, [g] futura putes.
Proximus [h] huic gradus eſt, bene deſperare ſalutem,
  Seque ſemel verâ ſcire periiſſe fide.
[k] Curando fieri quædam majora videmus
  Vulnera, quæ meliùs non tetigiſſe fuit.
Mitiùs ille perit, ſubitâ qui mergitur undâ;
  Quàm ſua qui tumidis brachia laſſat aquis.
Cur ego concepi Scythicis me poſſe carere
  Finibus, & terrâ proſperiore frui?

INTERPRETATIO.

Date veniam, amici, quòd bene ſperavi de vobis nunc omittam ſic errare. Neque dicar onereſus conjugi, quæ ſcilicet tam timida eſt, & parùm ſolers, quàm bona. Patieris hæc etiam, Naſo; namque paſſus es graviora. Nullum onus jam poteſt ſentiri à te. Bos captus ab armento refugit ab aratro, & ſubtrahit cervicem inſolitam aſpero jugo. Nos, quibus fatum conſuevit uti crudeliter, non ſumus novi jam diu ad ulla mala. Acceſſimus ad oras Geticas, moriamur in illis: & mea ſors feratur uſque ad finem quâ inſtituit. Juvet admittere ſpem, quæ juvat non ſemper vana; & ſi cupias quædam evenire, credas futura. Bene deponere ſpem ſalutis, & intelligere ſemel certâ fide ſe periiſſe eſt gradus proximus huic. Cernimus nonnullas plagas fieri graviores dum curantur, quas tantius fuit non tetigiſſe. Ille perit leniùs qui obruitur undâ celeri, quàm qui fatigat ſuos lacertos aquis turgidis. Quamobrem ego induxi in animum me poſſe removeri à finibus Scythicis, & frui terrâ commodiore?

NOTÆ.

[b] *Experiens*] *Solers.*

[c] *Hæc*] Mala *ſcil.* & amicorum atque uxoris vanam aut nullam operam.

[d] *Crudel. uti*] *Crudeliter tractare.*

[e] *Parca*] Pro ſorte ſuâ poſuit, cui Parcæ aut fata aſpera jam pridem ſævitiam ſuam aſſignaverant.

[f] *Spem juvet*] Egregiâ ſententiâ dixit iſtud.

[g] *Futura putes*] Rationes ne deſint quæ ſpem foveant.

[h] *Huic*] Qui in bene ſperando poſitus.

[i] *Bene deſper.*] Quamobrem enim ſeſe quiſquam ſpe vanâ producat, quâ ad alia opportunitas ſurripiatur, millies bonum idem & in perpetuum denique auferatur.

[k] *Curando*] *Dum curantur.* Egregia comparatio.

Cur aliquid de me ſperavi lenius unquam ?
An Fortuna mihi [l] ſic mea nota fuit ?
Torqueor en graviùs ; repetitáque forma locorum
Exſilium renovat triſte recénſque facit.
Eſt tamen utilius, ſtudium [m] ceſſaſſe meorum :
Quàm, quas admôrint, non valuiſſe preces.
[n] Magna quidem res eſt, quam non audetis, amici :
Sed ſi quis peteret, qui dare vellet, erat.
Dummodò non vobis [o] hoc Cæſaris [p] ira negarit ;
Fortiter Euxinis immoriemur aquis.

INTERPRETATIO.

Quamobrem unquam ſperavi aliquid mitius de me ? An mea ſors ſic mihi fuit perſpecta ? Ecce crucior atrociùs , & pulcritudo locorum revocata renovat lamentabilem fugam, & facit recentem. Eſt tamen utilius affectum meorum ceſſaſſe, quàm preces quas adhibuerint non habuiſſe locum. Equidem res quam non audetis, amici, eſt magna ; ſed erat qui cuperet concedere, ſi quis poſceret. Dummodo ira Cæſaris non vobis iſtud denegaverit fungemur fato animo conſtanti in aquis Euxinis.

NOTÆ.

[l] *Sic*] Seſe arguit, quòd fati ſui malignitatem cognoſcere priùs neſciverit.

[m] *Ceſſaſſe*] Qui de reditu meo apud Auguſtum nihil quicquam tentaverint.

[n] *Magna*] Quanquam de reditu ſuo cum amicis ſeſe ampliùs nolle agere dixit Poëta, latenter tamen & callidè idem repetit.

[o] *Hoc*] Revertine in patriam, an immori aquis Euxinis ?

[p] *Ira*] Callidiſſima adulatio.

EPISTOLA VIII.

MAXIMO.

ARGUMENTUM.

Quæ tibi quærebam.] *Ad Maximum Poëta pharetram cum ſagittis è Scythiâ mittens, oſtendit ſe nullum aliud munus habere , rogans eum ut id accipiat, & qualecumque boni conſulat.*

QUæ tibi quærebam [a] memorem teſtantia curam
Dona Tomitanus mittere poſſet ager.
Dignus es argento, fulvo quoque dignior auro ;
Sed te, [b] cùm donas, iſta juvare ſolent.

INTERPRETATIO.

Anxius eram quæ munera indicantia gratum amorem ager Tomitanus poſſet tibi mittere. Dignus es argento, atque etiam dignior flavo auro : verùm iſta ſolent tibi prodeſſe cùm dono das.

NOTÆ.

[a] *Memorem*] Mei memoris, & beneficiorum tuorum non obliti.

[b] *Cùm donas*] Maxima verò olim apud Ethnicos fuit voluptas, ſeſe magnos virtute ſuâ & munificentiâ præſtare ; namque ea vera eſt hominis magnitudo. At Chriſtiani plerique, quod à Deo illis malè vertet, poſtquam Charitatis aliarúmque virtutum magnifica nomina peculiari neſcio quo jure ſua fecerunt , res ipſas , quaſi ſplendida peccata eſſent, uti loqui amant, omiſerunt.

Nec tamen hæc loca sunt ullo pretiosa metallo.
Hostis ab agricolâ vix sinit illa [c] fodi.
Purpura sæpe tuos fulgens prætexit [d] amictus;
Sed non Sarmatico tingitur illa mari.
Vellera dura ferunt pecudes, & [e] Palladis uti
Arte Tomitanæ non didicêre nurus.
Fœmina pro lanâ [f] Cerealia munera frangit;
Suppositóque gravem vertice portat aquam.
Non hîc pampineis [g] amicitur vitibus ulmus;
Nulla premunt ramos pondere poma suo.
Tristia deformes pariunt absinthia campi,
Terraque de fructu quàm sit amara docet.
Nil igitur totâ Ponti regione sinistri,
Quod mea sedulitas mittere posset, erat.
Clausa tamen misi Scythicâ tibi tela pharetrâ:
Hoste precor fiant illa cruenta tuo.
Hos habet hæc calamos, hos hæc habet ora libellos.
Hæc viget in nostris, Maxime, [h] Musa locis.
Quæ quanquam misisse pudet, quia parva videntur;
Tu tamen hæc, quæso, consule missa boni.

INTERPRETATIO.

Neque tamen hæc loca sunt ditata ullo metallo; vix hostu patitur illa verti ab agricolâ. Sæpe purpura fulgens velavit tua vestimenta: verùm illa non inficitur mari Sarmatico. Oves gerunt lanas asperas, & fœmina Tomitana non didicerunt uti arte Palladis. Fœmina terit dona Cerealia pro vellere, & fert aquam ponderosam capite submisso. Ulmus non hic vestitur vitibus pampineis. Nulla poma onerant ramos suo pondere. Agri hispidi ferunt amara absynthia, & tellus indicat per fructum quàm sit ingrata. Nihil erat ergo in totâ orâ Ponti lævi, quod mea cura possit mittere. Misi tibi tamen sagittas Scythicas clausas pharetrâ: oro ut illæ madeant cruore hostis tui. Hæc regio habet has pennas, hæc habet hos libros: Hæc musa colitur in nostris locis, Maxime. Quæ quamvis pudet misisse, quia videntur tenuia; tu tamen in bonam partem accipe hæc missa, oro.

NOTÆ.

[c] *Fodi*] *Coli*, *Arari*; ut multò minùs metalla, si qua essent, erui sinerent.
[d] *Amictus*] Vestes quæ sub togâ gestantur.
[e] *Palladis*] Quæ lanificii Dea est.
[f] *Cerealia*] Fruges molit.
[g] *Amicitur*] *Maritatur.* Nullæ, inquit, hîc vites ulmis junguntur.
[h] *Musa*] Quasi dicat hoc unum agere & curare Scythas ut sagittas & arma tractent.

EPISTOLA IX.

BRUTO.

ARGUMENTUM.

Quod sit in his eadem sententia] *Ad Ovidium scripserat Brutus, quendam carpere ejus carmina, quòd in his nil aliud contineretur, quàm querela locorum, in quibus exulabat rogaretque ut frueretur propiore terrâ. cui Poeta respondet, dicens in suis carminibus plura esse vitia: foreque bene, si unum tantum vitium in eis deprehenderetur. Cur autem ea non emendet, causas assignat. Postremò respondens ad ea, quæ Brutus scripserat, rationem refert quare idem sæpius scripserit.*

QUòd sit in his [a] eadem sententia, Brute, libellis,
Carmina nescio quem carpere nostra refers;
Nil nisi me terrâ fruar ut [b] propiore rogare;
Et, quàm sim denso cinctus ab hoste, queri.
O quàm de multis vitium reprehenditur unum!
Hoc peccat solum si mea Musa, bene est.
Ipse ego librorum video delicta meorum;
Cùm sua plus justo carmina quisque probet.
Auctor opus laudat. sic forsitan [c] Agrius olim
Thersiten facie dixerit esse bonâ.
Judicium tamen hîc nostrum non decipit error;
Nec quicquid genui, protinus illud amo.
Cur igitur, si me videam delinquere, peccem,
Et patiar scripto crimen inesse, rogas?
[d] Non eadem ratio est, sentire & demere morbos.
Sensus inest cunctis; tollitur arte malum.
Sæpe aliquod cupiens verbum mutare, relinquo;
Judicium [e] vires destituúntque meum.

INTERPRETATIO.

Dicis, Brute, nescio quem reprehendere nostros versus, quòd idem sit sensus in his libellis. Me nihil orare, nisi ut potiar terrâ propinquiore; & dolere quàm sim circumfusus hoste frequenti. O quàm de multis vitiis unum carpitur. Si mea Musa in eo tantùm errat bene est. Ego ipse cognosco errata meorum libellorum; cùm quisque faveat plus æquo suis versibus. Auctor probat opus suum. *Ità ferè Agrius dixerit olim Thersiten esse pulcrâ facie. Hic tamen error non fallit nostrum judicium; neque diligo continuò quicquid produxi. Petis quamobrem ergo errem, & feram vitium esse in scripto meo si videam me errare? Non est eadem ratio cognoscere & tollere morbos. Sensus inest omnibus, vitium tollitur arte. Sæpe optans mutare aliquam vocem, relinquo, & vires desunt judicio meo.*

NOTÆ.

[a] *Eadem sententia*] Id unum *scil.* quærebat N[illegible], ut mitius exilium pateretur.

[b] *Propiore*] Non tantùm ab Italiâ dissitâ.

[c] *Agrius*] Thersitæ Græcorum turpissimi & ignavissimi pater.

[d] *Non eadem*] O quàm pulcrè respondet Naso, si n[illegible]ò judices habeat æquos, ejus qui [illegible]piant exemplo!

[e] *Vires*] Ars & Ingenium; quo[illegible]cumque fuerit maximum, ægritudo & ærumna imminuit.

Sæpe piget (quid enim dubitem tibi vera fateri?)
Corrigere, & [f] longi ferre laboris onus.
Scribentem juvat ipse [g] favor, minuitque laborem,
Cùmque suo crescens [h] pectore fervet opus.
Corrigere at res est tantò magis ardua, quantò
Magnus [i] Aristarcho [k] major Homerus erat.
Sic animum lento curarum frigore [l] lædit,
[m] Ut cupidi cursor fræna retentat equi.
Atque ita Di mites minuant mihi Cæsaris iram,
Ossáque [n] pacatâ nostra tegantur humo;
Ut mihi conanti nonnunquam [o] intendere curas,
Fortunæ species [p] obstat acerba meæ.
[q] Vixque mihi videor, faciam quòd carmina, sanus;
Inque feris curem corrigere illa Getis.
Nil tamen è scriptis magis excusabile nostris,
Quàm sensus cunctis pæne quòd unus inest.
Læta ferè lætus cecini, cano tristia tristis.
Conveniens operi tempus utrumque suo est.

INTERPRETATIO.

Sæpe piget emendare: quamobrem enim verear confiteri tibi vera? & ferre tædium longi laboris. Ipse favor delectat scribentem, & levat laborem: & opus crescens incalescit cum suo ingenio. At emendare est res tantò difficilior, quantò magnus Homerus erat major Aristarcho. Perinde offendit animum languido torpore curarum, ac eques coercet habenas equi preni in cursum. Atque ità Dii propitii mihi leniant iram Cæsaris, & nostra ossa condantur terrâ placidâ: ut forma crudelis meæ sortis impedit sæpe me volentem intendere curas. Atque ægrè mihi videor compos mentis, quòd pangam versus, & digner emendare illos inter sævos Getas. Nihil tamen est magis dignum veniâ in scriptis nostris, quàm quòd idem ferè sensus est in omnibus. Lætus cantavi fere læta, mœstus canto mœsta: tempus utrumque respondet suo operi,

NOTÆ.

f *Longi*] Quippe difficilius multò poëma [illegible] [illegible] [illegible].

g *Favor*] Popu[illegible] x[illegible] olsuerunt; malè, ni fallor: nam [illegible] idem [illegible], [illegible] scribentium [illegible], qui [illegible] & ad corrigendum? P[illegible] favorem [illegible] [illegible] amorem intel[illegible] [illegible] [illegible] scribit, & furore quo[illegible] [illegible] [illegible] probat; postquam [illegible] non satis [illegible] idoneas.

h *Pectore*] Aut [illegible] calore & furore.

i *Aristarcho*] Grammaticus fuit Alexandrinus [illegible] [illegible] & castigati, ut, [illegible] Homeri vers[illegible] [illegible] [illegible] Aristar[illegible] [illegible] [illegible] scripta asperiùs carpunt.

k *Major*] Quia [illegible] cilè compo[illegible] [illegible] [illegible] [illegible] conatu Aristarchus emendavit: ut illius opus hujus vires exhauserit.

l *Lædit*] Corrigere scil. lædit. Est verò illud opus maximè tædiosum & molestum causis quas sciunt Magistri.

m *Ut cupidi*] Quemadmodum, inquit, cursor, seu eques maximam creat molestiam equo cupienti currere, cùm fræno ejus impetum cohibet; sic Corrigere, aut Corrigendi cura, quæ furorem mentis coërcet, & ad singula retractanda cogit, est maximè importuna.

n *Pacatâ*] Neque in Scythiâ sepeliar, ubi arma semper obstrepunt.

o *Intendere*] Ne versus inertes; aut alio quopiam vitio laborent.

p *Obstat*] Quia in diversa cùm trahitur animus; viribus suis non bene utitur.

q *Vix*] Animi enim quieti, non afflicti opus sunt carmina.

Quid, nisi de vitio scribam regionis amaræ?
  Utque solo moriar commodiore, precer?
Cùm toties eadem dicam, vix audior ulli;
  Verbáque profectu [r] dissimulata carent.
Et tamen hæc eadem cùm sint, non scribimus îsdem:
  Unáque per plures vox mea tentat opem.
An, ne bis sensum lector reperiret eundem,
  Unus amicorum, Brute, rogandus erat?
Non fuit [s] hoc tanti; confesso ignoscite, docti.
  Vilior est operis fama salute meâ.
Denique [t] materiâ quam quis sibi finxerit ipse,
  Arbitrio variat multa poëta suo.
Musa mea est index nimium quoque vera malorum;
  Atque incorruptæ pondera testis habet.
Nec liber ut fieret, sed uti sua cuique daretur
  Littera, propositum curaque nostra fuit.
Postmodo collectas, utcunque sine ordine, junxi:
  Hoc opus [u] electum ne mihi fortè putes.
Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
  Caussa, sed utilitas officiúmque, fuit.

INTERPRETATIO.

Quid scribam nisi de incommodis plagæ asperæ; & orem ut fato fungar in terrâ jucundiore? Cùm toties repetam eadem vix audior ab ullo, & voces dissimulata destituuntur successu. Et tamen, cùm hæc sint eadem, non mittimus iisdem; & mea vox una quærit auxilium per plures. An ne lector inveniret bis eandem sententiam, Brute, unus amicorum erat orandus? Istud non fuit tanti: docti parcite confitenti. Approbatio poëmatis est vilior salute meâ. Denique vates variat multa pro libitu per argumentum quod quis sibi ipse invenit. Musa mea est index nimiùm quoque vera ærumnarum; & habet fidem testis incorruptæ. Neque scopus & votum meum fuit, uti liber pangeretur, sed ut sua epistola traderetur cuique. Postea junxi collectas utcumque sine ordine: ne arbitreris fortè hoc opus fuisse electum. Ignosce scriptis, quorum non laus fuit caussa, verùm utilitas & officium.

NOTÆ.

[r] *Dissimulata*] Quæ amici dissimulant, & quasi non accepissent irrita faciunt.

[s] *Hoc*] Quod Lector sensum reperiret eundem. Neque verò temerè istud contemsit Naso, siquidem, quod magis mirandum, rem eamdem, quam pluribus debuit, tam variè inculcavit.

[t] *Materiâ*] *Per materiam*. Namque veterem lectionem revocavi, quæ optima videtur.

[u] *Electum*] Quasi bonas meas epistolas elegerim & emendaverim. Non ità factum, omnes namque promiscuè collegi.

P. OVIDII NASONIS
EPISTOLARUM
EX PONTO
LIBER IV.

EPISTOLA I.
SEXTO POMPEIO.

ARGUMENTUM.

Accipe Pompei.] *Ad Sextum Pompeium ſcribens Poëta, impium eſſe dicit, quòd nuſquam illum in ſuis ſcriptis nominaverit: quandoquidem ejus erga ſe beneficia tanta ſint, ut nulli oblivioni tradi debeant. Poſtremò fatetur ſe ſervatum eſſe ejus operâ, ejuſque munere ſe vivere.*

ACcipe, Pompei, deductum carmen ab illo,
  Debitor eſt vitæ qui tibi, Sexte, ſuæ.
Qui ſeu non prohibes à me tua nomina [a] poni,
  Accedet meritis hæc quoque ſumma tuis.
Sive [b] trahis vultus; equidem peccaſſe fatebor,
  Delicti tamen eſt cauſſa [c] probanda mei.
Non potuit mea mens, quin eſſet grata, [d] teneri.
  Sit precor officio non gravis ira pio.
O quoties ego ſum libris mihi viſus in iſtis
  Impius, in nullo quod legerère loco!
O quoties, alii vellem cùm ſcribere, nomen
  Rettulit in ceras [e] inſcia dextra tuum!

INTERPRETATIO.

SExte Pompei, accipe Poëma compoſitum ab illo qui eſt tibi debitor vitæ ſuæ. Qui, ſeu non vetas nomina tua ſcribi à me, hæc etiam ſumma ſuperveniet beneficiis tuis. Sive corrugas frontem, equidem agnoſcam erraſſe; tamen cauſſa peccati mei eſt laudanda. Animus meus non potuit impediri quò minùs eſſet memor. Quaſo ira ne ſit aſpera benevolo officio. O quoties viſus ſum mihi impius in iſtis libellis, quòd nullibi legereris! O quoties cùm cuperem ſcribere ad alium, manus imprudens ſcripſit nomen tuum in cerâ.

NOTÆ.

[a] *Poni*] In meis carminibus *ſcil.*

[b] *Trahis*] Quod judicium eſt animi quidpiam nolentis.

[c] *Probanda*] Quia ex gratitudinis officio, & amici memoriam ad poſteros tranſmittendi causâ, ejus nomen in ſcripta ſua referebat.

[d] *Teneri*] *Cohiberi.*

[e] *Inſcia*] *Temerè nomen tuum ſcribens.*

Ipse mihi placuit mendis in talibus error ;
Et vix invitâ facta [f] litura manu est.
[g] Viderit, ad summum dixi. licet ipse queratur ;
Ah pudet [h] offensam non meruisse priùs !
Da mihi, si quid [i] ea est, hebetantem pectora [k] Lethen ;
Oblitus potero non tamen esse tui.
Idque sinas oro ; nec fastidita repellas
Verba : nec officio crimen inesse putes.
Et levis [l] hæc meritis referatur gratia tantis.
Sin minùs ; invito te quoque gratus ero.
[m] Nunquam pigra fuit nostris tua gratia rebus :
Nec mihi [n] munificas arca negavit opes.
Nunc quoque nil [o] subitis [p] clementia territa fatis
Auxilium vitæ fertque ferétque meæ.
Unde, roges forsan, fiducia tanta futuri
Sit mihi. quod fecit [q] quisque tuetur opus.
Ut Venus artificis labor est & gloria [r] Coi,
Æquoreo madidas quæ premit imbre comas.

INTERPRETATIO.

Ipse error gratus fuit in ejusmodi peccatis ; & litura ægrè facta est manu repugnante. Viderit denique, dixi : licet ipse queratur : Ah pudet non meruisse citiùs offensam! Præbe mihi Lethen retundentem memoriam, si ea est aliquid ; non tamen potero esse immemor tui. Atque precor id mihi *concedas, neque respuas voces contemtas, neque credas esse vitium in officio : & hæc tenuis gratia rependatur tuis beneficiis: sin minùs ero etiam gratus te nolente. Nunquam favor tuus fuit segnis in nostris negotiis, neque tuum scrinium denegavit mihi divitias liberales. Nunc etiam benevolentia tua nihil repulsa* mea *clade repentinâ præbet & præbebit opem vitæ meæ. Requiras forsitan, unde sit mihi tanta spes futuri. Quisque defendit opus quod struxit. Quemadmodum Venus quæ siccat capillos humidos aquâ maris est labor & laus artificis Coi.*

NOTÆ.

[f] *Litura*] In expungendo nomine tuo.

[g] *Viderit*] *Dixi denique*, Viderit, ipse prospexerit.

[h] *Offensam*] Cùm reponerem nomen tuum in meis versibus.

[i] *Ea*] De aquâ Lethæa loquitur : quomodo alibi etiam, quasi dicat, nullam esse ; & quanquam fuerit non posse tamen tantam vim habere ut amici tam fidi inducat oblivia.

[k] *Lethen*] De fluvio illo omnium rerum oblivia inducente jam sæpe dictum.

[l] *Hæc*] Cum verbis gratum animum testantibus nomen tuum confecto immortalitati.

[m] *Nunquam pig.*] Quin alacri benevolentiâ me semper juvisti.

[n] *Munificas*] *Divitias hominis munifici & liberalis.* Re ergo etiam Poëtam juvit hic Sextus.

[o] *Subitis*] *Quæ me subitâ calamitate afflixerunt.*

[p] *Clementia*] Lenitas & Amor.

[q] *Quisque*] Tuque adeò, qui me hactenus sustentasti, perges porrò opus tuum tutari.

[r] *Coi*] Apellis pictoris, ex Coo, Ægæi maris insulâ oriundi, qui insignem illam pinxit toties celebratam ex mari exeuntem Venerem.

Arcis ut [s] Actææ [t] vel eburna vel [u] ænea [x] custos
  Bellica Phidiacâ stat Dea facta manu;
Vendicat ut [y] Calamis laudem, quos fecit, equorum,
  Ut similis veræ vacca [z] Myronis opus;
Sic ego pars rerum non ultima, Sexte, tuarum;
  Tutelæque feror munus opúsque tuæ.

INTERPRETATIO.

quemadmodum Dea bellica custos vel eburnea, vel ænea arcis Atheniensis erecta est manu Phidiæ; quemadmodum Calamis asserit gloriam equorum, quos fecit quemadmodum Vacca opus Myronis est similis veræ vaccæ, ità ego pars non postrema rerum tuarum, Sexte, dicor munus & opus defensionis tuæ.

NOTÆ.

[s] *Actæa*] *Atheniensis.*

[t] *Vel eburna*] Viginti cubitorum fuit hæc Minervæ statua ex ebore & auro, Phidiæ Atheniensis sculptoris opus præstantissimum.

[u] *Ænea*] Minervæ ejusdem ex ære tam eximiæ pulcritudinis statuam fecit idem Phidias, ut à formâ cognomen acceperit.

[x] *Custos*] Non modò quia belli Dea, sed & Athenas peculiariter in tutelâ habebat.

[y] *Calamis*] Cælandi laude insignis artifex; equis semper sine æmulo expressis.

[z] *Myronis*] Celeberrimus fuit etiam statuarius, cujus bucula præsertim junix multis Poëtarum versibus claruit. Hunc penè hominum animas, ferarumque ære comprehendisse, neque hæredem invenisse, testatur Petronius.

EPISTOLA II.

SEVERO.

ARGUMENTUM.

Quod legis ô vates magnorum maxime vatum.] *Ad Severum poëtam hanc epistolam scribit Ovidius, se multis rationibus excusans, quòd nondum ejus nomen suis scriptis celebrarit, quamvis tamen nunquam cessaverit ad eum epistolas solutâ oratione scriptas mittere.*

QUod legis, ô Vates magnorum maxime [a] Regum,
  Venit ab intonsis usque, Severe, Getis.
Cujus adhuc nomen nostros tacuisse libellos,
  Si modò permittis dicere vera, pudet.

INTERPRETATIO.

Quod legis, ô Severe, Poëta maxime Regum magnorum venit usque ab intonsis Getis. Cujus pudet libellos nostros nondum expressisse nomen, si modò concedis agnoscere vera.

NOTÆ.

[a] *Regum*] Quia Tragœdiarum scriptor, ubi Reges celebrati; dixitque alibi noster.

Et dedimus tragicis scriptum regale cothurnis.

[b] Orba tamen numeris cessavit epistola nunquam
Ire per [c] alternas officiosa vices.
Carmina sola tibi [d] memorem testantia curam
Non data sunt. quid enim, [e] quæ facis ipse, datem?
Quis mel [f] Aristæo, quis Baccho vina [g] Falerno,
[h] Triptolemo fruges, poma det [i] Alcinoo?
Fertile pectus habes, interque [k] Helicona colentes
Uberius nulli provenit ista [l] seges.
Mittere carmen ad hunc, frondes erat addere silvis.
Hæc mihi cunctandi caussa, Severe, fuit.
Nec tamen ingenium nobis respondet, ut antè:
Sed siccum [m] sterili vomere [n] littus aro.
Scilicet ut limus [o] venas excæcat in undis,
[p] Læsâque suppresso fonte resistit aqua;
Pectora sic mea sunt limo vitiata malorum:
Et carmen venâ pauperiore fluit.
Si quis in hac ipsum terrâ posuisset Homerum;
Esset, crede mihi, factus & ille [q] Getes.

INTERPRETATIO.

Nunquam tamen epistola officiosa destituta numeris omisit proficisci per vices alternas. Soli versus significantes amorem gratum non sunt ad te missi: Quamobrem enim offerrem qua ipse pangis? Quis prabeat mel Aristao, quis vina Baccho Falerno, fruges Triptolemo, poma Alcinoo? Est tibi ingenium fæcundum; & inter eos qui celebrant Heliconem, nulli ista seges germinat copiosius. Mittere versus ad hunc, erat cumulare sylvas foliis. Hae ratio fuit mihi differendi, Severe. Neque tamen ingenium nobis favet ut prius; sed colo littus aridum vomere inutili. Nimirum, sicuti cænum occludit meatus in aquis, & liquor repressus sistitur scaturigine excæcatâ; sic ingenium meum est obtusum luto ærumnarum mearum, *& versus currit venâ tenuiore. Si quis misisset ipsum Homerum in hoc solum, crede mihi, ille etiam factus esset Getes.*

NOTÆ.

[b] *Orba numeris*] Solutâ oratione ad Severum scripsisse sæpiùs, indicat,

[c] *Alternas*] Sæpius adeòque rescripserat etiam Severus.

[d] *Memorem*] Mei memoris.

[e] *Quæ facis*] Quippe maximus Poëta Severus.

[f] *Aristao*] Hunc Apollinis filium Justinus dicit primum mellis & olei usum, itemque lactis coagulum aliaque invenisse. Multa prætetea de illo Poëtæ fabulati sunt.

[g] *Falerno*] Campaniæ monte petita *scil.*

[h] *Triptolemo*] Hic Cereris inventricis jussu primus in Græciâ agriculturæ & frugum usum dicitur docuisse.

[i] *Alcinoo*] Qui Phæacum rex hortos dicitur habuisse cultissimos.

[k] *Helicona*] Id est, Musas & politiores litteras excolentes. Fuit namque Helicon Bœotiæ mons Musis sacer: neque, opinor, hujusmodi tropos subinde opus sit inculcare.

[l] *Seges*] Versus dicit.

[m] *Sterili*] Cujus auxilio nihil quicquam liceat excitare.

[n] *Littus*] Ingenium suum ingrato littori comparat, quod frustrâ Poëticâ arte sollicitet; cùm ærumnis suis sit exhaustum.

[o] *Venas exc.*] *Meatus aquarum claudit.* Quod verum est.

[p] *Læsâ*] *Occlusa.*

[q] *Getes*] *Barbarus*, qualis ego factus sum.

Da veniam fasso; studiis quoque fræna [r] remisi:
  Ducitur & digitis littera rara meis.
Impetus ille sacer, qui vatum pectora nutrit,
  Qui priùs in nobis esse solebat, abest.
Vix [s] venit ad partes, vix sumtæ Musa tabellæ
  Imponit pigras pæne coacta manus.
Parváque, ne dicam scribendi nulla voluptas
  Est mihi: nec [t] numeris nectere verba juvat.
Sive quòd [u] hinc fructus adeò non cepimus ullos,
  [x] Principium nostri res sit ut ista mali:
Sive quòd [y] in tenebris numerosos ponere gressus,
  Quòdque legas nulli, scribere carmen, idem est.
Excitat auditor studium; laudatáque virtus
  Crescit; & immensum gloria calcar habet.
Hic mea cui recitem, nisi flavis, scripta [z] Corallis,
  Quasque alias gentes barbarus Ister habet?
[a] Sed quid solus agam? quâque infelicia perdam
  Otia materiâ, [b] surripiámque diem?
Nam quia nec vinum, nec me tenet alea fallax,
  Per quæ clàm tacitum tempus abire solet;
Nec me, quod cuperem, [c] si per fera bella liceret,
  Oblectat cultu terra novata suo:

INTERPRETATIO.

Ignosce confitenti; laxavi etiam habenas studii, & rara littera scribitur meis digitis. Ille sacer furor, qui alit animum poëtarum, qui anteà consueverat esse in nobis, recessit. Musa ægrè venit ad partes; ægrè coacta admovet manus lentas tabellæ sumtæ. Et exigua, ne dicam nulla est mihi voluptas scribendi; neque placet astringere voces numeris. Sive quòd adeò non percepimus hinc ullam utilitatem, ut res ista sit initium nostri mali, sive quod idem est ponere passus numerosos in tenebris, & scribere versus quos nemini legas. Auditor acuit studium, & virtus probata augetur, & laus habet præstantissimum stimulum. Hic cui legam mea scripta nisi flavis Corallis, & nationibus quas crudus Danubius habet? Verùm quid faciam solus? aut quâ re teram misera otia, & decipiam tempus? Nam quia neque vinum, neque alea dolosa me capit, per quæ tempus tacitum consuevit effluere, neque terra novata suâ culturâ me recreat, quod optarem, si concederetur per sæva bella;

NOTÆ.

[r] *Remisi*] *Studium poëticum prope deserui.*

[s] *Venit*] Ut versus dictet.

[t] *Numeris nectere*] Quod Poëtarum negocium.

[u] *Hinc*] Ex Poëticâ arte, aut versibus.

[x] *Princip.*] Quia propter Carmina amatoria relegatus; uti quidem credi volebat Naso.

[y] *In teneb.*] Id est, in loco obscuro, nullisque testibus, pedes suos ad numeros Musicos componere, seu saltare. Namque hæc vera est, ni fallor loci hujus expositio. Saltare in tenebris, & scribere versus inter Getas æquè dicit esse ridiculum.

[z] *Corallis*] Qui populi fuerunt ad oram Pontici maris, maximè Barbari.

[a] *Sed quid*] Coactum innuit sese scribere, quique adeò bene non possit. Quanquam certè elegantissima multa & maturi judicii habent istæ epistolæ.

[b] *Surripiam*] *Decipiam*, ne tantùm ærumnis meis liceat vacare.

[c] *Si per*] Jam sæpiùs dixit, à Scythis vel Tomitanos muros infestari.

Quid, nisi Pïerides solatia [d] frigida, restat,
[e] Non bene de nobis quæ meruêre Deæ?
At tu, cui bibitur feliciùs [f] Aonius fons,
Utiliter studium quod tibi cedit, ama.
Sacráque Musarum meritò cole: quodque legamus,
Huc aliquod curæ mitte recentis opus.

INTERPRETATIO.

Quid superest nisi Musæ languida solatia, quæ Deæ non bene meruerunt de nobis? At tu, à quo fons Aonius ducitur feliciùs, ama studium quod tibi vertitur in commodum. Et cole meritò sacra Musarum; & mitte huc aliquod opus cura nova, quod legamus.

NOTÆ.

[d] *Frigida*] Quia non ex animo, sed coactus malorum suorum, scribendo, refricabat memoriam.

[e] *Non bene*] Quia per illarum carmina relegatus.

[f] *Aonius*] Hippocrene *scil.* quæ in Bœotiâ, cujus pars montana *Aonia* dicta: atque de hujus fontis aquis Poëtæ bibere dicebantur.

EPISTOLA III.

AMICO INSTABILI.

ARGUMENTUM.

Conquerar an taceam?] *Amicum suppresso nomine taxat, ejúsque perfidiam ac levitatem ostendit; quòd cùm anteà à teneris annis secum conjunctissimè semper vixerit, tandem in adversâ ejus fortunâ non modò eum deserat, sed etiam simulet se non cognoscere. Postremò illum monet, ut fortunæ variantis vicissitudines, & levitatem, ante oculos ponat.*

COnquerar, an taceam? ponam sine [a] nomine crimen?
An notum, qui sis, omnibus esse velim?
Nomine non utar, ne commendêre querelâ;
Quæratúrque tibi carmine fama meo.
Dum mea [b] puppis erat validâ fundata [c] carinâ,
Qui mecum velles [d] currere, primus eras.

INTERPRETATIO.

Conquerar, an sileam? Ponamne crimen sine nomine; an cupiam esse perspectum cunctis qui sis? Non utar nomine, ne celebrêris querimoniâ meâ, & fama tibi comparetur carmine meo. Quandiu mea navis erat stabilita firmâ carinâ, primus eras qui cuperet iter facere mecum.

NOTÆ.

[a] *Nomine*] Tuo *scil.* amice perfide.

[b] *Puppis*] Pro seipso aut fortunâ suâ seu sorte posuit.

[c] *Carina*] Per carinam firmamentum intellige seu præsidium quo Poëta nitebatur, Res florentes.

[d] *Currere*] *Vivere, Agere,* &c.

Nunc, quia [e] contraxit vultum Fortuna, recedis,
Auxilio postquam scis opus esse tuo.
Dissimulas etiam, nec me vis nosse videri;
Quique sit, audito nomine, Naso, rogas.
Ille ego sum, quanquam non vis audire, vetustâ
Pæne puer puero junctus amicitiâ.
Ille ego, qui primus tua seria nosse solebam,
Qui tibi jucundis primus adesse jocis.
Ille ego convictor, [f] densóque domesticus usu;
Ille ego judiciis [g] unica Musa tuis.
Idem ego sum, qui nunc an vivam, perfide, nescis;
Cura tibi de quo quærere nulla fuit.
Sive fui nunquam carus, simulasse [h] fateris:
Seu non fingebas, inveniêre levis.
Eia age dic aliquam, quæ te mutaverit, iram:
Nam nisi justa tua est, justa querela mea est.
Quæ te consimilem res nunc vetat esse [i] priori?
An crimen, cœpi quod miser esse, vocas?
Si mihi rebus opem nullam factísque ferebas;
[k] Venisset verbis charta notata tribus.
Vix equidem credo, sed & insultare jacenti
Te mihi, nec verbis parcere, Fama refert.
Quid facis, ah demens? cur si Fortuna recedat,
Naufragio lacrymas [l] eripis ipse [m] tuo?

INTERPRETATIO.

Nunc, quia fortuna corrugavit frontem, dilaberis, cùm intelligis me indigere tuâ ope. Atque insuper dissimulas; neque vis videri me nosse: & postquam audivisti nomen meum, *petis quis sit Naso. Ego sum ille, tametsi renuis accipere, ferè puer nexus* tibi *puero antiquâ amicitiâ.* Ego sum *ille, qui consueveram primus cognoscere tua seria, qui primus adesse gratis ludis. Ego* sum *ille convictor, & domesticus frequenti consuetudine: ego* sum *ille Musa sola tuo arbitrio. Ego sum idem, qui nunc utrum vivam ignoras perfide, de quo percontari nulla fuit tibi sollicitudo. Seu nunquam tibi fuit dilectus, agnoscis* te *finxisse; seu non fingebas, comprobaberis inconstans. Eia age; indica aliquem dolorem qui te immutaverit: nam nisi tua querimonia est aqua, mea est aqua. Quæ res prohibet te esse nunc consimilem priori? An appellas crimen, quod cœpi esse infelix? Si nullum auxilium mihi præbebas rebus & factis; charta mitteretur signata tribus vocibus. Ægrè equidem fidem adhibeo; verùm rumor etiam perhibet te insultare mihi protrito, neque abstinere dictis. Quid agis ah insane? Quamobrem ipse demis fletus tuæ ærumnæ, si fortuna deserat* te.

NOTÆ.

[e] *Contraxit*] Illorum more qui irati frontem corrugant.

[f] *Denso usu*] *Frequenti consuetudine.*

[g] *Unica Musa*] *Solus eo nomine dignus Poëta.*

[h] *Fateris*] Re ipsâ *scilicet*, cum jam minùs notum Nasonem profitereris.

[i] *Priori*] Qualis esse solebas antea.

[k] *Venisset*] Mitteres saltem epistolam tribus verbis.

[l] *Eripis*] Quia, ut ait Horatius, in nosmet legem sancimus iniquam, cùm in alios quidpiam, quod nos pariter urgere possit, statuimus.

[m] *Tuo*] Si fortè eveniat; quod non ità difficile.

Hæc [n] Dea non stabili quàm sit levis orbe fatetur,
Quem summum [o] dubio sub pede semper habet.
Quolibet est folio, quavis incertior aurâ.
Par illi levitas, improbe, sola tua est.
Omnia sunt hominum tenui pendentia filo:
Et subito casu, quæ valuere, ruunt.
Divitis audita est cui non opulentia [p] Crœsi?
Nempe tamen vitam captus ab hoste tulit.
[q] Ille Syracosiâ modò formidatus in urbe,
Vix humili duram reppulit [r] arte famem.
Quid fuerat [s] Magno majus? tamen ille rogavit
Submissâ fugiens voce [t] clientis opem.
[u] [Cuique viro totus terrarum paruit orbis,
Indigus effectus omnibus ipse magis.]
Ille [x] Jugurthino clarus [y] Cimbróque triumpho,
Quo victrix [z] toties Consule Roma fuit;
In [a] cœno latuit Marius cannâque palustri:
Pertulit & tanto multa [b] pudenda viro.

INTERPRETATIO.

Hac dea agnoscit quàm sit inconstans in orbe incerto, quem extremum habet semper sub pede levi. Est levior quovis folio, quovis vento: sola tua inconstantia est illi æqualis, pessime. Cuncta mortalium sunt alligata exiguo filo, & quæ firma fuerunt decidunt repentinâ ruinâ. Cui non est velata potentia Crœsi opulenti? Nimirum tamen captus habuit vitam ab hoste. Ille modò tremendus in urbe Syracusiâ ægrè depulit acrem famem vili arte. Quid fuerat majus Magno? tamen ille fugiens imploravit auxilium clientis sono humili. Atque ipse homo factus pauperior omnibus cui totus orbis terrarum obtemperavit. Ille Marius illustris triumpho Jugurthino & Cimbro, quo toties Consule Roma fuit victrix, delituit in luto & juncis palustribus; atque perpessus est multa erubescenda tanto viro.

NOTÆ.

[n] *Dea*] Fortuna *scil.* quæ extremo pede, levitatis indicandæ gratiâ, orbem volubilem tangere tantum fingitur, & pingitur.

[o] *Dubio*] Quia & vertitur orbis, cui innititur fortuna, & ipsa leviter tantum illum attingit in fugam paratissima.

[p] *Crœsi*] Qui rex Lydiæ potentissimus & ditissimus à Cyro Persarum rege victus, & rogo impositus, vix tandem, agnitâ rerum humanarum quam Solon illi inculcaverat, vanitate, vitâ donatus est. Quam historiam prolixè & eleganter habes apud Herodotum.

[q] *Ille*] Dionysium dicit Siciliæ tyrannum, qui Syracusis pulsus, Corinthi pueros instituere pro maximo munere habuit.

[r] *Arte*] Docendo pueros.

[s] *Magno*] Pompeium intellige, cujus luctuosa fata videsis, vel apud florum.

[t] *Clientis*] Ptolemæi *scilicet* regis Ægypti, ad quem, victus à Cæsare, confugit.

[u] *Cuique*] Expungas licet istud Distichon, ut optimè censuit clariss. Heinsius.

[x] *Jugurthino*] Fuit Jugurtha Numidarum rex in Africâ nefarius; quem Marius, obscuro quidem loco natus, sed præclarus Imperator vicit, & in triumphum duxit.

[y] *Cimbro*] De Cimbris Germaniæ populis Marius idem, postquam illos in Italiâ delevisset, magnâ gloriâ triumphavit.

[z] *Toties*] Septies enim eum honorem adeptus est, quod nemini obtigerat.

[a] *Cœno*] Is verò, cùm Syllæ rabiem effugeret, in paludibus Minturnarum delitescere coactus est.

[b] *Pudenda*] Ex palude enim suâ retractus in carcerem conjectus est; quò & immissus percussor, quem tamen vultus auctoritate deterruit.

Ludit

Ludit in humanis divina potentia rebus ;
Et certam præsens vix habet hora [c] fidem.
Littus ad Euxinum, si quis mihi [d] diceret, ibis,
Et metues arcu ne feriare Getæ ;
I, [e] bibe, dixissem, purgantes pectora succos :
Quicquid & in totâ nascitur [f] Anticyrâ.
Sum tamen hæc passus : nec si mortalia possem,
Et summi poteram tela cavere Dei.
Tu quoque fac timeas ; &, quæ tibi læta videntur
[g] Dum loqueris, fieri tristia posse puta.

INTERPRETATIO.

Potentia divina ludit in rebus humanis ; & tempus præsens ægrè habet fidem. Si quis mihi dixisset fugies ad littus Euxinum, & timebis ne vulneraveris arcu Getæ ; Ite, dixissem, potato succos purgantes pectora, & quicquid germinat in totâ Anticyrâ. Attamen pertuli ista ; neque si possem me defendere à telis mortalibus, poteram etiam me defendere à telis supremi Dei. Vide tu etiam metuas, & crede posse fieri aspera dum verba facis, quæ tibi videntur læta.

NOTÆ.

[c] *Fidem*] In tantâ namque rerum vanitate, nihil est quod certum quisquam facere aut dicere possit.

[d] *Diceret*] Pro *dixisset*. ut sæpe alibi.

[e] *Bibe*] Siquidem insanus es, caputque gestis atrâ bile turbatum. Intendit Naso dicere, nisi fortunæ vices expertus esset, nunquam potuisse credere futurum ut exilio in Getas pelleretur.

[f] *Anticyra*] Insula est sinus Maliaci, ubi Helleborum magnâ copiâ nascitur ; cujus succum ad depellendam insaniam multùm conferre veteres crediderunt.

[g] *Dum loqueris*] Horæ momento.

EPISTOLA IV.

SEXTO POMPEIO.

ARGUMENTUM.

Nulla dies adeo est.] *Ad Sextum Pompeium scribens Poëta, nullam rem tam tristem esse dicit, quæ non habeat aliquando aliquid lætitiæ. quod sibi contigisse ostendit. Dum enim tristis in littore Pontico spaciaretur, fama ei nunciavit, Sextum Pompeium consulem designatum esse. Quam rem dicit maximam sibi lætitiam attulisse. Postmodò dolet non posse, cùm magistratum inibit Pompeius, illi interesse. Postremò illum precatur ut aliquando sui recordetur.*

NUlla dies adeò est australibus humida nimbis,
[a] Non intermissis ut fluat imber aquis.

INTERPRETATIO.

Nulla dies est adeò pluviosa imbribus australibus, ut pluvia distillet aquis non cessantibus.

NOTÆ.

[a] *Non intermissis*] Hac comparatione Naso nullam rem tam tristem esse significat, quin aliquo lætitiæ radio quandoque distinguatur.

Nec ſterilis locus ullus ita eſt, ut non ſit in illo
   Miſta ferè duris utilis herba [b] rubis.
Nil adeò Fortuna gravis miſerabile fecit,
   Ut minuant nullâ gaudia parte malum.
Ecce domo, patriâque carens, oculíſque meorum,
   Naufragus in Getici littoris actus aquas;
Quâ tamen inveni vultum [c] diffundere cauſsâ
   Poſſem, [d] Fortunæ nec meminiſſe meæ.
Nam mihi cum fulvâ triſtis ſpatiarer arenâ,
   Viſa eſt à tergo [e] penna dediſſe ſonum.
Reſpicio: nec corpus erat, quod cernere poſſem:
   Verba tamen ſunt hæc aure recepta meâ:
En ego lætarum venio tibi nuncia rerum,
   Fama per immenſas aëre lapſa vias.
Conſule Pompeio, quo non tibi carior alter,
   Candidus & felix proximus annus erit.
Dixit: &, ut læto [f] Pontum rumore replevit,
   Ad gentes aliàs hinc [g] Dea vertit iter.
At mihi, dilapſis inter [h] nova gaudia curis,
   Excidit aſperitas hujus iniqua loci.
Ergo ubi, Jane [i] biceps, [k] longum reſeraveris annum,
   Pulſus & à [l] ſacro menſe December erit;

INTERPRETATIO.

Neque ullus locus eſt ità infœcundus, ut non ſit ferè in illo gramen ſalubre miſtum aſperu rubis. Fortuna adverſa nihil fecit adeò deplorandum ut lætitia nullâ parte leniat malum. Ecce ego deſtitutus domo & patriâ, & conſpectu meorum, naufragus, pulſus in aquas littoris Getici; repperi tamen cauſſam quâ poſſem exporrigere frontem, neque recordari ſortis meæ. Nam cum deambularem mœſtus in flavâ arenâ, ala viſa eſt mihi ſtrepuiſſe à tergo. Reſpicio; neque erat corpus quod poſſem videre: attamen hæ voces ſunt auditæ aure meâ. Ecce ego fama delapſa cœlo per longas vias adſum tibi nuncia rerum feſtivarum. Annus proximus erit ſplendidus & beatus Conſule Pompeio, quo alter non eſt tibi charior. Dixit; & poſtquam implevit Pontum grato ſuſurro, Dea flexit hinc iter ad alias nationes. At oblitus ſum feritatis aſpera hujus loci, ſolicitudinibus disjectis inter nova gaudia. Adeòque, Jane bifrons, poſtquam aperueris longum annum, & December erit fugatus à ſacro menſe,

NOTÆ.

[b] *Rubis*] Rubus *Un buiſſon. Un Eglantier.*

[c] *Diffundere vult.*] Exhilarare adeòque cor meum; namque ejus rei eſt indicium frontis alacritas.

[d] *Fortunæ*] Adverſæ.

[e] *Penna.*] Quam Famæ fuiſſe mox indicabit.

[f] *Pontum*] Regionem Ponticam, ubi Naſo exulabat.

[g] *Dea*] Fama *ſcil.*

[h] *Nova*] De Pompeii Conſulatu.

[i] *Biceps*] Janus antiquiſſimus Italiæ rex prudentiſſimus & futurorum non ignarus ideò bifrons dictus eſt. quem Macrobius Deum anni ſcribit, noſter in Faſtis; tacitè labentis anni originem, quia illi Januarius primus menſis ſacer.

[k] *Longum*] Vel quia longus annus Solaris duodecim menſibus conſtans præ Lunari triginta circiter dierum; vel potiùs quia longus Naſoni, qui jam Pompeium ſuum Conſulem habere cuperet.

[l] *Sacro*] Tibi *ſcil.* Jane.

[m] Purpura Pompeium [n] summi velabit honoris;
[o] Ne titulis quicquam debeat ille suis.
Cernere jam videor [p] rumpi penetralia turbâ;
Et populum [q] lædi deficiente loco.
[r] Templáque Tarpeiæ primùm tibi [f] sedis adiri;
Et [t] fieri faciles in tua vota Deos.
Colla boves [u] niveos [x] certæ præbere securi,
Quos aluit campis herba Falisca suis.
Cùmque Deos omnes, tum quos impensiùs æquos:
Esse tibi cupias, cum Jove Cæsar erit.
[y] Curia te excipiet, [z] Patrésque è more vocati
Intendent aures ad tua verba suas.
Hos ubi facundo tua vox [a] hilaraverit ore:
Utque solet, [b] tulerit prospera verba dies;
Egeris & meritas Superis [c] cum Cæsare grates:
Qui caussam, [d] facias cur ita sæpe, [e] dabit:
Inde domum repetes toto [f] comitante Senatu;
[g] Officium populi vix capiente domo.

INTERPRETATIO.

ostrum supremi honoris vestiet Pompeium; ne ille quicquam debeat sua gloria. Jam videor videre demum satiscere magnâ vi hominum; & plebem collidi loco deficiente: atque templa soli Tarpeii primùm à te intrari, & Deos fieri propitios in tua desideria: Tauros candidos, quos gramen Faliscum nutrivit in suis agris exhibere cervices bipenni inevitabili. Et cùm optes Deos omnes esse tibi propitios, tum aliquos ampliùs, Cæsar erit cum Jove. Curia excipiet te; & Senatores congregati de more arrigent aures ad tua dicta. Postquam tua oratio oblectaverit illos ore diserto, & dies habuerit voces latas, ut consuevit; atque egeris dignas gratias Diis cum Cæsare, qui præbebit materiam quamobrem sic facias sæpe, inde revertêris domum toto Senatu comitante, domo ægrè continente officium populi.

NOTÆ.

[m] *Purpura*] Ex qua Trabea seu toga picta Consulum.

[n] *Summi*] Qualis est Consulatus.

[o] *Ne debeat*] Sibi verò unusquisque hoc debet, ut ad summam virtutem veramque laudem quæ ab eâ est, quantùm licet, promoveatur. Neque aliunde quisquam solatium verum possit aucupari.

[p] *Rumpi*] Propter frequentiam congratulantium.

[q] *Lædi*] Inter se collidi; ut fieri solet in turbâ.

[r] *Templa*] Capitolium est; illud namque templum in Capitolino monte, qui & Tarpeius à Vestali Tarpeii filiâ ibi obruta dictus fuit positum. Illuc verò novi Consules ascendebant sacrificaturi Calendis Januariis: unde & Togam pictam sumebant.

[f] *Sedis*] Sedisse, aut positum esse in Tarpeio monte Capitolium modò diximus.

[t] *Fieri fac.*] Per sacrificia *scil.*

[u] *Niveos*] Ex agro Falisco, in Thusciâ, ubi aqua Clitumni amnis epota boves facit albos, juvenci petebantur, qui Jovi solemni ritu Cal. Januariis mactabantur.

[x] *Certæ*] Quæ certo ictu juvencos ferit.

[y] *Curia*] Locus in quem Senatus convocabatur.

[z] *Patres*] Senatores.

[a] *Hilarar.*] Novi Consules *scil.* blandis vocibus gratias pro delato sibi Magistratu agebant.

[b] *Tulerit*] Nempe, in re tali ut solet, læta & prospera omnia à congratulante turbâ dicebantur.

[c] *Cum Cæsare*] *Et Cæsari.*

[d] *Facias ità*] *Gratias agas.*

[e] *Dabit*] Seu Consulem designando, seu aliis beneficiis demerendo.

[f] *Comitante*] Morem nota laudabilem & maximè honorificum.

[g] *Officium populi*] Pro populo officioso.

Me miserum, turbâ quòd non ego cernor in illâ:
Nec poterunt istis lumina nostra frui!
Quamlibet absentem, quâ possum, mente videbo;
Aspiciet vultus Consulis illa [h] sui.
Dî faciant, aliquo subeat tibi tempore nostrum
Nomen; &, Heu, dicas, quid miser [i] ille facit?
Hæc tua pertulerit si quis mihi verba, fatebor
Protinus exsilium mollius esse meum.

INTERPRETATIO.

Me infelicem! quòd ego non conspicior in illo agmine, neque oculi nostri poterunt frui istis. Cernam animo quo possum quantumvis absentem: ille intuebitur faciem Consulis sui. Dii annuant, nomen nostrum tibi recurrat aliquo tempore, & Heu! dicas, quid ille infelix agit? Si quis retulerit mihi has tuas voces, agnoscam continuò exsilium meum esse mitius.

NOTÆ.

[h] *Sui*] *Pompeii sui amici.*

[i] *Ille*] *Naso meus.*

EPISTOLA V.

EIDEM JAM CONSULI.

ARGUMENTUM.

Ite leves elegi.] *Alloquitur per prosopopœiam carmen suum Poeta illúdque Romam mittit ad Pompeium, ad quem etiam scripsit superiorem epistolam: mandatáque exponit, & perbellè fatetur primò se i i summoperè devinctum, declarans se propter ejus benefi ia fore semper illius mancipium. Postremò precatur, ut se donatum vitâ, ejus operâ, etiam servet in præsentia.*

ITe, [a] leves elegi, doctas ad [b] Consulis aures;
Verbáque [c] honoraro ferre legenda viro.
[d] Longa via est, [e] nec vos pedibus proceditis æquis:
Tectáque brumali sub nive terra latet.
Cùm gelidam [f] Thracen, & opertum nubibus [g] Hæmon,
Et maris [h] Ionii transieritis aquas;

INTERPRETATIO.

Discedite expediti Elegi ad doctas aures Consulis, & portate voces evolvendas viro honorato. Iter est prolixum, neque vos inceditis pedibus paribus, & tellus obducta nive hyemali abscondita est. Postquam superaveritis Thracen frigidam, & Hæmon tectum nubibus, & aquas maris Ionii,

NOTÆ.

[a] *Leves*] Quia ad leviora scribenda magìs idonei; minoris sunt operæ, & citius currunt.

[b] *Consulis*] Pompeii *scil.*

[c] *Honorato*] *Consulatum gerenti.*

[d] *Longa*] Tomis Romam usque.

[e] *Nec vos*] Quia uno pede Pentameter Hexametro est brevior.

[f] *Thracen*] Thracia regio est ampla Europæ à Macedoniâ Septemtrionem versus in ortum porrecta, quâ ex Ponto in Italiam iter erat.

[g] *Hæmon*] Mons est altissimus Thraciæ.

[h] *Ionii*] Illud est quod Siciliam inter & Græciam pa[illegible]

Luce minùs [i] decimâ dominam venietis in Urbem,
[k] Ut festinatum non faciatis iter.
Protinus inde domus vobis Pompeïa petatur.
Non est [l] Augusto junctior ulla Foro.
Si quis, [m] ut in populo, qui sitis, & unde, requiret;
Nomina deceptâ [n] quælibet aure ferat.
Ut sit enim tutum, sicut reor esse, fateri;
Verba [o] minùs certè ficta timoris habent.
Copia [p] nec vobis ullo prohibente videndi
Consulis, ut limen contigeritis, erit.
Aut reget [q] ille suos dicendo jura Quirites;
Conspicuum signis cùm premet altus [r] ebur:
Aut populi [s] reditus positam [t] componet ad hastam,
Et minui magnæ non sinet Urbis opes.
Aut, ut erunt Patres in [u] Julia templa [x] vocati,
De tanto dignis Consule rebus aget.
Aut feret Augusto solitam [y] natóque salutem:
Deque [z] parum noto consulet officio.

INTERPRETATIO.

die minùs decimâ appuleritis in Urbem dominam, quamvis non properetis aut acceleretis iter. Inde continuò domus Pompeia requiratur. Nulla est propinquior fore Augusto. Si quis, ut in plebe, petat qui sitis & unde; reportet quævis nomina aure delusâ. Quamvis enim sit securum, sicut ego existimo, verum agnoscere, sane voces falsa habent minùs formidinis. Neque licebit vobis adire Consulem ullo obstante, cùm ad ostium veneritis. Aut ille curabit suos Romanos declarando jura cùm sublimis innitetur ebori insigni figuris & imaginibus; aut statuet de proventibus populi ad hastam positam, & non patietur censum ingentis Urbis extenuari. Vel cùm Senatores erunt citati in ædem Juliam tractabit de rebus dignis tanto Consule. Vel salutabit Augustum & filium de more, atque petet consilium de officio minus perspecto.

NOTÆ.

[i] *Decimâ*] Postquam mare transieritis Ionium.

[k] *Ut festinat.*] *Quamvis non properetis.*

[l] *Augusto*] Junctum fuit istud forum foro Cæsaris, quod hodie in hortos mutatum. Inter miracula Urbis refertur à Plinio.

[m] *Ut in pop.*] *Quemadmodum populus solet requirere.*

[n] *Qualibet*] Quævis alia, excepto vero.

[o] *Minùs tim.*] Nullus namque si intellexerit Ovidii exsulis esse libellos, nullus eâ caussâ infestus fuerit.

[p] *Nec erit*] Quia *scilicet*, negotiis distracto Consule, quanquam nullus aditum prohibeat, per illa accedere non licet.

[q] *Ille*] Consul Pompeius.

[r] *Ebur*] Sellam eburneam & curulem variis figuris distinctam.

[s] *Reditus*] Publica vectigalia.

[t] *Componet*] Positâ in foro hastâ præconis, ut inquit Cicero, publica vectigalia in auctione emendâ conducenda pr[illegible]onet. *Il réglera les revenus de l'Etat, les faisant crier au plus offrant.*

[u] *Julia*] In foro Romano f[illegible] templum, in quo Veneris genitricis mari exeuntis imaginem Augustus dicavit.

[x] *Vocati*] Non enim in unum atque eundem locum semper conveniebant Senatores.

[y] *Nato*] Tiberio *scil.* Augusti filio per adoptionem.

[z] *Parùm noto*] Quia ex Cæsaris nutu omnia componenda. Namque [illegible] si e[illegible]onas vix satis ad Pōpeii laudes istud quadraverit,

Tempus ab his vacuum Cæsar [a] Germanicus omne
  Auferet. à [b] magnis [c] hunc colit [d] ille Deis.
Cùm tamen à turbâ rerum requieverit harum;
  Ad [e] vos mansuetas porriget ille manus:
Quidque [f] parens ego vester agam, forrasse requiret.
  Talia vos illi reddere verba velim.
Vivit adhuc, vitámque tibi debere fatetur,
  Quam priùs à miti Cæsare munus habet.
Te sibi, cùm f.geret, memori solet ore referre,
  [g] Barbariæ tutas exhibuisse vias.
Sanguine [h] B.stonium quòd [i] non tepefecerit ensem,
  Effectum curâ pectoris esse tui.
Addita prætereà vitæ quoque multa tuendæ
  Munera, ne proprias attenuaret opes.
Pro quibus ut meritis referatur gratia, jurar,
  Se fore mancipii tempus in omne tui.
Nam priùs umbrosâ carituros arbore montes,
  Et freta [k] velivolas non habitura rates,
Fluminâque in fontes cursu reditura [l] supino;
  [m] Gratia quàm meriti possit abire tui.

INTERPRETATIO.

Postea Germanicus habebit omne tempus reliquum: ille observat hunc post magnos Deos. Postquam tamen resipuerit à multitudine horum negotiorum, ille offeret vobis mites manus; & fortè petet quid ego vester pater faciam. Cupio vos illi reponere hujusmodi voces. Vivit adhuc, & agnoscit se teneri tibi vitâ, quam antè obtinet donum à leni Cæsare. Consuevit memorare ore grato, te præbuisse sibi vias securas, cùm in exilium proficisceretur. Evenisse curâ tui animi quòd non calefecerit gladium Bistonium sanguine suo. *Adjecta insuper plurima dona vitæ conservandæ, ne minueret proprias divitias. Pro quibus beneficiis ut gratia rependatur, juvat se futurum tui juris in omne ævum. Nam antè colles destitutum iri arbore umbrosâ, & maria caritura navibus velivolis, & fluvios reversuros in scaturigines fluxu contrario atque inverso, quàm gratia tui beneficii possit deleri.*

NOTÆ.

[a] *Germanicus*] Hic verò, Sexto Pompeïo, & Sexto Appuleio Consulibus, quo anno Augustus decessit, Romæ fuit: quanquam ab illo in Germaniam paulò ante obitum dimissus est. Drusi autem, Tiberii fratris, filius fuit, quem & à rebus in Germaniâ præclarè gestis eo titulo cognominatum, & à Tiberio Augusti jussu adoptatum jam suprà diximus.

[b] *Magnis*] Augusto & Tiberio.

[c] *Hunc*] Germanicum.

[d] *Ille*] Pompeius.

[e] *Vos*] Libellos suos aut Elegos alloquitur Naso.

[f] *Parens*] Sunt nempe Poëtæ atque Oratores quasi patres suorum operum.

[g] *Barbariæ*] Per gentes barbaras *scilicet* transeundum fuit, cùm in exilium Naso proficisceretur. Tutæ ut essent viæ Sextus præcaverat.

[h] *Bistonium*] Bistonum, qui Thraciæ fuerunt populi ferocissimi; quâ Nasoni in Scythicas regiones eunti transeundum fuit.

[i] *Non tepefecerit*] Adeoque interfectus Naso non fuerit.

[k] *Velivolas*] Quæ velorum usu flantibus ventis huc illuc ducuntur.

[l] *Supino*] *Contrario.*

[m] *Gratia quàm*] *Quàm obliviscar beneficii.*

Hæc ubi dixeritis, [n] servet sua dona, rogate.
[o] Sic fuerit vestræ caussa peracta viæ.

INTERPRETATIO.

Postquam ea protuleritis orate, ut tueatur sua munera: ità caussa vestri itineris fuerit expleta.

NOTÆ.

[n] *Servet*] *Ea tueatur quæ in me contulit; ac mihi porrò benefacere pergat.*

[o] *Sic*] *Postquam hæc mandata impleveritis.*

EPISTOLA VI.

BRUTO.

ARGUMENTUM.

Quam legis ex illis.] *Ad Brutum Romanum scribens, narrat se quinquennium egisse in Ponto: & cùm maximè reditum speraret precibus Fabii Maximi, in quo spem habebat, eum periisse docet. Fatetur tamen Brutum nihilo inferiorem amore erga se esse. Postremò ejus amorem & virtutes peculiares exponit: profitetúrque nunquam se fore ingratum meritorum, quæ apud se ab amicis collocata sunt.*

Quam legis, ex [a] illis tibi vênit epistola, Brute,
Nasonem nolles in quibus esse locis.
Sed, tu quod nolles, voluit miserabile fatum.
Hei mihi, plus illud, quàm tua vota, valet!
In Scythiâ nobis [b] quinquennis Olympias acta est:
[c] Jam tempus lustri transit in alterius.
[d] Perstat enim Fortuna tenax, votísque malignum
[e] Opponit nostris insidiosa pedem.
[f] Certus eras pro me, Fabiæ laus, Maxime, gentis,
Numen ad Augustum supplice voce loqui.

INTERPRETATIO.

Brute, litteræ quas legis adsunt tibi ex illis locis, in quibus nolles Nasonem esse. Verùm luctuosum fatum voluit quod tu nolles. Hei mihi! illud plus potest quàm tua desideria! Olympias quinquennis est nobis transacta in Scythiâ. jam tempus egreditur in tempus alterius lustri. Namque fortuna pertinax perseverat, atque insidiosa objicit pedem malitiosum nostris desideriis. Constitueras, ô decus maximum gentis Fabiæ, facere verba ad numen Augustum pro me voce humili.

NOTÆ.

[a] *Illis locis*] Ponticâ regione *scilicet*.

[b] *Quinquennis*] Quinquennem facit Olympiadem Naso [illegible] quatuor integros annos tantùm comp[illegible] celebatur, quintum numerando, in q[illegible] Olympicorum ludorum celebratio recurrebat.

[c] *Jam tempus*] Omnino siquidem lustrum quatuor est annorum tantum,

[d] *Perstat*] *Pertinaciter me vexat.*

[e] *Opponit*] Cursorum aut luctantium more qui antagonistam, pedis objectu, supplantant.

[f] *Certus eras*] *Decreveras.* Ad Fabium Maximum fato functum sermonem vertit; de cujus amicitiâ plurima in Epistolis ad eum scriptis vidimus.

Occidis [g] ante preces; [h] caussámque ego, Maxime, mortis
(Nec fueram tanti) me reor esse tuæ.
Jam [i] timeo nostram cuiquam mandare salutem:
[k] Ipsum morte tuâ concidit auxilium.
Cœperat Augustus [l] deceptæ ignoscere culpæ;
[m] Spem nostram terras [n] deseruitque simul.
Quale tamen potui de [o] cælite, Brute, recenti
Vestra procul positus carmen in ora dedi.
Quæ prosit pietas utinam mihi; sicque malorum
Jam modus, & [p] sacræ mitior ira domûs!
Te quoque [q] idem, liquido possum jurare, precari,
O mihi non dubiâ cognite Brute notâ.
Nam cùm præstiteris verum mihi semper amorem;
Hic tamen adverso tempore crevit amor.
Quique tuas pariter lacrymas nostrásque videret;
Passuros pœnam crederet esse duos.
Lenem te miseris genuit Natura, nec ulli
Mitius ingenium, quàm tibi, Brute, dedit.
Ut qui, quid valeas, ignoret, [r] Marte forensi,
Posse tuo [s] peragi [t] vix putet ore reos.

INTERPRETATIO.

Fato fungeris ante preces, Maxime, & ego arbitror me esse caussam tui obitus, neque fueram tanti. Nunc metuo commendare cuiquam meam salutem: Ipsum adjumentum interiit tuo obitu. Augustus cœperat veniam dare errori excelescenti: destituit simul terras & spem nostram. Dissitus tamen omisi in vestrum conspectum poëma de cœlesti quale potui, Brute. Quæ pietas utinam mihi sit utilis, jamque sit finis ærumnarum, & ira domus sacræ lenior. Possum certò jurare, te etiam idem orare, ò Brute, mihi perspecte indicio indubitato. Nam cùm exhibueris semper mihi sincerum amorem, amor tamen auctus est tempore hoc duro. Et qui aspiceret pariter tuos fletus & meos, arbitraretur duos esse passuros supplicium. Natura te fecit mitem infelicibus neque præbuit animum leniorem cuiquam quàm tibi, Brute: ità ut qui nesciat quid possis in certamine forensi, ægrè arbitretur noxios posse exagitari tuo ore.

NOTÆ.

[g] *Ante preces*] *Priusquam pro me Augustum oravero.*

[h] *Caussam*] Quasi fortuna illos etiam insectari studuerit, qui Nasoni faverent. Neque enim aliorum placet expositio.

[i] *Timeo*] Ne illi quoque fortunæ insidiis pereant amici, quibus salutem meam commendavero.

[k] *Ipsum*] In illo Fabio spes ergo opesque omnes sitæ.

[l] *Decepta*] Id est cujus jam Augustus tempore obliviscebatur: namque aliorum non placet expositio.

[m] *Spem*] *Quam de reditu fecerat, aut certè ego animo præceperam.*

[n] *Deseruit*] Augustus *scilicet*, qui hoc ipso anno quinto ab Ovidii fugâ, Pompeio, Appuleioque Consulibus, è vivis excessit.

[o] *Cælite*] Augusto.

[p] *Sacra*] Augustæ *scil.* Namque & vivens Augustus pro Deo, ut fuit dementia, habebatur.

[q] *Idem*] Ut *scil.* sacræ domus mitior ira.

[r] *Marte forensi*] In disceptationibus forensibus, ubi non minori impetu quàm in bello certatur.

[s] *Peragi*] Eloquentiâ tuâ ità exagitari, ut à judicibus damnetur. Peragere; *faire condamner.*

[t] *Vix*] Quia ità lenis es.

[u] Scilicet ejusdem est, quamvis [x] pugnare videtur,
Supplicibus facilem, sontibus esse trucem.
Cùm tibi [y] suscepta est legis vindicta severæ;
Verba velut tinctum singula [z] virus habent.
Hostibus eveniat, quàm sis violentus in [a] armis
Sentire, & linguæ tela subire tuæ.
Quæ tibi tam [b] tenui curâ limantur, ut omnes
[c] Istius ingenium corporis esse negent.
At si quem lædi Fortunâ cernis iniquâ,
[d] Mollior est animo fœmina nulla tuo.
Hoc ego præcipuè sensi, cùm magna [e] meorum
Notitiam pars est inficiata mei.
Immemor illorum, vestri non immemor unquam,
Qui mala solliciti nostra levastis, ero.
Et priùs (heu nobis nimiùm conterminus!) Ister
In [f] caput Euxino de mare vertet iter:
Utque [g] Thyesteæ redeant si tempora mensæ,
Solis ad Eoas currus agetur aquas:
Quàm quisquam vestrûm, qui me doluistis ademto,
Arguat ingratum non meminisse sui.

INTERPRETATIO.

Nimirum est ejusdem, tametsi videatur non convenire, esse mitem erga humiles, terribilem adversus nocentes. Cùm ultio legis rigidæ à te suscepta est, singulæ voces habent quasi venenum infusum. Accidat hostibus experiri quàm sis asper in armis, & sentire spicula tuæ linguæ. Quæ acuuntur à te curâ tam subtili, ut cuncti dicant non esse ingenium istius corporis. At si videas aliquem premi sorte injustâ, nulla fœmina est lenior tuo ingenio. Ego expertus sum istud præsertim, cùm pars magna meorum abnegavit cognitionem mei. Oblitus ero illorum, nunquam immemor vestri, qui anxii minuistis nostras ærumnas. Atque antè Ister, heu nimiùm nobis proximus! flectet iter ex Ponto Euxino in fontem: Et quemadmodum si tempora mensæ Thyesteæ recurrant, ante *currus Solis feretur ad aquas orientis, quàm ullus vestrum, qui ægrè tulistis me sublatum, exprobret* me *ingratum non recordari sui.*

NOTÆ.

[u] *Scilicet*] *Mais c'est pourtant.*

[x] *Pugnare*] Esse scilicet lenem, & asperè noxios persequi.

[y] *Suscepta*] Ut pro vindictâ verba facias.

[z] *Virus*] Quod reum perstringat.

[a] *Armis*] Illis *scil.* de quibus agitur, quæque ab oratore tractantur.

[b] *Tenui*] *Subtili diligentiâ.*

[c] *Istius*] Quod tam mite videtur.

[d] *Mollior*] *In misericordiam proclivior.*

[e] *Meorum*] Amicorum *scil.*

[f] *Caput*] Fontes *scil.* unde derivatur.

[g] *Thyestea*] *In quibus Thyesti fratri Atreus filium epulandum apposuit*, sicuti in præcedentibus vidimus. Quod nefas Sol ne videret currum suum auroram versus revocavit.

EPISTOLA VII.

VESTALI.

Argumentum.

Missus es Euxinas.] *Ad Vestalem scribens Poeta, cui ora Pontica regenda, delata fuerat; eum testem facit incommodorum quæ sunt in ea regione. pòst ejus virtutem laudat, quam pollicetur suo carmine testatum fore in omne tempus.*

Missus es Euxinas quoniam, Vestalis, ad undas,
Ut positis rèddas jura [a] sub axe locis;
Aspicis en, Præses, quali jaceamus in arvo:
Nec me testis eris falsa solere queri.
Accedet voci per te non irrita nostræ,
Alpinis juvenis regibus orte, fides.
Ipse vides certè glacie concrescere Pontum.
Ipse vides rigido stantia vina gelu.
Ipse vides, onerata ferox ut ducat [b] Iazyx
Per medias Istri plaustra bubulcus aquas.
Aspicis & mitti sub [c] adunco toxica ferro,
Et telum caussas mortis habere [d] duas.
Atque utinam pars hæc tantùm spectata fuisset,
Non etiam proprio cognita Marte tibi!
[e] Tenditis ad [f] primum per densa pericula pilum:
Contigit ex merito qui tibi nuper honos.
Sit licèt hic titulus plenis tibi fructibus ingens,
Ipsa tamen virtus ordine major erit.

Interpretatio.

Siquidem & Vestalis jussus es venire ad aquas Euxinas, ut jus dicas in locis sitis sub polo; ecce vides, Præposite, in quali agro positi simus; & erit testis me non consuevisse conqueri ficta. Juvenis oriunde regibus Alpinis, fides certa adveniet nostris dictis per te. Ipse cernis sanè Pontum congelari frigore; ipse cernis vina concreta gelu aspero. Ipse cernis ut sævus bubulcus Jazix agat vehicula onusta per medias aquas Danubii. Cernis quoque venena mitti sub ferro hamato, & spiculum habere duas caussas mortis. Atque utinam hæc pars tantùm visa fuisset, non etiam tibi perspecta proprio certamine. Aspiratis ad primum pilum per crebra discrimina: qui honos nuper tibi obtigit pro merito. Quanquam hæc dignitas sit tibi, spectanda plurimis fructibus, ipsa tamen fortitudo erit præstabilior ordine.

Notæ.

[a] *Sub axe*] *Sub polo.* Quanquam multùm ab eo distat regio Pontica. Sed ità invidiosè & loci odio loquitur Poëta.

[b] *Iazix*] Fuerunt Jazyges Scythiæ Europeæ populi.

[c] *Adunco*] Hamato & curvo, ne adacta spicula possint retrahi.

[d] *Duas*] Ferrum *scil.* & venenum.

[e] *Tenditis*] Vos Romani *scil.* qui armageritis, tuque Vestalis in primis.

[f] *Primum*] Primipilus, seu Centurio primi pili dicebatur qui dux aut princeps legionis; cui muneri & honos & opes adjunctæ.

Non negat hoc [g] Ister: cujus tua dextera quondam
Puniceam Getico sanguine fecit aquam.
Non negat [h] Ægypsos, quæ te subeunte recepta
Sensit in [i] ingenio nil opis esse loci.
Nam dubium, [k] positu meliùs defensa [l] manuve,
Urbs erat in summo nubibus æqua jugo.
[m] Sithonio Regi ferus interceperat illam
Hostis, & ereptas victor habebat opes.
Donec [n] flumineâ devecta [o] Vitellius undâ
Intulit [p] exposito milite signa Getis.
At [q] tibi, progenies alti fortissima Dauni,
Venit in adversos impetus ire viros.
Nec mora; conspicuus longè fulgentibus armis,
Fortia ne possint facta latere, caves:
Ingentíque gradu contra [r] ferrúmque [s] locúmque,
Saxáque brumali grandine plura, [t] subis.
Nec te missa super jaculorum turba moratur,
Nec quæ [u] vipereo tela cruore madent.
Spicula cum [x] pictis hærent in casside pennis:
Parsque ferè scuti vulnere nulla vacat.

INTERPRETATIO.

Danubius non istud inficiatur; cujus tua dextera fecit olim aquam rubram cruore Getico. Ægypsos non istud inficiatur, qua recuperata te intrante experta est nihil esse auxilii in naturâ loci. Nam oppidum erat in ultimo cacumine montis *aequum nubibus, incertū munitumne melius situ an opere. Hostis sævus ademerat illam regi Sithonio, & victor potiebatur divitiis sublatis; donec Vitellius immisit Getis signa devecta aquâ flumineâ,* milite in terram *traducto. At ô strenua soboles excelsi Dauni ardor te corripuit irruere in hostes. Et sine cunctatione, spectabilis armis longè micantibus, prospicis ne præclara gesta possint ignorari; & ascendis magno passu adversus ferrum & locum, & lapides densiores grandine hyemali. Neque vis telorum missa super te, neque sagitta infecta sanguine vipereo te retinent. Sagitta cum pennis versicoloribus stant in galeâ, nullaque pars propemodum clipei est sine plagâ.*

NOTÆ.

[g] *Ister*] Pro accolis ejus posuit per metonymiam.

[h] *Ægypsos*] Oppidum fuit munitissimum in Scythiâ non longè ab Istro fluvio.

[i] *Ingenio*] *Naturâ loci.*

[k] *Positu*] *Situ & loci ingenio.*

[l] *Manu ve*] *Arte paratis propugnaculis.*

[m] *Sithonio*] *Thracio:* namque ejus pars Sithonia.

[n] *Flumineâ*] Danubii *scil.* per quem arma militesque ex finitimis locis deportati.

[o] *Vitellius*] Quis hic homo fuerit non liquet.

[p] *Exposito*] *In terram traducto.*

[q] *Tibi*] Vestalem alloquitur: cujus ut demereatur benevolentiam laudes persequitur.

[r] *Ferrum*] Illorum qui oppidum defendebant.

[s] *Locumque*] Ingenio loci munitum illud oppidum modò vidimus.

[t] *Subis*] *Ascendis.*

[u] *Vipereo*] Pro veneno posuit quo sagittas suas aut certè earum ferrum barbari imbuebant.

[x] *Pictis*] Pulcritudinis causâ *scil.* diversis coloribus sagittarum pennas pingebant.

[y] Nec corpus cunctos feliciter effugit ictus;
Sed minor est acri laudis amore dolor.
Talis apud Trojam [z] Danaïs pro navibus Ajax
Dicitur Hectoreas sustinuisse faces.
Ut propiùs ventum est, admotáque dextera dextræ,
Resque fero potuit comminùs ense geri;
Dicere difficile est, quid [a] Mars tuus egerit illic,
Quotque neci dederis, [b] quosque, quibúsque modis.
Ense tuo factos calcabas victor acervos;
Impositóque Getes sub pede multus erat.
Pugnat ad exemplum Primi [c] minor ordine Pili:
Multáque fert miles vulnera, multa facit.
Sed tantùm virtus alios tua præterit omnes,
Ante citos quantùm [d] Pegasus ibat equos.
Vincitur Ægypsos: [e] testatáque tempus in omne
Sunt tua, Vestalis, carmine facta meo.

INTERPRETATIO.

Neque corpus vitavit feliciter omnes ictus: verùm dolor est minor vehementi cupidine gloriæ. Talis Ajax dicitur sustinuisse faces Hectoreas apud Trojam pro navibus Græcorum. Postquam ventum est propiùs, & dextera juncta dexteræ, & res potuit geri sævo gladio, difficile est dicere, quid tua fortitudo fecerit ibi, quotque opposueris morti, quosque, & quibus modis. Victor premebas cumulos factos gladio tuo, & plurimus Getes erat sub pede imposito. Inferior ordine certat ad exemplum Primi Pili, & miles accipit multas plagas, multas infert. Verùm virtus tua tantùm vincit cæteros, quàm Pegasus superabat veloces equos. Ægypsos capitur; atque, ô Vestalis, tua facinora sunt comprobata in omne ævum versibus meis.

NOTÆ.

y *Nec corpus*] Vulneratum Vestalem innuit eo certamine.

z *Danais pro*] Hectorem vidimus in Metamorphosi navibus Græcorum ignem inferentem; itemque Ajacem eâ caussâ, quòd tantam pestem depulisset, gloriantem.

a *Mars*] Pro virtute bellicâ.

b *Quos*] Strenuos *scil.* & inter Getas maximè conspicuos.

c *Minor*] Centurio *scilicet*, qui sub Primipilo Vestali ejus permotus exemplo acriter pugnat.

d *Pegasus*] Alatus equus ex Medusæ sanguine ortus; de quo plurima in præcedentibus.

e *Testata*] *Testimonio comprobata.* Reconnus, Averez. *Quo testatior esset improborum pœna* dixit Cæsar: *Afin que le supplice des méchans fût plus connu.*

EPISTOLA VIII.

SUILLIO.

ARGUMENTUM.

Littera sera quidem.] *Mortuo Augusto, ut diximus, hanc epistolam mittit Ovidius ad Suillium uxoris suæ generum, agitque ei gratias pro ejus epistolâ ad se scriptâ: quam, etsi serò perlatam, gratissimam tamen fuisse dicit. Postmodùm eum rogat, ut Germanicum juniorem sibi reconciliet. Pollicetúrque se in hujus rei gratiam non erecturum ei templa de marmore, sed carmine complexurum ejus laudes. Ostenditque nihil esse posse principibus aptius, quàm carmine efficiesum se præstare. Tum nactus occasionem Poëta, carminis excellentiam extollit: precatúrque ut sibi carmina prosint, & si non possit reditum in patriam obtinere, saltem urbi propinquius exilium, quò possit Cæsaris gesta intelligere, & carmine celebrare.*

Littera sera quidem, studiis [a] exculte Suilli,
[b] Huc tua pervenit, sed mihi grata tamen.
Quâ, [c] pia si possit [d] Superos lenire rogando
Gratia, laturum te mihi dicis opem.
Ut jam [e] nil præstes, animi sum factus amici
Debitor; & meritum, velle juvare, voco.
[f] Impetus iste tuus longum modò duret in ævum;
Neve malis pietas sit tua lassa meis.
Jus aliquod faciunt affinia vincula nobis,
Quæ semper maneant illabefacta precor.
Nam tibi quæ conjux, eadem mihi filia [g] pæne est:
Et quæ te generum, me vocat illa virum.
Hei mihi, si lectis vultum tu versibus istis
[h] Ducis, & affinem te pudet esse meum!

INTERPRETATIO.

Suilli expolite studiis, tua epistola pervenit quidem huc tarda, sed tamen mihi accepta. Quâ asseris te mihi præbiturum auxilium, si pia gratia posset mollire Superos orando. Tametsi nihil etiam promoveas, sum factus debitor animi amici; & appello beneficium, velle prodesse. Modò iste ardor perstet in longum tempus, neve tuus amor defatigetur meis malis. Necessitudines affinitatis dant nobis jus aliquod; quæ oro perstent semper illæsa. Nam quæ est tibi uxor, eadem ferè est mihi filia; & illa quæ appellat te generum, me appellat *maritum. Hei mihi, si tu contrahis faciem, his carminibus lectis, & te pudet esse meum affinem!*

NOTÆ.

[a] *Exculte*] *Disciplinis liberalibus expolite.*
[b] *Huc*] In Scythiam.
[c] *Pia gratia*] *Amor tuus erga me pius.*
[d] *Superos*] Tiberium, Germanicum aliosque ex domo Augustâ.
[e] *Nil præstes*] *Nihil possis in mei gratiam perficere.*
[f] *Impetus*] Ardor quo ad opem Nasoni ferendam Suillius tenebatur.
[g] *Panè*] Quia filia fuit uxoris Ovidii.
[h] *Ducis*] *Corrugas.* Quod solent quibus aliquid molestum est.

At nihil [i] hîc dignum poteris reperire pudore,
Præter Fortunam, quæ mihi cæca fuit.
Seu genus excutias; Equites, ab origine primâ,
Usque per innumeros inveniemur avos:
Sive velis, qui sint, mores inquirere nostros;
[k] Errorem misero detrahe, [l] labe carent.
Tu modò, si quid agi sperabis posse precando,
Quos colis, exora supplice voce Deos.
Dî tibi sunt [m] Cæsar juvenis. tua numina placa.
Hac certè nulla est notior ara tibi.
Non sinit illa sui vanas antistitis unquam
Esse preces. nostris hinc pete rebus opem.
Quamlibet exiguâ si nos [n] ea juverit aurâ,
Obruta de mediis [o] cymba resurget [p] aquis.
[q] Tunc ego thura feram rapidis sollemnia flammis;
Et, valeant quantùm numina, testis ero.
Nec tibi de [r] Pario statuam, Germanice, templum
Marmore. carpsit opes illa ruina meas.
Templa domus vobis faciant urbésque beatæ;
Naso suis [s] opibus carmine gratus erit.
Parva quidem fateor pro magnis munera reddi,
Cùm pro concessâ verba salute damus.

INTERPRETATIO.

At nihil poteris hic invenire dignum rubore, præter fortunam, quæ fuit mihi cæca. Sive inquiras in originem meam, *inveniemur equites à primâ stirpe usque per avos innumeros. Sive velis scrutari qui sint nostri mores, (demo incogitantiam infelici) sunt sine maculâ. Tu tantùm, si credis aliquid posse promoveri orando, implora voce humili favorem Deorum quos veneraris. Dii tibi sunt Cæsar juvenis. Delinito tua numina: profectò nullum altare est tibi notius isto. Illud non patitur preces sui sacerdotis esse unquam inanes. Quare hinc auxilium nostris rebus. Si ille ventus quantumvis lenis nobis secundus fuerit, navis* mea *demersa prodibit ex mediis aquis. Tunc ego præbebo thura sollemnia ignibus fervidis, & iudicio ero quantùm dii possint. Neque tibi ponam ædem ex marmore Pario, Germanice. Illa clades sustulit meas divitias. Domus & oppida felicia statuant vobis ædes. Naso erit gratus suis divitiis* nempe *versibus. Agnosco equidem exigua dona rependi pro ingentibus, cùm præbemus voces pro incolumitate datâ:*

NOTÆ.

[i] *Hic*] Apud me.

[k] *Errorem*] Ubique errore non scelere peccasse dicit Naso.

[l] *Labe carent*] *Sunt sine maculâ.*

[m] *Cæsar juvenis*] Germanicus est de quo suprà, Tiberii per adoptionem Augusti jussu filius.

[n] *Ea*] Favor *scilicet* Germanici, non Augusto modò olim, sed omni populo Romano carissimi.

[o] *Cymba*] Navis mea, ipse ego, aut res meæ afflictæ.

[p] *Aquis*] Per aquas pericula, & res adversas intellige.

[q] *Tunc*] Postquam cymba resurrexerit, atque ego salvus fuero.

[r] *Pario*] Quod candidissimum ex Paro insulâ, inter Cyclades maris Ægæi unâ, petebatur.

[s] *Opibus carmine*] Appositio est. Carmina Poëtarum sunt divitiæ.

Sed qui, quam potuit, dat maxima, gratus abunde est;
Et finem pietas contigit illa suum.
Nec, quæ de parvâ Dîs pauper libat [t] acerrâ,
Thura minùs, grandi quàm data lance, valent.
Agnáque tam [u] lactens, quàm gramine [x] pasta [y] Falisco,
Victima [z] Tarpeios inficit icta focos.
Nec tamen, officio vatum per carmina facto,
Principibus res est [a] gratior ulla viris.
Carmina vestrarum peragunt præconia laudum:
Neve sit actorum fama caduca cavent.
Carmine fit vivax virtus; expérsque sepulcri,
Notitiam seræ posteritatis habet.
Tabida consumit ferrum lapidémque vetustas;
Nulláque res majus tempore robur habet.
Scripta ferunt annos: [b] scriptis [c] Agamemnona nosti;
Et quisquis contra, vel simul arma tulit.
Quis [d] Thebas septémque duces sine carmine nosset,
Et quicquid post [e] hæc, quicquid & antè fuit?
Dî quoque carminibus (si [f] fas est dicere) fiunt:
Tantáque majestas ore canentis [g] eget.

INTERPRETATIO.

Verùm ille *est gratus satis superque, qui præbet quàm potuit maxima, atque illa pietas pervenit ad suum finem. Neque thura quæ inops prabet de tenui thuribulo minùs grata sunt quàm exhibita magnâ patinâ. Tamque agna lactens quàm hostia nutrita herbâ Faliscâ, percussa tingit altaria Tarpeïa. Neque tamen ulla res est magis accepta viris principibus officio exhibito per versus Poëtarum. Versus absolvunt celebrationes vestrarum laudum; & prospiciunt ne fama factorum vanescat. Virtus fit immortalis & immunis sepulcri versibus: pervenit ad ultimos nepotes. Languida vetustas conterit ferrum & saxa, nullaque res pollet majoribus viribus tempore. Scripta patiuntur ævum: cognovisti Agamemnonem scriptis & quisquis gessit arma adversus* illum, *vel unà* cum illo. *Quis nosset Thebas & septem reges sine versibus, & quicquid fuit post hac, & priùs? Dii quoque, si fas est dicere, fiunt per versus; & tanta Majestas opus habet ore celebrantis.*

NOTÆ.

[t] *Acerra*] Vas est ubî thus adolebant.

[u] *Lactens*] Adeòque pusilla.

[x] *Pasta*] Quæ ergo specie & valore præstantior.

[y] *Falisco*] De eò paulò superiùs, ubi vide.

[z] *Tarpeios*] Capitolinas aras, quæ in monte Capitolino seu Tarpeio; de quo & suprà sæpiùs.

[a] *Gratior*] Quia *scilicet* quovis ære stabilior gloria quæ versibus celebratur.

[b] *Scriptis*] Homeri puta, aliorumque deinde Poëtarum.

[c] *Agamemnona*] Qui rex regum, atque eorum dux qui ad bellum Troianum profecti sunt; notior est, quàm ut de eo quicquam proferre sit opus.

[d] *Thebas*] Bœoticas intellige, (nam plures fuerunt) adversus quas Adrastus, Polynices, Hippomedon, Tydeus, Amphiaraus, Parthenopæus, & Capaneus reges insurrexerunt, ut docet Hyginus.

[e] *Hac*] Thebas, duces, bella, &c.

[f] *Fas*] Fas verò fuerit dicere, siquidem tantum nefas ausi Poëtæ, ut quos libuerit in cœlum transtulerint.

[g] *Eget*] Eget verò maximè, siquidem tot deorum, nisi quæ Poëtarum figmentis celebratur Majestas nulla est.

Sic [h] Chaos, ex illâ [i] naturæ [k] mole prioris,
Digestum partes scimus habere suas:
Sic affectantes cælestia regna [l] Gigantas,
Ad [m] Styga [n] nimbifero [o] vindicis igne datos.
Sic victor laudem superatis [p] Liber ab Indis,
[q] Alcides captâ traxit ab [r] Oechaliâ.
Et [s] modò, Cæsar, [t] Avum, quem virtus addidit astris,
Sacrarunt aliquâ carmina parte tuum.
Si [u] quid adhuc igitur vivi, Germanice, nostro
Restat in ingenio, serviet omne tibi.
Non potes officium vatis contemnere [x] vates:
Judicio pretium res habet ista [y] tuo.
Quod nisi te [z] nomen tantum ad majora vocasset,
[a] Gloria Pieridum summa futurus eras.
Sed dare [b] materiam nobis, quàm carmina, mavis:
Nec tamen ex toto deserere illa potes.

INTERPRETATIO.

Ità intelligimus Chaos distinctum habere partes suas ex illâ massâ natura prioris. Ità noscimus *Gigantes cupientes invadere regna syderea detrusos ad Tartara flammâ imbriferâ ultoris. Ità Bacchus victor consequutus est gloriam ab Indis domitis; Alcides ab Oechaliâ victâ. Et nuper, Cæsar, consecrarunt versibus aliquâ parte avum tuum, quem Virtus intulit syderibus. Si ergo aliquid vividi superest in ingenio nostro, Germanice, omne serviet tibi.* Tu *Poëta non potes spernere officium poëta: Res ista habet meritum tuo arbitrio. Quòd nisi tantum nomen addixisset te ad præstantiora, futurus eras laus ultima Musarum. Verùm mavis præbere nobis argumentum, quàm versus: neque tamen potes illos in totum omittere.*

NOTÆ.

[h] *Chaos*] Primam illam elementorum commixtionem.

[i] *Natura prioris*] Hoc est molis istius, quæ suo modo exstitit antequam in elementa transiret.

[k] *Mole*] Quæ chaos est ipsum.

[l] *Gigantas*] De illorum audaciâ vide in Metam.

[m] *Styga*] Atque adeò ad Inferos, ubi ea palus.

[n] *Nimbifero*] Nimirum nimbi atque nubes assidui fulminuum atque tonitruum comites vel caussæ.

[o] *Vindicis*] Jovis *scilicet*, qui eam pestem ad Tartara detrusit, si fabulis fides.

[p] *Liber*] Bacchus, Indorum à Poëtis domitor decantatus.

[q] *Alcides*] Hercules, cui à robore Græci illud nomen dederunt.

[r] *Oechaliâ*] Plures fuerunt urbes eo nomine; sed ista fuit in tractu Messeniaco, quam Hercules ideò diruit, quòd pactam sibi Iolem filiam Eurytus rex non daret. Verùm de istis omnibus jam sæpius dictum.

[s] *Modo*] Hoc dicit, quia nuper è vivis Augustus excesserat.

[t] *Avum*] Per adoptionem. namque ità Germanicus, de quo hic agitur Tiberii fuit filius, Tiberius Augusti; uti jam sæpenumero inculcatum.

[u] *Quid vivi*] Quod mala mea non penitus extinxerint.

[x] *Vates*] Poëta verò fuit, Tranquillo aliisque si qua fides.

[y] *Tuo judicio*] Siquidem Poëticæ arti operam navaveris.

[z] *Nomen*] Cæsaris *scilicet*, cui quidem bellicâ laude partam famam si lubet addideris.

[a] *Gloria Pieridum*] *Decus Musarum*, atque adeò summus Poëta.

[b] *Materiam*] *Argumentum*, quod à Poëtis tractetur. Haud par verò sequitur gloria scriptorem & actorem rerum.

Nam

Nam modò bella geris, [c] numeris modò verba coërces,
Quodque aliis opus est, hoc tibi [d] ludus erit.
Utque nec ad [e] citharam, nec ad [f] arcum segnis Apollo est;
Sed venit ad sacras nervus [g] uterque manus;
Sic tibi nec docti, nec desunt principis artes:
Mista sed est animo cum [h] Jove [i] Musa tuo.
[k] Quæ quoniam nec nos undâ submovit ab [l] illâ,
Ungula [m] Gorgonei quàm cava fecit equi;
Prosit, opemque ferat [n] communia sacra tueri;
Atque îsdem studiis imposuisse manum.
Littora pellitis nimiùm subjecta Corallis
Ut tandem sævos [o] effugiámque Getas,
Clausáque si misero patria est, ut ponat in ullo,
Qui minùs [p] Ausoniâ distet ab Urbe, loco.
Unde tuas possim laudes celebrare [q] recentes,
Magnáque quàm minimâ facta referre morâ.
Tangat ut hoc votum cœlestia, care Suïlli,
Numina, pro socero [r] pæne precare tuo.

INTERPRETATIO.

Namque interdum geris bella, nonnunquam astringis voces numeris; & quod est negotium aliis est tibi jocus. Et sicuti Apollo neque piger est ad citharam, neque ad arcum, sed nervus uterque tangitur à sacris manibus; ità neque docti, neque Principis artes tibi desunt; verùm Musa est juncta Jovi in mente tuâ. Quæ Musa *quandoquidem, neque nos repulit ab illâ aquâ, quam ungula cava equi Gorgonei aperuit, juvet* me, *& auxilium præbeat incumbere iisdem sacris, atque admovisse manum iisdem studiis, ut denique recedam ab oris nimiùm subditis Corallis pellibus indutis, & feris Getis. Atque, si patria est interdicta* mihi *infelici, ut collocer in sedibus quæ sint minùs remota ab Urbe Ausonia: unde queam tollere gloriam tuam novam, & celebrare facta fortia quàm minimo spatio tẽporis. Orate, dilecte Suilli, pro socero ferè tuo, ut hoc votum moveat Deos superos.*

NOTÆ.

[c] *Numeris modo*] Illud verò est versus pangere.

[d] *Ludus*] Atque in eo laus summa.

[e] *Citharam*] Quæ Musicæ est instrumentum, quo per otium utimur.

[f] *Arcum*] Qui in bello usum suum obtinet.

[g] *Uterque*] Quo & cithara movetur, & arcus tenditur.

[h] *Jove*] Hoc est Principis & Imperatoris Prudentiâ & arte Politicâ.

[i] *Musa*] Poëtica facultas.

[k] *Quæ*] Musa *scilicet*.

[l] *Illâ*] Fontis Hippocrenes, quem in Parnasso monte ictu pedis Pegasus equus alatus aperuit.

[m] *Gorgonei*] Jam sæpius alatum illum equum ex Medusæ Gorgonis sanguine procreatum fuisse admonuimus.

[n] *Communia*] Tibi, ô Germanice, mihique Nasoni.

[o] *Effugiam*] Illud erat, quo communia sacra sibi prodesse cupiebat.

[p] *Ausonia*] Roma est; cui ab Ausonibus antiquissimis Italiæ populis hoc datum nomen.

[q] *Recentes*] Cùm primùm præclarè aliquid à te gestum, non longo post tempore, uti id cogor facere quandiu in Scythas sum remotus.

[r] *Pæne*] Quia ut suprà dixit, illius fuit maritus Naso, cujus filiam Suillius duxerat uxorem.

EPISTOLA IX.

GRÆCINO.

ARGUMENTUM.

Unde licet, non unde juvat.] *Factus certior Poëta quòd Gracinus consul designatus sit, delet quòd absit, nec possit lætitiam conceptam coram exponere, fruique spectaculis. quare cùm aliter nequeat, jubet hanc epistolam partes suas obire. Deinde eum rogat, ut pro se precetur, ac reditum impetret. postremò dicit se non minùs gaudere, quòd illi in consulatu successurus sit ejus frater, quos ambos precatur ut sibi opem ferant: exponens exilii sui incommoda.*

UNde licet, non unde [a] juvat, Græcine, salutem
Mittit ab Euxinis hanc tibi Naso vadis.
Missáque Dî faciant [b] Auroram occurrat ad illam,
[c] Bis senos fasces quæ tibi prima dabit.
Ut, quoniam sine me tanges Capitolia Consul,
Et fiam [d] turbæ pars ego nulla tuæ,
In domini subeat partes, & præstet amici
Officium jusso littera nostra die.
Atque ego si fatis genitus melioribus essem,
Et mea [e] sincero curreret axe [f] rota;
Quo nunc nostra manus per scriptum fungitur, esset
Lingua salutandi munere functa tui.
Gratatúsque darem cum dulcibus oscula verbis;
Nec minùs [g] ille meus, quàm tuus, esset honor.
Illâ (confiteor) sic essem luce superbus,
[h] Ut caperet fastus vix domus ulla meos.

INTERPRETATIO.

Græcine, Naso mittit tibi hanc salutem ab aquis Euxinis, unde concessum est, non unde gratum est. Atque Dii velint missa veniat ad illum diem, qui primus tibi offeret duodenos fasces: ut, siquidem Consul venies in Capitolium sine me, & ego non ero pars tui agminis, epistola nostra præstet vicem domini, & fungatur officio amici die assignato. Atque si ego essem natus fatis æquioribus, & mea rota verteretur axe integro, lingua nostra obiisset munus tui salutandi, quod manus nunc obit per scriptum; & congratulatus obtulissem oscula cum leni oratione. neque ille honor minùs esset meus quàm tuus. Confiteor, ità esse elatus illo die, ut vix ulla domus teneret meam superbiam.

NOTÆ.

[a] *Juvat.*] *Me* scil. qui te in Urbe, vel ex loco saltem propinquiore salutare mallem.

[b] *Auroram*] Pro die posuit; Calendis *scil.* Januarii, quo in Capitolium designati Consules ad vota nuncupanda ascendebant.

[c] *Bis senos*] Adeòque Consulatum demandabit: duodecim namque lictores cum singulis virgarum fascibus mediâque securi Consules præcedebant.

[d] *Turbæ*] Quæ te in Capitolium euntem comitabitur.

[e] *Sincero*] *Non mutilato, aut ferè fracto.*

[f] *Rota*] Pro vitâ, similitudine à quadrigis sumtâ.

[g] *Ille*] Quo fruebatur per Consulatum.

[h] *Ut caperet*] Proverbio dixit, quomodo & nos diceremus, *Il n'y auroit pas assez d'une maison pour contenir ma fierté.*

Dumque latus sancti cingit tibi turba Senatûs,
Consulis ante pedes [i] ire viderer Eques.
Et quanquam cuperem semper tibi proximus esse,
[k] Gauderem lateri non habuisse locum.
Nec querulus, turbâ quamvis eliderer, essem:
Sed foret à populo tum mihi dulce premi.
Prospicerem gaudens, quantus foret agminis ordo,
Densáque quam longum turba teneret iter.
[Quoque magis noris quàm me vulgaria tangant,
Spectarem, qualis purpura te tegeret.]
[l] Signa quoque in [m] sellâ nossem formata curuli;
Et totum [n] Numidæ sculptile dentis opus.
At cùm [o] Tarpeias esses deductus in arces,
Dum [p] caderet jussu victima sacra tuo;
Me quoque secreto grates sibi magnas agentem
Audîsset, mediâ qui sedet æde, [q] Deus.
Thuráque [r] mente magis, plena, quàm lance, dedissem
[f] Ter quater, imperii lætus honore tui.
Hîc ego præsentes inter numerarer amicos;
Mitia [t] jus Urbis si modò fata darent.
Quæque mihi sola capitur nunc mente voluptas,
Tunc oculis etiam percipienda foret.

INTERPRETATIO.

Dumque agmen sancti Senatus stipabit tuum latus, ego eques cernerer incedere ante pedes Consulis. Et tametsi optarem esse semper tibi junctus, lætarer non habuisse spatium ad latus. Neque quererer, tametsi premerer multitudine; verùm esset mihi suave tum lædi à populo. Prospicerem lætus quanta esset series incedentium, & quàm longum iter spissum agmen teneret. Et ut magis intelligas quantùm trivialia me moveant, aspicerem qualis purpura te vestiret. Exquirerem etiam simulacra ficta in sellâ curuli, & totum opus sculptum dentis Numidici. At cùm esset deductus in Capitolium, dum bestia sacra mactaretur tuo imperio, Deus qui stat in medio templo audisset me etiam agentem sibi gratias secretò. Atque obtulissem thura magis animo pleno quàm patinâ, gaudens ter & quater gloriâ tui Consulatus. Ego hic recenserer inter præsentes amicos, si modò fors lenis concederet jus urbis. Et gaudium quod nunc percipio solâ cogitatione esset tunc quoque usurpandum oculis.

NOTÆ.

[i] *Ire*] De more equitum, qui senatum solebant per hujusmodi pompam præcedere.

[k] *Gauderem*] Quia maximæ turbæ faventis, & majoris honoris indicium.

[l] *Signa*] *Simulacra & rerum imagines.*

[m] *Sella*] *Sede Consulari eburneâ.*

[n] *Numidæ*] Elephantis Numidici & Africani. Norunt *scilic.* omnes ebur Elephantorum dentes esse.

[o] *Tarpeias*] Capitolium dicit, de quo toties.

[p] *Caderet*] *Diis in sacrificium mactaretur.*

[q] *Deus*] Jupiter *scil.*

[r] *Mente magis*] Sensit adeòque hic Ethnicus homo quod docet verus Deus, non hostiis sed piâ mente esse colendum.

[f] *Ter quater*] *Sæpius*]

[t] *Jus urbis*] Id est, *Ut in Urbe esse possem.*

Non ita cælitibus visum est, & forsitan æquis :
[n] Nam quid me pœnæ caussa negata juvet ?
Mente tamen, quæ sola loco [x] non exsulat, utar
[y] Prætextam, [z] fasces aspiciámque tuos.
[a] Hæc modò te populo reddentem jura videbit ;
Et se secreris finget adesse locis.
Nunc [b] longi reditus [c] hastæ supponere lustri
Cernet, & [d] exactâ cuncta locare fide.
Nunc facere in medio [e] facundum verba Senatu ,
Publica [f] quærentem quid petat utilitas.
Nunc, pro Cæsaribus, Superis [g] decernere grates ;
Albave opimorum colla ferire boum.
Atque utinam , cùm jam fueris potiora precatus ,
Ut mihi placetur [h] numinis ira, roges !
[i] Surgat ad hanc vocem plenâ pius ignis ab arâ ;
Detque bonum voto lucidus omen [k] apex.
Interea, quâ [l] parte licet, ne cuncta queramur ,
Hic quoque te festum consule tempus agam.

INTERPRETATIO.

Non ità placitum Superis , & fortè justis : nam quid mihi prosit caussa negata supplicii? Utar tamen animo , qui solus non pellitur loco ; & spectabo trabeam , & fasces tuos. Ille tantùm te aspiciet dicentem jus plebi : & putabit se adesse in locis secretis. Modò videbit subjicere hastæ proventus prolixi lustri , & addicere omnia fide accuratâ. Modò te disertum dicere in frequenti Senatu, disquirentem quid commune bonum exigat. Modò decernere gratiarum actiones Diis pro Cæsaribus , vel percutere cervices albas taurorum pinguium. Atque utinam , postquam jam oraveris majora , petas , ut ira Dei leniatur mihi ! flamma pia emicet ex plene altari ad hanc vocem , & cacumen splendidum præbeat lætum omen voto. Interea, ne queramur omnia agitabo etiam hic diem festum te Consule , quâ parte conceditur.

NOTÆ.

[n] *Nam quid*] Quia æquos fortè Deos dixerat hoc addidit ; uti illos æquos sanè declaret.

[x] *Non exsulat*] Quia quæcumque cupit secum volvit : quæ prærogativa quanta sit nullus satis miretur.

[y] *Prætextam*] Vestem Consularem.

[z] *Fasces*] Quos Consuli præferri à lictoribus jam sæpius diximus.

[a] *Hæc*] Mens mea *scil.*

[b] *Longi*] Quippe quatuor annorum spatium continentis, in quod tempus vectigalia publica locabantur.

[c] *Hastæ*] Id est , publicæ auctioni, quæ per præconem, appositâ hastâ peragebatur.

[d] *Exactâ*] Ne quid boni publici per negligentiam dilabatur.

[e] *Facundum*] Græcinum *scil.* Consulem mens mea cernet.

[f] *Quærentem*] *Generu deliberativi oratione despicientem.*

[g] *Decernere*] *Statuere* , ut Diis gratiæ agerentur, & victimæ cæderentur seu pro victoriâ, seu alio quopiam beneficio.

[h] *Numinis*] Tiberii *scil.* qui cum temporis imperium, defuncto Augusto, tractabat.

[i] *Surgat*] Boni augurii causâ.

[k] *Apex*] Extrema flamma in cœlum sublata ; cujus præsertim rationem habebant.

[l] *Parte*] Rerum *scil.* aut temporis.

Altera lætitiæ, nec cedens caussa [m] priori,
[n] Successor tanti frater honoris, erit.
Nam tibi finitum [o] summo, Græcine, Decembri
[p] Imperium, [q] Jani suscipit ille die.
Quæque est in vobis pietas, alterna feretis
Gaudia, tu fratris [r] fascibus, ille tuis.
Sic tu bis fueris Consul, bis Consul & ille;
Inque domo bimus conspicietur honor.
Qui quanquam est ingens, & [s] nullum Martia summo
Altius imperium Consule Roma videt;
Multiplicat tamen hunc gravitas auctoris honorem:
Et majestatem res data dantis habet.
Judiciis igitur liceat Flaccóque tibique
Talibus Augusti tempus in omne frui.
Ut tamen à rerum curâ [t] propiore vacabit;
Vota precor votis addite vestra meis.
Et, si quem dabit aura [u] sinum, [x] laxate rudentes;
Exeat è Stygiis ut mea [y] navis [z] aquis.
Præfuit his, Græcine, locis modò [a] Flaccus; & illo
[b] Ripa ferox Istri sub duce tuta fuit.

INTERPRETATIO.

Altera caussa gaudii, neque minor priore, frater tuus erit successor tanti honoris. Nam ille init imperium die Jani, tibi absolutum ultimo Decembri, Græcine. Et, qui est vobis amor, fruemini lætitiâ mutuâ, tu fascibus fratris, ille tuis. Ità tu fueris bis Consul, & ille bis Consul, & duplex honor videbitur in domo. Qui quanquam est amplus, neque Roma bellicosa aspicit imperium excelsius supremo Consule; nihilominus Majestas auctoris auget hanc dignitatem, & res data habet amplitudinem præbentis. Concedatur ergo & Flacco, & tibi frui semper hujusmodi judiciis Augusti. Cùm tamen licebit vobis per curas quæ ad vos magis spectent, jungite, quaso vestras preces meis votis. Et, si ventus faciet aliquem sinum, solvite rudentes ut mea navis emergat ex aquis infernis. Flaccus præpositus fuit nuper his locis, Græcine, & sævum littus Danubii fuit securum illo præside.

NOTÆ.

[m] *Priori*] Illi *scil.* quam de Græcini consulatu Naso conceperat.

[n] *Successor*] Ille verò in Consulum ordine apparet cum C. Cœlio Rufo: non hic ad quem scribit Poëta.

[o] *Summo Dec.*] Ultimo die Decembris.

[p] *Imperium*] Consulatum *scil.* qui prioribus deponendus cùm singulis annis novi duo crearentur, nisi iidem confirmarentur.

[q] *Jani die*] Calendis Januarii.

[r] *Fascibus*] Consulatu, qui per fasces intelligitur, de quibus jam toties.

[s] *Nullum*] Si modò Imperatoris ipsius dignitatem excipias.

[t] *Propiore*] Quæ magis ad res suas spectet.

[u] *Sinum*] In velis verò fiunt sinus, si quâ parte impellant venti. Cæterùm per sinum opportunitatem intellige seu favorabilem occasionem ad aliquid pro Nasone impetrandum.

[x] *Laxate*] Pergit ex eâdem metaphorâ Naso Græcinum, quid pro se opus sit facto, edocere; ut nimirum sicuti rudentum ope ventorum vim in vela nautæ pro arbitrio determinant, ità prudenti suâ oratione Græcinus cum fratre opportunitate in commodum suum utantur.

[y] *Navis*] Pro Nasone ipso, aut ejus vitâ.

[z] *Aquis*] *Inferis*; quibus Scythicam regionem parem facit.

[a] *Flaccus*] Frater tuus.

[b] *Ripa*] Pro gentibus posuit, quæ Danubii frequentabant ripam.

Hic tenuit [c] Mysas gentes in pace fideli;
 Hic arcu fisos terruit ense Getas.
Hic captam [d] Trosinin celeri virtute recepit,
 Infecitque [e] fero sanguine Danubium.
Quære loci faciem, Scythicique incommoda cœli;
 Et quàm vicino terrear hoste, roga.
Sintne litæ tenues serpentis felle sagittæ:
 [f] Fiat an humanum victima dira caput.
Mentiar, an coëat duratus frigore pontus;
 Et teneat glacies jugera multa freti.
Hæc ubi narrarit, quæ sit mea fama, require;
 Quoque modo peragam tempora dura, roga.
Nec sumus hîc odio, nec scilicet esse meremur:
 Nec cum Fortunâ mens quoque [g] versa meâ est.
Illa [h] quies animo, quam tu laudare solebas,
 Ille vetus soliro perstat in ore [i] pudor.
[Sic ego sum longè, sic hîc, ubi barbarus [k] hostis,]
 Ut fera plus valeant legibus arma, facit;
Re queat ut nullâ tot jam, Græcine, per annos
 Fœmina de nobis virve puérve queri.
Hoc facit, ut misero faveant adsintque Tomitæ;
 [l] Hæc quoniam tellus testificanda mihi est.

INTERPRETATIO.

Hic tenuit nationes Mysas in pace certâ, hic tremefecit gladio Getas confisos arcu. Hic recuperavit expromtâ virtute Tresmin sublatam, & tinxit Istrum cruore barbaro. Percontare ex illo formam loci, & molestias aëris Scythici; & pete quàm proximo hoste terrear. Spicula parva sintne tincta felle anguis; caputne humanum fiat crudelis hostia. Fingam, an Pontus concretus frigore congeletur, & glacies occupet multa jugera maris. Postquam hæc retulerit, interroga quæ sit mea fama, & pete quomodo exigam tempora aspera. Neque hic sumus invisi, neque videlicet meremur esse: neque animus meus mutatus est etiam cum sorte meâ. Illa pax mentis, quam tu consueveras probare, illa verecundia antiqua permanet in vultu assueto. Ità ego sum longè, ità hic ubi ferus hostis facit, ne arma crudelia plus possint legibus, Græcine, ut nulla fœmina aut maritus, aut puer possit conqueri de nobis re ullâ per tot jam annos. Istud caussæ est, ut Tomitæ bene cupiant mihi, & juvent miserum; quandoquidē hæc terra est mihi in testem vocanda.

NOTÆ.

[c] *Mysas*] Populos Mysiæ, qui intra Hæmum montem & Danubium fluvium continentur, magisque *Mœsi* dicuntur.

[d] *Tresmin*] Misiæ inferioris est oppidum, quod Scythæ Romanis sustulerant.

[e] *Fero*] Ferorum Scytharum.

[f] *Fiat*] Hospites verò immolabant etiam Scythæ.

[g] *Versa*] Ut ex bona prava facta sit, sicuti ex lætâ sors mea in tristissimam mutata est.

[h] *Quies animo*] Bonæ mentis tranquillitas, quæ in vultum & omnem actionem diffunditur. Quâ quidem virtute vix aliud pluris facias, modò satis quid ille voluerit quidve dicam intelligas.

[i] *Pudor*] Qui de se modestè, de aliis bene sentire quempiam indicat.

[k] *Hostis*] Getæ *scil.* non Tomitani.

[l] *Hæc quoniam*] Quasi dicat non satis idoneos esse testes Tomitanos, qui de exquisitioni suâ virtute judicarent.

Illi me, quia velle vident, discedere malunt:
Respectu cupiunt hîc tamen esse sui.
Nec mihi credideris: exstant decreta, quibus nos
Laudat, & [m] immunes publica [n] cera facit.
[o] Conveniens miseris hæc quanquam gloria non est,
Proxima dant nobis oppida munus idem.
Nec [p] pietas ignota mea est: videt hospita tellus
In nostra [q] sacrum Cæsaris esse domo.
[r] Stant pariter [s] natúsque pius, [t] conjúxque sacerdos,
Numina jam [u] facto non leviora Deo.
Neu desit pars ulla [x] domûs: stat [y] uterque nepotum:
[z] Hic aviæ lateri proximus, [a] ille patris.
His ego do toties cum thure precantia verba,
[b] Eoo quoties surgit ab orbe dies.
Tota, licèt quæras, hoc me non fingere dicet,
Officii testis Pontica terra mei.
Pontica me tellus, [c] quantis hac possumus orâ,
[d] Natalem ludis scit celebrare Dei.

INTERPRETATIO.

Illi malunt me hinc proficisci, quia cernunt me cupere, volunt tamen hîc esse suâ causâ. Neque habueris mihi fidem: supersunt decreta quibus tabula communes nos probant & præstant exemtos omni onere. Tametsi hæc gloria non est conveniens infelicibus, vicinæ urbes præbent nobis eandem immunitatem. Neque mea pietas est occulta: terra hospita his cernit sacellum Augusti esse in nostris ædibus. Atque pius filius ejus, *& uxor sacerdos, numina non minora Deo jam sacrato, juxta etiam sunt erecti. Neve pars aliqua domus absit, ambo nepotes stant, hic junctus lateri aviæ, ille patris. Offero toties illis voces supplices cum thure, quoties dies exoritur à plagâ Orientali. Tellus Pontica tota conscia officii mei non dicet me mentiri istud, quanquam requiras. Tellus Pontica novit me celebrare* diem *natalem Dei ludis quantis possumus in hâc regione.*

NOTÆ.

[m] *Immunes*] *Ab omni civitatis onere & tributis exemtes facit.*

[n] *Cera*] Quâ tabulæ ad scribendum illinebantur; vel etiam Reipublicæ sigilla continebantur.

[o] *Conveniens*] Miserum enim gloriari non decet.

[p] *Pietas*] In Cæsares *scilic.* uti mox patebit.

[q] *Sacrum*] Sacellum Augusto dicatum.

[r] *Stant*] In eodem sunt Sacello.

[s] *Natus*] Tiberius.

[t] *Conjux sacerd.*] Livia Augusti uxor castissima, quæ non aliter maritum suum quàm Sacerdos Deum colit.

[u] *Facto*] De Augusto loquitur, inter cœlites, etiam dum mortales auras duceret, recensitus.

[x] *Domûs*] Augustæ *scil.*

[y] *Uterque*] Germanicus *scil.* & Drusus: namque de extinctis Caio Lucioque Cæsaribus si intellexeris, illos superstites Naso neglexisset.

[z] *Hic*] Germanicus *scil.* cui Livia avia fuit.

[a] *Ille*] Drusus Tiberii filius.

[b] *Eoo*] *Orientali.*

[c] *Quantis*] Quibuscumque liceret modis se dicit Naso Augusti natales celebrare, athleticis etiam ludis & gymnicis de more.

[d] *Natalem*] Diem quo natus Augustus; nonum *scilicet* Calendas Octobris, ex veteri temporum ratione; namque Cicerone & Antonio Consulibus, anno ante Christum natum 63, circa initiũ mensis Julii, si ex Calendario Juliano numeres, natus ille dicitur.

Nec minùs hoſpitibus pietas eſt cognita talis,
[e] Miſit in has ſi quos longa [f] Propontis aquas.
Is quoque, quo [g] lævus fuerat ſub Præſide Pontus,
Audierit frater forſitan iſta tuus.
[h] Fortuna eſt impar animo, taliſque libenter
Exiguas carpo munere pauper opes.
Nec veſtris damus hæc oculis, procul Urbe remoti:
Contenti tacitâ ſed pietate ſumus.
Et tamen hæc tangent aliquando Cæſaris aures.
Nil illum, toto quod fit in orbe, latet.
Tu certè ſcis hoc, Superis [i] adſcite, vidéſque,
Cæſar; ut eſt oculis ſubdita terra tuis.
Tu noſtras audis inter convexa locatus
Sidera, ſollicito quas damus ore, preces.
Perveniant iſtuc & carmina forſitan illa,
Quæ de te [k] miſi cælite facta novo.
Auguror his igitur flecti tua numina; nec tu
Immeritò nomen mite [l] Parentis habes.

INTERPRETATIO.

Neque hujuſmodi pietas eſt minùs perſpecta peregrinis, ſi longa Propontis dimiſit aliquos in has aquas. Ille etiam tuus frater, ſub quo Præfecto Pontus ſiniſter fuerat acceperit fortè iſta. Sors eſt diſpar menti, atque pauper inſumo alacriter parvas opes ad hujuſmodi officium. Neque longè diſſitò ab Urbe exhibemus iſta veſtris oculis; verùm ſumus contenti ſecretâ pietate. Et tamen hæc venient aliquando in aures Cæſaris. Nihil illi eſt occultum quod geritur in toto mundo. Tu Cæſar addite Diis certè noſti iſtud, atque intueris, ut tellus eſt ſubjecta tuis oculis. Tu poſitus inter rotunda aſtra audis noſtras orationes, quas offerimus ore anxio. Fortè etiam accedant illuc illi verſus compoſiti, quos emiſi de te recenti Deo. Hariolor ergo tua numina molliri iſtis; neque tu habes nomen lene Patris ſine causâ.

NOTÆ.

[e] *Miſit*] Præbuit aditum.

[f] *Propontis*] In longitudinem verò porrigitur mare ab Helleſponto in Thracium Boſporum, quod *Propontis* dicitur.

[g] *Lævus*] Myſas gentes quandoquidem in pace tenuerit Flaccus, Græcini frater, ut ſuprà vidimus, difficile non eſt intelligere quid ſit Pontus lævus, Mœſia *ſcilicet*, & Dacorum atque Getarum confinia.

[h] *Fortuna eſt*] Id eſt, Non tantum quantum cuperem poſſum in declarandâ meâ, erga Auguſtam domum, pietate inſumere.

[i] *Adſcite*] *Inter Deos relate.*

[k] *Miſi*] Romam *ſcilic.* ſed illud Poëma periit.

[l] *Parentis*] *Pater patriæ* auguſtiſſimo nomine ultro à Senatu Auguſtus appellatus eſt.

EPISTOLA X.

ALBINOVANO.

ARGUMENTUM.

Hic mihi Cimmerio.] *Ad Pedonem Albinovanum amicum & poëtam scribens Ovidius, tempus exprimit, quo ipse in Pontica ora vitam egerit inter Getas pellitos : maláque sua, quæ commemerat, malis Ulyssis majora esse colligit. Postremò illum rogat, ut fidem sibi servet in adversis : imitetúrque Theseum, cujus gesta ipse carmine complectebatur.*

Hic mihi [a] Cimmerio bis tertia ducitur æstas
 Littore pellitos inter agenda Getas.
Ecquos tu silices, ecquod, carissime, ferrum
 Duritiæ [b] confers, Albinovane, meæ?
Gutta cavat lapidem ; consumitur annulus usu ;
 Et teritur pressâ vomer aduncus humo.
Tempus edax igitur, [c] præter nos, omnia perdet ?
 Cessat duritiâ mors quoque victa meâ.
[d] Exemplum est animi nimiùm patientis Ulysses,
 Jactatus dubio per [e] duo lustra mari.
Tempora sollicíti sed non tamen omnia fati
 Pertulit ; & placidæ sæpe fuêre [f] moræ.
An grave sex annis pulcram fovisse [g] Calypso,
 Æquoreæque fuit concubuisse Deæ ?

INTERPRETATIO.

Sexta æstas agitur hic mihi in ripâ Cimmeriâ, traducenda inter Getas pellibus indutos. Anne dilectissime Albinovane, comparas saxa ulla, aut ullum ferrum mea duritia? Gutta terit saxum, annulus consumitur usu, & vomer curvus minuitur terrâ solidâ. Adeòque tempus vorax absumet omnia, præter me? Mors languet superata etiam duritiâ meâ. Ulysses est exemplum animi supra modum fortis, agitatus per decem annos incerto mari. Attamen non passus est omnia tempora sortis anxia, & fuerunt frequenter spatia commoda. An fuit molestum amplecti formosam Calypso sex annis, & cubuisse cum Deâ marinâ?

NOTÆ.

[a] *Cimmerio*] Pro Scythico posuit ; namque Cimmerium multò remotius ad paludem Mæoticam.

[b] *Confers*] *Comparas.* Sibi innuit maximam esse in ferendis malis animi magnitudinem.

[c] *Præter nos*] Per indignationem istud à Poëtâ dictum ; quem vivere tædebat.

[d] *Exemplum*] Quanquam tanta non est passus quanta ego pertuli.

[e] *Duo lustra*] *Decennium.* Quanquam enim quatuor annorum spatium tantùm lustrum comprehenderet, uti ipsemet Naso suprà indicavit ; tamen, quia per quintum annum in quem desinebat numerabatur, illum quoque, ut & alii fecerunt poëticâ licentiâ comprehendit.

[f] *Mora*] Verbi gratiâ apud Calypsonem, Æolum, &c.

[g] *Calypso*] Quæ Oceani & Thetidis filia; adeòque æquorea à Nasone appellatur.

Excipit [h] Hippotades; qui dat pro munere ventos,
[i] Curvet ut impulsos utilis aura sinus.
Nec bene cantantes labor est audîsse [k] puellas;
Nec degustanti [l] lotos amara fuit.
Hos ego, qui patriæ faciant oblivia, [m] succos
Parte meæ vitæ, si modò dentur, emam.
Nec tu contuleris urbem [n] Læstrygonis unquam
Gentibus, [o] obliquâ quas obit Ister aquâ.
Nec vincet sævum [p] Cyclops feritate [q] Phyacen:
[r] Qui quota terroris pars solet esse mei!
[s] Scylla feris [t] trunco quòd latrat ab inguine monstris;
[u] Heniochæ nautis plus nocuêre rates.
Nec potes infestis conferre [x] Charybdin [y] Achæis;
Ter licèt epotum ter vomat illa fretum.
Qui quanquam [z] dextrâ regione licentiùs errant;
Securum latus hoc non tamen esse sinunt.

INTERPRETATIO.

Hippotades eum excipit, qui præbet ventos in donum, ut flatus propitii sinuent vela impulsa. Neque labor est audisse puellas pulcrè canentes; neque lotos fuit amara degustanti. Ego compararem parte vitæ meæ hos succos, qui inducant oblivia patriæ, si modò inveniantur. Neque tu comparaveris unquam urbem Læstrigonis nationibus, quas Danubius præterlabitur aquâ obliquâ. Neque Cyclops superabit crudelem Phyacen sævitiâ; qui quota solet esse pars mei paveris! Cùm Scylla latret sævis monstris ab inguine trunco, naves Heniochæ plus obfuerunt nautis. Neque potes comparare Charybdin crudelibus Achæis, quamvis illa ter reddat mare ter absertum. Qui tametsi audaciùs vagantur dextrâ orâ, non tamen patiuntur hanc plagam esse tutam.

NOTÆ.

[h] *Hippotades*] Æolus est Hippotæ filius, rex ventorum, à quo benignè Ulysses acceptus, & ventis, quibus in patriam rediret donatus.

[i] *Curvet*] Curvantur verò & sinuantur vela, cùm ventis traduntur.

[k] *Puellas*] Sirenes dicit, Parthenopen, Leucosiam, & Lygiam, Acheloi & Calliopes filias, quæ allectos cantu in mare deturbabant. Has tamen Ulysses, cerâ sociorum auribus obturatis, malo alligatus, ipse impunè, Circes usus consilio, audivit.

[l] *Lotos*] Arbor fuit in Africâ, cujus fructus tam gratus, ut degustato illo, patriæ atque sociorum obliti sint quos sciscitatum miserat Ulysses.

[m] *Succos*] Qui ex loto exprimuntur.

[n] *Læstrigonis*] De Antiphate Læstrigonum rege, qui alterum ex Ulyssis nuntiis voravit, suprà dictum.

[o] *Obliquâ*] Quia non recto sed flexuoso cursu per Scythiæ populos labitur.

[p] *Cyclops*] Poliphemus *scil.* qui aliquot ex Ulyssis sociis devoravit.

[q] *Phyacen*] Scytharum rex quipiam immanis.

[r] *Qui*] Phyax *scilicet*, incursionibus suis multùm tremendus.

[s] *Scylla*] De eo monstro, aut scopulo, vide quæ Metamorph. lib. 14. dicta sunt: frustrà namque toties eadem repeteremus.

[t] *Trunco*] Truncum dicit, quia eâ parte forma humana à monstris lupis *scil.* & canibus subjectis, separata erat.

[u] *Heniochæ*] Heniochorum piratarum, qui in Colchica regione montosâ & importuosâ latrociniis maritimis vixêre.

[x] *Charybdin*] Hanc quoque fœminam seu potiùs voraginem vide in Metam.

[y] *Achæis*] Populi fuerunt Scythiæ ferocissimi rapto viventes.

[z] *Dextrâ*] Per dextram oram maris Pontici.

Hìc agri infrondes, hìc ſpicula tincta venenis ;
Hìc freta vel pediti pervia reddit hyems.
Ut, qua remus iter [a] pulſis modò fecerat undis ,
Siccus contemtâ nave viator eat.
Qui veniunt [b] iſtinc , vix vos ea credere dicunt.
Quàm miſer eſt, qui fert aſperiora [c] fide !
Crede tamen ; nec te cauſſas neſcire ſinemus ,
Horrida Sarmaticum cur mare duret hyems.
Proxima ſunt nobis [d] plauſtri præbentia formam ,
Et quæ præcipuum ſidera frigus habent.
Hinc oritur [e] Boreas, oræque domeſticus huic eſt ;
Et ſumit vires à propiore loco.
At [f] Notus, adverſo tepidùm qui ſpirat ab axe ,
Eſt procul ; & rarus languidiórque venit.
Adde quòd hic [g] clauſo miſcentur flumina Ponto ,
[h] Vimque fretum multo perdit ab amne ſuam.
Huc [i] Lycus, huc [k] Sagaris, [l] Peniuſque, [m] Hypaniſque, [n] Crateſque
Influit, & crebro vortice tortus [o] Halys :

INTERPRETATIO.

Campi ſunt *hic ſine frondibus , hic ſagitta* ſunt *illita venenis ; hic frigus facit maria pervia etiam pediti ; ut viator navi neglectâ incedat pede ſicco , quà remus fecerat modò iter aquis impulſis. Qui accedunt iſtinc aiunt vos vix fidem habere. Quàm infelix eſt, qui patitur graviora fide. Crede tamen ; neque patiemur cauſſas te latere , quamobrem aſperum frigus congelet mare Sarmaticum. Aſtra exhibentia figuram vehiculi, & quæ ſunt cauſa maximi frigoris ſunt nobis proxima. Boreas hinc ſurgit, & eſt familiaris huic plagæ ; atque ſumit impetum à loco viciniore. At Auſter, qui flat calidiùs à polo oppoſito longè eſt , & rarus & debilior accedit. Adde quòd fluvii hic junguntur mari clauſo ; & mare amittit vim ſuam à plurimis fluviis. Lycus, & Sagaris, & Penius, & Hypanis, & Crates, & Halys vorticoſus frequenti turbine huc devolvuntur ;*

NOTÆ.

[a] *Pulſis*] Remis *ſcil.* pulſantur undæ.

[b] *iſtinc*] Româ , aut ex partibus meridionalibus.

[c] *Fide*] *Quàm ut credi poſſint.*

[d] *Plauſtri*] Septemtriones dicit, ſeu Urſam ; quæ quidem frigoris non cauſſa, ſed ſignum ; ſiquidem terræ quæ polum propiùs ſpectant à Sole magis fiunt remotæ.

[e] *Boreas*] Ventus frigidiſſimus.

[f] *Notus*] Ventus à Sole & meridie ſpirans.

[g] *Clauſo*] Per ſolum Boſporum enim diffunditur.

[h] *Vim*] Salſuram *ſcil.* & amaritiem.

[i] *Lycus*] Armeniæ eſt fluvius.

[k] *Sagaris*] Hic per Phrygiam Bithyniamque flexuoſo curſu non ità longè à Boſpori faucibus in Pontum delabitur.

[l] *Penius*] Inter Heniochorum gentem & Sebaſtopolim urbem quæ & *Dioſcurias* dicitur, ad Ponti-Euxini partem maximè Septemtrionalem ortum verſus , hujus fluvii oſtia poſuerunt Plinius & Strabo.

[m] *Hypanis*] Scythiæ eſt fluvius ex magnâ palude profluens ſapore primùm dulciſſimo, donec ad quadrageſimum milliare fonticulus ei admiſcetur , qui amaritie ſuâ totum corrumpit.

[n] *Crateſque*] De iſto cùm nulla alibi uſpiam mentio fiat , non abs re docti caſtigandum hunc locum cenſuerunt. Quâ re in Iſaaci Voſſii viri ſummi ſententiam facillimè conceſſero , qui ex Euſtathio & Thucydide *Cales* quem tractus Pontici illi faciunt fluvium , reponendum eſſe indicavit ; ſicuti affirmat clariſſ. Heinſius.

[o] *Halys*] In Tauri montis radicibus oritur , perque Cappadociæ & Paphlagoniæ agros in Pontum devolvitur.

[p] Partheniúsque rapax, & volvens saxa [q] Cynapes
Labitur ; & nullo tardior amne [r] Tyras.
Et tu, fœmineæ [s] Thermodon [t] cognite turmæ ;
Et quondam Graiis [u] Phasi petite [x] viris.
Cumque [y] Borysthenio liquidissimus amne [z] Dyraspes,
Et tacitè peragens lene [a] Melanthus iter.
[b] Quique duas terras, Asiam [c] Cadmíque sororem
Separat, & cursus inter utramque facit.
Innumeríque alii, quos inter maximus omnes
Cedere Danubius se tibi, [d] Nile, negat.
Copia tot laticum, [e] quas auget, adulterat undas ;
Nec patitur vires æquor habere suas.
Quin etiam stagno similis pigræque paludi
Cæruleus vix est, diluitúrque color.
Innatat unda freto dulcis, leviórque marina est ;
Quæ proprium misto de sale pondus habet.
Si roget hæc aliquis, cur sint narrata [f] Pedoni,
Quidve loqui certis juverit ista [g] modis ;

INTERPRETATIO.

atque Parthenius rapidus, & Cynapes trahens silices, & Tyras nulle flumine segnier huc decurrunt. Tu quoque Thermedon cognite agmini fœmineo & Phasi olim quæsite à viris Græcis. Et Dyraspes purissimus cum flumine Borysthenio, & Melanthus absolvens leniter cursum placidum. Et qui dividit duas terras, Asiam & sororem Cadmi, & fluit inter utramque. Atque alii innumeri, inter quos omnes maximus Danubius negat se tibi inferiorem esse, Nile. Abundantia tot aquarum corrumpit aquas quas auget, neque sinit mare obtinere vim suam. Quinetiam simile stagno & inerti paludi ægrè est glaucum, & celer minuitur. Aqua dulcis innatat mari, & est levior æquoreâ, quæ habet proprium pondus de sale mixte. Si quis petat, quamobrem hæc sint relata Pedoni, quidve profuerit dicere ista adstrictis numeris ;

NOTÆ.

[p] *Parthenius*] Paphlagonum iste est, quem Plinius Carambi promontorio facit proximum.

[q] *Cynapes*] De isto nihil alibi reperitur.

[r] *Tyras*] In sinistram Pontici maris oram, à Mœsiâ inferiore defluit.

[s] *Thermodon*] Cappadociæ est fluvius in Ponti-Euxini oram meridionalem decurrens.

[t] *Cognite*] Dicit istud quia juxta istud flumen sedes suas habuerunt Amazones.

[u] *Phasi*] Fluvius est ingens qui Colchidem præterlabitur.

[x] *Viris*] Argonautas dicit, qui ad vellus aureum rapiendum cum Jasone in Colchos per Phasim navigaverunt

[y] *Borysthenio*] Borysthenes fluvius est secundum Istrum omnium maximus, à sinistrâ parte in Euxinum defluens.

[z] *Dyraspes*] Hujus alibi nulla mentio.

[a] *Melanthus*] Hic in Pontum à dextrâ parte incurrit.

[b] *Quique*] Tanaïs est ; is namque Asiam ab Europâ disterminat.

[c] *Cadmi sor.*] Europa est, quæ ab Europâ Agenoris filiâ nomen habuit, si fabulis credas ; cùm revera ex Phœnicum linguâ derivatum sit, aptissimâ insuper etymologiâ quâ Europæis faciei candor præ Afris assignatur.

[d] *Nile*] Ægypti maximus est fluvius.

[e] *Quas*] Marinas *scil.*

[f] *Pedoni*] Albinovano Poëtæ, ad quem Naso scribit.

[g] *Modis*] Modulationibus & Carminibus, veris.

Detinui, dicam, tempus, curásque fefelli.
  Hunc fructum præsens attulit hora mihi.
Absuimus solito, dum scribimus ista, dolori;
  In mediis nec nos sensimus esse Getis.
At tu, non dubito, cùm carmine [h] Thesea laudes,
  Materiæ titulos [i] quin tueare tuæ;
Quemque refers, imitere virum. vetat ille profectò
  Tranquilli comitem temporis [k] esse fidem.
[l] Qui quanquam est factis ingens, & [m] conditur à te
  Vir tanto, [n] quanto debuit ore cani;
Est tamen ex [o] illo nobis imitabile quiddam,
  Inque fide Theseus [p] quilibet esse potest.
Non tibi sunt hostes ferro [q] clavâque domandi,
  Per quos vix ulli pervius [r] Isthmos erat,
Sed præstandus amor, res non operosa volenti.
  Quis labor est putam non temerasse fidem?
Hæc tibi, qui perstas indeclinatus amico,
  Non est quòd [s] linguâ dicta querente putes.

INTERPRETATIO.

referam, insumsi tempus, & decepi solicitudines. Hora præsens præbuit mihi hanc utilitatem. Dum pangimus ista, procul fuimus à consuetis ærumnis, neque advertimus nos esse in mediis Getis. At non sum incertus, quin, cùm celebres Theseum versibus, tu defendas gloriam argumenti tui, & imiteris virum quem cantas. Certè ille prohibet fidem esse comitem temporis prosperi. Qui tametsi est insignis gestis, & celebratur à te Vir tantâ facundiâ quantâ debuit celebrari, est tamen aliquid nobis imitabile ex illo, & quivis potest esse Theseus in fide. Hostes non sunt tibi vincendi clavâ & ensi, per quos vix Isthmus erat adeundus cuiquam: sed amor reddendus, res non difficilis volenti. Quis est labor non violasse sinceram fidem? Non est quòd arbitreris hæc dicta esse linguâ querulâ tibi, qui permanes integer amico.

NOTÆ.

[h] *Thesea*] De Theseo toties, deque ejus erga Pirithoum amore, ut frustrà quicquam addi erim.

[i] *Quin tueare*] Atque adeò amicis tuis fidum te præstes.

[k] *Esse*] Pro *demonstrari* posuit.

Tempore nam duro est inspicienda fides

Neque sincera ea est, quæ inter prospera tantùm simulatur.

[l] *Qui*] Theseus *scil.*

[m] *Conditur*] *Celebratur.*

[n] *Quanto*] Fuit adeòque Albinovanus summus Poëta.

[o] *Ille*] Theseo *scil.*

[p] *Quilibet*] Albinovanum callidè ad fidem sibi præstandam hortatur

[q] *Clavâ*] Quæ Thesei fuit etiam gestamen.

[r] *Isthmos*] Corinthiacum dicit, unde insidiantes latrones à Theseo depulsos in Epistolis Heroidibus vidimus.

[s] *Linguâ querente*] Sermone quo de te videar conqueri.

EPISTOLA XI.

GALLIONI.

ARGUMENTUM.

Gallio, crimen erit.] *Factus Poëta certior Gallionis amici literis de obitu uxoris, primò dicit nefas ducere non celebrare illum suis carminibus, quandoquidem ille casum suum lacrymis & dolore semper prosecutus sit, quod iisdem dicit se fecisse auditâ uxoris ejus morte. Deinde exponit minimè audere eum consolari, propterea quòd ipse prudentior optimè norit ea quæ sunt in eam rem ab autoribus scripta: additque fore, ut toto intervallo illo temporis, quo ejus literas accepit, quoque ipse suas ad eum mitteret propter locorum distantiam, dolor ejus jam imminutus sit. Tertiam etiam rationem subjungit, cur nolit ullo consolationis genere uti quòd fortasse aliâ ductâ uxore novâ hujusmodi literæ intempestivè accederent.*

GAllio, crimen erit vix excusabile nobis,
Carmine te [a] nomen non habuisse meo.
Tu quoque enim (memini) cælesti [b] cuspide facta
Fovisti lacrymis vulnera nostra tuis.
Atque utinam, rapti jacturâ læsus [c] amici,
Sensisses ultra, quod quererère, nihil!
Non ita Dîs placuit, qui te spoliare pudicâ
Conjuge crudeles non habuêre nefas.
Nuncia nam luctûs mihi nuper epistola venit:
Lectáque cum lacrymis sunt tua damna meis.
Sed neque prudentem solari [d] stultior ausim,
[e] Verbáque doctorum nota referre tibi:
Finitúmque tuum, si non ratione, dolorem
Ipsâ jam pridem suspicor esse [f] morâ.

INTERPRETATIO.

Gallio, vix crimen erit nobis excusandum, te non habuisse famam versibus meis. Namque tu etiam, recordor, curasti fletibus tuis nostras plagas impactas mucrone divino. Atque utinam dolens damno sublati amici nihil expertus esses ampliùs quamobrem quereris. Non itá visum Superis, qui sævi non arbitrati sunt esse nefas te privare uxore castâ. Nam epistola nuntia mœroris nuper mihi reddita est, & tua damna sunt visa cum lacrymis meis. Verùm neque ego stultior ausim consolari sapientem, & tibi commemorare perspectos sermones doctorum; & conjicio dolorem tuum jam pridem exoletum, si non ratione, at ipso tempore.

NOTÆ.

[a] *Nomen*] *Famam, & candidi amici laudem.*

[b] *Cuspide*] Iram Augusti intellige.

[c] *Amici*] De se loquitur Poëta.

[d] *Stultior*] *Minùs doctus & prudens ego.*

[e] *Verba*] Quibus à mœrore ob res vanas mortales retrahunt.

[f] *Morâ*] Temporis enim longinquitas quemlibet lenit dolorem.

Dum tua pervênit, dum littora nostra recurrens
Tot maria ac terras permeat, annus abit.
Temporis officium solatia dicere [g] certi est:
Dum dolor in cursu est, dum petit æger opem.
At cùm longa dies sedavit vulnera mentis;
Intempestivè qui [h] fovet illa, novat.
Adde quòd (atque utinam verum tibi venerit omen!)
Conjugio felix jam potes esse novo.

INTERPRETATIO.

Dum tua epistola perlata est, dum nostra recurrens obit tot ripas, tot aquora ac terras, annus effluxit. Proferre consolationes est officium certi cujusdam temporis, quandiu dolor savit, cùm mœstus quarit auxilium. At cùm longum tempus composuit vulnera animi, qui medetur illis intempestivè, ea redintegrat. Adde quòd jam potes esse beatus novo conjugio: atque utinam prasagium tibi evenerit certum!

NOTÆ.

[g] *Certi*] Nisi enim suo tempore consolationes subjeceris, refricare magis, quàm lenire dolorem, videaris.

[h] *Fovet*] *Remedium conatur afferre.*

EPISTOLA XII.

TUTICANO.

ARGUMENTUM.

Quo minus in nostris.] *Ad Tuticanum scribens Poëta, causam assignat, cur nullam ejus mentionem fecerit in libris suis. Deinde commemorat amicitiam, qua sibi cum ille fuit à puero semper arctissima. Postremò illum rogat, ut apud principem tueatur partes suas.*

QUo minus in nostris ponatis, amice, libellis,
Nominis efficitur [a] conditione tui.
Ast ego non alium priùs [b] hoc dignarer honore:
Est aliquis nostrum si modò carmen honos.
[c] Lex pedis [d] officio naturáque nominis obstant:
Quaque [e] meos adeas, est via nulla, modos.

INTERPRETATIO.

Amice, fit qualitate tui nominis quò minùs scribaris in nostris libellis. At ego non judicarem alium potiùs dignum hoc honore, si saltem nostri versus sunt aliquis honor. Lex pedis, & conditio nominis impediunt officium, neque est ulla ratio quâ excipiaris in meos numeros.

NOTÆ.

[a] *Conditione*] Quomodo istud sit intelligendum mox docebit.

[b] *Hoc*] In libellis meis nomen tuum reponendo.

[c] *Lex pedis*] Ratio metrica. Spondæis enim & Dactylis tantùm constant Elegi; nisi in Hexametri fine Trochæum posueris; syllaba autem *ti* brevis sola in voce *Tuticanus* ante *ca* longam, neque in Spondæi neque in Dactyli structuram potest venire.

[d] *Officio*] *Meo* scil. ex quo te carminibus meis celebrare tenebar.

[e] *Meos*] Elegos *scil.*

Nam pudet in geminos ita nomen findere versus,
[f] Desinat ut prior [g] hoc, incipiátque [h] minor:
Et pudeat, si te, [i] quâ syllaba parte [k] moratur,
[l] Arctiùs appellem, Tuticanúmque vocem.
Nec potes in versum Tuticani more venire;
Fiat ut è longâ syllaba prima brevis.
Aut producatur, [m] quæ nunc correptiùs exit;
Et sit porrectâ longa [n] secunda morâ.
His ego si vitiis ausim corrumpere nomen,
Ridear, & meritò [o] pectus habere neger.
Hæc mihi caussa fuit dilati muneris hujus,
Quod meus adjecto fœnore reddet [p] ager.
Teque canam quâcunque [q] notâ: tibi carmina mittam,
Pæne mihi puero cognite pæne puer.
Perque tot annorum seriem, quot habemus uterque,
Non mihi, quàm fratri frater, amate minùs.
Tu bonus hortator, tu duxque coméſque fuisti,
Cùm [r] regerem tenerâ fræna novella manu.
Sæpe ego correxi sub te censore libellos;
Sæpe tibi admonitu facta litura meo est:

INTERPRETATIO.

Nam pudet ità dividere nomen in duos versus; ut prior terminetur hoc, & brevior hoc *initium habeat. Pudeat etiam, si nominem te breviùs quâ parte syllaba* me *retinet, & appellem Tuticanum. Neque potes succedere in versum more Tuticani, ut prior syllaba fiat brevis ex productâ; aut fiat longa, quæ nunc profertur breviùs, & secunda fit longa productâ morâ. Si ego audeam corrumpere nomen his vitiis, exsibiler & dicar jure carere judicio. Hæc mihi fuit caussa hujus muneris procrastinati, quod meus ager tribuet addito lucro. Atque te celebrabo quocumque indicio, mittam tibi versus puer cognite à me ferè puero, & non minùs dilecte à me quàm frater à fratre per spatium tot annorum, quos ambo habemus. Tu fuisti bonus monitor, tu dux, tu socius, cùm temperarem novas habenas manu tenerâ. Sæpe ego emendavi libellos sub te monitore; sæpe litura est facta à te meo suasu;*

NOTÆ.

[f] *Desinat*] Quod fieret si *Tuti* in Hexametri fine, & *canus, canum* aut *cane*, in Pentametri initio posuisset.

[g] *Hoc*] Nomine *scil.*

[h] *Minor*] Pentameter *scilic.* Hexametro uno pede minor.

[i] *Quâ parte*] Syllaba *ca* scil.

[k] *Moratur*] *Retinet.* Syllaba longa namque diutiùs illum qui loquitur, quàm syllaba brevis retinet.

[l] *Arctius*] Dicit istud, quia syllabam *ca* corripiendo, quæ longa est, quomodo fecit in hoc versu, nomen istud *Tuticanus* tempore uno truncatur: syllaba namque longa pro duabus brevibus venit.

[m] *Quæ nunc*] *Ti* syllaba *scil.*

[n] *Secunda*] De eâdem syllabâ *ti* loquitur.

[o] *Pectus*] Pro mente aut ratione posuit.

[p] *Ager*] Pro ingenio. Metaphoricè.

[q] *Notâ*] *Signo* seu *indicio*, quo me de te verba facere intelligatur.

[r] *Regerem*] *Cùm inciperem vita mea modum ponere, & versus scribere.*

Dignam [r] Mæoniis [s] Phæacida condere chartis
Cùm te [u] Piërides perdocuêre tuæ.
Hic [x] tenor, hæc viridi concordia cœpta juventa
Venit ad [y] albentes illabefacta comas.
[z] Quæ nisi te moveant, duro tibi pectora ferro
Esse, vel inducto clausa adamante putem.
Sed priùs huic desint & bellum & frigora terræ,
Invisus nobis quæ duo Pontus habet;
Et tepidus Boreas, & sit præfrigidus Auster,
Et possit fatum mollius esse meum;
Quàm tua sunt [a] lapso præcordia dura sodali.
Hic cumulus nostris absit, [b] abestque, malis.
Tu modò per Superos, quorum [c] certissimus [d] ille est,
Quo tuus assiduè Principe crevit honor;
Effice, constanti profugum pietate tuendo,
Ne sperata meam deserat [e] aura [f] ratem.
Quid mandem, quæris? peream, nisi [g] dicere vix est.
Si modò, qui periit, ille perire potest.
Nec quid agam invenio, nec quid nolimve velimve:
Nec satìs utilitas est mea nota mihi.

INTERPRETATIO.

cùm Musæ tuæ perdocuerunt te celebrare Phæacidem dignam chartis Mæoniis. Hæc continuatio amoris, *hæc unanimitas cœpta à primâ juventâ venit intacta ad albos capillos. Quæ nisi te tangant, credam te habere cor ex ferro rigido, vel septum adamante circumposito. Verùm antè bellum, & frigora desint huic terræ, quæ duo Pontus nobis odiosus habet, & Aquilo sit calidus, & Notus præfrigidus, & sors mea possit esse lenior, quàm tuum cor sit immite decepto socio. Hoc fastigium absit nostris ærumnis; atque abest. Tu tantùm* oro *per Deos, quorum ille est fidissimus, quo Principe tua gloria indesinenter aucta est, fac, defendendo exsulem firmo amore, ne ventus speratus destituat meam navem. Petis quid præcipiam? Inteream, nisi vix possum proferre; si modò ille qui interiit potest interire. Neque reperio quid agam, neque quid vel nolim, vel velim; neque meum commodum est satìs perspectum mihi.*

NOTÆ.

[r] *Mæoniis*] Mæonias chartas appellat in quibus Tuticanus versus Homericis comparandos scripsit. Ex quo maxima illi virtus Poëtica assignatur.

[s] *Phæacida*] Phæacidem appellaverat Tuticanus Poëma suum, quo Alcinoi Phæacum regis æquissimi laudes fortè celebrabantur; vel potiùs, ut colligere est ex hujus libri Elegiâ 16, versu 27. Ulyssis errores fabulæque, quas Alcinoo Phæacum regi insignis ille veterator in convivio mentitus erat, continebantur.

[u] *Pierides*] *Musæ.*

[x] *Tenor*] *Ordo & continuatio Amoris.*

[y] *Albentes*] *Senectam.*

[z] *Quæ*] Supradicta *scilicet.*

[a] *Lapso*] *Propter errorem fugato.*

[b] *Abest*] Quia certissimus es Amicus.

[c] *Certissimus*] *Indubitatus, quique certò tibi faveat.*

[d] *Ille*] Tiberium dicit.

[e] *Aura*] Favor aliquis, quo Patriam possit revisere.

[f] *Ratem*] Metaphoricè de se loquitur.

[g] *Dicere vix est*] *Vix possum dicere.*

Crede mihi; miseros [b] prudentia prima relinquit:
Et sensus cum re consiliúmque fugit.
Ipse precor quæras, quâ sim tibi parte juvandus:
Quoque viam facias ad mea vota vado.

INTERPRETATIO.

Credo mihi prima prudentia deserit infelices, & intelligentia & judicium abit cum re. Tu, oro, dispicias, quâ parte sim juvandus; vel quo vado prabeas iter meis desideriis.

NOTÆ.

[b] *Prudentia*] Non tam prudentia, quàm quòd sine remedio esse sua nimis vident.

EPISTOLA XIII.

CARO.

ARGUMENTUM.

O mihi non dubios.] *Ad amicum nomine Carum, poëta, & Cæsarum praceptorem scribens primò dicit eum posse intelligere ex charta colore, & carminis structura, unde hac epistola veniat: Postea subdit se carmen etiam composuisse linguâ Geticâ in laudem Augusti, Livia, & ejus liberorum: Postremò eum per amicitiam rogat, ut quum jam agatur sextus annus, quo exulat, velit procurare, ut saltem in locum faciliorem traducatur.*

O Mihi non dubios inter memorande sodales,
Qui, quod es, id verè, Care, vocaris; ave.
Unde saluteris, [a] color hic tibi protinus index,
Et structura mei carminis esse potest.
Non quia mirifica est, sed quod [b] nec publica certè:
Qualis enim cunque est, non latet esse meam:
Ipse quoque ut chartæ titulum de fronte revellas,
Quòd sit opus, videor dicere posse, tuum.
Quamlibet in multis positus noscêre libellis;
Perque observatas inveniêre notas.

INTERPRETATIO.

O recensende à me inter amicos fidos, qui verè diceris id quod es, Care, salve. Hic color & compositio mei versus potest tibi esse continuò index unde saluteris. Non quia mira est, sed quòd neque sanè vulgaris; namque qualiscumque est, non fugit esse meam. Quamvis etiam tu tollas inscriptionem ex primâ facie charta, videor posse profiteri quòd sit opus tuum. Dignescêris, quamvis situs inter multos libellos, & inveniêris per signa observata.

NOTÆ.

a *Color*] Chartæ attritæ & attrectantium manibus squalidæ.

[b] *Nec publica*] Locum istum, ni fallor, non intellexerunt. Hoc dicit Poëta; quanquam mirifica non sit structura suorum versuum, aliquid tamen habere proprium quod omnes non possint imitari.

Prodent auctorem vires, quas Hercule dignas.
Novimus, atque [c] illi, quem canis, esse pares.
Et mea Musa potest proprio deprensa colore
Insignis vitiis forsitan esse suis.
Tam mala [d] Thersiten prohibebat forma latêre,
Quàm pulcrâ [e] Nireus conspiciendus erat.
Nec te mirari, si sint vitiosa, decebit
Carmina, quæ faciam pæne poëta [f] Getes.
Ah pudet! & Getico scripsi sermone libellum;
Structáque sunt nostris barbara verba modis.
Et placui (gratare mihi), cœpíque poëtæ
Inter inhumanos nomen habere Getas.
[g] Materiam quæris? laudes de Cæsare dixi.
Adjuta est novitas numine nostra Dei.
Nam [h] patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus; in ætherias [i] numen abîsse domos;
Esse parem virtute patri, [k] qui fræna coactus
Sæpe recusati ceperit imperii.
Esse pudicarum te [l] Vestam, Livia, matrum,
Ambiguum [m] nato dignior, anne [n] viro.
Esse [o] duos juvenes firma adjumenta Parentis,
Qui dederint animi pignora certa sui.

INTERPRETATIO.

Vires, quas scimus dignas Hercule, atque æquales illi quem celebras, manifestant auctorem. Musa mea agnita propriâ qualitate potest ferè esse notabilis vitiis suis. Deformitas tam obstabat ne Thersites ignoraretur, quàm Nireus erat spectabilis elegantiâ. Neque decebit te mirari si versus sint mendosi, quos compono ferè Poëta Getes. Ah pudet & adornavi libellum linguâ Geticâ, & voces barbaræ sunt ordinatæ secundum nostros numeros. Atque placui (gratulare mihi) & cœpi habere famam inter feros Getas. Petis argumentum? Scripsi præconia Cæsaris. Nostra novitas est sustentata numine Dei. Nam ostendi corpus Parentis Augusti fuisse morti obnoxium; animam excessisse in sedes cœlestes: illum qui coactus sumserit habenas imperii sæpe recusati, esse æqualem patri virtute; Te, Livia, dubium dignior nato an viro esse Vestam matronarum castarum. Duos juvenes esse firma præsidia patris, qui præbuerint indubitata indicia sui animi.

NOTÆ.

[c] *Illi*] Herculi *scil.*

[d] *Thersiten*] Græcorum fuit qui ad Trojam iverunt deformissimus & ignavissimus.

[e] *Nireus*] Hunc Charopis filium pulcherrimum scribit Homerus.

[f] *Getes*] Atque adeò Barbarus Latinæ linguæ oblitus.

[g] *Materiam*] Poëmatis Getici.

[h] *Patris*] Quæ vox est venerationis plena. *Patrem Patriæ* dictum Augustum jam sæpe admonuimus.

[i] *Numen*] Animam intellige divinâ quâdam præditam virtute & potentiâ.

[k] *Qui fræna*] Scilicet ille subdolus & insidiosus Princeps diu imperii summam recusavit.

[l] *Vestam*] Hoc est maximè pudicam, & matronarum Deam.

[m] *Nato*] Tiberio.

[n] *Viro*] Augusto.

[o] *Duos*] Germanicum *scil.* Tiberii filium per adoptionem, & Drusum ejusdem filium per naturam.

Hæc ubi [p] non patriâ perlegi ſcripta Camœnâ,
[q] Venit & ad digitos ultima charta meos;
[r] Et caput & plenas omnes movêre pharetras,
Et longum Getico murmur in ore fuit.
Atque aliquis, *Scribas hæc cùm de Cæſare*, dixit,
Cæſaris imperio reſtituendus eras.
Ille quidem dixit, ſed me jam, Care, [s] nivali
Sexta relegatum bruma ſub axe videt.
Carmina nil profunt nocuerunt carmina quondam:
Primáque tam miſeræ cauſſa fuêre fugæ.
At tu per [t] ſtudii communia fœdera ſacri,
Per non vile tibi nomen amicitiæ;
Sic capto Latiis Germanicus hoſte catenis,
Materiam veſtris afferat ingeniis;
Sic valeant [u] pueri, votum commune [x] duorum;
Quos laus formandos eſt tibi magna datos,
Quanta potes [y] præbe noſtræ momenta ſaluti:
Quæ niſi mutato nulla futura loco eſt.

INTERPRETATIO.

Poſtquam perlegi hæc ſcripta Camœnâ peregrinâ, & noviſſima charta pervenit ad digitos meos omnes agitaverunt caput & pharetras plenas, & prolixus ſuſurrus fuit in ore Getico. Atque aliquis dixit, Cùm ſcribas iſta de Cæſare, redintegrandus eras juſſu Cæſaris. *Ille quidem dixit, verùm, Care, jam ſexta hyems videt me exſulem ſub polo brumali. Verſus nihil proſunt; verſus obfuerunt olim, & fuerunt cauſſa prima tam infelicis exilii. At tu,* oro *per jura communia ſacri ſtudii, per nomen amicitiæ tibi non contemnendum, ſic Germanicus præbeat argumentum veſtris ingeniis, hoſte vincto catenis Latinis; Sic pueri, votum commune amborum, quos datos tibi inſtituendos eſt tibi magnus honor, valeant; fac quod potes maximè inſigne ad noſtram ſalutem, quæ nullâ futura eſt niſi loco mutato.*

NOTÆ.

[p] *Non patriâ*] Non Latinâ, ſed Geticâ.

[q] *Venit*] *Ultimam paginam abſolvi, & apud Getas recitavi.*

[r] *Et caput*] In teſtimonium applauſus, & quaſi parati eſſent pro Poëta decertare.

[s] *Nivali ſub axe*] *In plagâ Septemtrionali,* ubi nives & gelu.

[t] *Studii*] *Poëticæ artis,* quæ ab Apolline & Muſis hominum mentibus inſpiratur.

[u] *Pueri*] Neronem dicit, Druſum, & Cajum Cæſares, Germanici filios, quos Cato inſtituendos dederat.

[x] *Duorum*] Tui, meique.

[y] *Præbe momenta*] *Aliquid inſigne præſtato pro meâ ſalute.*

EPISTOLA XIV.

TUTICANO.

ARGUMENTUM.

Hæc tibi mittuntur.] *Ad eundem Tuticanum, ad quem superiùs scripserat, hanc etiam epistolam mittit Poëta: dicitque se quemcumque locum, vel incommodissimum, magis optare ubi exulet, quàm Tomitanam urbem. Deinde se excusat, quòd non debent Tomitæ id ægrè ferre, siquidem locum, non homines vituperat. Postremò fatetur se ab eis affectum fuisse beneficiis.*

HÆc tibi mittuntur, quem sum modò carmine questus
 Non aptum numeris nomen habere meis.
In quibus, excepto quòd adhuc utcunque valemus,
 Nil, te præterea quòd juvet, invenies.
Ipsa quoque est invisa salus: suntque ultima vota,
 Quolibet ex istis scilicet ire locis.
Nulla mihi cura est, terrâ quam muter ut istâ,
 Hac quia, quam video, gratior omnis erit.
In medias [a] Syrtes, mediam mea vela [b] Charybdin
 Mittite, præsenti dum careamus humo.
[c] Styx quoque, si quid ea est, bene commutabitur Istro:
 Si quid & inferiùs, quàm Styga, mundus habet.
Gramina cultus ager, frigus minùs odit hirundo;
 Proxima [d] Marticolis quàm loca Naso Getis.
Talia succensent propter mihi verba Tomitæ,
 Iraque [e] carminibus publica mota meis.
Ergo ego cessabo nunquam per carmina lædi,
 Plectar & incauto semper ab ingenio?

INTERPRETATIO.

Ista tibi mittuntur, quem sum nuper questus versibus meis non habere nomen idoneũ meis modis. In quibus, excepto quòd valemus adhuc utcumque, nihil præterea reperies quod placeat. Ipsa etiam salus est odiosa, & ultima desideria sunt videlicet quovis concedere ex istis locis. Nulla est mihi solicitudo, nisi ut transferar ex isto solo, quia omne erit jucundius isto quod intueor. Mittite mea Carbasa in medias Syrtes, in mediam Charybdin, modò longè simus ab hâc terrâ. Styx etiam, si ea est aliquid, si mundus habet aliquid inferiùs Styge, commodè mutabitur Danubio. Arvum subactum minùs horret herbas, hirundo minùs aversatur frigus, quàm Naso loca propinqua bellicosis Getis. Tomitæ mihi irascuntur ob hujuscemodi sermones, atque ira publicè excitata est meis versibus. Nunquam igitur non lædar per versus; & semper puniar ab ingenio improvido?

NOTÆ.

[a] *Syrtes*] Loca sunt duo vadosa littoris Africani, maximè periculosa, de quibus Sallustius.

[b] *Charybdin*] Voraginem illam maris Siculi jam sæpe vidimus.

[c] *Styx*] Inferorum palus.

[d] *Marticolis*] Martem & bellum amantibus.

[e] *Carminibus*] Quibus malè de istis locis prædico.

Ergo ego, ne ſcribam, digitos incidere cunctor :
[f] Telaque adhuc demens, quæ nocuère, ſequor ?
Ad veteres ſcopulos iterum devertor, & illas,
In quibus offendit naufraga puppis, aquas.
Sed nihil admiſi : nulla eſt mea culpa, Tomitæ ;
Quos ego, cùm loca ſim veſtra peroſus, amo.
Quilibet excutiat noſtri monumenta laboris ;
Littera de vobis eſt mea queſta nihil.
Frigus, & incurſus omni de parte timendos,
Et quòd pulſetur murus ab hoſte, queror.
In loca, non homines, veriſſima crimina dixi.
Culpatis veſtrum vos quoque ſæpe ſolum.
[g] Eſſet perpetuò ſua quàm vitabilis [h] Aſcra,
Auſa eſt [i] agricolæ Muſa docere ſenis.
At fuerat terrâ [k] genitus, qui ſcripſit, in illâ.
[l] Intumuit vati nec tamen Aſcra ſuo.
Quis patriam ſollerte magis dilexit Ulyſſe ?
Hoc tamen aſperitas indice [m] nota loci eſt.
Non loca, [n] ſed mores ſcriptis vexavit amaris
[o] Scepſius [p] Auſonios, [q] actâque Roma rea eſt.
[r] Falſa tamen paſſa eſt æquâ convicia mente,
Obfuit auctori nec fera lingua ſuo.

INTERPRETATIO.

Ceſſone igitur amputare digitos, ne ſcribam ; atque adhuc amens faveo telis, quæ obfuerunt ? Deflecte rurſus ad antiquos ſcopulos, & illas aquas in quibus navis naufraga eſt eliſa. Verùm nihil feci ; nullum eſt meum crimen, Tomitæ, quos ego diligo, quanquam odio habeam veſtras ſedes. Quivis inquirat in monumenta noſtri laboris, mea littera nihil ſunt queſta de vobis. Conqueror frigus, & impetus formidandos ex omni latere, & quòd mœnia quatiantur ab hoſte. Objeci veriſſima crimina in loca, non homines. Vos etiam damnatis ſæpe veſtram terram. Muſa ſenis agricolæ non verita eſt oſtendere quàm Aſcra ſua eſſet ſemper fugienda. At qui ſcripſit fuerat natus in illâ terrâ ; neque tamen Aſcra inſurrexit in Poëtam ſuum. Quis magis amavit ſuam *patriam vafro Ulyſſe ? Duritas loci eſt tamẽ cognita illo judice. Scepſius non damnavit loca, ſed mores Italos ſcriptis aſperis, & Roma accuſata eſt : tulit tamen probra falſa æquo animo ; neque lingua maledica nocuit domino ſuo.*

NOTÆ.

[f] *Tela*] Carmina dicit.

[g] *Eſſet*] Exemplis oſtendit in eo nihil mali eſſe, quòd loca ſibi inviſa damnaverit.

[h] *Aſcra*] Bœotiæ fuit vicus, in ſolo ſterili & aſpero, Heſiodi patria.

[i] *Agricolæ*] Quia de agriculturâ ſcripſit.

[k] *Genitus*] Quique adeò ſuos cives lædere minus debuit.

[l] *Intumuit*] Iratus eſt.

[m] *Nota*] Apud Homerum *ſcil.* de Ithacæ patriæ aſperitate & ſterilitate conqueritur ſæpe.

[n] *Sed mores*] Quod majus eſt, quàm de locis conqueri.

[o] *Scepſius*] Philoſophus an Poëta, aut quis hic fuerit non liquet.

[p] *Auſonios*] Romanos.

[q] *Acta rea*] Accuſata, quòd depravatis moribus.

[r] *Falſa*] Quia falſa prædicabat Scepſius ; ſiquidem tamen Naſoni hac in parte fides.

At [s] malus interpres, [t] populi mihi concitat iram,
Inque [u] novum crimen carmina nostra vocat.
Tam felix utinam, quàm pectore [x] candidus essem,
Exstat adhuc nemo saucius ore meo.
Adde, quòd [y] Illyricâ si jam pice [z] nigrior essem,
Non mordenda mihi [a] turba fidelis erat.
Molliter à vobis mea [b] sors excepta, Tomitæ,
Tam mites [c] Grajos indicat esse viros.
Gens mea [d] Peligni, regióque domestica Sulmo,
Non potuit nostris lenior esse malis.
Quem vix incolumi cuiquam salvóque daretis,
Is datus à vobis est mihi nuper [e] honor.
Solus adhuc ego sum vestris immunis in oris;
Exceptis, si qui [f] munera legis habent.
[g] Tempora sacratâ mea sunt velata [h] coronâ,
Publicus invito quam favor imposuit.
Quàm grata est igitur [i] Latonæ [k] Delia tellus,
Erranti tutum quæ dedit [l] una locum;

INTERPRETATIO.

At iniquus interpres movet iram plebis contra me, & arguit nostros versus inusitata culpa. Utinam essem tam beatus, quàm ego sum innocens animo, nullus est adhuc vulneratus ore meo. Adjice quòd, tametsi essem plus ater quàm pix Illyrica, caterva amica non erat mihi laceranda. Sors mea excepta benignè à vobis, Tomitæ, indicio est homines tam lenes esse Graecos. Peligni populus meus, & Sulmo tractus domesticus non potuit esse mitior nostris ærumnis. Honos, quem ægrè exhiberetis cuiquam integre & valide, is exhibitus est mihi nuper à vobis. Ego sum adhuc Solus exemtus ab omni onere in vestris regionibus, exceptis si qui fruuntur beneficio legis. Tempora mea sunt ornata coronâ sacratâ, quam benevolentia publica imposuit mihi nolenti. Quàm ergo terra Delia, quæ sola præbuit locum securum vaganti est accepta Latonæ,

NOTÆ.

[s] *Malus*] Qui Tomitanis retulit me non regionem modò, sed incolarum Tomitanorum mores arguere.

[t] *Populi*] Tomitani *scil.*

[u] *Novum*] Quia jam pridem Romæ ob lasciviam damnata fuerant sua carmina, nunc verò ob mordacitatem arguebantur, illud dicit Naso.

[x] *Candidus*] *Innocens.* Erat autem certè, uti quidem ex ejus ingenio & scriptis apparet.

[y] *Illyrica*] Ad oram jacet maris Adriatici Illyris, Italiæ opposita. Inde nigerrima olim & laudatissima per orbem pix mittebatur.

[z] *Nigrior*] Qui dente nigro mordere quosvis insuevissem.

[a] *Turba*] Tomitani amici.

[b] *Sors*] *Infortunium.*

[c] *Graios*] Id est, *minimè Barbaros.* Docuit autem suprà Tomitanos origine esse Græcos, Tomosque à Græcis conditam.

[d] *Peligni*] Populi fuerunt Italiæ, Marsis finitimi, quorū caput fuit Sulmo Nasonis patria.

[e] *Honor*] Quis ille fuerit sequens Distichon exponit.

[f] *Munera*] Immunitatem exponit Commentator, quæ his dabatur qui Olympia vicissent. Quasi verò apud eam gentem Olympiorum aliqua ratio fuerit. Civitates habent omnes immunitates suas & privilegia, quibus, aut bene meritis, aut ex aliquâ conditione, privatim nonnulla tribuuntur.

[g] *Tempora*] *Caput.*

[h] *Coronâ*] Ex hederâ Baccho sacrâ, quâ Poëtæ decorabantur.

[i] *Latona*] Quæ Apollinis & Dianæ mater.

[k] *Delia*] Delos maris Ægæi insula, quæ olim fluctuans tectaque mari, repentè Latonæ parturienti, & locum ad pariendum quærenti, sese obtulit: quâ re illi gratissima.

[l] *Una*] *Sola*: namque immisso contra Latonam serpente Pythone, Juno pellicem ex omnibus terris summovebat.

Tam mihi cara Tomis [l] patriâ quæ sede [m] fugatis
Tempus ad hoc nobis [n] hospita fida manet.
Dî modò fecissent, placidæ [o] spem posset habere
Pacis, & à [p] gelido longius axe foret.

INTERPRETATIO.

tam mihi dilecta Tomis, quæ hospita perstat fidelis huc usque nobis pulsis deme paterna. Dii tantùm præstitissent ut posset habere spem tranquillæ pacis, & esset remotior à polo glaciali.

NOTÆ.

[m] *Fugatis*] *Mihi fugato.*
[n] *Hospita*] *Quæ me recepit.*
[o] *Spem*] Ne semper Getarum esset incursionibus obnoxia.
[p] *Gelido*] Ut mitiori aëre frueretur.

EPISTOLA XV.

SEXTO POMPEIO.

ARGUMENTUM.

Si quis adhuc usquam.] *Ad Sextum Pompeium, scribens Poëta, profitetur se illi ante omnes debere, Cæsare tamen excepto, cui vitam debet. Deinde eum precatur, ut ab Imperatore, quem summâ colit pietate, impetret sibi mitius exilium: excusátque se invitum hæc eadem sæpiùs petere, sed præ nimiâ & immoderatâ cupidine se excusandum esse.*

SI quis adhuc usquam nostri non immemor extat,
Quidve relegatus Naso, requirit, agam;
[a] Cæsaribus vitam, Sexto debere [b] salutem
Me sciat. à Superis [c] hic mihi primus erit.
Tempora nam miseræ complectar ut omnia vitæ;
A meritis ejus pars mihi nulla vacat.
[d] Quæ numero tot sunt; quot in horto fertilis arvi
[e] Punica sub [f] lento cortice grana [g] rubent.

INTERPRETATIO.

Si quis est adhuc ullibi non oblitus nostri, vel petat quid ego Naso exsul rerum geram, intelligat me debere vitam Cæsaribus, & salutem Sexto: hic erit mihi primus à Diis. Quamvis enim colligam omnia tempora meæ vitæ miseræ, nulla pars est mihi vacua beneficiorum ejus. Quæ tot sunt numero, quot grana Punica rubent sub molli cortice in horto fœcundi soli.

NOTÆ.

[a] *Cæsaribus*] Augusto defuncto, ejusque liberis, *scil.*
[b] *Salutem*] Nasonem quippe opibus & favore suo juverat: ut ipse superiùs testatus est Poëta.
[c] *Hic*] Pompeius *scil.*
[d] *Quæ*] Sexti Pompeii merita *scil.*
[e] *Punica*] Mali Punici, *de Grenade*: quæ ideò à Pœnis nomen sortita, quòd circa Carthaginem Pœnorum urbem primariam feliciter nascerentur.
[f] *Lento*] *Flexibili.*
[g] *Rubent*] Grana verò Punici mali rubere nemo nescit.

Africa

[h] Africa quot ſegetes, quot [i] Tmolia terra racemos,
Quot [k] Sicyon baccas, quot parit [l] Hybla favos.
Confiteor. [m] teſtère licèt. [n] ſignate Quirites.
Nil opus eſt legum [o] viribus: ipſe loquor.
Inter opes & me rem parvam [p] pone paternas.
Pars ego ſum cenſûs quantulacunque tui.
Quàm tua [q] Trinacria eſt, [r] regnatáque terra Philippo,
Quàm domus Auguſto [ſ] continuata Foro;
Quàm [t] tua rus oculis domini Campania gratum,
Quæque [u] relicta tibi, Sexte, vel emta tenes:
Tam tuus en ego ſum. cujus te munere triſti
Non potes in Ponto dicere habere nihil.
Atque utinam [x] poſſis, & detur amicius arvum;
Remque tuam ponas in meliore loco!
Quod quoniam in [y] Dîs eſt, tenta lenire precando
Numina, perpetuâ quæ pietate colis.

INTERPRETATIO.

Quot ſegetes Africa profert, quot uvas tellus Tmolia, quos baccas Sicyon, quot faves Hybla. Agnoſco. licet teſtes facias; ſignate Quirites: nihil eſt opus viribus legum; ipſe loquor. Annumera me etiam rem tenuem divitiis paternis. Ego ſum pars utcumque exigua tui cenſus. Quàm Trinacria eſt tua, & tellus regnata Philippo; quàm domus juncta foro Auguſto; quàm tua Campania rus jucundum oculis domini, & quæ poſſides tibi relicta vel emta, Sexte, tam ego ſum tuus, cujus lugubri dono non potes dicere te nihil habere in Ponto. Atque utinam poſſis, & præbeatur locus gratior, & conſtituas rem tuam in agro feliciore! Quod quoniam pendet ex Diis, conator mollire orando numina, quæ colis pietate continuâ.

NOTÆ.

[h] *Africa*] Tantam vim frumenti proferebat olim, ut alterum Romæ horreum dici mereretur.

[i] *Tmolia*] Tmolus mons Lydiæ vino & croco nobilis.

[k] *Sicyon*] Achaiæ oppidum in Peloponneſo olivis ſuis itemque marmore & metallis celebris.

[l] *Hybla*] Mons atque urbs Siciliæ apibus & melle à Poëtis præſertim celebrata.

[m] *Teſtère*] *Ratum facias teſtimonio publico.*

[n] *Signate*] Nomina & ſigilla apponite ad conſtabiliendam fidem.

[o] *Viribus*] Ut quod certiſſimum eſt in lucem proferatur, ſi quis fortè inficiaretur.

[p] *Pone*] Sextum alloquitur in cujus cenſu ſe eſſe, utcumque minoris pretii, Naſo agnoſcit.

[q] *Trinacria*] Sicilia; quæ à tribus promontoriis & triangulari formâ ſic dicta. Credere eſt verò & præſidem & patronum fuiſſe hujus inſulæ Sextum; quomodo Romæ ſinguli habebant populi ſuos defenſores.

[r] *Regnata*] Macedoniam intelligo, ubi Philippus Alexandri magni pater regnavit: quam regendam & defendendam ab Auguſto ſeu Tiberio habuiſſe Sextum credideris: niſi potiùs Rus aliquod aut oppidum in Macedoniâ habuiſſe eum ſuſpiceris.

[ſ] *Continuata*] *Juncta foro Auguſti.*

[t] *Tua*] Propter rus illud quod in Campaniâ Sextus poſſidebat.

[u] *Relicta*] A patre *ſcil.* & majoribus tuis.

[x] *Poſſis*] Dicere *ſcil.* te hic habere nihil; atque adeò aliò transferat.

[y] *Dis*] Tiberio *ſcil.* & liberis.

[z] Erroris nam tu, vix est decernere, nostri
Sis [a] argumentum majus an auxilium.
Nec dubitans oro : sed flumine sæpe secundo
Augetur [b] remis cursus euntis aquæ.
Et pudet, & metuo, sempérque eadémque precari;
Ne subeant animo tædia justa tuo.
Verùm quid faciam? res immoderata cupido est.
Da veniam vitio, mitis amice, meo.
Scribere sæpe aliud cupiens delabor eodem:
Ipsa locum [c] per se littera nostra rogat.
Seu tamen [d] effectus habitura est gratia; seu me
Dura jubet gelido Parca sub axe mori;
Semper inoblitâ repetam tua munera mente:
Et [e] mea me tellus audiet esse tuum.
Audiet & cælo posita est quæcunque sub illo:
Transit nostra feros si modò Musa Getas.
Teque meæ caussam servatorémque salutis:
Meque tuum [f] librâ norit & ære [g] minùs.

INTERPRETATIO.

Nam vix licet distinguere tune sis majus indiciũ erroris nostri an solatiũ. Neq; incertus precor; Verùm sæpe flumine propitio fluxus aquæ currẽtis augetur remis. Et pudet, & vereor orare semper atque eadem, ne justa tædia occupent animum tuum. Sed quid agam? Desideriũ est res immodica. Ignosce, amice lenis, vitio meo. Sæpe optans scribere aliud, recido eodem, ipsa epistola orat locum per se. Sive tamen favor tuus est consequuturus effectum; sive immite fatum cogit me obire sub polo glaciali, recolam semper tua beneficia animo memori; & terra mea sciet me esse tuum. Quæcumque etiam terra est sita sub ullo cœlo accipiet, si saltem Musa nostra exspatiatur ultra sævos Getas; atque intelliget te caussam & tutamen meæ salutis, meque esse tuum exceptâ librâ & ære.

NOTÆ.

[z] *Erroris*] Argumentum erroris sui dicit esse Sextum; seu per errorem, non per flagitium, sese Nasonem peccasse contra Augustum, indicio esse Sextum, non sine hujus laude maximâ, suique callidissimâ defensione. Unâ enim eâdemque operâ & illum acerrimum facit æquitatis vindicem, qui ultro peccantis nequaquam patrocinium susciperet; & sese infelicem, qui contra animi sententiam miserè cespitaverit.

[a] *Argumentum*] Quia ex spectatissimâ Sexti virtute, non flagitiosum, sed miserum esse Nasonem pronum erat colligere.

[b] *Remis*] Preces suas Naso, quibus ad opem sibi ferendam Sextum invitat eleganti metaphorâ remis comparat.

[c] *Per se*] Quia ad absentes loco dissiti scribimus. Utcumque nollet Naso, scribens tamen sese remotum indicabat, & tacitè loci mutationem posc.bat.

[d] *Effectus*] *Impetraturus est tuus favor apud Cæsarem quod cupio.*

[e] *Mea*] Quamcumque incolam.

[f] *Librâ*] Librâ & ære in mancipationibus & venditionibus servorum sic utebantur. Quinque adhibitis testibus Romanis, atque eo qui libripens dicebatur, is qui mancipium accipiebat ita loquebatur, *Hunc ego hominem ex jure Quiritium meum esse aio, isque mihi emtus est hoc ære aneâque librâ.*

[g] *Minus*] *Quanquam æs & libra mancipationi non adfuerint.* Vel *mancipii sum tuũ per omnia, nisi quod per æs, & libram, aut eâ solemnitate non sum emtus.*

EPISTOLA XVI.

AD INVIDUM.

ARGUMENTUM.

Invide quid laceras] *Admonet in hac ultimâ epistolâ Poëta invidum, ne carmen suum laceret, ostendens se exulem, esse tanquam mortuum: affirmásque solere liverem pasci tantùm in vivis, post cineres verò quiescere. & hac ratione dicit eum debere non ulteriùs in carmen suum distringere invidia stimulos ac dentes, cùm sint multi alii celebres poëta, quos enumerat: docétque eos posse commodiùs reprehendi.*

INvide, quid laceras Nasonis carmina [a] rapti?
 [b] Non solet ingeniis summa nocere dies.
Famáque post cineres major venit; & mihi nomen
 Tunc quoque, cùm vivis annumerarer, erat.
Cùm foret & [c] Marsus, [d] magníque Rabirius oris,
 [e] Iliacúsque Macer, [f] sidereúsque Pedo:
Et, qui Junonem [g] læsisset in Hercule, [h] Carus;
 Junonis si non jam gener ille foret.

INTERPRETATIO.

Invide, quid discerpis versus Nasonis sublati? Ultimus dies non consuevit obesse ingeniis. Quin fama augetur post cineres: atque eras mihi etiam gloria tunc cùm recenserer in superstitibus. Cum & Marsus viveret, & Rabirius magna eloquentia, & Macer Iliacus, & Pedo sidereus, & Carus qui offendisset Junonem in Herculo, nisi ille esset jam gener Junonis;

NOTÆ.

[a] *Rapti*] *Sublati.* Sese exsulem perinde ac mortuum esse, adeòque Invidiæ minùs obnoxium dicit.

[b] *Non solet*] Immò si Lyrico fides, sicuti virtutem incolumem oderunt, ità sublatam ex oculis quærunt Invidi.

[c] *Marsus*] Hic Domitius Marsus Poëtæ nostri tempore vixit, ut patet; ex cujus operibus quatuor adhuc supersunt versus in Tibulli obitum; itemque hîc in Orbilium sævum ludimagistrum,

Si quos Orbilius ferulâ, scuticâque cecidit.

[d] *Magni*] Quia, Fabio teste, Epici carminis scriptor; quod multùm animi ac virium experit.

[e] *Iliacus*] Scripsisse hunc Macrum de rebus Iliacis seu Troianis ab Homero relictis suprà in Elegiâ quâdam eidem Macro inscriptâ vidimus. Atque hinc quamobrem *Iliacus* dicatur, intelligitur.

[f] *Sydereus*] Hunc Pedonem Albinovanum habuimus etiam supra, quem Epigrammata scripsisse ex Martiali colligitur. Ejus in morté Drusi superest Elegia elegantissima & sydereo Poëta digna: ut non immeritò ex styli sublimitate *sydereum* à Nasone nostro appellatum credideris: nisi fortè, quæ injuriâ temporum interciderint, de syderibus & astris scripserit.

[g] *Læsisset*] Quia, priusquam Herculi Heben filiam suam uxorem dedisset Juno, illi maximè, utpote ex pellice nato, infensa erat: cujus adeòque laudes celebrare tum, illæsâ Deâ, Carus non posset.

[h] *Carus*] De eo jam suprà in Epistolâ quam illi inscripsit Naso.

Quique dedit Latio carmen [i] regale Severus;
Et cum [k] subtili Priscus uterque Numâ.
Quique vel [l] imparibus numeris, [m] Montane, vel [n] æquis
Sufficis; & [o] gemino carmine [p] nomen habes.
Et [q] qui [r] Penelopæ rescribere [s] jussit [t] Ulyssen,
Errantem sævo per [u] duo lustra mari:
Quique suam [x] Trœzena, imperfectúmque dierum
Deseruit celeri morte Sabinus opus.
Ingeniique sui dictus cognomine [y] Largus,
Gallica qui [z] Phrygium [a] duxit in arva senem.

INTERPRETATIO.

& Severus, qui dedit poëma regale Latio, & Priscus uterque cum Numâ subtili. Itemque Montane, qui par es versibus inæqualibus, vel æquis, & consequutus es famam duplici carmine. Et qui docuit Ulyssen errantem aspero mari per duo lustra respondere Penelopæ. Atque Sabinus, qui reliquit suam Trœzena, & opus fastorum imperfectum morte acceleratâ: & nominatus Largus cognomine ingenii sui, qui duxit senem Phrygium in campos Gallicos:

NOTÆ.

[i] *Regale*] Propterea quòd Tragœdias etiam scripserat, ut dictum supià in epistolâ illi inscriptâ: namque de eodem Cassio Severo, Nasonis amico, non de Cornelio hunc locum intelligendum suadet quæ fuit eum illo priori Poëtæ nostri amicitia. Pater verò, tametsi nullus admoneam, honoris causâ appellatos hîc à Nasone Poëtas sui temporis, quos præsertim coluit.

[k] *Subtili*] Quia Numæ Pompilii, secundi Romanorum regis, carmine subtili atque eleganti uterque Priscus vitam comprehendêre.

[l] *Imparibus*] Elegis *scil.* Hexametro & Pentametro constantibus, qui versus inæquales sunt.

[m] *Montane*] Hic Julius Montanus Tiberio gratus fuit.

[n] *Æquis*] Hexametris solis.

[o] *Gemino*] *Elego*, quod alternis Hexametro & Pentametro, & *Heroico*, quod solis Hexametris constat.

[p] *Nomen*] *Famam.*

[q] *Qui*] Sabinus est Poëta, qui Epistolis heroidibus ab Ovidio scriptis respondit.

[r] *Penelopæ*] Ovdii prima epistola ex illis quas finxit Heroidum Penelopes est Ulyssi; quâ heroides omnes intelliguntur.

[s] *Jussit*] Quia ipse Sabinus illius epistolæ auctor quam Penelopæ suæ Ulyssem rescribere finxit, jussisse rescribere illum Naso dicit.

[t] *Ulyssen*] Per Ulyssen omnes intellige, qui epistolis à Nasone, Heroidum titulo scriptis, respondisse à Sabino finguntur.

[u] *Duo*] Lustra iterum quinque annorum facie completorum, quæ quatuor tantùm inclusivè complectebantur, ob rationem in præcedentibus allatam. Per decem namque annos terrâ marique jactatum Ulyssen notum omnibus.

[x] *Trœzena*] Amicæ hocne nomen fuerit cujuspiam, an potiùs operis, Tragœdiæ putâ, &c. non liquet. Imperfectum reliquisse Sabinum fato præventum testatur Naso: Ex quo aliquid majus esse satis intelligitur.

[y] *Largus*] Hic, ab ingenii ubertate cognominatus, Antenoris Trojani adventum in Galliam Cisalpinam ubi Patavium condidit, carmine complexus est.

[z] *Phrygium*] *Trojanum.* Antenorem *scilic.* ex Trojanis Principibus unum, qui proditionis suspicionem apud multos non effugit.

[a] *Duxit*] Quia de eo Antenore Carmen composuit.

Quique canit domitam [b] Camerinus ab [c] Hercule Trojam;
Quique suâ nomen [d] Phyllide Tuscus habet.
[e] Velivolique maris [f] vates, cui credere possis
Carmina [g] cæruleos [h] composuisse Deos.
[i] Quique acies Libycas Romanáque prælia dixit;
Et Marius, scripti [k] dexter [l] in omne genus.
[m] Trinacriúsque suæ [n] Perseïdos auctor, & auctor
[o] Tantalidæ reducis [p] Tyndaridósque Lupus.
Et [q] qui [r] Mæoniam Phæacida [s] vertit, & unà
[t] Pindaricæ fidicen tu quoque, [u] Rufe, lyræ.

INTERPRETATIO.

& Camerinus qui cantat Trojam captam ab Hercule; & Tuscus qui habet famam à Phyllide suâ. Atque Poëta maris veliveli, cui possis credere Deos cæruleos dictasse versus; & qui celebravit exercitus Libycos & certamina Romana, & Marius solers ad omne genus scripti: & Trinacrius auctor suæ Perseides, & Lupus auctor Tantalidæ reducis & Tyndaridos. Et qui transtulit Phaacidem Mæoniam, atque simul tu etiam Rufe, Poëta lyra Pindarica.

NOTÆ.

[b] *Camerinus*] Quisnam hic fuerit aliunde non cognoscitur.

[c] *Hercule*] Laomedontis enim Trojanorum regis tempore, Hercules Trojam seu Ilium, 51 ante ultimum excidium anno expugnaverat.

[d] *Phyllide*] Amicane fuerit Poëtæ, an Phyllis illa Lycurgi Thracum regis filia, quæ patri in regnum admodum puella successit, ambigitur; siquidem non Carmen tantùm sed Poëtæ ipsius Thusci nomen propemodum periérit.

[e] *Velliveli*] Per quod velis quasi volatur.

[f] *Vates*] P. Terentius Varro est, Attacinus, quem inter Satyræ peritissimos scriptores Fab. Quintilianus recenset. Præter cætera, Argonautica ex Apollonio Rhodio pleraque scripsit.

[g] *Cæruleos*] *Marinos.*

[h] *Compos. Deos*] Hinc adeòque operis, & Poëtæ præstantia intelligitur.

[i] *Quique acies*] Quis hic fuerit non scio; namque de Ennio aut Nævio frustrà Commentator exposuit; siquidem Nasonis ætate, multò antiquiores, non floruerunt.

[k] *Dexter*] *Peritus.*

[l] *In omne genus*] Seu solutâ, seu numeris astrictâ oratione opus esset; quovis insuper Carminum genere.

[m] *Trinacrius*] *Siculus.* Sicilia enim *Trinacria* à tribus promontoriis dicta; ut sæpe inculcatum.

[n] *Perseides*] Tragœdiæ de Perseo Jovis & Danaës filio, quam quisquis hic fuit, scripserat Siculus Poëta.

[o] *Tantalida*] Menelaus est à Tantalo oriundus, de cujus in patriam reditu Lupus poëma conscripserat.

[p] *Tyndarides*] Helenæ, Menelai uxoris, Tyndari autem filiæ.

[q] *Qui Maen.*] Tuticanus est, uti ex 12. hujus libri Elegiâ apparet, atque istis maximè versibus,

Dignam Maeniis Phaacida condere chartis
Cùm te Pierides perdocuère Deæ.

[r] *Maeniam*] *Homericam.*

[s] *Vertit*] *In Latinum ex Græco transtulit.* Videsis quæ ad Elegiæ 12 hujus libri 27 versum annotavimus.

[t] *Pindarica*] Cujusmodi usus est Pindarus Thebanus, Lyricorum Græcorum Princeps; quem imitari cùm magister summus, Horatium dico, in tantum arduum esse scripserit, laude maximâ hunc Rufum evehit Naso.

[u] *Rufe*] Quis hic fuerit ut divinando assequerentur multùm sese fatigaverunt Viri docti: at frustrà ni fallor, neque certi quicquam in illorum notis video. Ne tamen à nobis vacuus discedas, te quæso, Lector, altiùs semel & in perpetuum disquiras, num tanti sit nomina, quorum statim obliviscaris, tam anxiè exquirere. Res, atque illæ, nobis quæ sunt usui, sunt potiùs totis viribus dispiciendæ.

Musáque [x] Turranî Tragicis innixa [y] cothurnis;
Et tua cum socco Musa, [z] Melisse, [a] levis.
Cùm [b] Varus [c] Gracchúsque [d] darent [e] fera dicta [f] tyranni;
[g] Callimachi [h] Proculus [i] molle teneret iter:
[k] [Tityrus antiquas & erat qui [l] pasceret herbas,]
Aptáque venanti [m] Gratius arma daret.
[n] Naïdas à Satyris caneret [o] Fontanus amatas,
[p] Clauderet imparibus verba [q] Capella modis.

INTERPRETATIO.

Atque Musa Turrani innixa cothurnis tragicis, & Musa tua levis, Melisse, cum socco. Cùm Varus & Gracchus exhiberent sæva dicta tyranni, Proculus sequeretur lascivos modos Callimachi. Atque erat Tityrus, qui pasceret gramina antiqua, & Gratius praberet arma apta venatori. Cùm Fontanus celebraret Naïdas amatas à Satyris, Capella coërceret voces numeris imparibus.

NOTÆ.

[x] *Turrani*] Neque de isto aliud novi quàm quod indicat Naso, Poëtã *scil.* fuisse Tragicũ.

[y] *Cothurnis*] Calceamenti quoddam genus fuit *Cothurnus*, quo in agendis Tragœdiis utebantur, sicuti *soccus* in Comœdiis usum suum habuit.

[z] *Melisse*] Hunc Togatas scripsisse testis est Scholiastes Horatii ad Artem Poëticam. De eo etiam Suetonius, qui præter illas Comœdias, quas *Trabeatas* inscripsisse dicit, illius laudat ineptiarum seu jocorum libellos, quibus & mimos diversi operis addiderit. Clariss. Heinsius autem jocos illos ex Apologis Æsopicis constitisse credit: id enim scribendi genus *jocos* vocabant, uti ex Phedro & Martiali ille idem ostendit. Porrò Mæcenatis libertum, fuisse Melissum non modò docet, ex Plinio *scil.* verùm insuper *Caium Cilnium Melissum* mutuatis, de more, à Patrono Mæcenate prænomine ac nomine, ex eo appellatum opinatur, quòd de prænomine inter Suetonium & Scholiasten Horatii parùm conveniat, *Cajusque* ab hoc, ab illo *Cneus* nominetur. Verùm supra modum in nugis immoramur.

[a] *Levis*] Utpote qui levia in Comœdiis tractavit.

[b] *Varus*] Quandoquidem Thyestis etiam à Vario conscripti meminit Tacitus in libro de Oratoribus, atque apud Horatium nunc *Varus*, nunc *Varius* unus atque idem Poëta appelletur, dubium non videtur, quin unus atque idem sit, quem Horatius & Quintilianus non obscurè cuilibet Græcorum in Tragœdiâ scribendâ parem faciunt. Cremonensis fuit, eques Romanus, illorum unus quibus Æneidem Augustus dedit emendandam.

[c] *Gracchus*] Hic, ut testatur Naso, idem quod Varius ceperat Tragœdiæ argumẽtum.

[d] *Darent*] Hoc est in Poëmate suo describerent.

[e] *Fera*] *Aspera & horrenda.*

[f] *Tyranni*] Thyestis *scil.* Pelopis filii, de cujus in Atreum fratrem odio, adulterio cum ejusdem uxore, itemque prandio ex appositis ab Atreo in epulas filiis multa in superioribus vidimus.

[g] *Callimachi*] Poëta Græcus fuit Quintiliani testimonio Elegiæ Princeps.

[h] *Proculus*] Hic famam à Nasone solo consequutus est hodie.

[i] *Molle*] Lascivum scribendi genus de Amore & hujusmodi ineptiis.

[k] *Tityrus*] Pastor est apud Virgilium in Bucolicis, qui pro ipso Poëta sumendus.

[l] *Pasceret*] Hoc est *Bucolica scriberet.* Illud namq; ex eo intelligendum quod de se sub Tityri personâ Virgilius scripsit in primo Bucolico, sibi & oves pascere, & cantare amores per Augusti benignitatem liceret, cùm cæteri pastores sedibus suis pellerentur.

[m] *Gratius*] Nisi hîc mendum latet, fuerit Gratius Poëta, qui de venatione poëma scripserit. At in quibusdam codicibus sic legitur,

Aptaque bellanti gratiùs arma daret,

ut & istud ad Maronem referatur, qui meliùs multò Arma virumque suum in Æneide cantaverit, quàm Bucolica scripserit.

[n] *Naiades*] Ità dicebantur Nymphæ, quæ in fontibus habitare putabantur.

[o] *Fontanus*] Poëta, quem fabulas & amores Satyrorum scripsisse testatur Naso; aliunde non cognoscimus.

[p] *Clauderet*] *Verba astringeret scribendo Elegos.*

[q] *Capella*] Non is videtur esse qui Mercurii nuptias, Epigrãmata, aliáque scripsit: quanquam de hoc nostro nihil compertum habeo.

Cùmque forent [r] alii, quorum mihi cuncta referre
Nomina longa mora est, carmina [s] vulgus habet.
Essent & [t] juvenes, quorum quòd [u] inedita [x] cura est,
Appellandorum [y] nil mihi juris adest;
Te tamen in turbâ non ausim, [z] Cotta, silere;
[a] Pieridum lumen, [b] præsidiúmque fori.
Maternos Cottas cui [c] Messallásque paternos
Maxima nobilitas [d] ingeminata dedit.
Dicere [e] si fas est, claro [f] mea nomine Musa,
Atque inter tantos, quæ legeretur, erat.
Ergo submotum patriâ proscindere, livor,
Desine, neu [g] cineres sparge, [h] cruente, meos.
Omnia perdidimus. tantummodò vita relicta est,
Præbeat ut sensum materiámque malis.
Quid juvat extinctos [i] ferrum dimittere in artus?
[k] Non habet in nobis jam nova plaga locum.

INTERPRETATIO.

Cùmque alii essent, quorum memorare omnia nomina longum est tempus, vulgus habet Poëmata. Essent etiam juvenes, quorum nominanderam nullam jus habeo, quia Poëmata non sunt vulgata. Non ausim tamen te præterire in tanto agmine, Cotta, gloria Musarum, & columen fori: cui maxima nobilitas duplicata præbuit Cottas maternos, & Messalas paternos. Si fas est dicere; Musa mea erat famâ illustri, & quæ legeretur inter tantos. Invidia ergo omitte lacerare pulsum patriâ; neve sparge cineres meos, crudelis. Omnia amisimus; tantummodò vita est concessa, ut exhibeat sensum & caussam malis. Quid prodest dimittere ensem in membra mortua? Nova plaga non jam habet locum in nobis.

NOTÆ.

[r] *Alii*] Poëtæ *scilicet.*

[s] *Vulgus habet*] Atque adeò vulgò probantur.

[t] *Juvenes*] Poëtæ *scilicet.*

[u] *Inedita*] *Publici juris facta.*

[x] *Cura*] Pro poëmatibus posuit, quæ multâ curâ componuntur.

[y] *Nil mihi*] Quid enim de illis prædicaret quos non inspexerat?

[z] *Cotta*] Hujus Poëta noster superiùs meminit, libri tertii de Ponto Eleg. secundâ, ubi illum à Numâ maternum genus ducere dicit.

[a] *Pieridum*] Musarum splendorem atque Poëtarum.

[b] *Præsidium fori*] Qui eloquentiâ tuâ jura defendis & legum Majestatem servas.

[c] *Messalas*] Familia fuit Romæ florentissima, quæ ex Valer. Corvino derivata, à Messanâ Siciliæ urbe quam hic vicerat, nomen habuit. Translato enim urbis nomine in se *Messana* primò, dein, lapsu temporis permutatis litteris, *Messala* appellatus est.

[d] *Ingeminata*] *Materno & paterno splendore duplicata.*

[e] *Si fas est*] Arrogantiæ labem istâ vitat præmunitione; ne sibi nimiùm tribuisse videatur.

[f] *Mea Musa*] *Mea Poëmata.*

[g] *Cineres*] Sepultum se innuit, qui Patriâ sit pulsus.

[h] *Cruente*] Pro crudeli.

[i] *Ferrum dimittere*] Non minùs crudeliter ergo Invidus & malignus calumniator quàm latro lædit, si Nasoni, mihique venenatas & sceleratas linguas experto etiam, aliquam fidem adhibeas.

[k] *Non habet*] Non temerè dixerit, siquidem hæc ultima Poëtæ epistola.

P. OVIDII NASONIS
LIBELLUS IN [a]IBIN.

ARGUMENTUM.

Ibis Ovidii nomen ubique maledictis lacerabat, atque ipsum falsis criminationibus in invidiam atque odium vocabat. Tum ejus uxorem perpetuis flagitationibus sollicitabat. Denique tanquam vulturius fortunis ejus inhians, quas naufragii sui tabulas appellat, ipsum ad extremam inopiam redigere conabatur. Et profitetur se Callimachum imitari, à quo Apollonius Rhodius, Ibidis nomine ornatus, diris & exsecrationibus devotus est. Salvagnius suspicatur Higynum esse, quem Ovidius Ibin *appellat; illum inquam, de quo Sueton. meminit libro de claris Grammaticis, is autem est, cujus mythologici libri, omnium manibus triti, supersunt.*

TEmpus ad hoc, lustris jam [b] bis mihi quinque peractis,
  Omne fuit Musæ carmen [c] inerme meæ:
Nullâque, quæ possit, scriptis tot millibus exstat
  Littera Nasonis, [d] sanguinolenta legi.
Nec quemquam nostri, nisi nos, læsere libelli:
  Artificis periit cum caput [e] Arte suâ.
[f] Unus (& hoc ipsum est injuria magna) perennem
  Candoris titulum non sinit esse mei.
Quisquis is est (nam nomen adhuc [g] utcunque tacebo),
  Cogit [h] inassuetas sumere tela manus.

INTERPRETATIO.

LUstris decem jam transactis à me, omne tempus mea Musa fuit hactenus pacificum; nullaque est littera ex tot millibus scriptis Nasonis quæ possit legi cruenta. Neque nostri libri fuerunt damno cuiquam nisi nobis, cùm caput auctoris periit suâ ludustriâ. Unus (atque hoc ipsum est magna injuria) non patitur laudem mei candoris esse perpetuum. Quisquis is est, (nam dissimulabo adhuc quodam modo nomen,) subigit manus insolitas capere arma.

NOTÆ.

[a] *Ibin*] Volucris est in Ægypto eo nomine, serpentibus infesta, quæ rostri aduncitate, ut Plinius est auctor, per eam partem se proluit, quâ reddi ciborum onera salubre maximè est. Cùm igitur tanta sit hujus spurcitas, ut proprio ore ventrem purget, eo nomine probri caussa, atque hominem ut à patriâ tacitè indicaret, Apollonium discipulum, patriâ Ægyptium, Callimachus insectatus est: ad cujus imitationem in Hyginum Grammaticum, uti quidem non temerè suspicati sunt, quem etiam Alexandrinum nonnulli scripserunt Naso noster hoc poëma composuit.

[b] *Bis quinque*] Quinquaginta annos natus erat Poëta cùm in exilium missus: adeòque statim à fugâ scriptum esse istud Poëma ex hoc loco patet.

[c] *Inerme*] Quia carminibus suis neminem distrinxerat Naso istud dicit. Metaphora est cum Metonymiâ conjuncta.

[d] *Sanguinolenta*] *Maledica.*

[e] *Arte*] Jam sæpius ob Artes suas seu libros de Arte amandi sese exilio multatum esse questus est Naso: sed alia causa fuit, ut sæpius diximus.

[f] *Unus*] Ibis *scilicet*, quisquis illo denique nomine intelligatur.

[g] *Utcumque*] Cautissimè Naso, qui ità inimicum suum insectatur, ut ipse in pœnam minùs incurrat, quâ tenebantur famosorum libellorũ scriptores, & tamen in illum probra & maledicta omnia cadant quæ profert, cùm à patriâ aliisq; indiciis ultro cognosceretur.

[h] *Inassuetas*] Neminem namque versibus suis læserat Naso hactenus.

Ille;

Ille relegatum gelidos Aquilonis ad [i] ortus
Non finit exſilio delituiſſe ſuo.
[k] Vulneráque immitis requiem quærentia [l] vexat;
Jactat & in toto verba [m] canina foro;
[n] Perpetuóque mihi ſociatam fœdere lecti
[o] Non patitur [p] vivi funera flere viri.
Cùmque ego quaſſa meæ complectar [q] membra carinæ;
Naufragii tabulas pugnat [r] habere mei.
Et qui debuerat ſubitas [s] exſtinguere [t] flammas;
Is prædam medio raptor ab igne [u] petit.
Nititur ut [x] profugæ deſint alimenta ſenectæ;
Heu quantò noſtris dignior ipſe malis!
Dî melius! quorum longè mihi maximus [y] ille,
Qui noſtras inopes [z] noluit eſſe vias.
Huic igitur meritas grates, ubicunque licebit,
Pro tam manſueto pectore ſemper [a] agam.

INTERPRETATIO.

Ille non patitur pulsum ad ortus frigidos Borea latitaſſe exſilio ſuo. Atque ſævus vellicat vulnera expetentia quietem, & jacit verba mordacia in toto foro. Neque ſinit junctam mihi indiſſolubili fœdere tori lamentari funera mariti vivi. Et cùm ego retineam partes laceras meæ navis, contendit obtinere tabulas mei naufragii. Et qui tenebatur opprimere flammas repentinas, is prædo corripuit rapinam ex igne medio. Dat operam ut alimenta deſint ſenectæ exſuli; heu quantò ipſe dignior noſtris calamitatibus! Dii meliùs proſpexerunt! *quorum ille mihi longè maximus, qui noluit noſtros errores eſſe egenos. Adeòque agam ſemper illi gratias dignas, ubicumque dabitur pro animo tam leni.*

NOTÆ.

[i] *Ortus*] Magìs enim ad Septemtrionem porrecta Tomos quàm Roma.

[k] *Vulnera*] De exilii cauſis, ipſoque adeò exilio agit.

[l] *Vexat*] Obloquendo, & in majus omnia trahendo; ut meritò relegatum neque unquam revocandum Naſonem ſuaderet.

[m] *Canina*] Ex mordaci & infeſto ingenio.

[n] *Perpetuo*] Ad priorum duarum uxorum differentiam, quibuſcum Naſonis infirmæ fuerunt nuptiæ.

[o] *Non patitur*] Quia illam dictis aut factis etiam vexabat.

[p] *Vivi*] Frequenter de exilio ſuo ſicuti de morte loquitur.

[q] *Membra*] Metaphoricè de bonis ſuis, tanquam tabulæ eſſent naufrago, non abs re loquitur.

[r] *Habere*] Ille *ſcilicet* hortis Naſonianis atque ejuſdem domui, ſicuti proſcriptus eſſet, inhiabat.

[s] *Extinguere*] Vicinorum atque amicorum more qui, ſi boni ſunt, operam ſuam incendii in periculo ſolent præſtare.

[t] *Flammas*] Metaph. de exilio ſuo loquitur.

[u] *Petit*] Quod viliſſimi & peſſimi eſt nebulonis.

[x] *Profuga alimenta Senectæ*] Hæ Naſonis junctæ voces quæ ad movendam erga ſe miſericordiam ſunt in primis idoneæ, non minorem inimico conflant invidiam.

[y] *Ille*] De Auguſto loquitur, cui vivo divini honores tributi.

[z] *Noluit*] Namque, ut alibi teſtatur Naſo, opes intactas Auguſtus illi reliquit.

[a] *Agam*] Cùm referre prohibeat Auguſti Majeſtas.

Audiet [b] hæc Pontus. faciat quoque forsitan idem,
  Terra sit ut propior [c] testificanda mihi.
At tibi, calcasti qui me, violente, jacentem,
  Quamlibet & [d] misero debitus hostis ero.
Desinet esse priùs contrarius ignibus humor;
  [e] Junctáque cum Lunâ lumina Solis erunt;
Parsque eadem cæli Zephyros emittet & Euros;
  Et tepidus gelido flabit ab axe Notus;
Et nova [f] fraterno veniet [g] concordia fumo,
  Quem vetus accensâ separat [h] ira pyrâ;
Et Ver Autumno, Brumæ miscebitur Æstas;
  Atque eadem regio Vesper & Ortus erunt:
Quàm mihi sit tecum positis, quæ sumsimus, armis
  Gratia, commissis, improbe, rupta tuis.
Pax erit hæc nobis, donec mihi vita manebit,
  Cum [i] pecore infirmo quæ solet esse lupis.
Prima quidem [k] cœpto committam prælia versu:
  Non soleant quamvis hoc pede bella geri.
Utque [l] petit primo plenum flaventis arenæ
  Nondum [m] calfacti [n] velitis hasta solum;
Sic ego te ferro nondum jaculabor acuto:
  Protinus invisum nec petet hasta caput..

INTERPRETATIO.

Pontus ista intelliget. Idem fortè etiam faciat, ut terra propinquior sit mihi testificanda. At ero tibi hostis debitus, crudelis, qui insultasti mihi protrito. Aqua citiùs omittet esse contraria igni, & lux Solis erit juncta cum Lunâ; Atque pars eadem cœli proferet Zephyros & Euros, & Auster calidus spirabit à polo frigido; Et concordia insolita accedet fumo fraterno, quem antiquum odium dividit rogo accenso; Et Ver jungetur Autumno, Æstas Hyemi, atque eadem plaga erit ortus & occasus, quàm amicitia sit mihi tecum armis omissis, quæ fracta est tuis flagitiis. Quandiu vitâ fruar ea erit pax inter nos, qua solet esse lupis cum pecudibus infirmis. Inibo quidem prima certamina carmine incepto, quanquam bella non soleant geri isto pede. Et sicuti jaculum velitis nondum accensi mittitur primò in solum plenum arenæ flavæ; ità ego non te invadam adhuc ferro acuto, neque hasta mittetur continuò in caput odiosum.

NOTÆ.

[b] *Hæc*] Quòd Augusto meritas grates ago, &c.

[c] *Testificanda*] Testis citanda meæ gratitudinis.

[d] *Misero*] Infortunium prædicit hosti suo Naso vates.

[e] *Junctáque*] Meridie ipso plena Luna aërem illustrabit. Quod fieri non potest.

[f] *Fraterno*] De Eteocle & Polynice loquitur quorum fabulam habes in superioribus.

[g] *Concordia*] *Scinditur in partes atra favilla duas*; dum illi in rogo eodem cremantur, ut dictum antea.

[h] *Ira*] Quæ duos fratres Eteoclem & Polynicem vivos torsit; fato functos divisit.

[i] *Pecore inf.*] Ovibus *scilicet.*

[k] *Cœpto*] Elegiaco *scil.* quanquam Iambis meliùs res ista geritur.

[l] *Petit*] In aggerem jaculantur velites sese exercendi causâ, priusquam ad legitimum certamen veniant.

[m] *Calfacti*] *Ad pugnam incensi.*

[n] *Velitis*] Velites dicebantur vilissimi quique & levis armaturæ milites..

Et neque [o] nomen in hoc, nec dicam [p] facta libello:
Teque [q] brevi, qui sis, dissimulare sinam.
Postmodò, si perges, in te mihi [r] liber Iambus
Tincta [s] Lycambêo sanguine tela dabit.
Nunc, quo [t] Battiades inimicum [u] devovet Ibin,
Hoc ego devoveo teque tuosque modo.
Utque ille, historiis involvam carmina [x] cæcis:
Non soleam quamvis hoc genus ipse sequi.
Illius [y] ambages imitatus in Ibide dicar;
Oblitus moris judiciique mei.
Et quoniam, qui sis, nondum quærentibus edo;
Ibidis interea tu quoque nomen habe.
Utque mei versus aliquantùm [z] noctis habebunt;
Sic vitæ series tota sit [a] atra tuæ.
Hæc tibi [b] natali faxo [c] Janique Kalendis
Non mentituro quilibet ore legat.

INTERPRETATIO.

Et neque proferam nomen, neque facinora in hoc libello; & patiar te qui sis tegere in exiguum tempus. Si insistas porrò, Iambus audax præbebis mihi adversùs te arma infecta cruore Lycambeo. Nunc ego devoveo & te & tuos eo modo, quo Battiades devovet Ibin inimicum. Et sicuti ille, implicabo versus fabulis obscuris, tametsi ego non consueverim imitari hoc genus. Imitatus circuitum ejus in Ibide, dicar immemor meæ consuetudinis & judicii. Et siquidem nondum dico qui sis petentibus, tu interim habeto etiam nomen Ibidis. Et sicuti mea carmina habebunt aliquantum caliginis, ità tota series vitæ tuæ sit nigra, faxo quivis legat tibi hæc ore non vano die *natali, & Calendis Jani,*

NOTÆ.

[o] *Nomen*] Latet verò usque adhuc; nisi quòd, ut dixi, Hyginum esse indubitatis propè conjecturis suspicati sunt. Atque credere est maximè tacitis indiciis & amicorum veterum susurrationibus ad quem hæ diræ spectarent Romæ cognitum fuisse; ut *scilicet*, quod cupiebat Naso fieret, & malè fidus amicus denique quiesceret.

[p] *Facta*] Ea tamen suprà quodammodo insinuavit.

[q] *Brevi*] *In paucos dies.*

[r] *Liber*] Non tam metri ratione, quàm quia eo genere versus ad maledicta & probra ingerenda utebantur.

[s] *Lycambeo*] Neobules puellæ pater fuit Lycambes, qui Archilocho Poëtæ eam filiam suam despondit, deinde ob turpem futuri generi faciem eidem tradere noluit. Eo permotus Archilochus asperrimos in Lycamben Iambos scripsit, quibus perstrictus laqueo vitam finivit. Tincta adeòque tela sanguine Lycambeo, quæ Nasoni Iambus præbeat, sunt versus ipsi Iambici virulenti, quibus ad laqueum inimicum Ibin velit compellere.

[t] *Battiades*] Callimachus est, à Batto patre Cyrenes conditore, eo nomine dictus.

[u] *Devovet*] Diris illum addicendo per imprecationes.

[x] *Cæcis*] Obscuris, minùs adeòque cognitis, quæ ut oraculorum fidem, ità & anxiam habeant expectationem, quâ Ibis percellatur.

[y] *Ambages*] Ambages dicuntur sermones obscuri qui multo ambitu & circuitu vix denique quid sibi quispiam velit aperiunt.

[z] *Noctis*] Difficultatis & obscuritatis.

[a] *Atra*] *Infelix.*

[b] *Natali*] Quo *scilicet*, si quid infausti accidisset, ominosum esse & in totum annum malum derivare, credebant.

[c] *Jani*] Prospera omnia, sicuti & hodie consueverant, recurrente anno novo, Januarii adeòque Calendis, invicem comprecari solebant: pro quibus imprecationes cujusque generis Ibidi recitandas Naso dicit sese curaturum.

Dî maris & terræ, quique [d] his meliora tenetis
Inter [e] diversos cum Jove regna polos;
Huc precor, huc vestras omnes advertite mentes,
Et finite optatis pondus inesse meis.
Ipsaque tu [f] Tellus, ipsum cum fluctibus Æquor,
Ipse meas [g] Æther accipe summe preces:
Sideráque, & radiis circumdata Solis imago;
Lunáque, quæ [h] nunquam, quo priùs, orbe micas;
Noxque tenebrarum specie reverenda tuarum;
Quæque ratum [i] triplici pollice netis opus;
[k] Quique per infernas horrendo murmure valles
Imperjuratæ laberis amnis aquæ;
[l] Quasque ferunt torto [m] vittatis angue capillis
[n] Carceris obscuras ante sedere fores;
Vos quoque [o] plebs Superûm [p] Fauni, Satyríque, [q] Larésque,
Fluminaque, & Nymphæ, [r] Semideúmque genus;

INTERPRETATIO.

Dii maris & terræ, & qui obtinetis potiora cum Jove inter axes oppositos, adhibete, oro, huc omnes vestros animos, & facite vim inesse meis votis. Tuque Terra ipsa, mare ipsum cum undis, ipsum Cœlum supremum fave meis precibus; favete etiam astra, & simulacrum Solis ornatum radiis, atque Luna, quæ nunquam splendes orbe quo priùs; itemque Nox horrenda formâ tuæ caliginis; & quæ trahitis opus certum triplici pollice; quique fluvius aquâ perjurio non temerata defluis murmure horrifico per valles infernas, & quas perhibent sedere ante portas atras carceris crinibus serpentibus intertis in modum vittarum, Vos etiam populus deorum Fauni, & Satyri, & Lares, & Fluvii, & Nymphæ, & genus Semideorum;

NOTÆ.

[d] *His*] Mari & terrâ *scilicet*: cœlum namque præstantius.

[e] *Diversos*] Diversissimi sunt verò poli Arcticus ad Septemtrionem, Antarcticus ad meridiem.

[f] *Tellus*] Quæ & Vesta & Magna Deûm mater, aliis insuper appellatur nominibus; numenque suum habere credebatur.

[g] *Æther*] Qui Jupiter creditus.

[h] *Nunquam*] Quia indesinenter crescit aut decrescit.

[i] *Triplici*] Quia tres Parcæ Clotho, Lachesis, & Atropos, Erebi & Noctis filiæ, fatorum indeclinabilem ordinem hominibus præstituentes.

[k] *Quique*] Styx est, Inferorum fluvius,
Dî cujus jurare timent & fallere numen:
quamobrem aquam ejus imperjuratam Naso noster dicit.

[l] *Quasque*] Eurias dicit, Alectonem, Tisiphonem & Megæram.

[m] *Vittatis*] *Anguibus tanquã vittis ornatis.*

[n] *Carceris*] Ejus *scil.* qui est apud Inferos, ubi facinorosi plectuntur.

[o] *Plebs*] Deos appellaruut minorum gentium, Indigetes, aliisque insuper nominibus, minori honore fulgentes, quos ut testatur Cicero, sua merita Diis adscripserunt. neque tamen ob meriti tenuitatem cœlo recepti sunt. Dæmones Græcis, Latinis Genii dicti sunt, majoribus diis ministri, hominumque custodes, & ad illos interpretes.

[p] *Fauni*] Colluviem istam Deorum aut dæmonum potiùs silvestrium jam satis superque habuimus in præcedentibus.

[q] *Lares*] Hi, Nasonis nostri sententiâ,
Compita servant,
Et vigilant nostrâ semper in æde Lares.
Dii adeòque domestici fuerunt.

[r] *Semideúm*] Hi *Semones* etiam dicti, neque homines neque Dii in totum; quos tamen ab heroibus diversos nonnulli volunt; utpote ex Deo & mortali orti. Fabulæ

Denique ab antiquo Divi [f] veteréſque [t] noviſque,
In noſtrum [u] cuncti tempus adeſte, Chao.
Carmina dum capiti malefido dira canuntur,
Et peragunt partes [x] ira dolórque ſuas:
Annuite optatis omnes ex ordine noſtris;
Et pars ſit voti nulla caduca mei.
Quæque precor, fiant: ut non mea dicta, ſed illa
[y] Paſiphaës [z] generi [a] verba fuiſſe putet.
Quaſque ego tranſiero pœnas, patiatur [b] & iſtas,
Pleniùs ingenio ſit miſer ille meo.
Neve [c] minùs valeant fictum execrantia nomen
Vota, minùs magnos commoveántve Deos;
[d] Illum ego devoveo, quem mens intelligit, Ibin;
Qui ſe ſcit factis has meruiſſe preces.
Nulla mora eſt in me: peragam rata vota ſacerdos.
Quiſquis ades ſacris, [e] ore favete, meis.
Quiſquis ades ſacris, lugubria dicite verba,
Et fletu madidis Ibin adite genis:

INTERPRETATIO.

denique Divi omnes antiqui & recentes à Chao veteri ad noſtrum ævum adſte: dum fera carmina cantantur capiti perfide, atque ira & dolor abſolvunt partes ſuas. Cuncti ex ordine favete votis noſtris; neque pars ulla deſiderii mei ſit vana. Atque eveniant quæ voveo; ut non credat fuiſſe meas voces, ſed ea verba generi Paſiphaës. Multetur quoque iis cruciatibus quos prætermiſerim: ille ſit miſer pleniùs ingenio meo. Et ne preces devoventes nomen fictum minùs ſint efficaces, & minùs tangant magnos Deos, ego illum Ibin diris addico, quem mens cogitat, qui novis ſe dignũ eſſe his votis per flagitia. Nulla eſt cunctatio in me, ſacerdos abſolvam certas preces. Quiſquis ades ſacris meis favete ore, proferte triſtia dicta, & accedite ad Ibin oculis humidis lacrymis:

NOTÆ.

[f] *Veteres*] *Conſentes* & *Selecti*, qui ſemper Dii habiti.

[t] *Novi*] *Indigetes* qui ob merita Diis aſcripti.

[u] *Cuncti*] Namque periculoſum fuit quemquam ex iſtis negligere, qui ſolus plus feciſſet mali, quàm cæteri omnes boni. Quare ritu Pontificio omnes invocat Naſo.

[x] *Ira*] Mea *ſcil.*

[y] *Paſiphaes*] Solis filia, Minoïs uxor; de quâ multa in ſuperioribus.

[z] *Generi*] Theſeus fuit qui Ariadnam Minoïs & Paſiphaës filiam uxorem duxit. Quomodo autem Hippolitum filium uxoris deceptus accuſatione falsâ devoverit; hicque ab territis equis diſcerptus ſit, vide in Epiſtolis Heroid. Epiſt. 4. At enim de Glauco vate inſigni, & veridico, qui & cum Ariadnâ rem habuerit intelligi poſſe hunc locum eruditè oſtendit illuſtriſſimus, ille præſes Dionyſius Salvagnius; cujus utinam exquiſiti Commentarii, maturiùs ad nos perveniſſent.

[a] *Verba fuiſſe*] Atque adeò rata, quemadmodum fuerunt Theſei in Hippolytum filium, qui quidem ab equis ſuis diſcerptus eſt.

[b] *Iſtas*] Ut omni prorſus pœnarum genere afficiatur Ibis, aut quem eo nomine Naſo intelligebat.

[c] *Minùs*] Neceſſe erat proprium nomen ejus exprimere in carmine quo quis diris devovebatur; alioqui vota inania erant. Eâ cauſâ additum iſtud à Naſone.

[d] *Illum*] Quaſi digito demonſtratum Ibin indicat, ne alium temerè diræ appeterent. Cautione namque opus fuit maximâ, ne in alium quàm deſtinata eſſent vota execrantia pravâ demonſtratione tranſirent.

[e] *Ore favete*] Silete, aut verba eòdem, quò vota, ſpectantia dicite. Namque hic verus eſt ſenſus hujus formulæ.

Ominibúsque malis pedibúsque occurrite [f] lævis;
Et [g] nigræ vestes corpora vestra tegant.
[h] Tu quoque, quid dubitas [i] ferales sumere vittas?
Jam stat, ut ipse vides, funeris [k] ara tui.
[l] Pompa parata tibi est: votis mora [m] tristibus absit.
Da jugulum cultris, hostia dira, meis.
[n] Terra tibi fruges, amnis tibi deneget undas:
Deneget afflatus ventus & aura suos.
Nec tibi Sol clarus, nec sit tibi lucida Phœbe:
Destituant oculos sidera cuncta tuos.
Nec se [o] Vulcanus, nec se tibi præbeat aër:
Nec tibi det tellus, nec tibi pontus iter.
Exul inops erres, alienáque limina [p] lustres:
Exiguúmque petas ore [q] tremente cibum.
Nec corpus querulo, nec mens vacet ægra dolore:
Noxque die gravior sit tibi, nocte dies.
Sisque miser semper; [r] nec sis miserabilis ulli.
Gaudeat adversis fœmina virque tuis.
Accedat lacrymis odium, dignúsque putêre,
Qui mala, cùm tuleris plurima, plura feras.

INTERPRETATIO.

Atque obviam procedito sinistris ominibus, & pedibus lævis; & vestes pullæ velent vestra corpora. Tu etiam quid differs capere vittas lugubres? Jam paratum est, uti ipse cernis, altare necis tuæ. Pompa est tibi adornata; procul sit cunctatio feralibus precibus: victima execranda præbe jugulum meis cultris. Tellus te arceat à suis fructibus, flumen ab suis aquis: Ventus & aër denegent auras suas. Neque Sol sit tibi purus, neque Luna sit tibi splendida: omnia astra deserant tuos oculos. Neque Ignis, neque aër se det tibi. Neque terra, neque mare tibi præbeat viam. Profugus vageris destitutus, & quæras fores alienas, & mendices tenuem victum ore trepido. Neque corpus neque animus morbidus careat dolore querulo; & nox sit tibi molestior die, dies nocte. Atque sis semper infelix, neque sis cuiquam miserandus: & mas & fœmina lætetur tuis infortuniis. Odium superveniat luctibus, atque credaris meritus pati plura cùm passus sis plurima.

NOTÆ.

[f] *Lævis*] *Sinistris & ominosis.*

[g] *Nigra*] Utpote in re tali: namque infernalia sacra à sacerdotibus pullâ veste indutis peragi, ad Umbrarum similitudinem *scil.* ex decoro fuit.

[h] *Tu*] Ibin alloquitur victimam omnibus malis cruciandam.

[i] *Ferales*] *Lugubres*, quæque insuper victimam Diis inferis mactandam ornarent.

[k] *Ara*] De Poëmate suo intelligit, quod eò deductum, ut cultrum Ibidis jugulo immittere jam videatur.

[l] *Pompa*] Apparatus sacrorum, qui sanè ex præcedentibus est insignis.

[m] *Tristibus*] Quæ te, Ibis, quovis afficiant infortunio.

[n] *Terra*] Jam malè precari in Ibin incipit Naso.

[o] *Vulcanus*] Pro igne. Metonym. est.

[p] *Lustres*] Ità ut huc illuc errando nusquam sedem invenias.

[q] *Tremente*] Pavore, frigore, fame.

[r] *Nec sis mis.*] *Nullus malis tuis moveatur.* Copiam verò admirare Nasonis.

Sitque, quod est rarum, [r] solito defecta favore
Ærumnæ facies [s] invidiosæ tuæ.
Causâque non [t] desit, desit tibi copia mortis,
Optatam fugiat vita coacta necem.
Luctatúsque diu cruciatos spiritus artus
Deserat; & longâ torqueat antè morâ.
Evenient. dedit ipse mihi modò signa futuri
Phœbus: & a lævâ [u] mœsta [x] volavit avis.
Certè ego, quæ voveo, Superos motura putabo:
Speque tuæ mortis, perfide, semper alar.
[Finiet illa dies, quæ te mihi subtrahet olim:
Finiet illa dies, quæ mihi tarda venit.]
Et priùs hanc animam, nimiùm tibi sæpe petitam,
Auferet illa dies, quæ mihi sera venit;
Quàm dolor hic unquam spatio evanescere possit:
Leniat aut odium tempus & hora meum.
Pugnabunt jaculis dum Thraces, [y] Iazyges arcus,
Dum tepidus [z] Ganges, frigidus Ister erit;
Robora dum montes, dum pabula mollia campi,
Dum Tiberis [a] flavas [b] Tuscus habebit aquas;

INTERPRETATIO.

Et quod non sæpius evenit, vultus tui doloris sit invidiosus & destitutus benevolentiâ ordinariâ. Atque ne absit causa mortis, desit tibi copia ejus: *Vita coacta evitet obitum desideratum. Et postquam Anima diu certaverit destituat membra torta, & prius cruciet longo tempore.* Fient ista. *Ipse Apollo prabuit mihi modò indicia futuri. & avis lugubris volavit à sinistrâ. Certè ego credam quæ opto tactura Deos, & semper reficiar spe tuæ necis, perfide. Illa dies præteribit, quæ te aliquando mihi tollet: illa dies præteribit, quæ mihi lenta oritur. Atque illa dies, quæ mihi tarda exoritur antè tollet hunc spiritum nimis frequenter à te quæsitum, quàm hic dolor possit unquam dissipari tempore: vel mora & dies minuat odium meum. Dum Thraces certabunt jaculis, Jazyges arcu; dum Ganges erit calidus, Danubius gelidus; dum colles vestientur quercubus, dum agri teneris graminibus, dum Tiberis volvet aquas flavas,*

NOTÆ.

[r] *Solito*] Consueverunt nempe homines, nisi ferarum naturam induerint miseriis tangi consortium suorum.

[s] *Invidiosa*] Quæ odium pro miseratione moveat.

[t] *Desit copia mortis*] Atrocissima est ista imprecatio. Adeòque Tiberius cuidam pœnæ maturitatem precanti, *Nondum*, inquit, *tecum in gratiam redii.*

[u] *Mœsta*] *Mali ominis*, quales fuerunt Vultur, Bubo, Stryx, cornix: quanquam de corvo aut cornice videtur intelligere, quæ alites à læva aut occasu cùm præsertim vocem quasi strangulati glutirent, exitium *scil.* apportabant.

[x] *Volavit*] Alii habent *sonavit*, ut augurium videatur firmius.

[y] *Jazyges*] Hos suprà vidimus populos Ponti accolas.

[z] *Ganges*] Indiæ fluvius maximus, tepidus ideo quòd in plagâ est meridionali.

[a] *Flavas*] Propter arenas ejus coloris.

[b] *Tuscus*] Quia per Tusciam labitur Tiberis, priusquam Romam alluat.

Bella geram tecum: nec mors mihi finiet iras;
Sæva sed in [c] Manes Manibus arma dabit.
Tum quoque, cùm vacuas fuero [d] dilapsus in auras;
Exanimis mores oderit [e] umbra tuos.
[f] Tum quoque factorum veniam memor umbra tuorum,
Insequar & vultus ossea larva tuos.
Sive ego, quod nolim, longis consumtus ab annis;
Sive manu factâ morte solutus ero:
Sive per immensas jactabor naufragus undas;
Nostráque longinquus viscera piscis edet:
Sive [g] peregrinæ carpent mea membra volucres;
Sive meo tingent sanguine rostra lupi:
Sive aliquis dignatus erit supponere terræ,
Et dare [h] plebeio corpus inane rogo.
Quidquid ero, Stygiis erumpere nitar ab oris,
Et tendam gelidas ultor in ora manus.
Me vigilans cernes; tacitis ego noctis in umbris
Excutiam somnos, visus adesse, tuos.
Denique quidquid ages, ante os oculósque volabo;
Et querar, & nullâ sede quietus eris.
Verbera torta dabunt sonitum; [i] nexæque colubris
[k] Conscia fumabunt semper ad ora faces.

INTERPRETATIO.

movebo arma adversus te, neque mors mihi componet iras; sed præbebis fera tela Manibus in Manes. Tum etiam, cùm fuero dispersus in aerem inanem, Umbra exsanguis aversabitur tuos mores. Tum etiam accedam Umbra non oblita flagitiorum tuorum; & larva ossea persequar faciem tuam. Seu ego exhaustus fuero longis annis, quod nolim; seu solutus morte factâ manu: seu naufragus agitabor per vastos fluctus, atque piscis peregrinus pascetur nostris præcordiis; seu aves extraneæ lacerabunt meos artus; seu lupi inficient rictus meo sanguine; sive aliquis erit dignatus mandare terræ & dare corpus vacuum rogo plebeio: quidquid fuero, contendam evadere ex oris stygiis, & immittam manus frigidas in vultus. Aspicies me experrectus; ego visus adstare per silentium noctis opacæ turbabo somnos tuos. Denique quidquid facies, volabo ante vultus & oculos; & conquerar, & nullibi eris quietus. Verbera intorta reddent sonum, & faces implicitæ anguibus semper fumum emittent ad vultus conscios.

NOTÆ.

[c] *Manes*] Tuos *scil.*

[d] *Dilapsus*] Ex populari opinione, aut certè eâ loquitur, quam perstrinxit Plato.

[e] *Umbra*] Mea *scil.*

[f] *Tum quoque*] Credebant *scilicet* quod hodieque apud nonnullos pro certo ducitur, vagari passim Manes defunctorum, noctuque inimicis terriculamento esse.

[g] *Peregrina*] Vultures intellige, quos ex adverso orbe, quanquam falsò, advolare crediderunt.

[h] *Plebeio*] *Humili*, cujusmodi ex plebe hominibus sine omni apparatu destinantur.

[i] *Nexa colubris*] Furiales adeòque.

[k] *Conscia*] *Nolite putare*, inquit Cicero, *eos qui aliquid impiè sceleratèque commiserant agitari & perterreri tædis ardentibus. Sua quemque fraus, suus error maximè vexat: suum quemque scelus agitat, amentiâque afficit: suæ malè cogitationes, conscientiaque animi terrent. Eæ sunt impiis assiduæ, domesticæque furiæ, quæ dies noctesque parentum pœnas à sceleratissimis filiis repetant.*

His

His vivus furiis agitabere: mortuus iſdem.
Et brevior pœnâ vita futura tuâ eſt.
Nec tibi contingent funus lacrymæque tuorum.
Indeploratum projiciēte caput.
Carnificiſque manu populo plaudente trahēris;
Infixúſque tuis oſſibus [l] uncus erit.
Ipſæ te fugient, quæ carpunt omnia, flammæ:
Reſpuet inviſum juſta cadaver humus.
Unguibus & roſtro [m] tardus trahet ilia vultur;
Et ſcindent avidæ perfida corda canes.
Deque tuo fiet [n] (licèt hac ſis laude ſuperbus)
Inſatiabilibus corpore rixa lupis.
In loca ab [o] Elyſiis [p] diverſa fugabere campis;
Quaſque tenet ſedes noxia turba, coles.
[q] Siſyphus eſt illic ſaxum volvénſque peténſque;
[r] Quique agitur rapidæ vinctus ab orbe rotæ:
[ſ] Quæque gerunt humeris [t] perituras Belides undas,
Exſulis [u] Ægypti turba [x] cruenta nurus.
Poma [y] patet Pelopis præſentia quærit, & idem
Semper eget, liquidis ſemper abundat aquis;

INTERPRETATIO.

Vexabere his furiis vivus, vexabere iiſdem fato functus: & vita erit brevier ſupplicio tuo. Neque funus & fletus tuorum tibi obvenient. Abjiciēris caput indeploratum. Atque trahēris manu torteris plebo lætante; & uncus impactus erit tuis oſſibus. Ipſe ignis qui corripit omnia te fugiet; aqua terra rejiciet cadaver odioſum. Vultur ferus laniabit latera unguibus & roſtro, & canes famelica diſcerpent cor perfidum. Et, quamvis celebreris hac laude, lis erit inter lupos inexpletos de tuo corpore. Abjiciēris in loca diſſita à campis Elyſiis; & tenebis loca quæ impium agmen obtinet. Ibi eſt Siſyphus volvens & repetens lapidem, & qui ligatus rapitur ab orbe cita rota: & Belides, nurus Ægypti profugi agmen crudele, quæ ferunt humeris aquas perituras. Pater Pelopis inhiat pomis præſentibus; & idem ſemper eſt inops, & ſemper affluit aquis fluidis;

NOTÆ.

[l] *Uncus*] Carnificis *ſcil.* quo ad ſcalas Gemonias Ibis trahatur.

[m] *Tardus*] Qui denique ad fœtidum cadaver poſtquam ſatis ſuperque execratum fuerit, advolet, illique laniando inſiſtat.

[n] *Licet hac*] Dicit iſtud quaſi nimium Ibidi ſuâ imprecatione tribuat, quòd de eo rixa inter lupos moveatur.

[o] *Elyſiis*] Sedes beatorum piis aſſignatæ apud Inferos ab Ethnicis dicuntur *Elyſium*.

[p] *Diverſa*] *Tartarus* eſt, quo facinoroſi, diverſo itinere à bonis, graviſſimis ſuppliciis plectendi deturbantur.

[q] *Siſyphus*] Æoli filius latrociniis ſuis famoſus, quem Theſeus ad Inferos depulit.

[r] *Quique*] Ixion eſt; de quo jam toties.

[ſ] *Quæque*] Filias dicit Danaï, Beli neptes.

[t] *Perituras*] Quia quantum in dolium pertuſum ingerunt, tantum diffluit; neque unquam ſceleſtarum minuitur labor.

[u] *Ægypti*] Frater fuit Danai, à quo expulſus eſt.

[x] *Cruenta*] Danaïdes quippe 50 patrueles ſuos ſibi deſponſatos, Hypermneſtrâ exceptâ, quæ Lynceo ſuo pepercit, unâ nocte peremerunt. Verùm fabulas has omnes ſæpius jam repetitas habes in præcedentibus.

[y] *Pater Pel.*] Tantalus eſt.

Jugeribúſque novem [z] qui ſummus diſtat ab imo ,
Viſceráque aſſiduæ [a] debita præbet avi.
[b] Hîc tibi de Furiis ſcindet latus una flagello ,
Ut ſceleris numeros confiteare tui :
Altera Tartareis ſectos dabit anguibus artus :
[c] Tertia fumantes incoquet igne genas.
Noxia mille modis lacerabitur umbra ; tuaſque
[d] Æacus in pœnas ingenioſus erit.
In te tranſcribet veterum tormenta reorum :
Manibus antiquis [e] cauſſa quietis eris.
Siſiphe, cui tradas revolubile [f] pondus, habebis :
Verſabunt celeres nunc nova membra [g] rotæ.
Hîc erit, & [h] ramos fruſtra qui captet & undas
Hîc inconſumto viſcere [i] paſcet avem.
[k] Nec mortis pœnas mors altera finiet hujus :
Horaque erit tantis ultima nulla malis.

INTERPRETATIO.

& qui supremus longè eſt ab infimo novem jugeribus, & offert præcordia debita volucri inſtanti. Hic una furiarum lacerabit tibi ilia flagro, ut agnoſcas numeros tui flagitii : altera præbebit membra lacerata ſerpentibus Stygiis : tertia uret igne genas fumantes. Manes ſceleroſi torquebuntur mille modis, & Æacus erit ſubtilis in tua ſupplicia. Transferet in te cruciatus antiquorum noxiorum ; eris cauſſa otii Umbris veteribus. Siſypho habebit, cui reddas onus revolubile : Rota rapida nunc agitabunt novos artus. Hic erit qui fruſtrà nitatur carpere ramos & aquas ; hic præbebit pabulum aliti præcordiis inconſumtis. Neque mors altera finem imponet cruciatibus hujus mortis : nullaque hora erit noviſſima tantis doloribus.

NOTÆ.

[z] *Qui ſummus*] *Cujus caput à pedibus novem diſtat jugeris.* Tityus eſt , Jovis & Elaræ filius,qui de ſtupro Latonam non veritus appellare, Jovis fulmine ad Inferos deturbatus , vulturi jecur aſſiduè exedendum præbet.

[a] *Debita*] Scilicet addicunt ſeſe Pœnæ quicumque per facinus ab officio ſuo deſciſcunt. Quod utinam ità eſſe major pars. ſaltem hominum non dedignaretur meditari.

[b] *Hic*] In Tartareo carcere *ſcilicet.*

[c] *Tertia*] Tres enim ſunt omnino Alecto,. Tiſiphone , & Megæra ; quas vide , quæſo, ſuo ordine ut ex Naſonis ingenio , ſingulæ in ſceleroſum Ibidem inſurgant.

[d] *Æacus*] Qui cum Minoë & Rhadamantho judex apud Inferos à Plutone conſtitutus non tam quàm ipſe Naſo in pœnas ingenioſus.

[e] *Cauſſa*] Quaſi Ibis ſolus tortorum Tartareorum rabiem ſatiare debuerit.

[f] *Pondus*] Lapidem *ſcilicet* illum ingentem,quem in montis verticem habet provolvendum, qui ſtatim deorſum revolvitur , ut iterum atque iterum eundem ille ſubeat laborem.

[g] *Rota*] Quibus torquetur Ixion.

[h] *Ramos*] Illos intelligit quos Tantalus fruſtra apud Inferos, ut inde poma decerpat, captare fingitur ; nunc ab Ibide eodem quo ille,conatu & labore nequicquam captandos.

[i] *Paſcet*] Quemadmodum ſolitus eſt Tityus paſcere.

[k] *Nec mortis*] *Quanquam*, inquit , *mala alia ſine numero te maneant , quæ tibi per totam vitam mortis vicem præſtent ; non ideò tamen tanta illa quæ memoravi quibus, ſine fine poſt fata torqueaïris ullo modo minuantur.*

[l] Inde ego pauca canam; frondes ut si quis ab [m] Idâ,
Aut summam Libyco de [n] mare carpat aquam.
Nam neque quot flores Siculâ nascantur in [o] Hyblâ,
Quotve ferat dicam terra [p] Cilissa crocos,
Nec cùm tristis hyems Aquilonis inhorruit alis,
Quàm multa fiat [q] grandine canus [r] Athos.
Nec mala voce meâ possint tua cuncta referri;
Ora licèt tribuas [f] multiplicata mihi.
Tot tibi væ misero venient taléſque ruinæ,
Ut cogi in lacrymas me quoque posse putem.
[t] Illæ me lacrymæ facient sine fine beatum:
Dulcior hic risu tum mihi [u] fletus erit.
Natus es infelix (ita Di voluêre); nec ulla
Commoda nascenti stella [x] levísque fuit.
Non [y] Venus affulsit, non illâ [z] Jupiter horâ:
Lunáve non [a] apto Sólve fuêre loco.
Nec satis utiliter positos tibi præbuit ignes,
[b] Quem peperit magno lucida Maja Jovi.

INTERPRETATIO.

Ego pauca inde dicam, ut si quis sumat folia ab Idâ, vel aquam supremam de mare Libyco. Nam neque recensere possim quot flores nascantur in Hyblâ, vel quot crocos tellus Cilissa ferat. Nec, cùm mœsta hyems sæviit alis Borea, quàm multâ grandine Athos fiat albus. Neque tuæ ærumnæ possint omnes recenseri meâ voce, quamvis des mihi ora multiplicata. Væ tot taleſque clades opprimens te infelicem, ut credam me etiam posse ad fletus cogi. Illi fletus facient me beatum sine fine: tunc hæ lacrymæ erunt mihi suaviores risu. Natus es miser; (sic placitum Diis) neque ullum astrum fuit utile aut facile nascenti. Neque Venus, neque Jupiter affulsit illâ horâ; & Luna vel Sol fuerunt in loco minùs idoneo. Neque ille, quem splendida Maja peperit magno Jovi misit tibi ignes positos satìs utiliter.

NOTÆ.

[l] *Inde*] *Ex illis malis quæ tibi ferenda per vitam.*

[m] *Idâ*] Monte Phrygiæ, aut Cretæ: quanquam Eustathius auctor est pro quovis edito monte Idan sumi.

[n] *Mare*] Pro *mari*. Antiquè. Libycum autem seu Africanum pro quovis mari, aut mari simpliciter positum.

[o] *Hyblâ*] Monte Siciliæ, thymo suo celebri; ut sæpe dictum.

[p] *Cilissâ*] Cilicia verò minoris Asiæ regio croco suo, illo præsertim qui in Coryco monte legebatur, fuit notissima.

[q] *Grandine*] Pro nive posuit, quâ ejus montis vertex semper tegitur.

[r] *Athos*] Altissimus in Macedoniâ mons fuit ad mare protensus.

[f] *Multiplicata*] Tantâ certè copiâ, totque ex locis mala ipsa multiplicat Naso, ut hæc ejus propè non videatur hyperbole.

[t] *Illæ me*] Facit Poëtæ ingenium, ut vix iratum fuisse intelligatur.

[u] *Fletus*] Lacrymæ quas calamitatibus tuis notus vel invitus fundam.

[x] *Levis*] Quæ fata tua non urgeret.

[y] *Venus*] Quæ Stella gratiam & felicitatem ex Mathematicorum disciplinâ mortalibus dicitur portendere, si bene nascentibus affulserit.

[z] *Jupiter*] Hic Planeta in nativitatibus si bene affulserit Saturni dicitur frangere malignitatem, & prospera significare. Cæterùm quàm hæc reconditæ tam sunt incertæ cognitionis.

[a] *Apto*] Ex diverso verò Planetarum aspectu & irradiatione sua conantur etiam dogmata & conjecturas astruere Mathematici.

[b] *Quem*] Mercurius est, Majæ Atlantis, & Jovis filius: cujus plurima habetur ratio in horoscopis.

Te fera, nec quicquam placidum ſpondentia, [c] Martis
Sidera preſſerunt, falciferique [d] ſenis.
Lux quoque natalis (ne quid, niſi triſte, videres)
Turpis & inductis nubibus [e] atra fuit.
Hæc eſt, in Faſtis cui dat gravis [f] Allia nomen;
Quæque dies [g] Ibin publica damna tulit.
Qui ſimul impurâ matris [h] prolapſus ab alvo
[i] Cinyphiam fœdo corpore preſſit humum;
Sedit in [k] adverſo nocturnus culmine bubo,
Funereóque graves edidit ore ſonos.
Protinus [l] Eumenides lavêre [m] paluſtribus ulvis,
Quà [n] cava de Stygiis fluxerat unda vadis;
Pectoráque unxerunt [o] Erebeæ felle colubræ;
[p] Terque cruentatas increpuêre manus:
Gutturáque imbuerunt infantia lacte canino.
Hic [q] primus pueri venit in ora cibus.

INTERPRETATIO.

Stella ſæva, neque quicquam leno pollicentes Martis & ſenis falciferi te urſerunt. Dies etiam natalis (ne aſpiceres aliquid niſi luctuoſum) fuit turpis & caliginoſus nebulis immiſſis. Ille eſt, cui gravis Allia dat nomen in faſtis, quique produxit Ibin malum commune. Qui ſtatim atque prolapſus ab utero obſcœno parentis tetigit terram Cinyphiam turpi corpore, nocturnus bubo ſedit in faſtigio appoſito, & protulit horrendas voces roſtro ferali. Continuò furiæ illum *abluerunt ulvis paluſtribus, quâ aqua nigra fluxerat ex vadis Stygiis; atque unxerunt pectus felle anguis Erebêi; & ter plauſerunt manibus ſanguinolentis: atque impleverunt ora infantia lacte canino. Hæc primum alimentum venit in buccas infantis.*

NOTÆ.

[c] *Martis*] Cujus ſtella infeliciſſima omnia, niſi à Jove aut Venere temperetur, præſagire dicitur.

[d] *Senis*] Saturnum dicit, quem falce ideo inſtructû non abs re crediderís, quòd eâ patris genitalia abſciderit; ejuſdemque deinde uſum in agriculturâ docuerit. Ejus autem ſtella tarda & frigida cùm dominium habet in nativitate mala plurima portendit.

[e] *Atra*] Ad dies illos atros quos dixerunt & infauſtos alludit.

[f] *Allia*] Fluvius eſt Italiæ quindecim millibus ab Urbe, apud quem propè ad internecionem Romanorum à Gallis cæſus exercitus. Quâ te dies ille ex veteri ſuperſtitione inter atros atque infauſtos recenſitus: ut dies *Allienſis*, & dies inauſpicatus idem fuerit, quo natus Ibis intelligitur.

[g] *Ibin publica damna*] Appoſitio.

[h] *Prolapſus*] Quaſi de bruto loquitur: quanquam & de hominibus quandoque illud verbum dicitur.

[i] *Cinyphiam*] Fuit Cinyps Africæ fluvius putidis hircis nobilitatus; ex quo Terra dicta Cinyphia. Siquidem autem verum fuerit quod nonnulli tradunt, & reverà eſſe videtur Ibidis nomine intellectum Hyginum Alexandrinum fuiſſe, Cinyphia humus pro Alexandrinâ poſita fuerit: niſi, ut eſt Naſonis ingenium, monſtri quod inſectatur dedecus in terram ipſam in quâ natus ſit tranſtuliſſe credideris; ut Cinyphia & putida facta ſit quam infamis ille tetigerit.

[k] *Adverſo*] Ut inde ferali voce Ibidis futuras calamitates ſignificaret.

[l] *Eumenides*] *Furiæ.*

[m] *Paluſtribus*] Adeòque putridis, & putidis, non vivis, quarum uſus erat in ſacris.

[n] *Cava*] *Obſcura.*

[o] *Erebea*] Ex inferis petitæ: Erebus namque deus ſæpiſſime pro Inferis ipſis poſitus.

[p] *Ter*] Ut numerus ille ſacer *ſcilic.* magicæ rei quam machinabantur horrorem tantum faceret.

[q] *Primus*] Quique adeò altiſſimè in Ibidis præcordia delapſus illi tantam mordendi inſpiravit rabiem.

Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus;
Latrat & in toto verba canina foro.
Membráque vinxerunt tinctis [r] ferrugine pannis,
[s] A malè deserto quos rapuêre rogo.
Et, ne non fultum nudâ tellure jaceret,
Molle [t] super silices imposuêre caput.
Jamque recessuræ [u] viridi de stipite factas
Admôrunt oculis usque sub ora faces.
Flebat, ut est infans fumis contactus amaris;
De [x] tribus est cùm sic una locuta soror:
Tempus in immensum lacrymas tibi vovimus istas,
Quæ semper causâ sufficiente cadant.
Dixerat. at [y] Clotho jussit promissa valere:
Nevit & infaustâ stamina [z] pulla manu.
Et ne longa suæ præsagia diceret horæ;
Fata canet vates qui tua, dixit, erit.
Ille ego sum vates. ex me tua vulnera disces.
Dî modò dent vires in mea verba suas.
Carminibúsque meis accedant pondera rerum,
Quæ rata per luctus experiare tuos.
Neve sine [a] exemplis ævi cruciere prioris;
Sint tua Trojanis non leviora malis.

INTERPRETATIO.

Inde alumnus imbutus est rabie sua nutricis, & latrat voces caninas in toto foro. Atque coërcuerunt artus linteis infectis ferrugine, quæ sustulerunt ex rogo malè deserto. Et ne non fultum jaceret in terrâ nudâ, imposuerunt caput tenerum super saxa. Et jam prefectura admoverunt usque oculis sub ora tædas factas ex trunco viridi. Postquam puer est contactus fumis acerbis, lacrymatus est, cùm una ex tribus sororibus sic locuta est: Destinavimus tibi hos fletus in immensum tempus, qui semper fluant causâ urgente. Absolverat: at Clotho imperavit pollicita stare, atque traxit nigra stamina manu infelici. Et ne proferret longa omina suæ horæ, erit, inquit, fatidicus, qui aperiet tua fata. Ego sum ille fatidicus; cognosces ex me tua mala; modò Dii præbeant suas vires in meas voces. Atque efficacia rerum adsit meis versibus, quos sentias esse certos per tuas ærumnas. Et ne torquearis sine exemplis ætatis præteritæ, damna tua non sint minora Trojanis.

NOTÆ.

[r] *Ferrugine*] Qui color feralis & Erebeus ex Poëtarum phantasmatibus.

[s] *A malè*] Vix credere est homini cuiquam tantam esse fingendi facultatem, ut ex singulis rebus quodlibet possit ad scopum derivare; qualem quidem in Nasone videmus. Malè autem desertum rogum intellige, in quo semiustum cadaver vulturibus deinde laniandum relictum sit.

[t] *Super silices*] Ut *scilicet* duritiem & sævitiam ibi primùm disceret.

[u] *Viridi*] Fumido adeòque & mali ominis, ut furiarum tædas esse decuit.

[x] *Tribus*] De Parcis non de furiis intellige: illarum namque est singulis fata sua asserere.

[y] *Clotho*] Quæ una est Parcarum.

[z] *Pulla*] *Atra*, adeòque lugubria; uti sæpius inculcatum in præcedentibus.

[a] *Exemplis*] Quæ futuræ Ibidis calamitatis sint quædam quasi pignora, ut ne incredibilis videatur.

Quantáque clavigeri [b] Pæantius Herculis hæres,
  Tanta [c] venenato vulnera crure geras.
Nec leviùs doleas, quàm [d] qui bibit ubera cervæ,
  [e] Armatúsque tulit vulnus, [f] inermis opem.
[g] Quique ab equo præceps in [h] Aleïa decidit arva;
  Exitio facies cui sua pæne fuit.
Id, quod [i] Amyntorides, videas; trepidúmque ministro
  Prætentes baculo luminis orbus iter.
Nec plus aspicias, quàm [k] quem sua filia rexit;
  Expertus scelus est cujus uterque parens.
Qualis erat, postquam est judex de lite jocosâ
  Sumtus, Apollineâ [l] clarus in arte [m] senex.

INTERPRETATIO.

Atque feras tanta vulnera pede læso quanta Pæantius hæres Herculis claviferi tulit. Neque minùs doleas, quàm qui suxit ubera cervæ, atque armis instructus vulneratus est, inermis sanatus. Quique decidit præceps ab equo in campos Aleïos, cui sua forma ferè in cladem fuit. Cernas illud quod Amyntorides, & captus oculis prætentes baculo adjutore viam incertam. Neque plus videas, quàm quem sua filia duxit, cujus flagitium uterque parens sensit. Qualis erat senex celeber arte Apollineâ postquam est electus arbiter de lite jocosâ.

NOTÆ.

[b] *Pæantius*] Philoctetes est Pæantis filius, sagittarum Herculis hæres, quarum unâ vulneratus in pede quo illius tumulum contra sacramenti fidem indicaverat, decem propè annis immedicabilis vulneris fœtore & dolore cruciatus est.

[c] *Venenato*] Namque & Herculis sagittæ veneno seu felle hydræ imbutæ.

[d] *Qui bibit*] Telephus est Herculis ex Auge Nymphâ filius, qui hastâ ab Achille vulneratus solâ illius rubigine post multos cruciatus sanari potuit.

[e] *Armatus tulit vuln.*] Ab Achille quippe vulneratus cùm bellum adversùs illum gereret.

[f] *Inermis*] Sanatus fuit ab Achille Telephus postquam cum illo reconciliatus.

[g] *Quique*] Bellerophontem dicit, cujus amore capta Stenobœa seu Antia Prœti uxor illum apud maritum quasi sese de stupro appellasset, non verita est accusare. Quâ re à Prœto ad Jobatan Antiæ reginæ patrem dimissus; illum *scilicet* ut Chimeræ Lyciorum fines vastanti rex ille filiæ pudicitiam defendens per dolum objiceret. Victor tamen inde profugiebat: verùm cùm ad cœlum contenderet Pegaso, equo alato œstrum Jupiter tantâ audaciâ offensus immisit, atque ità equo excussus Bellerophon in Aleia Lyciæ arva decidit.

[h] *Aleia*] A Græco ἀλάω Errare dicti illi campi, quòd in iis fracto corpore erraverit Bellerophon.

[i] *Amyntorides*] Phœnix est, Achillis præceptor, qui diris impetitus à patre quòd cum ipsius concubinâ rem habuisset, ex patriâ profugere coactus, oculis denique captus est.

[k] *Quem*] Oedipus est, qui & patrem occidit, & matrem duxit uxorem, utrumque inscius: quamobrem re cognitâ sibi ipse in pœnam oculos eruit, quem Antigona filia deinde circumduxit, & perimere se volentem prohibuit.

[l] *Clarus*] Namque ut Tiresiæ calamitatem Jupiter levaret, vaticinandi arte, quæ Apollinis est propria, insigni beneficio donavit.

[m] *Senex*] Tiresiam intelligit, qui septem ætates vixisse dicitur, à Junone occæcatus ideo, quòd ab eâ simul & Jove sumtus judex, virine an mulieris libido major esset, non pro ipsâ, sed in illius gratiam sententiam tulisset.

Qualis & ille fuit, [n] quo præcipiente columba
Est data Palladiæ prævia duxque [o] rati.
[p] Quique oculis caruit, per quos malè viderat aurum:
[q] Inferias nato quos dedit orba parens.
[r] Pastor ut Ætnæus, cui casus ante futuros
[s] Telemus Eurymedes vaticinatus erat.
Ut duo [t] Phinidæ, quibus idem lumen ademit,
Qui dedit: ut [u] Thamyræ, [x] Demodocíque caput.
Sic aliquis tua membra secet; [y] Saturnus ut illas
Subsecuit partes, unde creatus erat.
Nec tibi sit melior tumidis Neptunus in undis,
Quàm [z] cui sunt subitæ frater & uxor aves.
Sollertíque [a] vito, laceræ quem fracta tenentem
Membra ratis [b] Semeles est miserata soror.

INTERPRETATIO.

Qualis quoque is fuit, quo jubente columba data est navi Palladia, quæ ipsi praíret illamque duceret. Quique oculis quibus aurum malè perspexerat fuit privatus, quos mater orba filios dedit inferias. Ut pastor Ætnæus cui Telemus Eurymedes prædixerat infortunium futurum. Ut duo Phinidæ, quibus idem sustulit oculos, qui præbuit; ut caput Thamyræ, & Demodoci. Ità aliquis rescindat tuos artus, ut Saturnus rescidit illas partes, ex quibus erat genitus. Neque Neptunus sit tibi mitior in fluctibus turgidis, quàm cui frater & conjux sunt volucres repentinæ: atque viro prudenti, quem tenentem partes navis fractæ soror Semeles juvit.

NOTÆ.

[n] *Quo præcip.*] Phinei tangit fabulam, de quâ in Metam. cui à Diis ideò eruti oculi, quòd liberos ex Cleopatrâ susceptos novercæ Ideæ suasu excæcasset. Ille namque Argonautis auctor fuit Columbam quam Dii mitterent sequerentur, cujus ope Cyaneas petras evitarent.

[o] *Rati*] De Argo navi loquitur, Minervæ seu Palladis arte fabricatâ, quâ Argonautæ in Colchidem vecti.

[p] *Quique ocul.*] Polymnestor est rex Thraciæ, quem Hecuba ideo occæcavit quòd Polydorum filium auri cupiditate impulsus, quòd olim rebus suis diffidens crediderat Priamus, per summum scelus occidisset. Quam rem prolixè habes in Metam.

[q] *Inferias*] Eo nomine appellantur mortuis quæ persolvuntur sacra.

[r] *Pastor*] Polyphemus in Æthnâ monte Cyclops, ut vulgò creditum, quem stipite adusto Ulysses lumine privavit.

[s] *Telemus*] Inter Cyclopas vates insignis, de quo Metam. 13.

[t] *Phinidæ*] Crambus & Orythus à Phineo patre novercæ instinctu excæcati.

[u] *Thamyra*] Poëta fuit Thracius, Philammonis & Argiopes Nymphæ filius, qui à Lino Musicam edoctus, Musas etiam lyra provocare ausus est, à quibus victus fuit occæcatus.

[x] *Demodeci*] Hunc cæcum Homerus cantorem induxit suavissimum in convivium Alcinoi.

[y] *Saturnus*] Ille verò dicitur patri genitalia falce abscidisse.

[z] *Cui*] Ceyx Trachiniæ in Thessaliâ rex cujus naufragium descripsit ipse Naso Metam. 11. Illius namque uxor in Halcyonem, sicut & ipse, mutata; frater verò

Cùm se Dædalion saxo misisset ab alto,
Miseratus Apollo
fecit avem, & subitis pendentē sustulit alis.

Quas fabulas videsis prolixè in Metam. namque operâ & charta abutamur si toties eadem reperierimus.

[a] *Viro*] De Ulysse loquitur, cui Neptunus propter excæcatum filium Polyphemum valdè infensus fuit, quemque tantùm non perdidit.

[b] *Semeles*] Hæc Cadmi fuit filia; cujus soror Ino in Leucotheam marinam deam mutata Ulyssi naufrago opem tulit.

Vel tua, ne pœnæ genus hoc cognoverit [c] unus,
Viſcera diverſis ſciſſa ferantur equis.
Vel quæ, [d] qui redimi Romano turpe putavit,
A duce [e] Puniceo pertulit, ipſe feras.
Nec tibi ſubſidio ſit præſens numen: [f] ut illi,
Cui nihil [g] Hercëi profuit ara Jovis.
Utque dedit ſaltus è ſummo [h] Theſſalus [i] Oſſâ;
Tu quoque ſaxoſo præcipitere jugo.
Aut velut Euryali, [k] qui ſceptrum cepit ab illo,
Sint artus avidis anguibus eſca tui.
Vel tua maturet, ſicut [l] Minoïa fata,
Per caput infuſæ fervidus humor aquæ:
Utque parum miti, ſed [m] non impune, Prometheus,
Aërias volucres ſanguine fixus alas.

INTERPRETATIO.

Aut, ne unus ſolus ſenſerit hoc genus ſupplicii, præcordia lacera diſtrahantur ab equis diverſis. Aut patiaris ea quæ paſſus eſt qui credidit indecorum eſſe Romano redimi à duce Punicee. Neque Deus præſens ſit tibi auxilio, ut illi, cui altare Jovis Hercæi nihil tulit opis. Atque ut Theſſalus dejectus eſt ex vertice Oſſæ, tu etiam præcipiteris ex cacumine rupis. Vel tua membra ſint præda aſperis ſerpentibus ſicut membra *Euriali, qui tenuit ſceptrum poſt illum. Vel vapor calidus aquæ diffuſæ per caput acceleret tuam mortem, ſicut* acceleravit *Minoïs. Et quemadmodum Prometheus, transfixus præbeas alimentum avibus aëriis ſanguine ſævo, ſed non de nihilo.*

NOTÆ.

[c] *Unus*] Metium Suffetium intellige Albanorum regem; quem fœderis ruptorem inter duos currus religatum pernicibus equis Tullus Hoſtilius diſtraxit. Hunc verò ex eo credideris Naſonem taxare, quòd primum illud atque ultimum fuiſſe ſupplicium apud Romanos ſcripſit Livius.

[d] *Qui redimi*] Attilius Regulus, qui captus à Carthaginienſibus & legatus ab illis Romam miſſus diverſa quam hoſtes mandaverant cenſuit, ne pax fieret, neve commutatione captivorum reciperetur. Quamobrem alii in caveâ undecumque aculeis horridâ ab hoſtibus peremptum; alii cruci affixum, aut palpebris exciſis vigilando necatum fabulati ſunt.

[e] *Puniceo*] Carthaginienſi Aſdrubale: namque iſte ſummam rerum videtur tenuiſſe. *Puniceo* verò pro *Pœno* aut *Punico* vix alibi legas.

[f] *Ut illi*] Non fuit *ſcil.* ſubſidio. Priamum verò, de quo hîc agitur non ſervavit ara Jovis Hercæi, quæ in mediâ erat ejus regiâ, ad quam à Pyrrho obtruncatus fuit.

[g] *Hercæi*] Eo nomine dictus Jupiter ab ἕρκος ſeptum, quòd intra domorum ſepta ſub dio tamen, & ætheris axe ejus aræ ponerentur.

[h] *Theſſalus*] Hunc Theſſaliæ regem ab Euryalo quodam ex Oſſâ monte præcipitatum nonnulli ſcripſerunt. Verùm conjectationes ſunt.

[i] *Oſſâ*] Mons eſt Theſſaliæ.

[k] *Qui ſceptrum*] Euryalus *ſcilicet* Theſſalo pulſo regnum invaſit: verùm cùm illius cæde purgatus non eſſet ab anguibus furialibus abſumtus dicitur.

[l] *Minoïa*] Dædalum in Siciliam perſequutus erat Minos, & Cocali regis fines vaſtabat. Hic ergo ſpe facta Dædali dedendi, quem tamen ob præclara opera carum habebat, Minoëm ad colloquium vocavit. Venit ille. Tandiu autem juſſus in thermis expectare quoad vaporibus calidarum aquarum eſt extinctus: cujus tamen corpus exanimum ſuis tanquam caſu in aquas lapſus eſſet, ſine morâ redditum. Sed aliter atque aliter à diverſis ea fabula narratur.

[m] *Non impune*] Non impune *ſcilicet* & viſcera vellicabat & ſanguinem Promethei ebibebat aquila, quæ in Caucaſo monte religatum ideò torquebat quòd ignem æthereâ domo ſubduxiſſet, aut Palladem amaviſſet.

Ac

Ac, velut [n] Etracides magno ter ab Hercule quintus,
Cæsus in immensum projiciare fretum.
Aut, ut [o] Amyntiaden, turpi dilectus amore
Oderit, & sævo vulneret ense puer.
Nec tibi fida magis misceri pocula possint,
Quàm [p] qui cornigero de Jove natus erat.
More vel intereas capti suspensus [q] Achæi,
Qui miser [r] auriferâ teste pependit aquâ.
Aut ut [s] Achillidæ cognato nomine [t] clarum
Opprimat hostili tegula jacta manu.
Nec tua, quàm [u] Pyrrhi, feliciùs ossa quiescant;
Sparsa per Ambracias quæ jacuêre vias.
[x] Nataque ut Æacidæ, jaculis moriaris adactis:
[y] Non licet hoc Cereri dissimulare nefas.
Utque [z] nepos dicti nostro modò carmine regis
[a] Cantharidum succos dante parente bibas.

INTERPRETATIO.

Atque sicut Etracides quintus ab Hercule ter magno, mactatus præcipiteris in vastum mare. Vel puer amatus obscœno amore aversetur, & interficiat gladio fero, ut Amyntiaden. Neque pocula magis tuta tibi possint parari quàm illi qui ortus erat ex Jove cornifero. Vel pereas suspensus in modum Achai capti, qui infœlix pependit aquâ auriferâ teste. Vel tegula impulsa manu infensâ te occidat ut insignem nomine cognato Achillida. Neque ossa tua meliùs quiescant quàm Pyrrhi, quæ jacuerunt disjecta per vias Ambracias. Atque pereas ut filia Æacida, jaculis impactu: Nō licet tegere istud flagitiū Cereri. Et ut nepos regis modò appellati nostro versu, potes succos Cantharidum matre præbente.

NOTÆ.

[n] *Etracides*] Quis hic fuerit non scio: sed neque permagni interest.

[o] *Amyntiaden*] Philippus est rex Macedonum Amyntæ filius, quem Pausanias adolescens, iratus quòd frustrà de stupro ab Attalo illato apud illum quereretur, imò & irrideretur, tandem confodit.

[p] *Qui cornig.*] Alexandrum dicit magnum multòque stultiorem, qui Jovis Hammonis dici & haberi voluit filius. Hunc verò veneno nonnulli Antipatri suasu sublatum tradiderunt.

[q] *Achai*] Andromachi fuit filius, qui cùm universam cis Taurum montem Asiam imperio suo regeret, à Bolide & Cambylo proditus, & ad regem Antiochum adductus, crudelissimo supplicio non longè à Pactolo fluvio, atque adeò illo teste, interiit. Rem totam narrat Polybius.

[r] *Auriferâ*] Pactolus enim Lydiæ fluvius arenas dicitur vehere aureas.

[s] *Achillida*] Pyrrhi seu Neoptolemi, Achillis filii.

[t] *Clarum*] Pyrrhus est rex Epirotarum qui eodem nomine atque origine claruit quo Pyrrhus ille Achillis filius. Tegulâ verò, anili quidē manu immissâ, Rex est iste exanimatus.

[u] *Pyrrhi*] De Neoptolemo intellige; namque hæc eadem refert de illo Hyginus ipse, in quem ista omnia vulgò congesta putant.

[x] *Nataque*] Laodamia est Pyrrhi Æacidæ Epirotarum regis filia, quæ ad Cereris aram quamvis confugisset, populi concursu interfecta est. Quod facinus dii immortales assiduis cladibus, sterilitate, fame, & propè interitu totius populi vindicaverunt; ut fusè narrat Justinus lib. 28. Noster proximo versu satis apertè indicat.

[y] *Non licet*] Illud est quod modò dixi, fame afflictos Epirotas propter scelus & neglectum Cereris numen.

[z] *Nepos*] Hunc magni Pyrrhi, cujus in Italiâ res gestæ memorantur, volunt fuisse nepotem; quem, ut ex Athenæo pronum est suspicari, mater seu avia Olympias unà cum Tigride puellâ quâdam Leucadiâ concubinâ ejus veneno sustulit.

[a] *Cantharidum*] Quæ muscæ sunt ità venenatæ, ut pro veneno à Cicerone usurpentur.

Aut pia te cæſo dicatur adultera : ſicut ,
Quâ cecidit Leucon vindice, dicta [b] pia eſt.
Inque pyram tecum cariſſima pignora mittas ;
Quam finem vitæ [c] Sardanapallus habet.
Utque Jovis Libyci templum violare [d] parantes ,
Acta Noto vultus condat arena tuos.
Utque necatorum [e] Darêi fraude ſecundi ,
Sic tua ſubſidens devoret ora cinis.
Aut, ut oliviferâ quondam [f] Sicyone [g] fugato ,
Sit frigus mortis cauſſa faméſque tuæ.
Aut, ut [h] Atarnites , inſutus pelle juvenci
Turpiter ad dominum præda ferare tuum.
Inque tuo thalamo ritu jugulêre [i] Pheræi :
Qui datus eſt leto conjugis enſe ſuæ.

INTERPRETATIO.

Vel adultera vocetur pia te mactato, quemadmodum appellata eſt pia, quâ ultrice Leucon occidit. Atque projicias tecum in regum liberos dilectiſſimos ; quem vitæ exitum Sardanapallus conſequutus eſt. Et arena jactata obruat faciem tuam , quemadmodum obruit illos qui aggreſſi ſunt populari templum Jovis Libyci. Atque cinis ſubſidens abſorbeat tuam faciem, ſicut interfectorum dolo Darêi ſecundi. Vel frigus & fames ſit cauſſa mortis tuæ, ut olim pulſo Sicyone oliviferâ. Vel ut Atarnites ferare indecorè præda ad dominum tuum inſutus pelle juvenci. Atque mactêris in tuo cubiculo ſicut Pheræus ; qui occiſus eſt cultro ſuæ uxoris.

NOTÆ.

[b] *Pia*] Fabula eſt obſcura , quam nonnulli ex vetuſtis quibuſdam interpretibus ad Leuconem quendam referunt , qui fratrem Spartacū ex Perſicis regibus unum,aut Oxilochum regem Ponti,occiderit ; ſperans *ſcil.* ſiquidem cum fratris uxore adulterâ rem haberet,ultro ſeſe regnum adepturum. At enim illa mariti vicem ulciſci maluit ; atque hinc pietas ejus laudata. Fides verò harum fabularum penes auctores fuerit.

[c] *Sardanap.*] Ultimus fuit rex Aſſyriorum qui luxuriâ ſuâ primò victus , deinde Arbace duce à ſuis ad ultima compulſus,ſeſe in pyram in regiâ extructam , congeſtis eòdem quæcumque habuit cariſſima,viros imitatus hoc uno, conjecit.

[d] *Parantes*] De exercitu loquitur, quem Cambyſes,Cyri filius,ſuperſtitionibus offenſus Ægyptiorum , ad Hammonis templum diruendum miſit. Illi enim arenarum cumulis obruti ſunt.

[e] *Darêi*] Ad Ochum referunt non malè qui Dareus eſt dictus. Hic , ut Valer. Max. prolixè refert , quos neque veneno , neque ferro, neque ullâ vi aut inopiâ alimentorum ſeſe interfecturum juraverat , hâc fraude ſuſtulit. Locum munitum altis parietibus cinere complevit : inde ſuppoſito tigno, largo epulo eos quos perdere vellet accipiebat, qui conſopiti in congeriem illam cineris decidebant & obruebantur.

[f] *Sicyone*] Hæc verò Peloponneſi urbs fuit baccis ſuis & oleo celeberrima

[g] *Fugato*] Hic Neocles aut Nicocles ex vetuſtiſſimo interprete , à Zarotto dicitur : de quo etiam Pauſanias,itemque Plutarchus : tametſi de exilio ejus tantùm loquuntur.

[h] *Atarnites*] De Hermiâ Atarnæ Myſiæ urbis tyranno Turnebus bene videtur expoſuiſſe ; qui ex Diodoro, illum, quia à Perſarum rege defecerat, ab Hectore quodam hujus duce circumventum & in poteſtatem illius fuiſſe redactum dicit. Quanquam enim juvenci inſutum pelle non teſtetur Diodorus, aliunde iſtud potuit didiciſſe Naſo ; neque ideo , ut cenſuerunt nonnulli , hunc locum emendandum credideris.

[i] *Pheræi*] Alexandrum dicit , qui tyrannidem apud Phæræos in Theſſaliâ exercuit. Uxorem Theben admodum dilexit ; ab illâ tamen propter pellicatus ſuſpicionem interfectus eſt ; ut docet Cicero.

Quosque putas fidos, ut Lariſſæus [k] Alevas,
 Vulnere non fidos experiare tuo.
Utque [l] Milon, ſub quo cruciata eſt Piſa tyranno,
 Vivus in occultas præcipiteris [m] aquas.
Quæque in Adimantum [n] Phliaſia regna tenentem
 Ab Jove venerunt, te quoque tela petant.
Aut ut [o] Amaſtriacis quondam Lenæus ab oris
 Nudus Achilleâ deſtituaris humo.
Utque vel [p] Eurydamas ter circum buſta Thraſylli
 Eſt Lariſſæis raptus ab hoſte rotis.
Vel [q] qui quæ fuerat tutatus mœnia ſæpe
 Corpore luſtravit non diuturna ſuo:
Utque novum paſſa eſt genus [r] Hippomeneïa pœnæ,
 Tractus in [ſ] Actæâ fertur adulter humo:

INTERPRETATIO.

Et ut Alevas Lariſſæus ſentias infidos plagâ tuâ quos credis fidos. Et ſicut Milon, ſub quo tyranno Piſa eſt vexata vivus projiciaris in aquas occultas. Et jacula quæ impulſa ſunt ab Jove adverſus Adimantum obtinentem regna Phliaſia, te etiam feriant. Vel ut Lenæus olim ab oris Amaſtriacis relinquaris nudus in terrâ Achilleâ. Atque vel ut Eurydamas eſt ter raptus ab hoſte circum buſta Thraſylli rotis Lariſſæis; ſeu qui luſtravit corpore ſuo muros non diuturnos quos defenderat; & ut Hippomeneïa paſſa eſt novum genus pœnæ, adulter dicitur diſtractus in terrâ Actæâ.

NOTÆ.

[k] *Alevas*] Hic Lariſſæ in Theſſaliâ dicitur dominatum tenuiſſe, & civium timore ſatellites habuiſſe, à quibus denique interfectus.

[l] *Milon*] Plures fuerunt illo nomine, ex quibus unus Piſam in Elide tenuit, de quo hîc agitur ſi vetuſtiſſimo Interpreti credimus. Quanquam alii pro *Milo, ille* legunt, & ex Pauſaniâ de Pantaleone hunc locũ exponunt.

[m] *Aquas*] Alphei fluminis, qui terrâ abſorbetur.

[n] *Phliaſia*] Phlius, untis, geminum fuit Peloponneſi oppidum. Cæterùm de iſto Adimanto nihil præterea dicitur, niſi quòd Deorum contemtor eſſet maximus. Idque ex veteri Interprete tantùm, cui cunctanter credendum.

[o] *Amaſtriacis*] Amaſtris urbs eſt Paphlagoniæ, quam, ut ſcribunt nonnulli, Amaſtris Oxyartis filia uxor Dionyſii tyranni Heracleenſis condidit. Hic autem nomine Dionyſius fortè quia utroque appellatus Bacchus, *Lenæus* dictus eſt, qui à Mithridate expulſus in locum venit quem *Achillis Curſum* ab ejus exercitatione vocitarunt, ubi à ſuis deſertus, & omni ope deſtitutus periit. Fabulæ. Scribit equidem Ammianus Inſulam eſſe Leucon ſine habitatoribus ullis Achilli dedicatam; in quam ſi fuerint quidam fortè delati, viſis Antiquitatis veſtigiis, temploque, & donariis eidem Heroi conſecratis, veſperi repetere naves. Neminem enim ſine vitæ diſcrimine illic pernoctare: quia, *ſcil.* ut ait Dionyſ. Alexandrinus fama fuit illic Achillis, & aliorum heroum animas *verſari deſertas per valles*. Atque adeò, cùm ea inſula Boryſthenis oſtio ſit objecta, aliquem fortè eò deportatum Amaſtri Lenæum crediderit. Verùm enimverò tanta copia veterum librorum cùm malè perierit, ex quibus ſua decerpſit Naſo, vix aliter quàm conjecturis nonnulla liceat aucupari. Atque hæc prolixa nimis.

[p] *Eurydamas*] Hunc ex veteri Theſſalorum more ità tractum ſcripſit vetus Homeri Commentator.

[q] *Qui quæ*] Hector eſt Priami filius, qui circũ muros Iliacos ter ab Achille raptatus.

[r] *Hippomeneïa*] Hippomenes Athenarum fuit princeps ſæviſſimus, qui filiam Limonem in adulterio deprehenſam equo devorandam expoſuit, quem cum ipsâ ſine alimentis incluſit.

[ſ] *Actæa*] *Athenienſi.*

Sic, ubi vita tuos invisa reliquerit artus,
Ultores rapiant turpe cadaver equi.
Viscera sic aliquis scopulus tua figat; ut olim
Fixa sub [t] Euboïco Graja fuêre [u] sinu.
Utque ferox periit & fulmine & æquore [x] raptor;
[y] Sic te mersuras adjuvet ignis aquas.
Mens quoque sic Furiis vecors agitetur, ut [z] illi
Unum cui toto corpore vulnus erat.
Utque [a] Dryantîdæ [b] Rhodopeïa regna tenenti,
In gemino dispar cui pede cultus erat.
Ut fuit [c] Oetæo quondam, [d] generóque draconum,
[e] Tisamenîque patri, [f] Callirhoësque viro.

INTERPRETATIO.

Ità, postquam vita invisa destituerit membra tua, equi vindices discerpant obscœnum cadaver. Aliquis scopulus perinde fodiat tua præcordia, ut Græca fuerunt fossa olim sub sinu Euboïco. Et quemadmodum sævus prædo oppressus est fulmine & mari, ità ignis sit auxilio aquis te mersuris. Anima etiam improba perinde vexetur, ut illi, cui unum vulnus erat toto corpore; Et sicut Dryantidæ tenenti regna Rhodopeia, cui cultus erat dissimilis in pede gemino. Quemadmodum evenit olim Oetæo, & genero draconum, & patri Tisameni, & marito Callirhoës.

NOTÆ.

[t] *Euboïco*] Eubœæ insulæ, ubi Locrenses *Unius ob noxam, & furias Ajacis Oïlei*, Trojâ in patriam redeuntes miserè afflicti sunt.

[u] *Sinu*] Ille est qui Eubœam insulam à Bœotiâ modico æstu dividit.

[x] *Raptor*] Ajax est Oïlei filius, cui Pallas ideo infensa, quòd Cassandram Priami filiam in templo suo stuprasset. Ea verò, si Maroni credas,

Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem
Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum expirantem transfixo pectore flammas
Turbine corripuit, scopulóque infixit acuto.

[y] *Sic*] Quemadmodum Ajax igne cœlitus immisso & aquis æstuantibus suffocatus est.

[z] *Illi*] De Marsia, quem Apollo pelle multavit, nonnulli intelligendum censent: Potior tamen mihi Micylli viri certè doctissimi videtur sententia, qui ad Ajacem Telamonium istud refert. Is verò & furiis agitatus est, & toto corpore invulnerabilis præterquam eâ parte quâ pelle Herculis leoninâ infans contectus non fuerat. Cæterùm non tædet modò harum fabularum; verùm & minùs aptè congestæ viderentur quas non tam ira, quam cacozelia, aut nimia scientiæ affectatio produxisset, nisi Poëta & institutum istud esse suum, & ità postulare rationem carminis prædixisset.

[a] *Dryantidæ*] Lycurgum intellige, Dryantis filium, (nam plures fuerunt) qui insaniâ à Libero fugato immissâ, cùm vites excidere conatus esset, sibi unum pedem amputavit; quamobrem etiam disparem cultum in pede gemino Naso fuisse dicit.

[b] *Rhodopeia*] *Thracia*, à Rhodope Thraciæ monte.

[c] *Oetæo*] De Hercule agitur, qui in Oetâ Thessaliæ monte, furens ex quo tunicam Centauri Nessi sanguine atque Hydræ veneno tinctam induit, flammis insaniam & vitam finivit. Quam rem ex Epistolis heroidibus licet repetere.

[d] *Genero*] Athamas est Cadmi atque Hermioniæ gener, qui in dracones mutati, ut dictum in Metam. Athamantis autem ab Junone immissam rabiem prolixè vidimus in Metam.

[e] *Tisamenique pat.*] Orestes est, qui ex Hermione Tisamenum suscepit: de cujus Orestæ furiis jam sæpius dictum.

[f] *Callirhoes*] Hæc Acheloi fuit filia. Eam autem uxorem duxit Alcmæon, Amphiarai filius; qui propter occisam Eriphylen matrem in furorem versus est.

Nec tibi contingat matrona pudicior illâ,
 Quâ potuit [g] Tydeus erubuisse nuru.
[h] Quæque sui Venerem junxit cum fratre mariti,
 Locris in ancillæ dissimulata necem.
Dî quoque tam faciant possis gaudere fideli
 Conjuge, quam [i] Talai [k] Tyndareíque gener.
[l] Quæque parare suis letum patruelibus ausæ
 Belides assiduâ colla premuntur aquâ
[m] Byblidos & [n] Canaces, sicut facit, ardeat igne:
 Nec, nisi per crimen, sit tibi nota soror.
Filia si fuerit; sit quod [o] Pelopêa [p] Thyestæ;
 [q] Myrrha suo patri, [r] Nyctimeneque suo.
Neu pia, neve magis capiti sit fida paterno,
 Quàm tibi vel, [s] Pterela, vel tibi, [t] Nise, fuit.
Infamémque locum [u] sceleris quæ nomine fecit,
 Pressit & inductis membra paterna rotis.

INTERPRETATIO.

Neque uxor eveniat tibi castior illâ, quâ nuru Tydeus potuit suffundi pudore: Et qua Locris miscuit Venerem cum fratre mariti sui, tecta per cadem ancilla. Dii faciant etiam possis latari uxore tam fideli, quàm gener Talaï & Tyndarei. Et quàm Belides fuerunt, qua non verita intentare mortem suis patruelibus guttur habent oppressum aquâ jugi. Uratur, ut uritur, igne Byblidos & Canaces: neque soror sit tibi cognita nisi per crimen. Si filia fuerit, sit quod Pelopêa Thyesta, Myrrha suo patri, & Nyctimene suo. Neve sit magis pia, aut fida capiti paterno, quàm fuit, vel tibi, Pterela, vel tibi, Nise. Et qua fecit locum infamẽ nomine sceleris, & pressit artus paternos rotis immissis.

NOTÆ.

[g] *Tydeus*] Diomedis fuit pater, qui quidem Diomedes Ægialen duxit uxorem tanto furore à Venere immisso percitam, ut se passim omnibus juvenibus prostitueret. Hæc Diomedi relata gratia, qui Venerem Æneæ suo faventem bello Troiano vulneraverat.

[h] *Quæque*] Hanc fuisse volunt Hypermnestram Locrensem, quæ cùm fratris mariti sui concubitum appeteret, clam nocturno tempore id assequuta, manè pudore affecta, ut scelus suum dissimularet, ancillam, quasi eam in concubitu deprehendisset, necare non dubitavit.

[i] *Talaique*] Amphiaraus est, qui Eriphylen Talai filiam duxit uxorem, à quâ monili corruptâ proditus est, coactúsque ad bellum Thebanum proficisci, ubi vivus terrâ absorptus est.

[k] *Tyndareique gen.*] Agamemnonem dicit, qui Clytæmnestram Tyndari filiam habuit uxorem, à quâ, Ægysthi adulteri ope, fuit interfectus.

[l] *Quæque*] Danai dicit filias, de quibus jam toties.

[m] *Byblidos*] Caunum fratrem amasse vidimus in Metam.

[n] *Canaces*] Extat ejus Epistola in Heroïdibus, ubi vide.

[o] *Pelopea*] Hæc verò cum inscio patre rem habuit, ex quo nefario concubitu Ægisthus natus pulcherrimus infans, qui grandior Atreum & Agamemnonem sustulit.

[p] *Thyesta*] Hunc Pelopis filium, nefariúmque adulterum jam sæpe vidimus.

[q] *Myrrha*] De eâ Cynaræ Cypriorum regis filiâ, Adonidis matre dictũ quoq; in Metam.

[r] *Nyctimene*] Hujus quoque fabulam in quarto Metam. reperias.

[s] *Pterela*] Hujus narratur fabula ab Apollodoro; qui à Cymethone aut Comæthone Amphitryonis amore captâ, & patriam & patrem, de hujus capite aureo capillo desecto, proditum narrat.

[t] *Nise*] Scyllæ filiæ proditione fatalem crinem amisisse etiam in Metam. legimus.

[u] *Sceleris*] Dictus est nempe vicus sceleratus Romæ in quo per interfecti patris ora carpentum Tullia Tarquinii non filia, ut malè scripsit Commentator, sed uxor, Servii autem filia, consternatos equos egit.

Ut [x] juvenes pereas, quorum fastigia vultus
 Olim Pisex [y] sustinuêre foris.
Ut [z] qui perfusam miserorum sæpe procorum
 Ipse suo meliùs sanguine tinxit humum.
Proditor ut sævi periit [a] auriga tyranni,
 Qui nova Myrtoæ nomina fecit aquæ.
Ut qui velocem frustra petiêre [b] puellam;
 Dum capta est pomis tardior illa tribus.
Ut qui tecta [c] novi formam celantia monstri
 Intrarunt cæcæ non redeunda domûs.
Ut quorum [d] Æacides misit violentus in altos
 Corpora cum senis altera sena rogos.
Ut quos, obscuri lusos ambagibus oris,
 Legimus infandæ [e] Sphinga dedisse neci.
[f] Ut qui [g] Bistoniæ templo cecidère Minervæ:
 Propter quod facies nunc quoque tecta Deæ est.

INTERPRETATIO.

Intereas sicut juvenes, quorum ora sustinuerunt culmina valva Pisaa. Ut qui ipso aquiùs infecit suo cruore terram, sæpe infectam sanguine infelicium procorum. Quemadmodum periit auriga proditor sævi tyranni, qui dedit nomen mari Myrteo. Sicut illi, qui cupiverũt frustrà puellam celerem, dum ea capta est tardior pomis tribus. Ut qui subierunt tecta non remeanda obscura domus, tegentia figuram novi monstri. Ut quorum Æacides iratus jecit in excelsos rogos altera sena corpora cum senis. Ut quos legimus Sphingem tradidisse morti horrenda, deceptos ambagibus ambigui sermonis. Ut qui interierunt in templo Minerva Bistenia: propter quod vultus Dea nunc etiam torvus est.

NOTÆ.

[x] *Juvenes*] Hippodamiæ dicit procos, quos Oenomaus Elidis & Pisæ rex curuli certamine victos, ne à genero ipse, pro oraculi monito interficeretur, mactari jubebat, ut in præcedentibus vidimus.

[y] *Sustinuêre*] Scilicet illorum qui victi essent capita Oenomaus portæ affigi imperabat, ut cæteros qui filiæ amore tenerentur ab ejus nuptiis deterreret.

[z] *Qui perfus.*] Oenomaus ipse est, quem Myrtili aurigæ fraude à Pelope victum in præcedentibus vidimus.

[a] *Auriga*] Myrtilus est Oenomai tyranni, ut modò indicavimus; quem, præmium promissum repetentem Pelops in mare precipitem dedit, quod ab illo *Myrtoum* dictum est, parsque est Ægæi non longè ab Icario.

[b] *Puellam*] Atalantam *scilicet*; cujus ne pigeat fabulam ex Metam. repetere.

[c] *Novi*] Minotauri *scilicet*, cujus in Metam. inculcatam historiam frustrà huc transscriberemus.

[d] *Æacides*] Achilles, qui, ut Homerus narrat, duodecim ex Trojanis eosque fortissimos jugulatos in Patrocli ardentem rogum amico inferias conjecit.

[e] *Sphinga*] Hujus monstri illiusque ænigmatis fabulam habes in Metam.

[f] *Ut qui*] Fabula obscura, quam tamen ex veteri Interprete ad Lemnios quosdam referunt à Spartanis pro impiæ legis sententiâ, quâ ne cui hospiti Spartæ commorari liceret cavebatur, in templo Palladis, ipsâ quidem invitâ & vultus avertente, mactatos. Verùm clariss. Salvagnius ad historiam refert, quam Justinus habet lib. 20 de 50 juvenibus, à Crotoniensibus Metapontenis & Sybaritanis inter ipsa Minervæ altaria trucidatis: quamobrem peste & seditionibus vexati.

[g] *Bistonia*] Vel quia ex Thraciâ ad Lacedæmonios translatum Palladis simulacrum, quam fabulam scripsit Interpres vetus; vel certè quia Minerva dea belli: ut Bistones pro Bellicosis quales certè fuerunt à Nasone generatim sumantur.

Ut qui [h] Threicii quondam præſepia regis
Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.
[i] Therodamantêos ut qui pavêre leones:
Quique [k] Thoantêæ Taurica ſacra deæ.
Ut quos [l] Scylla vorax, Scyllæque adverſa Charybdis,
Dulichiæ pavidos eripuere rati:
Ut quos dimiſit vaſtam Polyphemus in alvum:
Ut [m] Læſtrygonias qui ſubiêre domos.
Ut [n] quos dux Pœnus merſit putealibus undis,
Et jacto canas [o] pulvere fecit aquas.
Sex bis ut [p] Icaridos famulæ [q] periêre procique,
Inque caput domini [r] qui dabat arma procis.
Ut jacet Aonio [s] luctator ab hoſpite fuſus,
Qui (mirum [t] victor, cum cecidiſſet, erat.
Ut quos Antæi fortes preſſere lacerti;
Quoſque feræ morti [u] Lemnia turba dedit.
Ut [x] qui poſt longum ſacri monſtrator iniqui
Elicuit pluvias victima cæſus aquas.

INTERPRETATIO.

Ut qui fecerunt olim equilia regis Thracii cruentata epulis ſuis. Ut qui eſca fuerunt leonibus Therodamantêis; & qui admoti ſunt *ſacris deæ Thoantêæ. Ut quos Scylla rapax, & Charybdis oppoſita Scyllæ abſtulerunt trepidos navi Dulichia. Ut quos Polyphemus deturbavit in profundum abdomen; ut qui intraverunt ædes Læſtrygonias. Ut quos dux Pœnus oppreſſit aquis putealibus, & fecit aquas albas immiſſo pulvere. Ut duodecim ancillæ & proci Icaridos, & qui præbebat arma procis in caput domini interierunt. Ut luctator proſtratus ab hoſpite Aonio jacet, qui, (res mira) erat ſuperior, cùm cecidiſſet. Ut quos valida brachia Antæi ſuffocaverunt, quoſque agmen Lemnium oppoſuit ſævæ morti. Ut monitor ſacri nefandi, qui poſt longum* tempus *mactatus in hoſtiam eduxit aquas pluviales.*

NOTÆ.

[h] *Threicii*] Diomedem dicit, de quo in Metam.

[i] *Therodamant.*] De Therodamante jam quoque in primo de Ponto.

[k] *Thoantea*] Dianam dicit in Tauricâ regione à Thoante rege humanis hoſtiis cultam, de quâ multa in præcedentibus.

[l] *Scylla*] Repete ſi placet iſta omnia ex Metam.

[m] *Læſtrigonias*] Antiphatæ Læſtrigonis, de quo non multò anteà.

[n] *Quos dux*] Acerranorum Senatum dolo malo extra mœnia evocatum eo modo ludibrio habuit Annibal, cùm in Campania bellum adverſus ipſam fidem acriùs quàm adverſus Populum Romanum gereret. Rem totam referunt Appianus & Valerius.

[o] *Pulvere*] Saxa dicit Appianus.

[p] *Icaridos*] Penelopes Icarii filiæ.

[q] *Periêre*] Nebulones ſuſtuliſſe Ulyſſem, qui uxoris ſuæ fidem ſollicitaverant, non ſemel in ſuperioribus vidimus.

[r] *Qui dabat*] Melanthius captarum cuſtos ſibi iſtud negotii aſſumſerat; ut narrat Homerus: cui deinde nares & aures abſciſſæ, genitalia exſecta, & canibus objecta, quòd procis in caput Ulyſſis arma miniſtraſſet.

[s] *Luctator*] Antæus eſt, Terræ filius, quem ſublatum Hercules Thebis natus, atque adeò Aonius ſuffocavit.

[t] *Victor*] Namque vires novas ſubinde cùm Terram matrem tangeret accipiebat.

[u] *Lemnia*] De Lemniadibus mulieribus loquitur, quas etiam in præcedentibus maritos ſuos interfeciſſe ideò diximus, quòd à viris ob fœtorem ab iratâ Venere immiſſum contemnerentur.

[x] *Qui poſt*] Thraſyllus eſt, ſeu Thraſius, qui Buſiridem hoſpites immolare docuit, ut pluvias à Jove impetraret; atque primus ejus tyranni juſſu non ſine cauſſâ tamen mactatus eſt.

[y] Frater ut Antæi, quo sanguine debuit, aras
Tinxit; & exemplis occidit ipse suis.
Ut [z] qui terribiles pro gramen habentibus herbis
Impius humano viscere pavit equos.
Ut duo diversis sub eodem vindice cæsi
Temporibus [a] Nessus, [b] Dexameníque gener.
Ut [c] pronepos, Saturne, tuus: quem reddere vitam
Urbe [d] Coronides vidit ab ipse suâ.
Ut [e] Sinis, & Sciron, & cum [f] Polypemone natus,
[g] Quique homo parte sui, parte juvencus erat.
[h] Quique trabes pressas ab humo mittebat in auras,
Æquoris aspiciens [i] hujus & hujus aquas.
Quæque Ceres vidit [k] læto pereuntia vultu
Corpora Thesêâ [l] Cercyonêa manu.
Hæc [m] tibi, quem meritis precibus mea devovet ira,
Eveniant, aut his non leviora malis.

INTERPRETATIO.

Ut frater Antæi infecit altaria quo sanguine debuit, atque ipse periit exemplis suis. Ut scelestus, qui aluit præcordiis humanis pro herbis habentibus gramen sævos equos. Ut duo Nessus scilic. *& gener Dexameni mactati diversis temporibus sub eodem ultore. Ut pronepos tuus, Saturne, quem ipse Coronides vidit efflare vitam ab urbe suâ. Ut Sinis, & Sciron, & cum Polypemone natus, & qui erat homo parte sui, parte taurus. Quique dabat in aërem ex terrâ pinus adductas, prospiciens aquas hujus & hujus maris. Et Cercyonea corpora, quæ Ceres vidit cadentia manu Thesea lætis oculis. Ista calamitates, aut non minores his tibi contingant, quem ira mea devovet dignis precibus.*

NOTÆ.

[y] *Frater*] Busiris est Neptuni etiam filius, quem Hercules sustulit.

[z] *Qui terr.*] Diomedem ipsum dicit, quem equis ipsius Hercules tradidit edendum.

[a] *Nessus*] Centaurus ab Hercule cæsus.

[b] *Dexameni*] Hujus verò Dejaniram filiam facit Hyginus, quam quidem vim timens Eurytioni Centauro desponderat, Hercules interfecto isto vindicavit.

[c] *Pronepos*] Periphetan intellige, quem à clavâ quam gestare solebat Corynetan magis appellaverunt. Hunc latronem Theseus circa Epidaurum, quo loco Æsculapius peculiariter colebatur, mactavit: quare & eum reddere vitam seu mori vidit. Saturni autem pronepos dicitur quia Vulcani fuit filius, cujus mater Juno, Saturno sata.

[d] *Coronides*] Æsculapius Coronidis ex Apolline filius.

[e] *Sinis & Scyron*] De his à Theseo sublatis latronibus in præcedentibus vidimus.

[f] *Polypemone*] Hunc eundem, qui Procustes quoque dicitur, esse voluerunt. Hospites cogebat super lectum ascendere, quo si longiores essent pars supereminens amputabatur; si breviores, distendebantur. Alii Procusten Polypemonis filium faciunt, non alio quàm hoc Nasonis loco freti. Ipse certè hæreo.

[g] *Quique homo*] De Minotauro loquitur; quem jam toties vidimus.

[h] *Quique trabes*] Pityocampten designat, qui ab eo nomen habuit, quòd victos à se diversis arboribus alligatos laceraret. Diversum à Sini suprà memorato Naso videtur facere; quanquam alii eundem esse voluerunt, altero *scilicet* nomine à factis eidem dato.

[i] *Hujus & huj.*] Quia Isthmi angustias obsidens Pityocamptes Ionium simul & Ægæum mare prospiciebat.

[k] *Læto*] Quia *scilicet* Cercyonis sublata latrocinia, quibus antea præclusus aditus ad Eleusinem, ubi præcipuè Ceres colebatur.

[l] *Cercyonêa*] Cercyonis Neptuni filii qui hospites secum luctâ Eleusine certare cogebat, victos mactabat.

[m] *Tibi*] Ibin alloquitur.

Qualis

Qualis [n] Achæmenides Siculâ desertus in Ætnâ,
  Troïca [o] cùm vidit vela venire, fuit.
Qualis erat nec non fortuna binominis [p] Iri,
  Quique [q] tenent pontem, [r] quæ tibi pejor erit.
[s] Filius & Cereris frustra tibi semper ametur;
  Destituárque tuas usque petitus opes.
Utque per alternos undâ labente recursus
  Subtrahitur presso mollis arena pedi;
Sic tua nescio quo semper fortuna liquescat;
  Lapsáque per medias effluat usque manus.
Utque [t] pater solitæ varias [u] mutare figuras
  Plenus inextinctâ deficiare fame.
Nec dapis humanæ venient fastidia: quaque
  Parte potes, [x] Tydeus temporis hujus eris.
Atque aliquid facias, à vespere rursus ad ortus
  Cur [y] exsternati Solis agantur equi.
[z] Fœda Lycaoniæ repetes convivia mensæ,
  Tentabísque cibi fallere fraude Jovem.

INTERPRETATIO.

Qualis Achamenides, relictus in Ætnâ Siculâ fuit, cùm vidit carbasa Trojana accedere. Qualis erat etiam sors Iri binominis, & qui tenent pontem, quæ erit tibi sævior. Filius etiam Cereris nequicquam à te celatur, & quæsitus usque deserat tuas facultates. Et quemadmodum mobilis arena surripitur pedi imposito, aquâ currente per reciprocos refluxus, ità tua fortuna dilabatur semper nescio quo modo, *& surrepta indesinenter per medias manus distrahatur. Et sicut parens illius qua consueverat vertere diversas formas plenus conficiaris fame inexplebili. Neque fastidia cibi humani accedent; & quâ parte potes, eris Tydeus hujus ævi. Et admittas aliquid, quamobrem equi Solis territi flectantur denuo ab occasu ad ortum. Iterabis nefanda convivia mensæ Lycaoniæ, & aggredieris imponere Jovi fallaciâ dapis.*

NOTÆ.

[n] *Achamenides*] Hunc Ulyssis socium in Siciliâ relictum cùm Polyphemi impias manus fugeret, deinde ab Æneâ benignè acceptum in superioribus vidimus.

[o] *Cùm vidit*] Horrido verò ille squalore fuit.

[p] *Iri*] Celebrem illum mendicum dicit Ithacensem, qui in proverbium abiit. *Arnaus* appellatus fuit priusquam in mendicando loquacitas illud alterum nomen imposuisset.

[q] *Tenent*] Scilicet angustias viatum obsident importuni rogatores.

[r] *Quæ*] Fortuna *scil.*

[s] *Filius*] Plutus est divitiarum Deus, quem Cererem ex Jasio suscepisse tradit Hesiodus.

[t] *Pater sol.*] Erisichthonem intelligit de quo in Metam. cujus inexplebilem famem Mestra seu Dryops filia sæpius vendita frustrà lenire tentavit; siquidem proprios artus denique coactus est morsibus depascere.

[u] *Mutare*] Ut modò pro virgine, modò pro alio quopiam animante venderetur.

[x] *Tydeus*] Ille verò prior, Oenei regis filius & Diomedis pater, à Menalippo in bello Thebano lethali vulnere percussus, moribundus allatum hostis caput dentibus corrasit: quod facinus adeò abhorruit Pallas, quæ è cœlo descenderat, ut Tydeum immortalitate donaret, ut se averterit, neque quicquam tribuere voluerit. Quâ de re Statius, & Porphyrius.

[y] *Exsternati*] Ad Thyestæ & Atrei decantatissimam fabulam alludit.

[z] *Fœda*] Quia Jovi etiam humanas dapes apponere non est veritus Lycaon. Hujus autem videsis fabulam Metam. 1.

Teque aliquis [a] posito tentet vim numinis opto ;
[b] Tantalides tu sis, [c] Tereïdésque puer.
Et tua sic latos spargantur membra per agros ;
Tanquam [d] quæ patrias detinuere vias.
Ære [e] Perillêo veros imitere juvencos,
Ad formam tauri conveniente sono.
Utve ferox [f] Phalaris, linguâ prius ense resectâ,
More bovis, [g] Paphio clausus in ære gemas.
Dumque redire voles ævi [h] melioris in annos,
Ut vetus Admeti decipiare [i] socer.
Atque [k] eques in medii mergare voragine cœni,
[l] Dummodo sint fati nomina nulla tui.
Atque utinam pereas, veluti de [m] dentibus orti
Sidoniâ jactis Graja per arva manu.

INTERPRETATIO.

Atque cupio aliquis tentet potentiam Dei te admote ; tu sis Tantalides & filius Terei. Et tui artus ità distrahantur per vastos campos, ut qui represserunt iter paternum. Æmuleris veros tauros ære Perillêo, voce respondente figura juvenci. Atque uti savus Phalaris, linguâ antè recisâ, queraris ad modum tauri inclusus in ære Paphio. Et dum cupies reverti in annos ætatis valentioris, fallaris ut antiquus socer Admeti. Atque eques absorbearis abysso medii luti, dummodo nullus sit honos tuæ sortis. Atque utinam occidas sicut nati ex dentibus sparsis per agros manu Græcâ

NOTÆ.

[a] *Posito*] *In dapes adhibito* ; quomodo aut Lycaon aut Tantalus humanas carnes Jovi aliisque Diis apposuerunt, illorum divinitatem probaturi.

[b] *Tantalides*] Pelops Tantali filius. Hunc verò nefarium illum parentem Diis obtulisse jam sæpe vidimus.

[c] *Tereïdes*] Itys est Terei filius, quem mater patri epulandum admovit ; uti dictum in Metam.

[d] *Quæ patr.*] Absyrti à Medeâ sorore discerpti tangit fabulam, quam sæpius in præcedentibus habuimus.

[e] *Perilleo*] De hoc æneo tauro à Perillo invento & Phalaride Agrigentinorum tyranno actum quoque in superioribus.

[f] *Phalaris*] Ipse namque dicitur, à popularibus impetu facto, in taurum suum conjectus denique.

[g] *Paphio*] Pro quovis ære posuit ; quia *scilicet* Paphos insulæ Cypri oppidum ære maximè abundat.

[h] *Melioris*] Juvenilis *scilicet.*

[i] *Socer*] Pelias est, cujus filiam Alcesten Admetus uxorem duxit. Quâ fraude autem illum filiarum manibus Medea sustulerit videsis in Metam.

[k] *Eques*] Ad Curtii alludit historiam, qui Romæ hiatu ingenti terrâ dehiscente, conscenso equo sese Diis Manibus ex aruspicum responso devovit, & in specum præcipitavit.

[l] *Dummodo*] Addidit istud ne quam laudem ex clade suâ Ibis, ut Curtius qui sese pro Patriæ salute devoverat, quoquo pacto consequeretur.

[m] *Dentibus*] Draconis *scil* quos Cadmus, Palladis jussu seminavit. Fabulam habes Metam. 3.

Et quæ [n] Penthîdes fecit, [o] fraterque Medusæ,
Eveniant [p] capiti vota sinistra tuo.
[q] Et quibus exiguo volucris devota libello est,
Corpora projectâ quæ sua purgat aquâ.
Vulnera totque feras, quot dicitur [r] ille tulisse,
[s] Cujus ab inferiis culter abesse solet.
Attonitúsque [t] seces, ut quos Cybeleïa mater
Incitat ad [u] Phrygios, vilia membra, modos.
Deque viro fias nec fœmina nec vir, ut [x] Attys;
Et quatias [y] molli tympana rauca manu.
Inque [z] pecus subitò Magnæ vertare Parentis:
[a] Victor ut est celeri victáque versa pede.

INTERPRETATIO.

Et infelicia vota quæ Penthides, & frater Medusa conceperunt eveniant capiti tuo: atque ea quibus avis devota est parvo libello, quæ proluit suum corpus aquâ injectâ. Et feriaris tot plagis, quot ille dicitur tulisse, à cujus inferiis culter solet abesse. Et attonitus laceres viles artus, ut quos mater Cybeleia movet ad modos Phrygios. Et de masculo fias nec mas nec fœmina, ut Attys; & pulses rauca tympana manu effœminatâ. Et muteris repente in brutum Magnæ Matris, sicut victor & victa repente mutati sunt.

NOTÆ.

[n] *Pentheïdes*] De Pentheïdæ hujus, ut & Medusæ fratris votis frustrà sese torserunt Interpretes: neque verò illi quinam fuerint certò potui reperire. Nec plores tamen, Lector, satis superque nugarum hactenus habuimus: vel si tantoperè dolet, ab illustrissimo Præside Salv. quod te oblectet pete. Pythei filium fuisse Hipponactem ex Suidâ docet, quem quidem Hipponactem notabili vultus fœditate facit Plinius. Eam ob rem, ut ex eodem ille refert imaginem ejus lasciviâ jocorum Bupalus & Athenis sculptores fratres proposuêre ridentium oculis. Quod Hipponax indignatus amaritudinem carminum distrinxit in tantum, ut credatur aliquibus ad laqueum eos compulisse; quod falsum est, &c. Jam superest ut pro *Penthides Pytheides* legas, & viro non diligenti minùs quàm sagaci gratias agas.

[o] *Frater*] Clariss. Salvagn. legit *mater* ex veteris codicis vestigiis, & de Hecubâ interpretatur, cujus in Græcos diræ ut *Canis* appellaretur apud illos meruerunt. Verùm ne pigeat Virum sanè elegantem adire.

[p] *Capiti*] Optimè: namque in eam partem vota dirigebantur.

[q] *Et quibus*] Imprecationes intellige quibus Apollonium Rhodium Callimachus sub Ibidis nomine devovit. Hujus enim volucris naturam rostro ventrem purgare solitam optimè proximo Pentametro describit.

[r] *Ille tul.*] De Osiride sermonem esse aiunt, qui à Typhone fratre in minutissimas partes sit concisus, ut regno potiretur *scilicet*: quod tamen secus evenit.

[s] *Cujus*] De eo etiam Suidas, Appianus, Plutarchus.

[t] *Seces*] Virilia sibi amputare soliti erant Cybeles Sacerdotes.

[u] *Phrygios*] Ad tibiæ modulatus sonoros, quales in Phrygiâ, ubi primùm Deûm magna culta mater, edebantur. Impetum divinum habuisse Lucianus tradit, cùm Lidii modi Bacchicum, Dorii grave, Ionii jucundum haberent.

[x] *Attys*] Qui in furorem actus seipsum eviravit, quanquam à Cybele ipsâ id factum tradidit Lucianus.

[y] *Molli*] Utpote Eunuchi seu evirati.

[z] *Pecus*] Leones *scil.* qui magnæ Deûm matris seu Cybeles currum trahere dicuntur.

[a] *Victor*] Hippomenes est, cujus, & Atalantæ, cursu ab eo superatæ, fabulam vidimus in Metam.

Soláque [b] Limone pœnam ne ſenſerit illam,
Et tua dente fero viſcera carpat equus.
Aut, ut [c] Caſſandri dominus non [d] mitior illo,
Sancius ingeſtâ contumeletis humo.
Aut, ut [e] Abantiades, aut ut [f] Lyrneſius heros,
Clauſus in æquoreas præcipiteris aquas.
Victima vel Phœbo ſacras macteris ad aras,
Quam tulit à ſævo [g] Theudotus hoſte necem.
Aut te devoveat certis [h] Abdera diebus,
Saxáque devotum grandine plura petant.
Aut Jovis infeſti telo feriare triſulco;
Ut [i] ſatus Hipponoo, [k] Doſithoëſque pater.

INTERPRETATIO.

Et ne Limone ſola experta ſit illam pœnam, equus diſcerpat tua præcordia dente ſævo. Vel ut dominus Caſſandri, non lenior illo, vulneratus ſepeliaris terrâ ſuperpoſitâ. Vel ut Abantiade, aut ut heros Cygneius, clauſus projiciaris in aquas marinas. Aut juguleris tanquam hoſtia Apollini ad ſacra altaria, quam mortem Theudotus paſſus eſt ab hoſte crudeli. Vel Abdera te execrationibus exagitet ſtatutis diebus, & lapides crebriores grandine mittantur in te diris addictum. Vel tangaris telo triſulco Jovis infenſi, ſicut ortus Hipponoo & pater Doſithoës.

NOTÆ.

[b] *Limone*] De hac Hippomenis à patre in adulterio deprehenſa jam ſupra dictum.

[c] *Caſſandri*] Herculem videtur deſignare Alexandri magni filium, Caſſandri adeòque dominum, ſiquidem paterni regni hæres legitimus, quem, ut Juſtinus ſcribit, Caſſander tacitè occidi juſſit, & terrâ obrui.

[d] *Mitior illo*] Ad Ibin referendum iſtud quem in ſe non minùs crudelem Naſo, quàm in Alexandri domum Caſſandrum eſſe dicit.

[e] *Abantiades*] Perſeus videtur eſſe Abantis Argivi pronepos, quem unà cum matre Danaë Acriſius hujus pater arcâ concluſum in mare projecit, Polydectes tamen ſervavit, ut alibi dictum.

[f] *Lyrneſius*] De Telepho Herculis ex Auge filio agitur, quem ab Aleo materno avo cum matre expoſitum, & ad Cayci fluminis oſtia delatum, ut Strabo proque Euripides ſcripſerunt Theutras rex Myſiæ & Ciliciæ imperii fecit hæredem. Lyrneſius autem à Lyrneſſo Ciliciæ urbe dicitur. Cæterùm pro *Lyrneſius Cigneius* ex Sarraviano co[…]ce clariſſ. Heinſius repoſuerat, & de Tene quodam cujus longa eſt fabula expoſuerat. Verùm in his quiſquil[…]s diutius ſi immoraremur peſſimè & tempore & vitâ & patientiâ ſuâ abuti, Lector, videremur. Plurima ſunt, quæ nunquam meliùs intelliguntur quàm cùm ſemel atque in perpetuum negliguntur: neque mediocris eſt judicii ea omnia internoſcere.

[g] *Theudotus*] Hic, ex Juſtino, Bactrianorum rex, atque ab Arſace Parthorum rege mactatus, à Domitio ex eodem illo dicitur. Verùm poſterius falſum. Quare quis hic fuerit Theudotus meritò ampliùs quærendum cenſuit Vir doctiſſimus Salvagnius.

[h] *Abdera*] Urbs Thraciæ, ubi avertendarum calamitatum causâ hominem quempiam diris imprecationibus devovere, & lapidibus obruere mos erat.

[i] *Satus Hipp.*] Capaneus eſt, quem Poëtæ in Thebarum oppugnatione, non lapidibus obrutum, uti res erat, ſed fulmine de ſcalis, quarum uſum ad oppugnationem urbium docuerat, dejectum fabulati ſunt.

[k] *Doſithoeſq. p.*] Attacem volunt fuiſſe Theſſaliæ regem illius Hippodamiæ patrem quam Pirithous duxit uxorem, qui quidem Attax cùm Doſithoen filiam à Jove compreſſam ob eam rem à ſe rejeciſſet, fulmine extinctus eſt. Quo tamen auctore à Commentatoribus Doſithoës pater dicatur Attax mihi quidem non eſt compertum.

Ut [l] soror Autonoës, ut [m] cui matertera Maia est:
  Ut temerè optatos [n] qui malè rexit equos.
Ut ferus [o] Æolides, ut sanguine cretus, [p] eodem,
  Quo genita est, liquidis [q] quæ caret Arctos aquis.
Ut [r] Macedo rapidis icta est cum conjuge flammis;
  Sic precor ætherei vindicis igne cadas.
Prædave sis illis, quibus est [s] Latonia Delos,
  Ante diem rapto, non adeunda [t] Thraso.
Quique verecundæ [u] speculantem labra Dianæ,
  Quique Crotopiaden diripuêre [x] Linon.
Neve venenato levius feriaris ab angue,
  Quàm senis Oeagri Calliopésque [y] nurus;
Quàm [z] puer Hypsipyles: quàm [a] Qui cava primus acutâ
  Cuspide [b] suspecti robora fixit equi.

INTERPRETATIO.

Ut soror Autonoës, ut cui Maia est matertera; ut qui malè gubernavit equos perperam cupitos. Ut sævus Æolides, ut nati ex eodem sanguine, ex quo orta est Ursa, quæ caret aquis fluidis. Oro ut pereas flammis ultoris ætherei, sicut Macedo cum marito afflata est igne fervido. Vel sis illis præda, quibus Delos Latonia non est adeunda, Thraso sublato ante tempus: Vel qui discerpserunt intuentem alveos Dianæ pudicæ, seu qui laceraverunt Linon Crotopiaden. Neve minùs mordearis à serpēte pestifero, quā nurus Oeagri & Calliopes, quā alumnus Hypsipiles; quā qui primus fodit mucrone acuto vasta ligna equi suspecti.

NOTÆ.

[l] *Soror Autono.*] Semele est, Bacchi mater, de quâ Metam 3.

[m] *Cui mat.*] Ad Jasium refer Jove & Electrâ Atlantide natum, cui adeòque Maja Atlantis filia matertera fuerit. Is namque ab Jove etiam fulmine ictus, quòd cum Cerere rem habuisset.

[n] *Qui malè*] Phaethontem dicit.

[o] *Æolides*] Salmoneus est Æoli cujusdam filius, qui in Elide tenens imperium, machinâ quâ iam fulgurabat, tonabat, populi animos conturbabat,

Divumque sibi poscebat honorem,

ut habet Virgilius: quem vero fulmine Jupiter ob superbiam ad Inferos deturbavit. Verùm enimvero fabulam si omittas, artificem fuisse egregiū idoneis ex auctoribus cōperies.

[p] *Eodem sanguine creti*] Lycaonis intellige filios Jovis fulmine necatos, ut testatur Hyginus. Eodem quippe sanguine creti quo Callisto Lycaonis etiam filia in Arcton, seu Ursam mutata, & in cœlum translata.

[q] *Quæ caret*] Sæpius jam diximus mari non tingi Ursam, quæ in polo nobis sublato posita.

[r] *Macedo*] Hæc in suo exusta fuit thalamo, quæ Macedoniæ nomen dedit, ut quidam tradiderunt seu fabulati sunt, namque obscura hæc sunt omnia.

[s] *Latonia*] Quia in Delo insula Apollinem & Dianam Latona dicitur enixa.

[t] *Thraso*] Hic Thasus aut Thrasius ab Hygino dicitur, Apollinis Sacerdotis filius: ex quo Delo nullus canis.

[u] *Speculantem*] Actæonem dicit. Fabula notissima.

[x] *Linon*] Hic Crotopiades dicitur ab avo Crotopo, Argivorum rege, cum cujus filiâ Psamathe Apollo consuevit, ex quâ Linus ortus. Hunc autem cùm inter virgulta metu patris occultasset, canes lacerarunt.

[y] *Nurus*] Eurydice est, Orphei conjux, qui patrem habuit Oeagrum, matrem Calliopen Musam; quare & illa horum nurus.

[z] *Puer Hyps.*] Opheltes est alio nomine dictus Archemorus, Lycurgi Nemeorum regis filius, qui ab Hypsipyle nutrice indiligenter custoditus, serpentis morsu extinctus est.

[a] *Qui cava*] Laocoontem dicit Virgiliano Carmine notissimum, qui

validis ingentem viribus hastam
In latus, inque feri curvā compagibus alvum
Contorsit:

atque adeò equum ligneum Minervæ sacrū ut fabulatus erat Sinon violavit: quâ re à duobus draconibus correptus, & miserè involutus.

[b] *Suspecti*] *Equo ne credite, Teucri* dicit ille apud Maronem.

Neve gradus adeas [c] Elpenore cautiùs altos;
  Vimque feras vini, quo tulit ille modo.
Tamque cadas domitus, quàm quisquis ad arma vocantem
  Juvit inhumanum [d] Thiodamanta Dryops.
Quàm ferus ipse suo periit mactatus in antro
  Proditus inclusæ [e] Cacus ab ore bovis.
Quàm [f] qui dona tulit Lernæo tincta veneno,
  Euboïcásque suo sanguine tinxit aquas.
Vel de præcipiti venias in Tartara saxo,
  Ut [g] qui Socraticum de nece legit opus.
Ut [h] qui Thesêæ fallacia vela carinæ
  Vidit: ut Iliacâ missus ab arce [i] puer.
Ut teneri [k] nutrix, eadem matertera, Bacchi:
  Ut [l] cui causa necis serra reperta fuit.

INTERPRETATIO.

Neve accedas prudentiùs ad excelsas scalas Elpenore, & toleres vim vini, quo modo ille toleravit. Atque intereas non minùs victus quàm quisquis Dryops opem tulit fere Thiodamanti hortanti ad arma: quàm inhumanus Cacus ipse interfectus in suâ specu, patefactus ore vaccæ inclusæ: quàm qui portavit munera infecta tabe Lernæa, & infecit aquas Euboïcas sanguine suo. Vel descendas ad Inferos de rupe præruptâ, ut qui legit opus Socraticum de morte. Ut qui spectavit carbasa mendacia navis Thesea; ut puer dejectus ex arce Trojanâ. Sicut nutrix atque eadem matertera parvi Bacchi; sicuti ille cui serra inventa fuit caussa mortis.

NOTÆ.

[c] *Elpenore*] Hunc Ulyssis socium jam suprà vidimus ebrium & de scalis lapsum cervice fractâ.

[d] *Thiodamanta*] Dryopum populorum ad Pindum montem rex fuit, à quo cùm Hylus Herculis filius cibum petiisset, Hercule illâc iter faciente, atque ille negasset, Thiodamantis boves mactatos Hercules suis apposuit. Eam injuriam Thiodamas ulcisci aggressus est, eductâ Dryopum manu: verùm fusos illos interfecto suo rege in Trachiniam coloniam duxit, & Hylan Thiodamantis filium formæ præstantiâ captus rapuit.

[e] *Cacus*] Vulcani fuit filius ab Hercule domitus in monte Aventino ob boves raptos una cum juvencis, quarum caudâ in speluncam tractarum

Reddit una boum vocem vastóq; sub antro
Mugiit, & Caci spem custodita fefellit.

[f] *Qui dona*] Lichas est qui tunicam venenatam Herculi à Dejanirâ attulit; quem quidem furens in mare Euboicum projecit.

[g] *Qui Socrat.*] Cleombrotum dicit Ambracioten, qui Platonis lecto libro de animæ immortalitate, qui Phœdon inscribitur sese in mare præcipitem dedit. A Socrate verò præsertim de animæ immortalitate sententia dimanaverat.

[h] *Qui Thesea*] Ægeus est Thesei pater, qui cùm a Cretâ insulâ revertentis filii vela nigra pro albis aut puniceis, quæ victori imperaverat prospexisset, mortuum putavit, & præ dolore sese in mare, quod ab illo nonnulli dictum volunt, veri nescius præcipitem dedit.

[i] *Puer*] Astyanax est Hectoris filius, quem Ulysses, ardente Ilio, de turri præcipitavit.

[k] *Nutrix*] Ino est soror Semeles quam Bacchus matrem habuit. Illa verò Athamantis mariti furorem fugiens, è scopulo sese cum Melicerte filio in mare dejecit.

[l] *Cui causa*] Perdicem intellige Dædali nepotem ex sorore, quẽ ille ex invidiâ quòd serram & circinum ingenio suo invenisset, præcipitem ex turri dedit.

[m] Lydia se scopulis ut virgo misit ab altis,
Dixerat invito quæ mala verba deo.
Fœta tibi occurrat [n] patrio popularis in arvo,
Sitque [o] Paphagêæ caussa leæna necis.
Quique [p] Lycurgiden lætavit & [q] arbore natum,
[r] Idmonáque audacem, te quoque rumpat aper.
Isque vel exanimis faciat tibi vulnus: ut [s] illi,
Ora super fixi quem cecidere suis.
Sive idem simili pinus quem morte peremit:
[t] Phryx & venator sis Berecynthiades.
Si tua contigerit [u] Minôas puppis arenas;
Te Corcyræum Cressia turba [x] putet.

INTERPRETATIO.

Quemadmodum puella Lydia quæ ingesserat probra deo dolenti, se præcipitem dedit ab excelsis rupibus. Leæna prægnans popularis tibi obvia fiat in agro patrio, & fit caussa mortis Paphagéa. Et aper qui leto dedit Lycurgiden, & ortum ex arbore, & temerarium Idmonem te etiam laceret. Atque is vel mortuus tibi impingat plagam, ut illi super quem rostrum apri transfossi cecidit. Seu idem sis Phryx & venator Berecynthiades, quem pinus oppressit simili morte. Si tua navis contigerit arenas Minoas, turba Cressia arbitretur te Corcyræum.

NOTÆ.

[m] *Lydia*] Fabula obscurior, quam ex veteri Interprete sic exponunt. Ilice quâdam Ibici Lycii filiâ Dianæ auxilio fretâ Mars potiri non poterat, multaque ab illa opprobria pertulerat. Commotus tamen denique puellæ patrem interfecit; cujus morte illa dolens sese è rupe dejecit. Verùm optimè pro *Lydia* clariss. Salvag. legit *Livida*, atque ex Iano Parrhasio de Aglauro intelligit, de quâ Metam. 2. Hanc enim ex Athenarum arce sese præcipitem dedisse furiis à Minervâ agitatam tradit Apollodorus.

[n] *Patrio popul.*] Ibidis patriam subindicat, & quasi Libycum facit; quanquam Ægyptium diximus.

[o] *Paphagea*] Paphagus Ambraciæ rex cùm in leænam catulis stipatam incidisset, in hortis suis ab eâ est dilaniatus. Clariss. Heinsius legendum verò censebat *Phalecea* ex Antonino Liberali. Parrhasius *Phayllea* ex Æliano. Utrumvis autem sequaris auctorem, parùm interest, cùm hic Phayllum Ambraciæ Tyrannum, ille Phalæcum à leænâ dilaniatum testentur. Quæ omnia prolixè neque minùs eleganter habes apud clariss. Salvagn.

[p] *Lycurgiden*] Ancæum Lycurgi filium facit Hyginus, quem ab apro Calydonio percussum dicit.

[q] *Arbore natum*] Adonis est *scilicet*, de quo in 10 Metam.

[r] *Idmonáque*] Hunc Apollinis filium & Argonautam facit Hyginus; audacem ideo, quòd vates ipse, cùm in expeditione Colchicâ periturum intelligeret, nihilominus cum Argonautis navem conscendit. A sociis verò postquam aliquantùm secessisset ab apro occisus est.

[s] *Illi*] Thoantem nonnulli dicunt. Diodorus ignoto nomine cuidam hanc refert fabulam, qui capto ingenti apro, caput solum arbori appendit, cum & pedes ex voto solenni, debuisset. Quâ re mox eodem loco, meridiano æstu cùm dormiret, solutum apri caput dormientis os oppressit.

[t] *Phrix*] *Eodem modo quo ille pinei pomi casu interficiaris.* Fabula verò obscura, quam ex veteri interprete ad Atyn quendam venatorem referunt in Berecyntho Phrygiæ monte, ubi Cybeles sacra fiebant, [illegible] oppressum, & sub pinu dormientem. Mirum ni hoc loco latet mendum.

[u] *Minoas*] In Siciliâ interfectum Minoëm jam suprà vidimus. Ejus ossa in patriam cùm populares referrent à Corcyræis seu [illegible] Corcyræ incolis malè tractati sunt. Quare quoscumque illi in Cretâ corripiebant ad regem suum inferias mittebant.

[x] *Putet*] Adeòque & mactet.

Lapſurámque domum ſubeas; ut [y] ſanguis Alevæ:
[z] Stella [a] Leoprepidæ cùm fuit æqua viro.
Utque vel [b] Evenus torrenti flumine merſus
Nomina des rapidæ, vel [c] Tyberinus, aquæ.
[d] Aſtacidæque modo deciſa cadavere trunco,
Digna feris, homini ſit caput eſca tuum.
Quodque ferunt [e] Brotean feciſſe cupidine mortis,
Des tua ſuccenſæ membra cremanda pyræ.

INTERPRETATIO.

Atque ingrediaris domum caſuram, ut proles Aleva, cùm ſtella fuit propitia viro Leoprepida. Atque demerſus fluvio rapido ſicut vel Evenus, vel Tyberinus imponas nomen aqua currenti. Et ſicut Aſtacida, caput tuum avulſum mutilo cadavere eſca digna feris ſit eſca homini. Et quod aiunt Brotean feciſſe deſiderio mortis, injicias tuos artus urendos pyra flagranti.

NOTÆ.

[y] *Sanguis Aleva*] Scopas eſt, ex Alevæ progenie, Creontis & Echecratiæ filius, ut Theocriti interpres tradit. Fabulam verò totam ex Cicerone accipe cujus hæc ſunt verba. *Dicunt enim, cum cœnaret Cravone in Theſſaliâ Simonides apud Scopam, fortunatum hominem & nobilem, ceciniſſetque id carmen, quod in eum ſcripſiſſet, in quo multa ornandi causâ Poëtarum more in Caſtorem ſcripta & Pollucem fuiſſent, nimis illum ſordidè Simonidi dixiſſe, ſe dimidium ejus quod pactus eſſet pro illo carmine daturum, reliquum à ſuis Tyndaridis, quos æquè laudaſſet, peteret, ſi ei videretur. Paulò poſt ferunt eſſe nuntiatum Simonidi, ut prodiret; juvenes ſtare ad januam duos quoſdam, qui eum magnopere evocarent. Surrexiſſe illum ipſum, prodiſſe, vidiſſe neminem. Hoc interim ſpatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidiſſe; eâ ruinâ ipſum oppreſſum cum ſuis interiiſſe, &c.* Atque iſtuc ipſum Suidas & Valer. Max. referunt.

[z] *Stella*] Caſtorem & Pollucem eſſe ex modò relatâ hiſtoriâ apparet; qui quidem Geminorum ſidus conſtituunt: ſed maximè navigantibus numen propitium creduntur cùm uterque apparent.

[a] *Leoprepida*] Simonides eſt Leoprepis filius, Poëta inſignis, patriâ Ceus.

[b] *Evenus*] Hanc de iſto refert fabulam Homeri interpres. Cùm Marpiſſam filiam pulcherrimam haberet, eam poſcentes uxorem in certamen curule provocabat, eorum qui victi eſſent capita foribus affigebat, ut reliquos à contentione deterreret. Idas autem qui Apharei filius ferebatur, cùm eſſet Neptuni, acceptis à patre equis velociſſimis, Evenum ſuperavit, Marpiſſam filiam abduxit uxorem. Evenus autem præ dolore ſe in Lycormam Ætoliæ fluvium demerſit, cui dedit nomen. Idæ tamen prædam auferenti occurrit Apollo puellam ei rapere volens: cùmque ad pugnam conveniſſet, Jupiter Mercurium miſit, ut ſibi, quem vellet puella eligeret. Hæc verò ſapienter Idan accepit, verita *ſcil.* ne ſeneſcentem Apollo rejiceret. Alia tamen alii. Fabulas omnes, ex quibus jucundiorem libuit eligere.

[c] *Tyberinus*] Hic ab Æneâ octavus fuit rex Albanorum, qui in Albulam inter præliantes depulſus, in eo periit, atque illi nomen dedit ſuum. Quanquam Virgilius aliique diverſa tradiderunt.

[d] *Aſtacida*] Menalippus eſt Aſtaci noviſſimus filius, ſicuti legitur apud Apollodorum; cujus à Tydeo lethaliter vulnerato caput, tanquam à cane, non ſine Minervæ indignatione, roſum ſuprà diximus.

[e] *Brotean*] Vulcani & Minervæ nonnulli, alii Jovis faciunt filium, qui propter deformitatem cum ſe contemni videret, in ardentem pyram ſe conjecit. Conſulas, ſi placet illuſtriſſ. Salvagn.

Inclusúſque necem caveâ patiaris, ut [f] ille
  Non profecturæ conditor hiſtoriæ.
Utque [g] repertori nocuit pugnacis Iambi,
  Sic ſit in exitium lingua proterva tuum.
Utque parum ſtabili [h] qui carmine læſit Athenas,
  Inviſus pereas deficiente cibo.
Utve [i] lyræ vates fertur periiſſe ſeveræ;
  Cauſſa ſit exitii [k] dextera læſa tui.
Utque Agamemnonio [l] vulnus dedit anguis Oreſtæ;
  Tu quoque de morſu virus habente cadas.
Sit tibi conjugii nox prima noviſſima vitæ.
  [m] Eupolis hoc periit & nova nupta modo.
Utque cothurnatum cecidiſſe [n] Lycophrona narrant;
  Hæreat in fibris fixa ſagitta tuis.

INTERPRETATIO.

Atque incluſus caveâ morte afficiaris, ut ille fabricator hiſtoria non profectura. Et lingua procax perinde ſit in perniciem tuam ac inventori Iambi pugnacis. Et ſicut ille qui inſectatus eſt Athenas verſu claudicante moriaris inviſus, alimentis deficientibus. Vel ut aiunt poëtam lyra mordacis interiiſſe, dextra ſeu fides læſa ſit cauſſa tuæ cladis. Et quemadmodum ſerpens vulneravit Oreſten Agamemnonium, tu etiam pereas de ictu habente venenum. Nox prima conjugii ſit tibi ultima vitæ. Eupolis & nova nupta occidit hoc modo. Et ſicuti dicunt Lycophronem cothurnatum periiſſe, ſagitta impacta ſtet in viſceribus tuis.

NOTÆ.

[f] *Ille non*] Calliſthenen dicit Olynthium, quem Alexander Magnus ad prodenda memoriæ geſta Aſiatica accivit; deinde tanquam conjurationis conſcium quòd audaciùs de inſolentiâ quâ ſeſe adorari volebat, palam loqueretur, truncatis membris, abſciſſis auribus, ac naſo, labiiſque deformatum, cum cane in caveâ clauſum circumferri juſſit, diuque tortum tandem necavit. Quanquam alia alii ſcripſerunt.

[g] *Repertori*] Archilochus eſt Poëta primus inter eos qui Iambos ſcripsêre. Tantâ vi illos in Lycamben ſocerũ diſtrinxit quòd ſibi pactam Neobulen alteri collocaſſet, ut ad laqueum illum compulerit. Ob verſuum autem petulantiam in exilium miſſus: quanquam non deſunt qui ab illius domeſticis necatum dicant.

[h] *Qui carmine*] Quidam ad Anaxandriden falsò, alii ad Ariſtotelem quendam referunt. Alciatus & Turnebus de Hipponacte hunc locum intelligendum contendunt, qui claudicante & parùm ſtabili verſu, Scazonte *ſcilicet*, in Bupalum & Athenin invectus ſit; quo in carmine ne Athenis quidem pepercerit. Atque hæc poſterior ſententia cùm potior videtur, clar. Salvagn. fuit quoque approbata.

[i] *Lyræ vates*] Alcæum poëtam lyricum cum eodem accuratiſſimo juveni, ut ipſe ait, viro certè, crediderim indicari, qui mordaciſſimis verſibus Pittacum præcipuè, alioſque in patriâ tyrannidem exercentes inſectatus eſt. Alii tamen de Steſichoro maledico Poëta intelligunt. Fabula eſt obſcura, in quâ conjecturâ opus eſt.

[k] *Dextera læſa.*] Per dexteram læſam fidem intellige, quam Pittaco obſtrinxiſſe Alcæum conjicias.

[l] *Vulnus*] Hujus hiſtoriæ teſtes Scholiaſtes nonnulli. De Oreſte verò Agamemnonis filio jam ſæpius dictum.

[m] *Eupolis*] Hic alius à Comico Poëta fuit, & Niciæ filius. Periit autem cum novâ nuptâ Glycerio nomine, Eudici filiâ, primâ ſtatim nuptiarum nocte collapſo thalamo. Quâ de re extat Græcum Epigramma.

[n] *Lycophrona*] Hic cùm de antiquorum Poëtarum principatu certaret ſagittâ ab adverſario ictus occidit. Chalcidenſis fuit Grãmatici cujuſdam filius. Obſcuræ ſunt hæ fabulæ, ex quibus nomina aut nihil potiùs captamus.

Aut lacer in ſilvis manibus ſpargare tuorum:
 Sparſus ut eſt Thebis angue [o] creatus avo.
Perque feros montes tauro rapiente traharis:
 Ut tracta eſt [p] conjux imperioſa Lyci.
Quodque ſuæ paſſa eſt [q] pellex invita ſorori,
 Excidat ante pedes lingua reſecta tuos.
[r] Conditor ut tardæ læſus cognomine Myrrhæ,
 [ſ] Orbis in innumeris inveniare locis.
Inque tuis opifex, vati quod fecit [t] Achæo,
 Noxia luminibus ſpicula condat apis.
Fixis & in duris carparis viſcera ſaxis:
 Ut [u] cui Pyrrha ſui filia fratris erat.
Ut puer [x] Harpagides referas exempla Thyeſtæ;
 Inque tui cæſus viſcera patris eas.
Trunca geras ſævo mutilatis partibus enſe,
 Qualia [y] Mimnermi membra fuiſſe ferunt.

INTERPRETATIO.

Vel diſcerptus in ſilvis disjiciaris manibus tuorum, ſicuti natus avo ſerpente disjectus eſt Thebis. Atque diſtraharis per aſperos montes tauro rapiente, ſicut uxor ſæva Lyci diſtracta eſt. Et quod pellex ſororis invita paſſa eſt, lingua tua abſciſſa cadas ante pedes tuos. Ut conditor tarda Myrrha cognomine læſus inveniaris in locis innumeris orbis. Et apis ſedula infigat oculis aculeos noxios, quod fecit poëta Achao. Et alligatus aſperis rupibus dilanieris præcordia, ut cui Pyrrha fuit filia fratris. Referas exempla Thyeſtæ, ut puer Harpagides, & mactatus venias in ventriculum tui parentis. Feras artus mutilos, membris reſectis fero gladio, quales dicunt fuiſſe artus Mimnermi.

NOTÆ.

[o] *Creatus*] Pentheus eſt de quo in ſuperioribus, à furente matre & hujus ſororibus dilaniatus; ille namque Cadmum in Draconem mutatum avum habuit.

[p] *Conjux*] De eâ Hyginus fab. 7. Dirce autem intelligitur, quam Zethus & Amphion ex Antiope nati taurorum ſilveſtrium caudis ideo diſtrahendam revinxerunt, quòd concubitus ſuſpicione cum Lyco marito ſuo Thebarum regi in tenebris claudendam eam imperaſſet.

[q] *Pellex*] Philomela eſt cujus fabulam vide in Metam.

[r] *Conditor*] Quis hic fuerit ut invenirent multùm ſeſe fatigaverunt Commentatores; fruſtrà meo judicio, neque certi quicquam video, niſi cum doctiſſ. Salvagnio ità legas:

Cognitor ut tardè Blæſus cognomine Cyræ: atque fabulam de Batto intelligas, qui quidem blæſus ut ex Juſtini 13. lib. apparet, Cyrenæ ex oraculi juſſu, quanquam ſerò, eo minùs intellecto, in Cyrâ monte condidit. At enim Juſtinum ipſum adi, ex quo rem totam intelliges.

[ſ] *Orbis in*] Diu namque erravit Battus antequam in Africam perveniret, quæ ubi eſſet neſciebat.

[t] *Achæo*] Plures fuerunt eo nomine. Capiti verò hujus de quo nunc agitur, cùm in horto ambularet agmen apum inſedit; quòd cùm vellet expellere, earum aculeis oculorum acie dicitur privatus, ut tradit vetus Interpres.

[u] *Cui Pyrrha*] Prometheus eſt; ejus quippe frater Epimetheus filiam habuit Pyrrham. Caucaſo autem affixum fuiſſe illum, ubi jecur à vulture exederetur, jam ſæpius dictum.

[x] *Harpagides*] Harpagi filius, ut ex Juſtino apparet atque Herodoto, Cyaxaris Medorum regis juſſu, patri in epulas fuit appoſitus, quòd is Cyrum nepotem, uti mandatum fuerat non peremiſſet. Clariſſ. Salvagn. legit *Harpalyces*, & de Clymeni filiâ ſermonem eſſe contendit, cujus fabulam refert Hyginus.

[y] *Mimnermi*] Quis hic fuerit aliunde non liquet, mihi quidem: nam de Poëta Mimnermo intelligendum eſſe non arbitror.

Utve [r] Syracosio præstricta fauce poëtæ,
Sic animæ laqueo sit via clausa tuæ.
Nudáve dereptâ pateant tua viscera pelle;
Ut Phrygium [a] cujus nomina flumen habet.
Saxificæ videas infelix ora Medusæ,
[b] Cephenum multos quæ dedit una neci.
[c] Potniadum morsus subeas, ut [d] Glaucus, equarum:
Inque maris salias, Glaucus ut [e] alter, aquas.
Utque duobus [f] idem dictis modò nomen habenti,
Præfocent animæ [g] Gnosia melle viam.
Sollicitóque bibas, [h] Anyti doctissimus olim
Imperturbato quod bibit ore [i] reus.
Nec tibi, siquid amas, feliciùs [k] Hæmone cedat;
Utque suâ [l] Macareus, sic potiare tua.

INTERPRETATIO.

Vel ut Vati Syracosio iter sit præclusum fune spiritui tuo, gulâ elisâ. Vel tua præcordia nudentur cute detractâ, quemadmodum cujus amnis Phrygius obtinet nomen. Miser aspicias vultum Medusæ saxificæ quæ una tradidit morti multos Cephenum. Patiaris morsus equarum Potniadum sicut Glaucus, & insilias in aquas maris ut alius Glaucus. Atque mella Gnosia præcludant iter Spiritui, ut habenti nomen idem cum duobus superioribus. Et potes ore anxio quod reus doctissimus Anyti bibit olim vultu sereno. Neque, si quid diligas, eveniat beatiùs Hæmone, & ità potiaris tuâ *sorore, ut Macareus suâ.*

NOTÆ.

[r] *Siracosio*] Theocritum esse nonnulli volunt Bucolici Carminis scriptorem, ex veteris interpretis testimonio, suspensum ideo quod in ipsum Siciliæ regem Hieronis filium sit invectus. Sed ejus rei fides penes auctorem fuerit.

[a] *Cujus*] Marsias est, de quo suprà, & Metam. 6.

[b] *Cephenum*] De his Cephei regis popularibus Metam. 5.

[c] *Potniadum*] E Potniis Bœotiæ oppido.

[d] *Glaucus*] Hic Sisiphi filius, ut equas velociores haberet, illas à coitu prohibebat: quamobrem indignata Venus tantum iis immisit furorem, ut dominum discerpserint. Sed alii aliter.

[e] *Alter*] Piscator hic fuit, qui captos à se pisces cùm herbæ cujusdam contactu in aquam resilire advertisset ipsemet de ea degustavit, & repentè in aquas insiliit, uti dictum in Metam.

[f] *Idem dictis*] Pro *idem quod dicti*. Phrasis insolens.

[g] *Gnosia*] Ex Gnoso Cretæ urbe petita. Fabulam quod attinet ad alium Glaucum spectat Minois filium qui cùm pilâ luderet, aut murem insequeretur, ut alii tradunt, fortè in dolium melle plenum incidit, ubi suffocatus est. Prolixè fabulam habes apud Hyginum & Palæphatum capite de Polyido.

[h] *Anyti*] Nomen est unius ex illis nebulonibus qui Socratem virum sanctum per invidiam accusaverunt, quasi Atheniensem juventutem pravis moribus & falsis religionibus imbueret.

[i] *Reus*] Socrates est Philosophorum facilè princeps inter Ethnicos, sapientissimus ab oraculo judicatus, quem tamen cicutâ iniqui judices sustulerunt.

[k] *Hæmone*] Pro *quàm Hæmoni*. fuit autem ille Creontis filius, qui regnum Thebanum Eteocle & Polynice interfectis invasit. Antigonen amavit, quam cùm videret à patre damnatam, quòd contra vetitum Polynicem fratrem tumulasset, sese ipse quoque amoris impatientiâ interfecit. Quanquam paulò aliter atque variè rem totam diversi tradunt.

[l] *Macareus*] Hunc in Heroïdibus ex turpi cum Canace sorore concubitu infamem vidimus.

Vel videas, quòd jam, cùm flammæ cuncta tenerent,
Hectoreus patriâ vidit ab arce [m] puer.
Sanguine probra luas, ut avo genitore [n] creatus;
Per facinus soror est cui sua facta parens.
Ossibus inque tuis teli genus hæreat illud,
Traditur Icarii quo cecidisse [o] gener.
Utque [p] loquax in equo est elisus guttur acerno,
Sic tibi claudatur pollice vocis iter.
Aut ut [q] Anaxarchus pilâ minuaris in altâ,
Jactáque pro solitis [r] frugibus ossa sonent.
Utque [s] patrem Psamathes, condat te Phœbus in ima
Tartara; quod natæ fecerat ille suæ.
Inque tuos ea [t] pestis eat, quam dextra Chorœbi
Vicit, opem miseris [u] Argolicísque tulit.

INTERPRETATIO.

Vel cernas quod filius Hectoreus spectavit ab arce patriâ, cùm ignes corripuissent jam fermè omnia. Exsolvas flagitia tua sanguine, sicut ortus avo patre, cui soror sua est facta mater per scelus. Atque illud genus spiculi quo gener Icarii dicitur occidisse infigatur tuis ossibus. Et quemadmodum garruli fauces compressa in equo durateo, ità via vocis tibi præcludatur pollice. Vel ut Anaxarchus tundaris in amplo mortario, & ossa tritæ strepitum faciant pro solitis frugibus. Atque Apollo te mittat ad Inferos ut patrem Psamathes, quod ille fecerat filia sua. Et illud monstrum incurrat in tuos, quod manus Chorœbi superavit, & præbuit auxilium miseris Argolicis.

NOTÆ.

[m] *Puer*] Astianax est, de quo suprà, qui Hectoris filius postquam patriam eversam vidisset de turri Ulyssis suasu in terram projectus est.

[n] *Creatus*] Adonis est Myrrhæ filius, cujus ut & matris Cynaras Cypriorum rex pater fuit, illa verò, siquidem cum patre rem habuerit, mater & soror. Ab apro autem occisum Adonin in Metam. vidimus.

[o] *Gener*] Ulysses est, Icarii quidem gener cùm Penelopen ejus filiam duxerit uxorem. Quanquam autem de Ulyssis morte non una est sententia, arbitrantur tamen pleríque cuiusdiam piscis venenatâ spinâ quâ instructum fuit Telegoni jaculum per tumultum transfixum fuisse, cùm hic ex Circe ab illo susceptus patrem suum non nosceret.

[p] *Loquax*] Hunc locum explicat Politianus in Miscellaneis, & ad Anticlum quendam refert, qui cum cæteris Græcis equo durateo inclusus, ad vocem Helenæ simulantis sermonem & verba uxoris illius, respondere voluit. Sed ab Ulysse eò usque illius fauces compressæ, donec cum voce unà, & vitam amitteret, auctore Triphiodoro.

[q] *Anaxarchus*] In Anaxarchi vitâ tradit Laërtius Abderitam fuisse & Alexandrum secutum. Habuisse autem inimicũ Nicocreontem Cypriorum tyrannum. Proinde cùm aliquando cum Alexandro cœnaret, isque de convivii apparatu Anaxarchum interrogaret, respondisse omnia lautè atque affatim apparata esse, præterquam quod caput Satrapæ (Nicocreontem innuens) non eodem allatum esset. Hanc vocem postea Nicocreontem mortuo Alexandro ultum, atque Anaxarchum tempestate quâdam ad Cyprum appulsum comprehendisse, & pilâ seu mortario impositum pistillis ferreis contundi jussisse. Quanquam ille non se sed culeum suum tundi usque asseruit.

[r] *Frugibus*] Quæ *scilicet* in mortario tundebantur.

[s] *Patrem Ps.*] Crotopus est, cujus crudelitate Linum infantem expositum & à canibus laceratum supra vidimus.

[t] *Pestis*] De monstro quodam intelligunt, quod filios matrum sinu educens atque devorans Chorœbus interfecit, ut ex Statio colligitur.

[u] *Argolicis*] Toti Peloponneso infestum fuisse illud monstrum volunt.

Utque [x] nepos Æthræ, [y] Veneris periturus ob iram,
Exſul ab attonitis excutiaris equis.
Propter opes magnas ut perdidit [z] hoſpes alumnum;
Perdat ob exiguas te tuus hoſpes opes.
Utve ferunt fratres ſex cum [a] Damaſichthone cæſos;
Intereat tecum ſic genus omne tuum.
Addidit ut [b] fidicen miſeris ſua funera natis;
Sic tibi ſint vitæ tædia juſta tuæ.
Utve [c] ſoror Pelopis, ſaxo dureris oborto,
Et læſus linguâ [d] Battus ab ipſe ſuâ.
Aëra ſi miſſo vacuum jaculabere diſco;
Quo puer [e] Oebalides, ictus ab orbe cadas.
Siqua per alternos pulſabitur unda lacertos,
Omnis [f] Abydenâ ſit tibi pejor aquâ.
[g] Comicus ut mediis periit, dum nabat, in undis;
Et tua ſic Stygius ſtrangulet ora liquor.
Aut ubi ventoſum ſuperaris naufragus æquor,
Contactâ pereas, ut [h] Palinurus, humo.

INTERPRETATIO.

Et ſicut nepos Æthræ, profugus dejiciaris ab equis exterritis, moriturus propter indignationem Veneris. Sicut hoſpes mactavit alumnum magnarum divitiarũ causâ, tuus hoſpes te jugulet propter tenues opes. Vel ſicut aiunt ſex fratres mactatos cum Damaſichthone, ità omnis ſtirps tua pereat tecum. Quemadmodum fidicen adjecit ſuam mortem infelicibus liberis, ità faſtidia tuæ vitæ ſint tibi juſta. Vel ut ſoror Pelopis rigeas ſaxo oborto, & ſicut Battus ipſe perditus ab linguâ ſuâ. Si percutias aërem vacuum diſco jacto, procumbas percuſſus ab orbe quo puer Oebalides. Si aqua aliqua agitabitur per brachia alterna, omnis fluctus ſit tibi gravior Abydena. Quemadmodum Comicus interiit in mediis fluctibus, dum navigaret, aqua Stygia ſic præcludat tuum guttur. Vel poſtquam naufragus ſuperaveris mare procelloſum, occidas ut Palinurus, terrâ contactâ.

NOTÆ.

[x] *Nepos Æth.*] Hippolytus eſt Theſei filius, quem ob falſam novercæ accuſationem cujus amorem ſpreverat, pater deceptus devovit; unde & ab equis quos Phocæ terruerant curru excuſſus laceratus eſt. Æthræ autem nepos fuit, ſiquidem illa Theſei mater.

[y] *Veneris*] Spretæ; ſiquidem Phædræ amanti morem gerere Hippolytus noluerit.

[z] *Hoſpes*] Polymneſtorem intellige Thraciæ tyrannum, qui Polydorum Priami filium auri ſacrâ fame trucidavit; ut dictum ſæpius.

[a] *Damaſicht.*] Hoc unius nomẽ fuit ex Niobes filiis, quos omnes Apollo propter matris nimiã ſuperbiã ſuſtulit, uti videre eſt in Met.

[b] *Fidicen*] Amphion eſt Niobes maritus Muſicâ arte clariſſimus, qui extinctâ domo ſuâ ſibi quoque mortem conſcivit.

[c] *Soror*] Niobe eſt Tantali filiâ, de quâ in Metam.

[d] *Battus*] De eo etiam in Metam.

[e] *Oebalides*] Hyacinthum dicit Phœbo cariſſimum puerum, Oebali filium, ut placitum nonnullis, quem tamen imprudens diſco occidit, ut dictum in Metam.

[f] *Abydenâ*] Cujuſmodi Leander Abydenus ad amicam ſe conferens periit. Quâ de te vide in Heroidibus.

[g] *Comicus*] Alii ad Eupolim referunt, qui bello Peloponneſiaco in Helleſponto periiſſe dicitur à Suidâ; alii ad Terentium, quem Donatus naufragio periiſſe ſcripſit, cum ex Græciâ rediret. Clariſſ. Salvagnius de Menandro cum veteri interprete exponit.

[h] *Palinurus*] Hic Æneæ navis fuit gubernator, qui nimio ſomno oppreſſus in mare decidit, & poſtquam quarto demum die ad littus Velinum enataſſet, ab incolis ſpe prædæ occiſus eſt.

Utque [i] cothurnatum varem [k] tutela Dianæ,
Dilanient vigilum te quoque turba canum.
Aut tu [l] Trinacrii salias super [m] ora gigantis,
[n] Plurima quâ flammas Sicanis Ætna vomit.
Diripiántque tuos insanis unguibus artus
[o] Strymoniæ matres; [p] Orpheos esse ratæ.
[q] Natus ut Althææ flammis absentibus arsit,
Sic tuus ardescat stipitis igne rogus.
Ut nova [r] Phasiacâ compressa est nupta coronâ,
Utque [t] pater nuptæ, cumque parente domus.
Ut [u] cruor Herculeos abiit diffusus in artus;
Corpora pestiferum sic tua virus edat.
Qua sua Penthiden [x] proles est ulta Lycurgum,
Hæc maneat teli te quoque plaga novi.

INTERPRETATIO.

Et turba canum vigilum tutela Dianæ discerpant te etiam sicut poëtam cothurnatum. Vel tu mittas te super ora gigantis Trinacrii, quà Ætna Siculæ emittit plurimas flammas. Atque matres Strymoniæ dilanient tua membra sævis unguibus, putantes esse membra Orpheï. Ore ut sicuti filius Althææ flagravit flammis dissitis, ita tuus absumatur igne titionis. Ut nova nupta oppressa est coronâ Phasiacâ, utve pater nuptæ, & domus cum patre. Quemadmodum cruor sparsus subiit membra Herculea, ità venenum exitiale rodat tuum corpus. Illud vulnus tibi impendeat etiam teli novi, quo filius suus ultus est Lycurgum Penthiden.

NOTÆ.

[i] *Cothurn. vat.*] De Euripide Poëta Tragico intelligendum, quem canes ab æmulo quodam immissi discerpserunt, cùm domum ab Archelao rege apud quem cœnaverat reverteretur.

[k] *Tutela D.*] Ab Æditumo Dianæ templo præposito immissos ejus canes scripsit Commentator. Verùm potiùs est ut Dianæ tutelam credas, quia Venatrix ipsa, atque adeò canum studiosa.

[l] *Trinacrii*] Enceladus est Gigantum qui adversus Jovem conjuraverunt longè maximus, quem ille fulmine ictum Ætnæ monti supposuit.

[m] *Ora*] *Ruptis flammam expirare caminis* Enceladum scripsit Virgilius, cùm de Ætnæ flammis loquitur.

[n] *Plurima*] Quæ plurimam flammã vomit.

[o] *Strymoniæ*] *Thraciæ*, quibus à Strymone Macedoniæ vicino fluvio illud datum nomen.

[p] *Orpheos*] De isto Poëtâ à Thraciis mulieribus discerpto jam sæpe dictum.

[q] *Natus*] Meleager est, quem vide in superioribus.

[r] *Phasiaca*] Quam obtulit Medea Colchica à Phasi patrio fluvio sic dicta. Quomodo autem Creusa Creontis regis filia, unà cum totâ regiâ Medeæ dolo, atque ultro missâ coronâ perierit repete, si placet, ex superioribus.

[s] *Compressa*] Non temerè mendum esse in hâc voce suspicatus est clariss. Salvagnius, cujus loco *combusta*, aut aliquid ejusmodi reponendum.

[t] *Pater nuptæ*] Creon Corinthiorum rex Creusæ pater quam Medeæ uxori Jason superinduxit pellicem.

[u] *Cruor*] Illum intellige qui ex Nessi Centauri corpore sagittâ venenatâ eductus, quam Hercules in illum miserat. Eo verò infecta tunica, quam per Lichan Dejanira misit Herculi, ex quâ virus in totum ejus corpus diffusum: ut dictum superiùs.

[x] *Proles*] Buten dicunt fuisse qui in patris à Baccho sublati vindictam Sacerdotes ejus occidit. Pentheidem autem vel ex eo appellat quòd Penthei facta adversus Liberum patrem sit imitatus, vel quòd ex ejus fuerit nepotibus. Fabula obscura.

Utque [y] Milon, robur diducere fissile tentes;
Nec possis captas inde referre manus.
Muneribúsque tuis lædaris, ut [z] Icarus; in quem
Intulit armatas ebria turba manus.
Quodque dolore necis patriæ pia [a] filia fecit,
Vincula per laquei fac tibi guttur eant.
Obstructóque famem patiaris limine tecti,
Ut legem pœnæ [b] cui dedit ipsa parens.
Illius exemplo violes simulacra Dianæ,
[c] Aulidis à portu qui leve vertit iter.
[d] Naupliadæve modo ficto pro crimine pœnas
Morte luas; nec te [e] non meruisse juvet.
[f] Æthalium vitâ spoliavit ut Isidis hospes,
Quem memor à sacris nunc quoque pellit Ion.
Utque [g] Melantheâ tenebris à cæde latentem
Prodidit officio luminis orba parens;
Sic tua conjectis fodiantur pectora telis;
Sic precor auxiliis impediare tuis.

Interpretatio.

Et sicuti Milon coneris dividere quercum fissilem, neque valeas inde retrahere manus compressas. Atque pereas tuis donis, sicut Icarus, in quem agmen ebrium immisit manus armatas. Et quod filia pia fecit mœrere mortis patriæ, fac nodi laquei comprimant tibi fauces. Atque patiaris famem aditu domus præcluso, ut cui ipsa mater posuit legem supplicii. Lædas simulacra Dianæ, sicut ille qui leve iter turbavit à portu Aulidis. Vel pœnas exsolvas morte pro scelere ficto, sicut Naupliades; neque tibi prosit non dignum fuisse. Quemadmodum hospes Isidis spoliavit vita Æthalium, quem hospitem Ion memor arcet nunc etiam à sacris. Et sicut mater orba retexit officio luminis Melantheum delitescentem in tenebris post patratum homicidium; ità tua pectora figantur telis ingestis; ità, oro, opprimaris tuis auxiliis.

Notæ.

[y] *Mylon*] Hic Crotoniates lacertorum fretus robore, cùm lignum semifissum in sylvâ errans invenisset manibus conatus est diducere: verùm comprehensis illis, postquam cunei lapsi essent, feris præda fuit.

[z] *Icarus*] Erigones est pater, qui cùm Atticæ colonos vini usum docuisset, ab iisdem ebriis, sibique paratum venenum putantibus interfectus est.

[a] *Filia*] Ipsa est Erigone Icari filia, quæ paternæ necis dolore laqueo vitâ sibi conscivit.

[b] *Cui dedit*] De Pausaniâ Lacedæmoniorum inclyto duce agitur, qui cùm in Minervæ ædem proditionis reus confugisset, valvis obstructis, lapides etiam ad eam rem afferente matre aut patre, atque adeò eorum judicio turpiter extinctus est.

[c] *Aulidis*] Aulis regiuncula est Bœotiæ, ubi Græci Principes in Trojam navigaturi adversis flatibus Dianæ irâ diu retenti, quòd cervum aliquem ejus imprudens Agamemnon occidisset. Admotam verò aris Iphigeniam Agamemnonis filiam, placandi causâ, sæpius diximus. Hanc itaque tangere fabulam Nasonem hoc loco voluerunt: quanquam cervus simulacrum quomodo dicatur non satis assequor: neque *leve* istud *iter* placet.

[d] *Naupliada*] De Palamede loquitur, qui ab Ulysse quomodo circumventus fuerit dictum in præcedentibus.

[e] *Non mer.*] Quomodo neque Palamedes proditionis reus fuerat, uti finxerat Ulysses.

[f] *Æthalium*] Fabula ignota, cujus nullum uspiam vestigium quod quidem sciam.

[g] *Melanthea*] Neque de isto certa admodum licet proferre. Cæterùm ad quendam homicidam referunt, ex vetusto interprete, quem mater sola latebrarum ejus conscia lumine allato prodidit.

Qualis equos pacto, quos fortis agebat Achilles,
Acta [h] Phrygi timido; nox tibi talis eat.
Nec tu quàm [i] Rhesus somno meliore fruaris;
Quàm comites Rheso tum necis, ante viæ:
Ut quos cum [k] Rutulo morti [l] Rhamnete dederunt
Impiger Hyrtacides, Hyrtacidæque comes.
[m] Cliniadæve modo circumdatus ignibus atris
Membra feras Stygiæ semicremata [n] rati.
Utve [o] Remo muros auso transire recentes,
Noxia sint capiti [p] rustica tela tuo.
[q] Denique, Sarmaticas inter Geticásque sagittas,
His precor ut vivas & moriare locis.
Hæc [r] tibi tantisper subito sint missa libello;
Immemores ne nos esse querare tui.
[s] Pauca quidem, fateor; sed Dî dent plura rogatis,
Multiplicéntque suo [t] vota favore mea.
Postmodo plura leges, & nomen habentia [u] verum:
Et [x] pede quo debent acria bella geri.

INTERPRETATIO.

Nex talis à te transmittatur, qualem exegit Phryx pavidus pactus equos, quos strenuus Achilles agitabat. Neque tu reficiaris somno jucundiore, quàm Rhesus, quã comites Rhese tum mortis, antea itineris: ut quos strenuus Hyrtacides, & comes Hyrtacidæ mactaverũt cum Rhamnete Rutulo. Vel sicut Cliniades circumseptus flammis nigris perfer artus semiustos navi Stygia. Vel tela rustica sint infesta capiti tuo, ut Remo non verito saltu increpare novum vallum. Denique oro ut vivas & mortem obeas in his locis inter spicula Sarmatica & Getica. Ista sint tibi missa cantis per libello subitaneo, ne queraris nos esse oblitos tui. Pauca equidem, agnosco; verùm Dii conferant plura petitis, & cumulent vota mea suo favore. Habebis plura brevì, & ferentia nomen verum, & pede quo sæva bella debent geri.

NOTÆ.

[h] *Phrygi*] De Dolone Trajáno sermo est, quem jam sæpius diximus ab Ulysse & Diomede peremtum; cùm ad Græcorum castra speculator accessisset.

[i] *Rhesus*] Hunc etiam Thraciæ regem unà cum sociis ab iisdem Diomede & Ulysse sublatum, quâ primâ nocte in auxilium Trojanorum venerant, in præcedentibus diximus.

[k] *Rutulo*] Fuerunt Rutuli populi Latii, quorum *Ardea* fuit metropolis.

[l] *Rhamnete*] Rex & augur fuit Turno gratissimus, cujus sequebatur partes bello quod adversus Ænean gessit. Hunc cum multis aliis Nisus Hyrtaci filius atque Euryalus ejus comes somno oppressos letho dederunt.

[m] *Cliniada*] Alcibiadem dicit Cliniæ filium, quem ferro cùm aggredi non auderent qui ab Pharnabazo ad interficiendum illum missi erant, Igne circum eam domum, in quâ erat, accenso, mox telis missis, cùm effugeret, ad Inferos compulerunt.

[n] *Rati*] Charontis intellige cymbam, quâ mortuorum animæ ultra Stygias paludes vehuntur.

[o] *Remo*] Hic Romuli frater cùm valli angustias saltu increpuisset, quod ad Romæ tutelam sufficere illi videbatur, prima fuit victima quæ eam urbem consecravit.

[p] *Rustica*] Cujusmodi utebantur qui Romuli jussu novæ urbis vallum moliebantur.

[q] *Denique*] Argutè sanè; ut omnium malorum culmen videatur Tomis inter Barbarorum Barbaros vitam quâvis morte duriorem trahere.

[r] *Tibi*] Ibin alloquitur.

[s] *Pauca*] Imo plurima, & tædiosa, & quæ cohærere non possunt.

[t] *Vota*] Adeò que Ibidis mala.

[u] *Verum*] Id est, quo ille appellabatur quem Ibidis nomine devovit Naso.

[x] *Pede*] Iambo *scil.* uti dixit suprà.

P. OVIDII NASONIS
FASTORUM
LIBRI VI.

AMICE LECTOR.

Kalendarium, quod vides, cùm in vetustis membranis reperissem; quamvis mendosum fœdéque depravatum multis partibus & ab homine hujus argumenti non satis perito confectum, quia tamen Fastis Nasonianis attexitur plerumque in codicibus antiquis, nos quoque illud in editione hac nostra nequaquam duximus omittendum, adornaturi & ipsi aliquando Fastos, qui Nasonianis accuratius respondeant. Vale.

KALENDARIUM.

JANUARIUS.

A	Kal. Januarii.	Jani festum, Junonis, Jovis, & Æsculapii.
b	IV.	No.
c	III.	No. Cancer occidit cosmice.
d	II.	No.
e	Nonis.	Lyra oritur.
f	VIII.	Id.
g	VII.	Id.
A	VI.	Id. Festa Jani Agonalia. Delphin oritur.
b	V.	Id. Medietas hyemis.
c	IV.	Id.
d	III.	Id. Festa Carmentis & Juturnæ.
e	II.	Id.
f	Idibus.	Festum Jovis. Redditæ sunt provinciæ populo Romano.
g	XIX.	Kal. Febr. Cæsar Augustus vocatur.
A	XVIII.	Kal. Sacrificium Carmentis. Festum Portimæ & Postvertæ.
b	XVII.	Kal. Festum Concordiæ.
c	XVI.	Kal.
d	XV.	Kal. Sol in aquario.
e	XIV.	Kal.
f	XIII.	Kal.
g	XII.	Kal.
A	XI.	Kal.
b	X.	Kal.
c	IX.	Kal. Lyra occidit.
d	VIII.	Kal. Pectus Leonis occulitur.
e	VII.	
f	VI.	Kal. Festum Castoris & Pollucis.]
g	V.	Kal.
A	IV.	Kal.
b	III.	Kal. Festum Pacis.
c	II.	Kal.

FEBRUARIUS.

d	Kal. Febr.	Templum factum est Carmenti. Celebratur Asylum.
e	IV.	Non. Lyra penitus occidit.
f	III.	Non. Occidit Delphin.
g	II.	Non.

A Nonis. Augustus dictus est pater patriæ. Aquarius vadit ad occasum.
b VIII. Id.
c VII. Id. [Primus dies Feraliū.
d VI. Id.
e V. Id. Ver incipit.
f IV. Id. Initium Veris.
g III. Id. Bootes oritur, & est festum Fauni.
A II. Id.
b Idibus. Festum Jovis & Fauni. Nefastus dies Fabiorū.
c XVI. Kal. Martii. Anguis, Corvus, Crater oriūtur.
d XV. Kal. Sol intrat in Pisces. Iterum Fauni.
e XIV. Kal.
f XIII. Kal. Festum Quirini. Festū stultorū & Fornacis.
g XII. Kal. Feralia.
A XI. Kal. Caristia virorum.
b X. Kal. Termini.
c IX. Kal.
d VIII. Kal. Fuga Tarquinii Superbi. Veris initium.
e VII. Kal.
f VI. Kal.
g V. Kal.
A IV. Kal.
b III. Kal. Equiria in campo Martio.
c II Kal.

MARTIUS.

d Martii. Festum Martis & Junonis. Ancilia feruntur. non est bonum nubere.
e VI. Non.
f V. Non. Alter piscium conditur. Oritur vindemitor.
g IV. Non. Bootes citius, vindemitor tardius occidunt cosmice.
A III. Non. Festum Vestæ. Cathedra Julii.
b II. Non. Festum Vejovis. Pegasus oritur heliace.
c Nonis.
d VIII. Id. Corona Ariadnes oritur.
e VII. Id.
f VI. Id.
g V. Id.
A IV. Id.
b III. Id.
c II. Id. Altera Equiria fiunt juxta Tyberim.
d Idibus. Festum Annæ Perennæ. Julius Cæsar occisus in Capitolio.
e XVII. Kal. Aprilis. Scorpius oritur.
f XVI. Kal. Milvius oritur. Festum Bacchi. Vilis anicula hederis coronata vendit populo libatum. Melle Libero patri sacrificamus. Libera toga datur. Milvus oritur chronice. Festū est Ledæorum qui fuerunt Argivi, vel Larium.
g XV. Kal.
A XIV. Kal. Quinquatria Palladis captæ.
b XIII. Kal.
c XII. Kal.
d XI. Kal. Sol in Arietem.
e X. Kal. Ultimus dies quinquatruum.
f IX. Kal.
g VIII. Kal. Æquinoctium vernale.
A VII. Kal.
b VI. Kal.
c V. Kal. Festum Jani, Concordiæ, Pacis & Salutis.
d IV. Kal.
e III. Kal.
f II. Kal. Festa Lunæ labētis. Tēplum in Aventino monte.

APRILIS.

g Kal. April. Festum Veneris & Virilis Fortunæ. Scorpius occidit.
A IV. No. Pleiades oriuntur.
b III. No. Meretrices lavantur sub myrto. Fors Fortuna Virilis. Scorpius occidit cosmice.
c II. No. Hebæ & Matri Deorum. Megalenses ludi fiunt.
d Nonis. Festum Publicæ Fortunæ.
e VIII. Id. Orion occidit chronice.
f VII. Id. Festum Cerealium ludorum. Libra occidit cosmice. Juba victus est à Jul. Cæsare.
g VI. Id.
A V. Id.
b IV. Id.
c III. Id.
d II. Id.
e Idibus. Festum Jovis victoris. Templum...... Libertatis.
f XVIII. Kal. Maii. Dies grandinosa. August. Cæsar vicit Mutinenses.
g XVII. Kal. Forda litatur Telluri.
A XVI. Kal. Triumphus Augusti. Hyades occidũt heliace.
b XV. Kal. Sol in Taurum.
c XIV. Kal. Equiria. Combustio vulpium.
d XIII. Kal. Festa Palis. Roma condita.
e XII. Kal.
f XI. Kal. Festa Veneris Vinalia.
g X. Kal.
A IX. Kal.
b VIII. Kal.
c VII. Kal.
d VI. Kal. Festũ Rubiginis. Aries* oritur heliace. * Prothius oritur cosmice, occidit heliace. Tempora Veris prima finita sunt.
e V. Kal.
f IV. Kal. Festum Floræ & Vestæ.
g III. Kal.
A II. Kal.

MAIUS.

b Kal. Maii. Amalthea. Capra oritur cosmice. Ara Laribus posita.
c VI. No. Flat ventus Argestes. Hyades oriuntur cosmice. Finis Floralium.
d V. No. Panthera Chironis oritur chronice.
e IV. No.
f III. No. Stellificatio Lyræ. Sagittarius oritur.
g II. No. Scorpius apparet in parte media.
A Nonis.
b VIII. Id. Lemuria celebrãtur. non est bonum nubere.
c VII. Id. Orion occidit chronice.
d VI. Id. Festũ Martis Bisultoris.
e V. Id.
f IV. Id.
g III. Id.
A II. Id. Pleiades oriũtur heliace. æstas incipit.
b Idibus. Ora Tauri oriuntur heliace. Scirpea simulacra mittuntur in Tiberim. Festum est Mercurii.
c XVII. Kal. Junii.
d XVI. Kal. Junii.
e XV. Kal. Sol it in Geminos. Agonia Junii fiunt.
f XIV. Kal. Canis Orionis exit.
g XIII. Kal. Lustra Vulcani fiunt.

A xii. Kal.
b xi. Kal.
c x. Kal. Mos sacrorum pro fuga Tarquinii faciũdorum. non modo inest fuga Tarquinii. inest viii Kal. Mart.
d ix. Kal. Festum Publicæ Fortunæ.
e viii. Kal. Rostra aquilæ oritur chronice.
f vii. Kal. Bootes occidit heliacè.
g vi. Kal. Hyas occidit heliace, oriens cosmice.
A v. Kal.
b iv. Kal.
c iii. Kal.
d. ii. Kal.

JUNIUS.

e Junii. Festa Carnæ, Junonis Monetæ, Martis, & Tempestatis. Aquila oritur chronice.
g iii. No. Bellonæ Festum.
f iv. No. Hyades oriũtur heliace.
A ii. No. Dedicatio templi Herculis.
b Nonis. Festum Trinomii dei Fidei Sancti Semipatris. malum est nubere ante Idus.
c viii. Idus.
d vii. Id. Tergum ursæ occidit heliace, & regis Lycaonii. Lycaonida fiũt ludi Tyberis.
e vi. Id. Datum est templum Menti. Festum est Vestæ. Asinus coronatur, ara Priapi. Priori Palladium liberatur ab igni Gallico. Mors Crassi & suorum.
f v. Id. Delphin oritur chronice.
g iv. Id. Matralia fiunt. Rutilius & Didius occiduntur. Templum Fortunæ Servius; Concordiæ Livia dedicavit.
A iii. Id.
b ii. Id.
c Idibus. Jovi invicto datum est templum. Minorã quinquatria Palladis fiunt.
d xviii. Kal. Julii.
e xvii. Kal. Dione orta est heliace in fronte Tauri.
f xvi. Kal. Flat Zephyrus prosper navigantibus.
g xv. Kal. Sol in Cancrum. Pallas colitur in Aventina arce.
A xiv. Kal. Secundus ventus. Orion oritur heliace.
b xiii. Kal. Delphin oritur chronice. Sol in Cancrum. Volsci & Æqui vincuntur.
c xii. Kal. Templum datum est Sumano Jovi.
d xi. Kal. Æsculapius, qui & dicitur Ophiucus & Serpentarius, chronice oritur.
e x. Kal.
f ix. Kal. Victus est Flaminius.
g viii. Kal. Syphax vincitur; Hasdrubal occiditur; Festum Fortis Fortunæ. Solstitium.
A vii. Kal. Festum Larium & Jovis Statoris.
b vi. Kal. Orion apparet à Zona inferius. Solstitiũ.
c v. Kal. Laurum.
d iv. Kal. Templum Quirino factum.
e iii. Kal.
f ii. Kal. Festum Pieridum.

[a]FASTORUM
LIBER I.

[b]TEmpora cum [c] caussis [d] Latium digesta per annum,
[e] Lapsáque sub terras, ortáque [f] signa, canam.
Excipe [g] pacato, Cæsar [h] Germanice, vultu
Hoc opus: & [i] timidæ dirige navis iter.

INTERPRETATIO.

Dicam tempora distributa per annum Latinum, cum rationibus eorum, & Sidera condita sub tellurem, & quæ apparent. Cæsar Germanice, admitte hoc opus facie serenâ, & dirige viam cimbæ pavidæ.

NOTÆ.

[a] *Fastorum*] Eo nomine à potiori hi libri appellantur, in quibus dierum omnium ratio expenditur; quia *scilicet* plures fasti, quibus jus fari & dicere licitum quàm nefasti. Festa autem & fabulas festorum hoc opere descripsit Naso. Aliquot astrorum ortus & occasus pro temporum ratione observandâ assignavit. Vicem denique præstiterint fasti ejus quod vocamus nos *Calendarium*. Duodecim libros pro mensium ratione & numero scripserat Poëta: sed iniquo fato six perierunt.

[b] *Tempora*] Ea ex Nasone si propiùs inspicias, aliud esse non invenio, quàm Res ipsas, prout certo quodam subsistendi ordine inter se comprehenduntur atque duratione suâ, quæ per priùs simul & posteriùs intelligitur, motu præsertim cœli & astrorum æstimantur.

[c] *Causis*] Propter quas *scilicet* hæc aut illa eum in ordinem relata, tunc temporis instituta, vel quoquo modo distributa aut observata.

[d] *Latium*] Qui duodecim fuit mensium: per Lunæ præsertim & Solis motũ intellectus.

[e] *Lapsaque*] Torserunt se hic multùm, quòd rerum ordinem turbasse videatur Poëta, cùm priùs oriri quàm occidere res sit necesse. At enim omissà subtilitate omni, optimè ordinem servasse illum tico, qui priùs de illis astris mentionem fecerit quæ omnino nobis sunt priora. Quoquo enim modo spectaverimus, nullus illa quæ lapsa sunt priùs nobis conspicua fuisse negaverit: tum præterea eadem priùs fuisse quæ laterent quàm cuiquam apparerent nemini fuerit dubium. Videtur deinde Poëta numeri majoris lapsorum astrorum, habere rationem.

[f] *Signa*] Ordines dicit stellarum, quibus animalium, aliarum etiam rerum figuras affinxerunt. De illorum autem ortu atque occasu consulendi qui de sphærâ tractant. Namque elevatio Poli cùm ortus atque occasus variet; plurimaque subtilioris disquisitionis pro accuratâ illorum cognitione requitantur, loci non est hujus ea rimari. Illud unum saltem non omittendum, ortus & occasus astrorum cùm Horizontis tum Solis ratione diversis modis assignari atque nominari. Priori respectu *Cosmicus* ortus vel occasus appellatur alicujus astri, cùm oriente Sole astrum illud ascendit suprà, vel descendit infra Horizontem: posteriori *Heliacus* quando illud idem astrum vel satis à Sole distat ut ex ejus fulgore sese expedire, adeòque apparere, possit, vel contra ità illi est vicinum ut splendore ejus quasi deleatur. *Acronicum* insuper ortum vel occasum ab ἄκρος *extremus* & νὺξ *nox* dixerunt, cùm Sole infrà horizontem descendente, atque adeò in primo noctis termino sydera aut cadunt aut exoriuntur.

[g] *Pacato*] *Non irato*, sicuti Amatorios poëtæ libellos Augustus viderat; sed *leni & benevolo.*

[h] *Germanice*] Hic Drusi Claudii Neronis fuit filius, cujus Tiberius patruus fuit naturâ, deinde, Augusti jussu, pater per adoptionem. Augusto opus suum inscripserat Naso, uti apparet ex 2. Tristium verùm editionem libri, & poëtæ sententiam impedivit indignissima ejus relegatio.

[i] *Timidæ*] Hâc metaphorâ Ingenii sui moderatorem experit Germanicum, non sine aptâ cautione, & cautâ adulatione.

[k]Officiique levem non aversatus honorem,
[l]En tibi devoto munere, dexter ades.
Sacra [m] recognosces [n] Annalibus eruta priscis;
Et quo sit [o] merito quæque notata dies.
Invenies illic & festa [p] domestica vobis.
Sæpe tibi [q] Pater est, sæpe legendus [r] Avus.
Quæque ferunt illi [s] pictos [t] signantia Fastos,
Tu quoque cum [u] Druso præmia fratre feres.
Cæsaris arma canant alii; nos Cæsaris [x] aras;
Et quoscunque [y] sacris addidit ille dies.
Annue conanti per laudes ire tuorum:
Deque meo pavidos excute corde metus.
Da mihi te placidum; dederis in carmina vires.
Ingenium [z] vultu statque caditque tuo.
[a] Pagina judicium docti subitura [b] movetur
Principis, ut [c] Clario missa legenda Deo.

INTERPRETATIO.

Et non dedignatus tenuem honorem officii mei, ecce adesto propitius, dono tibi consecrato. Recoles sacra desumta ex antiquis Annalibus; & quo merito singuli dies sint signati. Reperies quoque ibi festa vobis domestica. Pater est tibi sæpe legendus, sæpe Avus. Tu etiam cum fratre Druso reportabis laudes radiantes fastos pictos, quas illi ferunt. Alii celebrent arma Cæsaris; nos altaria Cæsaris; & quoscumq; dies ille adjecit sacris. favo nitenti discurrere per laudes suorum; & profliga timorem pavidum ex corde meo. Præbe te mihi lenem, præbueris vires adversus scribendos: *ingenium valet & languet vultu tuo. Libellus venturus sub censuram Principis eruditi angitur tanquam missus legendus Deo Clario.*

NOTÆ.

[k] *Officii*] *Mei*, quod ex sacrato tibi opere quoque modo apparet.

[l] *En*] Omnino pro *En*, *In* reponendum esse, clariss. Heinsio admonente, crediderim.

[m] *Recognosces*] Doctissimus quippe fuit Germanicus.

[n] *Annalibus*] Tum maximis illis, qui & Pontificales libri dicebantur, in quos, presse quidem, res omnes singulorum annorum mandabat litteris Pontifex maximus, ut testatur Cicero; tum quibusvis aliis, & vetustorum Poëtarum monumentis.

[o] *Merito*] *Meritorum præmio* exposuerunt. Non ità accipio: sed mediâ significatione vocem illam Naso usurpasse videtur, ut, sive candidus sive ater sit dies, ejus rei caussam sit declaraturus.

[p] *Domestica*] *Domui Cæsareæ pro meritis instituta.* Atque hinc maximè captatur Germanici attentio & benevolentia.

[q] *Pater*] Seu Drusus verus Germanici pater, seu potiùs Tiberius pater per adoptionem.

[r] *Avus*] Augustus *scil.* per adoptionem, is siquidem Tiberium sibi assumsit.

[s] *Pictos*] Minio *scilicet.*

[t] *Signantia*] Id est, quæ in Tabulas publicas seu fastos memoriæ & honoris causâ relata sunt. Præter enim Pontificales libros alii fuerunt duo fastorum nomine, in quorum altero varia dierum jura inscripta, solemnia Deorum, ludi, feriæ, &c. altero Magistratuum propè omnium nomina continebantur.

[u] *Druso*] Hic Tiberii fuit filius, adeòque Germanici frater adoptivus.

[x] *Aras*] Quæ Augusto ob merita dedicatæ sunt intelligo.

[y] *Sacris*] Cùm seu ob victorias, seu alios prosperos eventus, festos esse voluerit.

[z] *Vultu*] Prout per illum favorem tuum aut iram intellexero.

[a] *Pagina*] *Hic liber meus.*

[b] *Movetur*] *Commovetur atque tremit.*

[c] *Clario*] Hoc est Apollini, cui *Claros* urbs Ioniæ in minore Asiâ dicata; ubi templum & oraculum habuit; quod & Germanicum invisisse testatur Tacitus.

[d] Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
[e] Civica pro trepidis cùm tulit arma reis.
Scimus &, ad [f] nostras cùm se tulit impetus artes,
Ingenii currant [g] flumina quanta tui.
[h] Si licet, & fas est, vates rege vatis habenas:
[i] Auspice te felix totus ut annus eat.
TEmpora digereret cùm [k] conditor Urbis, in anno
Constituit menses [l] quinque bis esse suo.
Scilicet arma magis, quàm sidera, Romule, noras:
Curáque finitimos vincere major erat.
Est tamen & ratio, Cæsar, quæ moverit illum:
Errorémque suum quo tueatur [m] habet.
[n] Quod satis est, utero matris dum prodeat infans;
Hoc anno statuit temporis esse satis.
Per totidem menses à funere conjugis uxor
[o] Sustinet in viduâ tristia [p] signa domo.
Hoc igitur vidit [q] trabeati cura Quirini,
Cùm rudibus populis [r] annua jura daret.

INTERPRETATIO.

Percepimus enim quæ sit eloquentia facundi oris, cùm movit arma civica pro reis timidis. Novimus quoque quanta torrentia tui ingenii fluant cùm ardor se vertit ad nostras artes. Si conceditur & fas est, tu Poëta flecte lora Poëtæ, ut totus annus currat lætus te duce.

CUm ædificator Urbis distribueret tempora, statuit menses decem esse in suo anno. Nimirum Romule magis peritus eras bellorum quàm astrorum: & majus erat votum superare vicinos. Est tamen etiam caussa quæ impulerit illum: & habet quo defendat errorem suum. Quod est satis, donec puerulus prorumpat ex ventre matris, hoc decrevit esse satis temporis in annum. Conjux tolerat per totidem menses lugubria indicia in domo orbâ à morte mariti. Mens ergo Romuli trabeati istud advertit, cùm diceret jura annua populis agrestibus.

NOTÆ.

[d] *Quæ sit*] Germanici benevolentiam ab Oratoriæ & Poëticæ facultatis laude non imperitè captat.

[e] *Civica*] Defensiones intellige, seu orationes ad reos tuendos à Germanico paratas.

[f] *Nostras*] Poëticas *scil.*

[g] *Flumina*] Elegans metaphora sibi quid velit frustrà credo indicaverim.

[h] *Si licet*] Verecundè admodum & cautè loquutus.

[i] *Auspice*] Istud verò maximè ingeniosum, quasi non sibi, sed omni generi humano aut publicæ faustitati consulere Naso videatur. Atque istud omne in Germanici laudem, ut suum faciat Poëta.

[k] *Conditor*] Romulus *scilicet.*

[l] *Quinque bis*] Deceptum esse hâc in parte Ovidium Plutarchus aliique crediderunt, neque temerè, uti quidem opinor.

[m] *Habet*] Has verò rationes Naso, non Romulus confinxit.

[n] *Quod satis*] Decem enim mensibus Lunaribus seu novem Solaribus perfectus in utero formatur infans. Verùm nugatoria ad anni spatium constituendum illa est ratio.

[o] *Sustinet*] Quod ex tempore desumtum volunt, quo in utero latet infans.

[p] *Signa*] Vestes putà lugubres, cupressos quæ mortuorum domibus affigebantur.

[q] *Trabeati*] Scilicet Romulus qui & Quirinus post fata appellatus, trabeâ, ut regem decuit, fuit ornatus. Quanquam cujusmodi fuerit jucundum esset cernere.

[r] *Annua*] Quæ ad anni rationem spectarent.

[s] Martis erat primus mensis, [t] Venerisque secundus.
Hæc [u] generis princeps, ipsius ille pater.
[x] Tertius à Senibus, Juvenum de nomine quartus:
Quæ sequitur, [y] numero turba notata fuit.
At [z] Numa nec [a] Janum, nec [b] avitas præterit umbras;
Mensibus antiquis apposuitque duos.
NE tamen ignores variorum jura dierum:
Non habet officii [c] Lucifer omnis idem.
Ille Nefastus erat, per quem [d] tria verba silentur:
Fastus erit, per quem [e] lege licebit agi.
Neu [f] toto perstare die sua jura putaris;
Qui jam Fastus erit, manè Nefastus erat.
Nam simul [g] exta Deo data sunt, licet omnia fari;
Verbaque honoratus [h] libera Prætor habet.

INTERPRETATIO.

Primus mensis erat Martis, & secundus Veneris: Hac mater progeniei, ille pater ipsius. Tertius fuit dictus à Senibus, quartus de nomine Juvenum, agmen mensium quod sequitur fuit signatum numero. At Numa neque omisit Janum, neque Manes avitos; & addidit duos menses antiquis.

NE tamen nescias jura variorum dierum: omnis dies non habet idem cura. Ille dies erat Nefastus, per quem tres voces supprimuntur: fastus erit per quem licebit agi lege. Neve credideris sua jura permanere toto die, qui jam erit fastus, erat Nefastus manè. Nam statim atque viscera oblata sunt Deo, fas est omnia dicere, & Prætor honoratus habet voces liberas.

NOTÆ.

[s] *Martis*] Utpote qui non modò Romulum genuisset, sed imperii Romani fundamenta posuisset.

[t] *Veneris*] Dictum nempe volunt *Aprilem* quasi *Aphrilem* ab ἀφρὸς quod est *spuma*, unde nata Venus, quæ ideo *Aphrodite* appellata. Verùm ad plaudendum Cæsaribus, qui ex Venere per Iulum atque Ænean natales suos repetebant, conficta ea videtur etymologia; quam alii ab *aperiendo* aut ab *apro* potiùs desumserunt, ut videbitur suo loco.

[u] *Generis*] Romani *scil.* propter Cæsares. Quare Martialis ad Vulcanum

Parce, sumus Martis turba, sed & Veneris.

[x] *Tertius*] Mensi Maio à Majoribus, sicuti Junio à junioribus, honoris gratiâ, nomen impositum dicit, postquam Romulus populum in majores & juniores divisisset.

[y] *Numero*] *Quintilis* nempe quintus mensis appellatus; *Sextilis* sextus; Septimus *September*, &c. Quanquam postea Quintilis ab Julio Cæsare *Julius*, Sextilis ab Augusto *Augustus* dictus est.

[z] *Numa*] Qui secundus Romanorum rex fuit.

[a] *Janum*] Hunc bifrontem Deum seu antiquissimum Italiæ regem, cui Numa Januarium dicavit, neque prætermittet Naso: adeòque de eo plura jam proferre nihil est opus.

[b] *Avitas*] *Avorum animas*, quibus sacrificia fieri Februario mense Numa instituit. De quibus secundo horum Fastorum.

[c] *Lucifer*] Stella est, quæ cùm Solem antecedit *Lucifer*, cùm sequitur *Vesper* appellatur: atque hìc pro die ipso ponitur.

[d] *Tria*] *Do Dico Addico*, id est Do leges, Dico jus, Damno: vel, Do bonorum possessionem, Dico jus, Addico id de quo quæritur: quæ quidem verba à Prætore jus dicturo proferebantur.

[e] *Lege agi*] *Poterit Prætor secundum leges & instituta jus dicere.*

[f] *Toto perst.*] *Intercisi* vocabantur illi dies quibus, manè, verbi gratiâ, cùmque fieret sacrificium jus fari nefas; perfecto autem illo fas erat.

[g] *Exta*] Viscera seu interiora vitalia dicit, quæ maximè extant, & diis offerebantur.

[h] *Libera habet*] *Potest jus dicere.*

Est quoque,[i] quo populum jus est includere [k] septis:
Est quoque, qui nono semper [l] ab orbe redit.
Vindicat [m] Ausonias [n] Junonis cura Kalendas;
[o] Idibus alba Jovi grandior [p] agna cadit.
[q] Nonarum [r] tutela Deo caret. omnibus istis
(Ne fallare cave) [s] proximus Ater erit.
Omen [t] ab eventu est; illis nam Roma diebus
Damna sub adverso tristia Marte tulit.

INTERPRETATIO.

Est etiam, quo jus est retinere populum septis; est etiam qui redit semper à die nono. Cura Junonis asserit Calendas Latinas: Idibus agna candida major mactatur Jovi. Nona carent Deo asserente. Vide ne decipiaris, proximus omnibus istis erit infelix. Præsagium est ab eventu: nam diebus illis Roma passa est clades miseras sub infesto Marte.

NOTÆ.

[i] *Quo populum*] De diebus comitialibus agit, quibus comitia habebantur; atque creandorum Magistratuum, & ferendorum suffragiorum causâ populus conveniebat.

[k] *Septis*] Septa dicebantur in campo Martio locus ubi populus includebatur, suffragiorum gratiâ quando convocabatur.

[l] *Ab orbe nono*] *A nono Solis circuitu. Nundinales* autem dies tangit, ad hoc institutos, ut postquam diebus octo in agris rustici opus fecissent, nono die, ad mercatum, legesque accipiendas Romam venirent, urbanas rusticasque res ordinaturi.

[m] *Ausonias*] *Latinas* seu *Romanas*; Græcis namque nullæ fuerunt.

[n] *Junonis cura*] Cujus, Kalendarum die curam habebant; quæque adeò *Kalendaris* à Kalendis dicta. Majores autem, ut inquit Plutarchus, annum, Jovis; Menses, Junonis esse existimarunt. Quippe hanc Dianam & Lunam esse crediderunt, ex cujus exortu initium mensium servaverunt. Atque, ut ex Macrobio discimus, Priscis temporibus Pontifici minori hæc Provincia delegabatur; ut novæ Lunæ primum observaret aspectum, visamque Regi sacrificulo nuntiaret. Sacrificio deinde à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex *calatâ*, hoc est vocatâ in Capitolium plebe, quot numero dies à Kalendis ad Nonas superessent pronuntiabat: & quintanas quidem, dicto quinquies verbo καλῶ, hoc est *voco* septimanas, repetito septies, prædicabat. Hunc verò diem qui ex his qui Kalarentur primus esset placuit Kalendas vocari. Nonas quod attinet, imò & Idus, si quis earum rationem perspectam habere cupit, ex duobus sequentibus versibus id facilè consequetur,

Sex Maius Nonas, October, Julius & Mars,
Quatuor at reliqui; Dabit Idus quilibet Octo.

[o] *Idibus*] *Idus* appellabantur dies, qui mensem prope in duas partes dividebant; atque in decimum tertium aut decimum quintum illius, pro vario Nonarum numero, incidebant. Vox à Thuscis derivata, qui *iduare* pro *dividuere*, & quod nunc obtinet *dividere* dicebant.

[p] *Agna*] *Idulis* illa, *sacra Idulia* ab Idibus nuncupata sunt.

[q] *Nonarum*] Nonæ, inde dictæ, quòd ab eo die ad Idus novem sunt dies. Quatuor verò aut sex à Calendis proximi ad eas Nonas ità spectabant, ut quintus vel septimus Nonarum nomine appellaretur; cæteri per numeros, sic verbi gratiâ *quarto Nonas* id est ante Nonas significarentur; nisi quòd nunquam *secundo*, sed *pridie Nonas* dicerent, siquidem præcederet, non dies sequeretur.

[r] *Tutela Deo*] Hypallage, pro *Nonæ carent tutelâ Dei*, quia Nonis nulli sacrificatur.

[s] *Proximus*] Qui sequitur Calendas Nonas, & Idus. Postriduani ideo dicti sunt qui & *Atri*, atque *Alienses* propter infelicem pugnam ad Aliam flumen: quibus nec quoquam exire, nec rem ullam novam ordiri, nec Jovem, nec Janum, nec quemquam Superûm præfari fas putabant.

[t] *Ab eventu*] Ab eo quòd his diebus accidit, & ab aruspicibus Senatus jussu observatum, postridie Idus Quintiles contra Senones, verbi gratiâ dimicaturum Q. Sulpitium sacrificasse, quod malè cessit: item ad Cremeram, multisque aliis locis infeliciter dimicatum.

Hæc mihi dicta semel, [u] totis hærentia Fastis,
(Ne seriem rerum scindere cogar) erunt.
Ecce tibi [x] faustum, Germanice, nunciat annum;
Inque meo [y] primus carmine Janus adest.
Jane [z] biceps, anni tacitè labentis origo,
Solus de Superis qui tua terga [a] vides;
Dexter ades [b] Ducibus; quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus agit.
Dexter ades [c] Patribúsque tuis, [d] Populóque Quirini:
Et resera [e] nutu candida [f] templa tuo.
[g] Prospera lux oritur: linguísque animísque favete.
Nunc dicenda bono sunt bona verba die.
[h] Lite vacent aures; insanáque protinus absint
Jurgia: differ [i] opus, livida lingua, tuum.
Cernis, [k] odoratis ut luceat ignibus æther;
Et sonet accensis [l] spica Cilissa focis?

INTERPRETATIO.

Ista sparsa per totos fastos semel narrata à me fuerint, ne cogar abrumpere ordinem rerum.

Ecce Janus prædicit tibi annum lætum, Germanice, & est primus in meo Poëmate. Jane bifrons, initium anni per silentium fluentis, qui solus de cœlestibus aspicis tua terga, fave ducibus, quorum labore tellus fertilis tutò agitat pacem, mare agitat pacem. Fave & Patribus tuis, & Populo Quirini: & aperi alba templa tuo numine. Dies læta oritur, favete linguis & animis. Nunc faustæ voces sunt proferendæ faustâ die. Aures careant jurgiis; & rixa furiosa continuò tollantur: lingua invida differ opus tuum. Videsne quomodo aer splendeat flammis odoratis: & spica Cilissa crepitet altaribus incensis?

NOTÆ.

[u] *Totis hær.*] Quia singulis mensibus hæc recurrunt, de quibus adeoque Fastorum libri agunt.

[x] *Faustum*] Antiquissimo eoque laudatissimo more quia bona omnia Januarii Calendis vovere, & bona omina captare consueverant, Germanico faustum annum nunciare Janum, cui primus mensis Sacer, dicit Poëta.

[y] *Primus*] Quia *scilicet* & Jupiter est & Sol, diei & anni pater, à quo adeòque incipiendum, siquidem & ideò primum mensem illi consecrarunt. Quanquam de Jano qui nullus fuit quæcumque dicta si Arnobio credimus falsa sunt, & Mosi imposita larva.

[z] *Biceps*] Biceps seu bifrons ideo pingebatur, vel quòd Græcus inter Italos pristinæ linguæ usum ac vitæ rationem mutaverit; vel quòd & præterita sciverit rex prudens, & futura providerit; vel quòd homines agrestes mansuefecerit.

[a] *Vides*] Quia *scil.* bifrons.

[b] *Ducibus*] Cæsaribus, Augusto, Tiberio, Germanico.

[c] *Patribus*] Senatui.

[d] *Populo Quir.*] Populo Romano.

[e] *Nutu*] Quia januis præsidebat; quamobrem & clavem dextrâ ex nonnullorum sententiâ gerebat.

[f] *Templa*] Non sua, quæ aperta belli indicium erant; sed aliorum Deorum, quibus primum in Italiâ templa posuisse scripsit Xenophon.

[g] *Prospera*] Novo Magistratu, votis & ominibus lætis, muneribus, &c.

[h] *Lite vac.*] Scilicet tam bonus dies litium & jurgiorum debuit habere quietem, ut loquitur Cicero.

[i] *Opus*] Quod in contestandis litibus est situm.

[k] *Odoratu*] Thure aliisque odoribus in Deorum honorem accensis.

[l] *Spica*] De Nardo intellige, qui non modò in Syriâ, sed & in Ciliciâ Syriæ junctâ nascitur. Ineptè enim de croco nonnulli exposuerunt.

Flamma nitore suo templorum [m] verberat aurum,
Et [n] tremulum summâ spargit in æde jubar.
Vestibus [o] intactis [p] Tarpeias [q] itur in arces:
Et populus festo concolor ipse suo est.
Jamque novi præeunt [r] fasces; nova [s] purpura fulget:
Et [t] nova conspicuum pondera sentit [u] ebur.
Colla [x] rudes operum [y] præbent ferienda juvenci,
[z] Quos aluit campis herba Falisca suis.
Jupiter, [a] arce suâ totum cùm spectet in orbem;
Nil nisi Romanum, quod tueatur, habet.
Salve, læta [b] dies, meliórque revertere semper,
A [c] populo rerum digna potente coli.
Quem tamen esse Deum te dicam, Jane biformis?
Nam tibi par nullum [d] Græcia numen habet.
Ede simul caussam, cur de cælestibus unus,
Sitque quod à tergo, sitque quod ante, vides.
Hæc ego cùm sumtis agitarem mente tabellis;
Lucidior visa est, quàm fuit antè, domus.

INTERPRETATIO.

Flamma irradiat splendore suo aurum templorum, & spargit fulgorem tremulum in supremo templo. Conceditur in arces Tarpeias vestimentis novis, & ipse populus est concolor suo festo. Jamque novi fasces antecedunt, nova purpura splendet; & ebur nitens sentit nova onera. Tauri inexperti jugum quos herba Falisca nutrivit in campis suis offerũt cervices percutiendas. Cùm Jupiter prospiciat in totum orbem ex arce suâ, nihil habet quod servet nisi Romanum. Salve, fausta dies, & redi semper lætior, digna coli à populo domino rerum. Quem tamen Deum dicam te esse, Jane bifrons? Nam Græcia nullum habet Deum tibi similem. Da simul rationem, quamobrem solus de superis cernis quod sit à tergo, & quod sit antè. Cùm ego hæc volverem animo tabellis assumtis, domus visa est splendidior quàm fuit priùs.

NOTÆ.

[m] *Verberat*] *Irradiat.*

[n] *Tremulum*] Ex flammæ agitatione.

[o] *Intactis*] Novis, atque anno novo concoloribus.

[p] *Tarpeias*] In Capitolinum montem, ubi templum Jovis; cui à Tarpeiâ virgine Vestali, ibi ab iisdem Sabinis obrutâ quibus arcem prodiderat, illud datum nomen.

[q] *Itur*] Sollenni enim officio à Senatu & populo in Capitolium Consules Magistratum inituri Calendis Januariis deducebantur.

[r] *Fasces*] Duodecim illi *scilicet*, qui Consulibus præferebantur.

[s] *Purpura*] Per purpuram Togas pictas seu Trabeas intellige Consulum præsertim.

[t] *Nova*] Quia novi Consules Sellam curulem eburneam premebant.

[u] *Ebur*] Pro Sellâ curuli eburneâ, seu ebore decoratâ posuit.

[x] *Rudes*] Jugo nunquam pressi.

[y] *Præbent*] Non enim ritè immolabatur, si ab arâ hostia refugeret.

[z] *Quos aluit*] Jam diximus in superioribus, apud Faliscos, qui olim Hetruriæ populi fuerunt, fluvium fuisse quemdam, cujus potata aqua candidos boves efficeret. Singuli verò hujusmodi à singulis Consulibus Jovi in Capitolio immolabantur.

[a] *Arce*] Æthere *scil.* illi assignato. Dicta verò hæc sunt ob Majestatem & Imperii Romani magnitudinem.

[b] *Dies*] Diem per respectum ad homines deosque salvere jubet.

[c] *Populo*] Romano *scil.* gentium domino.

[d] *Græcia*] Fabularum & deorum inventrix.

Tum facer [e] ancipiti mirandus imagine Janus,
  Bina [f] repens oculis obtulit ora meis.
Obstupui; sensique metu [g] riguisse capillos:
  Et gelidum subito frigore pectus erat.
Ille tenens dextrâ [h] baculum, clavémque sinistrâ,
  Edidit hos nobis ore [i] priore sonos:
Disce metu posito, vates [k] operose dierum,
  Quod petis; & voces percipe mente meas.
Me Chaos [l] antiqui (nam res sum [m] prisca) vocabant.
  Adspice, quàm longi temporis acta canam.
Lucidus hic aër, &, quæ [n] tria corpora restant,
  Ignis, aquæ, tellus, unus acervus erant.
Ut semel hæc rerum secessit [o] lite suarum,
  Inque [p] novas abiit massa soluta domos;
Flamma petît altum; propior locus aëra cepit;
  Sederunt medio terra fretumque solo.
Tunc ego, [q] qui fueram globus, & sine imagine moles,
  In faciem redii dignáque membra Deo.

INTERPRETATIO.

Tum facer Janus mirandus formâ duplici subitò exhibuit vultus binos oculis meis. Obstupui, & adverti comam stetisse horrere, & pectus erat rigidum repentino frigore. Ille tractans baculum dextrâ, & clavem sinistrâ reddidit nobis has voces ore anteriore. Vates laboriose dierum, accipe, timore omisso, quod quæris, & assequere animo verba mea. Prisci appellabant me Chaos, nam sum res antiqua. Vide quàm remotè temporis dicam facta. Hic aër splendidus, & tria corpora quæ supersunt Ignis, Aqua, Terra erant unus cumulus. Postquam hæc massa divisa discordia rerum suarum disgregata est, & secessit in novas domos, Ignis abiit in sublime, locus propior excepit aërem; Tellus & mare occupaverunt sedem mediam. Tunc ego qui fueram globus, & massa sine formâ mutatus sum in vultus & artus dignos Deo.

NOTÆ.

[e] *Ancipiti*] Duplici & bifronti.

[f] *Repens*] Subitò atque repente se Janus Poëtæ obtulit.

[g] *Riguisse*] Naturale est, ut ex metu aut horrore capilli rigeant.

[h] *Baculum & il.*] Appositè sanè Janitori & omnium portarum & viarum custodi, ad vim repellendam, & claudendas & reserandas fores. Quanquam alii in dextrâ clavem non imperitè, si res ipsas spectes, reposuerunt. Admonuimus enim jam Mosem per ista omnia larvarum.

[i] *Priore*] Ut meliùs Poëta audiret, quàm si eo, quod à tergo erat, loquutus esset.

[k] *Operose*] Multo verò studio & magnâ operâ hanc dierum rationem scripsit Naso.

[l] *Antiqui*] Hæc namque manifestè ab Hesiodo, atque aliis deinde, ex Mosis ipsius verbis conficta.

[m] *Prisca*] Quippe quæ ante digestum orbem extitit.

[n] *Tria*] Ignis scil. Terra & Aqua; cum Aëre unũ quid erant, rudis indigestaq; moles.

[o] *Lite*] ——— *Quia corpore in uno*
  frigida pugnabant calidis humentia siccis, &c.

ut dictum in Metamorph.

  Quam Deus, & melior litem Natura diremit:

Nasoni nostro si fidem habeas, qui meliùs multò illic, quàm hic Janus rem ipsam aperuit.

[p] *Novas*] Quippe,
  Ignea convexi vis & sine pondere cæli
  Emicuit, summâque locum sibi legit in arce, &c. Vide in Metam.

[q] *Qui fueram*] Ridiculè admodum de se prædicat iste Deus. Verùm ex cæcorum hominum, ne dicam opinione, sed ineptâ insulsitate loquitur.

Nunc quoque, confusæ quondam nota parva figuræ,
[r] Ante quod est in me, postque videtur idem.
Accipe [s] quæsitæ quæ caussa sit altera formæ:
Hanc simul ut noris, [t] officiúmque meum.
Quidquid ubique vides, cælum, mare, [u] nubila, terras;
Omnia sunt nostrâ [x] clausa patentque manu.
Me penes est unum vasti custodia mundi:
Et jus vertendi [y] cardinis omne meum est.
Cùm libuit Pacem placidis emittere [z] tectis;
Libera perpetuas ambulat illa vias.
Sanguine letifero totus miscebitur orbis,
Ni teneant rigidæ condita bella feræ.
Præsideo [a] foribus cæli cum [b] mitibus [c] Horis:
It redit officio [d] Jupiter ipse meo.
[e] Inde vocor Janus. cui cùm [f] Cereale sacerdos
Imponit libum, [g] mixtáque farra sali;

INTERPRETATIO.

*Nunc etiam,*quod est *parvum indicium formæ confusæ, quod est antè & post in me apparet idem. Disce quæ alia sit caussa figuræ petita: ut simul noveris eam & officium meum. Quicquid cernis ubique, cœlum, mare, aërem, terram, omnia clauduntur & reserantur nostrâ manu. Custodia magni mundi est in mei unius potestate; & jus omne poli vertendi est meum. Quando placuit emittere Pacem templis tranquillis, illa libera incedit per vias continuas. Totus mundus spargetur cruore mortifero, nisi firmæ fores reprimant clausa bella. Imperium habeo in claustra cœli cum lenibus Horis: ipse Jupiter meat atque remeat officio meo. Inde appellor Janus: cui cùm Sacerdos admovet libum, & farra mixta sali,*

NOTÆ.

[r] *Ante quod*] Quasi dicat non totum fuisse distinctum, qui idem anterior & posterior sit.

[s] *Quæsitæ*] Dixerat Naso,
Edo simul caussam cur de cœlestibus.&c.

[t] *Officium*] Potestas est & numen.

[u] *Nubila*] Pro aëre posuit.

[x] *Clausa*] Quamobrem Clavem gestat Janus.

[y] *Cardinis*] Pro cœlo, cui cardines, affinxerunt seu polos, in quibus verteretur.

[z] *Tectis*] *Templis*. Ad morem alludit claudendi, pace, vel aperiendi, bello, Jani templum. Qui quidem mos,ex eo tractus,quòd cùm adversus Sabinos Romulus pugnaret, calidæ aquæ vis magna ex eo loco ubi deinde Jani ædes, eruperit, quæ hostes fugaverit.

[a] *Foribus*] Per Janum,inquit Macrobius, volunt Solem demonstrari, & ideo bifrontem,quasi utriusque januæ cœlestis, ortus & occasus, potentem.

[b] *Horis*] Non Poëticè modò,sed & Physicè dictum illud.

[c] *Mitibus*] Vel quia in genere lenissimè omnes fluunt; vel quia matutinæ & vespertinæ cæteris magìs temperatæ.

[d] *Jupiter*] Pro Luce ipsâ seu Die posuit.

[e] *Inde*] Sunt tamen, qui potiùs à Jano januæ nomen derivent, cui ideo introitus & exitus ædium consecrati, quòd eo regnante omnium domus religione ac sanctitate munitæ sint. Cicero ab Eundo Jani quasi *Eani* nomen derivant. Alii à Chao deduxerunt. Quidam à *Javan*, quod Japheti filio nomen fuit. Alii alia comminiscuntur.

[f] *Cereale*] Quia Ceres frugum dea. *Janual* verò illud Libum appellabatur quod Jano tantummodo libabatur: de quo Festus, quem vide.

[g] *Mixta*] *Mola* dicebatur far tostum & Sale sparsum.

Nomina ridebis. modò namque [h] Patulcius idem,
  Et modò sacrifico [i] Clusius ore vocor.
Scilicet alterno voluit rudis illa vetustas
  Nomine diversas significare [k] vices.
Vis mea narrata est: caussam nunc disce figuræ.
  Jam tamen hanc [l] aliqua tu quoque parte vides.
Omnis habet geminas hinc atque hinc janua frontes;
  E quibus hæc populum spectat; at illa [m] Larem.
Utque sedens vester primi prope limina tecti
  Janitor egressus introïtúsque videt;
Sic ego perspicio cælestis janitor aulæ
  [n] Eoas partes, [o] Hesperiásque simul.
[p] Ora vides [q] Hecates in [r] tres vergentia partes,
  Servet ut in ternas compita secta vias.
Et mihi; ne flexu cervicis tempora perdam,
  Cernere non moto corpore bina licet.
Dixerat: & vultu, si plura requirere vellem,
  Se mihi difficilem non fore, fassus erat.
Sumsi animum, gratésque Deo non territus egi:
  Verbáque sum [s] spectans pauca locutus humum.

INTERPRETATIO.

videbis nomina, namque idem nunc dicor Patulcius, nunc Clusius ore Sacerdotis. Nimirum illa antiquitas imperita voluit indicare vices diversas nomine alterno. Potestas mea declarata est: nunc accipe rationem formæ. Cernis tamen tu etiam hanc parte aliquâ. Omnis janua habet duas frontes hinc atque hinc; è quibus hæc respicit populum, at illa domum. Atque ut vester Janitor sedens ad limina prima domus aspicit exitus & ingressus; ità ego Janitor regiæ cælestis simul video partes quæ ad ortum & quæ ad occasum spectant. Cernis vultus Hecates flexos in tres partes, ut custodiat trivia divisa in ternas vias. Possum quoque videre bina corpore non moto, ne teram tempus flexu colli. Absolverat, & indicaverat vultu, se non futurum mihi durum, si vellem petere plura. Collegi animos, & intrepidus egi gratias Deo, & protuli paucas voces respiciens terram.

NOTÆ.

[h] *Patulcius*] A *patendo*.

[i] *Clusius*] A *Claudendo*: uti ab ipso Jano mox dicetur.

[k] *Vices*] Aperiendi & Claudendi. Cautio verò fuit maxima superstitiosæ antiquitati, ne quid officiorum aut nominum divinorum in sacris suis prætermitterent.

[l] *Aliqua*] Multa namque jam eò spectantia vidimus.

[m] *Larem*] Pro domo aut iis quæ sunt domi posuit.

[n] *Eoas*] Quæ ad Auroram & Orientem spectant.

[o] *Hesperias*] Quæ ad Hesperum stellam seu Occidentem pertinent.

[p] *Ora*] Ab exemplo ostendit sibi quamobrem sit frons duplex.

[q] *Hecates*] Hæc plurimis aliis nominibus insignita Cereris filia, Plutonis conjux, in Inferis *Proserpina*, in nemoribus *Diana*, in cœlo *Luna* appellatur.

[r] *Tres*] Quia tricipitem esse finxerunt hanc, quæ à matre in trivio exposita, triviis præesse credita, atque in iis culta.

[s] *Spectans*] Quia fulgidus & radiatus Jani vultus quem humana acies ferre non posset: deinde venerationis caussâ.

Dic, age, frigoribus quare novus incipit annus;
Qui [t] meliùs per ver incipiendus erat?
Omnia tunc florent: tunc est nova temporis ætas:
Et nova de gravido palmite gemma tumet.
Et modò formatis [u] amicitur vitibus arbos;
Prodit & in summum [x] seminis herba solum:
Et tepidum volucres concentibus aëra mulcent;
Ludit & in pratis, luxuriátque pecus.
Tum blandi soles: [y] ignotáque prodit hirundo;
Et [z] luteum celsâ sub trabe fingit opus.
Tum [a] patitur cultus ager, & renovatur aratro.
Hæc anni novitas jure vocanda fuit.
Quæsieram multis: non multis ille moratus,
Contulit in versus sic sua verba duos.
[b] Bruma novi prima est, veterísque novissima Solis:
Principium capiunt [c] Phœbus & annus idem.
Postea mirabar, cur [d] non sine litibus esset
Prima dies. Caussam percipe, Janus ait.
[e] Tempora commisi nascentia rebus agendis;
Totus ab auspicio [f] ne foret annus iners.
Quisque suas artes ob idem delibat agendo:
[g] Nec plus quàm solitum testificatur opus.

INTERPRETATIO.

Aperi, quæso, quamobrem novus annus, qui meliùs erat incipiendus per ver inchoatur frigoribus? Omnia tunc florent: tunc ætas temporis est nova, & gemma seu oculus recens tumet de gravido palmite. Et arbor vestitur vitibus nunc formatis; & herba seminis protruditur in extremam terram: & aves deliniunt aërem tepidum concentibus, & pecus saltat & luxuriat in pratis. Tum Soles lenes, atque hirundo nova prodit, & fingit opus luteum sub tigno sublimi. Tum ager colitur, & renovatur aratro: Hæc meritò fuit appellanda novitas anni. Petiveram multis: ille non detinuit me multis: comprehendit sic suam orationem duobus versibus. Solstitium est initium novi Solis, & extremum antiqui: Sol & annus sumunt idem initium. Mirabar deinde, quamobrem prima dies non esset sine certaminibus. Rationem disce, inquit Janus. Assignavi tempora crescentia rebus agendis, ne totus annus esset desidiosus ab auspicio. Quisque ideo attingit suas artes agendo, nec ampliùs quàm profitetur opus consuetum.

NOTÆ.

[t] *Meliùs*] Quia scilicet verno tempore omnia revivescunt, & quasi renovantur.

[u] *Amicitur*] Notum verò quomodò ulmis aut populis adjungantur vites.

[x] *Seminis herba*] Quæ ex semine progerminat.

[y] *Ignota*] Vel quia unde redeat nescimus vel quia nova & per hyemem remota.

[z] *Luteum*] Nidum ex luto.

[a] *Patitur cultus*] Colitur.

[b] *Bruma*] Solstitium hybernum.

[c] *Phœbus*] Non abs te sanè, siquidem, tenebrarum & quasi mortis tempus à Sole diminuitur, lucisque & vitæ ab eodem accessu suo augetur.

[d] *Non sine*] Auspicii enim gratiâ, non lucri, generis omnis opus Kalendis Januariis instaurabant, & suæ artis professionem aperiebant; causidici etiam litium suarum aliquid agitabant.

[e] *Tempora nasc.*] Anni principium.

[f] *Ne foret*] Qui enim per inertiam primo anni die auspicatus esset, pergere ita deinceps videretur.

[g] *Nec plus*] Id unum quæsitum ut bono omine artem suam quisque profiteretur.

Mox ego; Cur, quamvis aliorum numina [h] placem,
 Jane, tibi primo thura merúmque fero?
[i] Ut per me possis aditum, qui limina servo,
 Ad quoscunque velim prorsus, habere Deos.
At cur læta tuis dicuntur verba Kalendis;
 Et damus alternas accipimúsque preces?
Tum Deus [k] incumbens baculo, quem dextra gerebat;
 Omnia principiis, inquit, inesse solent.
Ad primam [l] vocem [m] timidas advertitis aures;
 Et visam primùm consulit augur [n] avem.
Templa [o] patent auréśque Deûm: nec lingua [p] caducas
 Concipit ulla preces; dictáque pondus habent.
Desierat paucis: nec longa silentia feci;
 Sed tetigi verbis [q] ultima verba meis:
Quid vult [r] palma sibi, rugosáque [s] carica, dixi,
 Et data sub niveo candida mella favo?
Omen, ait, caussa est, ut [t] res sapor ille sequatur;
 Et peragat cœptum dulcis ut annus iter.

INTERPRETATIO.

Continuò ego petivi; Quamobrem Jane, tametsi studeam placare numina aliorum Deorum *offero tibi primò thura & vinum? Ut per me, qui custodio fores, possis consequi accessum ad Deos quoscumque velim prorsus. At quamobrem voces faustæ proferuntur tuis Calendis; & exhibemus atque accipimus preces alternas. Tum Deus innitens scipioni, quem ferebat dextrâ; Præsagia, inquit, consueverunt inesse exordiis. Advertitis aures pavidas ad primam vocem; & augur consulit alitem primùm visam. Templa & aures Deorum sunt apertæ: neque ulla lingua concipit vota infirma: & dicta sunt efficacia. Absolverat paucis; neque diu tacui; sed tetigi novissimas voces verbis meis: Quid, dixi, significat palma, & carica rugosa, & mella alba oblata sub candido favo? Præsagium, inquit, est ratio; ut sapor ille contingat rebus, & ut dulcis annus absolvat iter institutum.*

NOTÆ.

[h] *Placem*] *Placare studeam votis atque sacrificiis.*

[i] *Ut possis*] Annon hac in parte Moses insigniter depictus, qui Dei ad populum Israëliticum, tum populi ad Deum vox fuit?

[k] *Incumbens*] Quasi ad rem arduam sese componens: neque temerè. Namque ut dimidium facti qui cœpit, habet, si Horatio nostro credimus, ità certè difficile omnia propè ut par est auspicari: & quod dicit Janus seriò animadvertendum.

[l] *Vocem*] Cùm auribus oscinum avium captatur augurium.

[m] *Timidas*] Quia incerti bonumne an malum futurum omen.

[n] *Avem*] Quando ex præpetum avium volatu auspicia captabant.

[o] *Patent*] Jano duce *scil.*

[p] *Caducas*] *Irritas*, quæ ad numinis surdas aures non perveniant. *Caduca auspicia* dixerunt veteres, si quid, virga, verbi gratiâ, manu in templo excideret.

[q] *Ultima*] Quæ protulerat Janus *scil.*

[r] *Palma*] Palmarum fructus. *Des Datset.*

[s] *Carica*] Genus est fici, cujus in Cariâ copia fuit maxima. Pro quibusvis autem aridis, adeòque rugosis hîc ponuntur.

[t] *Res sapor*] Hypallage. Id est, ut *Res omnes per totum annum, sicut sapor dulcium illorum, sint dulces.* Anilis superstitio. Quanquam non malè fecerit, qui absque eâ, de renovandis suis & in melius effingendis rebus, novo anno, cogitaverit.

Dulcia

Dulcia cur dentur video: [u] stipis adjice caussam,
Pars mihi de festo ne labet ulla tuo.
Risit; &, O quàm te [x] fallunt tua sæcula, dixit,
Qui stipe mel sumtâ dulcius esse [y] putes!
Vix ego [z] Saturno quenquam regnante videbam,
Cujus [a] non animo dulcia lucra forent.
Tempore crevit amor, qui nunc est summus, habendi.
Vix ultra, quo jam progrediatur, habet.
[b] Pluris opes nunc sunt, quàm prisci temporis annis;
Dum populus pauper, dum nova Roma fuit:
Dum casa [c] Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis [d] ulva torum.
Jupiter angustâ [e] vix totus stabat in æde;
Inque Jovis dextrâ [f] fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc Capitolia gemmis:
Pascebátque suas ipse Senator oves.
Nec pudor, in stipulâ placidam cepisse quietem,
Et fœnum capiti supposuisse, fuit.
Jura dabat populis posito modò Consul aratro;
Et levis argenti [g] lamina [h] crimen erat.

INTERPRETATIO.

Cerne quamobrem dulcia efferantur; adde caussam nummi, ne pars ulla mihi excidat de festo tuo. Risit; atque, inquit, ô quàm tua ætas tibi est parùm perspecta, qui credas mel esse suavius nummo accepto. Vix ego aspiciebam quemquam Saturno regnum obtinente, cujus ingenio quæstus non esset gratus. Desiderium habendi auctum est cum tempore, quod nunc est extremum. Vix habet quò jam procedat longiùs. Divitiæ nunc sunt cariores, quàm annis veteris temporis, dum populus fuit egenus, dum Roma fuit nova; dum exile tugurium tenebat Quirinum Marte genitum; & ulva fluvii præbebat tenuem lectum. Vix Jupiter totus stabat in templo arcto, & fulmen fictile erat in dextrâ Jovis. Decorabant ramis Capitolia, quæ nunc gemmis; & ipse Senator pascebat suas pecudes. Neque puduit leniter requievisse in culmo, & submisisse fœnum capiti. Consul dicebat jura populis, aratro modò relicto; & tenuis lamina argenti erat crimen.

NOTÆ.

[u] *Stipis*] Stips nummus est signatus, Festo autore.

[x] *Fallunt*] Quia Nasonis quoque temporibus auri sacra fames plerosque exercebat.

[y] *Putes*] Non enim in dulcibus stipem recensuerat Naso.

[z] *Saturno*] Qui Deus antiquissimus, cœlo pulsus, apud Janum regem in Italia latuit, à quô & in regni societatem vocatus fuit.

[a] *Non animo*] Adeòque ab omni ævo lucrum dulce; quod minùs intelligere videbatur Naso, qui nequidem suo id esse putabat. Verùm enimvero hic jocus est.

[b] *Pluris*] *In majori sunt pretio.*

[c] *Martig.*] Marte satum Romulum seu Quirinum Romanorum regem jam sæpe diximus.

[d] *Ulva*] Palustris herba nullius valoris.

[e] *Vix stabat*] Propter ædis humilitatem.

[f] *Fictile*] Quia ex figulinis antiquissima illa petebantur Deorum simulacra.

[g] *Lamina*] Rudis & infabricata est materia metalli, Crassior quàm bractea.

[h] *Crimen*] Censoriâ enim notâ damnabantur qui argenti quinque pondo possiderent. Scribit adeòque Val. Maximus, Cornelium Rufinum perinde ac malo exemplo luxuriosum à Fabricio Censore Senatu motum, quòd vasa argentea decem pondo comparasset.

At postquam [i] Fortuna loci caput extulit hujus;
Et tetigit summos vertice Roma Deos;
Creverunt & opes, & opum furiosa cupido:
[k] Et, cùm possideant plurima, plura volunt.
Quærere ut absumant, absumta requirere certant:
Atque ipsæ vitiis sunt alimenta [l] vices.
Sic, quibus intumuit suffusâ venter ab undâ,
Quò plus sunt potæ, plus sitiunrur aquæ.
[m] In pretio pretium nunc est. dat census honores;
Census amicitias: pauper ubique jacet.
Tu tamen auspicium si sit stipis utile quæris,
Curque juvent nostras [n] æra vetusta manus.
Æra dabant olim; meliùs nunc omen in auro est:
Victáque [o] concedit prisca moneta novæ.
Nos quoque templa juvant, quamvis antiqua probemus,
Aurea. majestas convenit ista Deo.
Laudamus veteres, sed nostris [p] utimur annis.
Mos tamen est æquè dignus uterque coli.
Finierat monitus. placidis ita rursus, ut antè,
[q] Clavigerum verbis alloquor ipse Deum:
Multa quidem didici. sed cur [r] navalis in ære
Altera signata est, altera forma biceps?

INTERPRETATIO.

At postquam fortuna hujus loci extulit caput, & Roma attigit vertice supremos Deos, divitiæ etiam auctæ sunt, & insanum desiderium habendi: & cùm habeant plurima, cupiunt plura. Contendunt cumulare, ut disperdant, & cogere de novo disperdita: atque ipsæ vices sunt pabulum vitiis. Ità quibus alvus distenta est ab aquâ suffusâ, quo plus aquæ sunt sumtæ plus desiderantur. Hodie nummus est carus. Pecunia donat honores; pecunia facit amicitias; pauper ubique preteritur. Tu interea petis num augurium nummi sit utile; & quamobrem æra antiqua placeant nostris manibus. Æra faciebant olim præsagium; nunc potius est in auro; & nummus antiquus superatus dat locum recenti. Ædes etiam aurea nobis placent, quanquam laudemus veteres. Iste splendor convenit Deo. Probamus annos præteritos, verùm utimur nostris. Utraque tamen consuetudo est pariter digna observari. Absolveras documenta. Ego denuo verba facio ad deum clavigerum lenibus verbis ut priùs: Equidem plurima sum edoctus: verùm quamobrem altera figura cælata est navalis in ære, altera biceps?

NOTÆ.

[i] *Fortuna*] Fatum urbis Romæ, & ipsius Reipublicæ status.

[k] *Et cum*] Crescit adeòque avarus sicut hydropicus, ut loquitur Horatius, & mox inculcabit ipse Naso.

[l] *Vices*] Vicissitudines quærendi & absumendi alunt inexpletam cupiditatem.

[m] *In pretio*] Quasi dicat pecuniam solam magni pendi.

[n] *Æra*] Quæ priùs quàm argentum aurumve signata. Primus verò Janus. si Macrobio credis; Servius rex, si Plinio, æra signasse dicitur, pro quibus antea rudi ære eoque penso Romæ utebantur.

[o] *Concedit*] Quia *scilicet* ærea minoris pretii quam argentea, vel aurea.

[p] *Utimur*] Loquitur Janus ex hominum ingenio, ut corruptionis majorem potestatem insinuet, quæ etiam Deos quasi à vero abstrahat.

[q] *Clavigerum*] Janum *scil.*

[r] *Navalis*] Quamobrem in antiquis numismatibus, ex alterâ parte Janus biceps, ex altera navis esset, nunc Naso quærit.

Noscere [f] me duplici posses in imagine, dixit;
Ni vetus ipsa dies extenuaret [t] opus.
Caussa ratis superest: [u] Thuscum rate venit in amnem
Ante [x] pererrato [y] falcifer orbe Deus.
Hac ego Saturnum memini tellure [z] receptum,
Cælitibus regnis ab Jove pulsus erat.
Inde diu [a] genti mansit Saturnia nomen:
Dicta quoque est Latium terra, latente Deo.
At bona posteritas puppim servavit in ære,
[b] Hospitis adventum testificata Dei.
Ipse solum colui, cujus placidissima lævum
Radit arenosi Tibridis unda latus.
Hîc, ubi nunc Roma est, incædua silva virebat:
Tantáque res [c] paucis pascua bubus erat.
Arx mea collis erat, quem cultrix nomine nostro
Nuncupat hæc ætas, [d] Janiculúmque vocat.
Tunc ego regnabam, [e] patiens cùm terra Deorum
Esset, & humanis numina mista locis.
Nondum [f] Justitiam facinus mortale fugarat.
Ultima de Superis illa reliquit humum.

INTERPRETATIO.

Posses, inquit, noscere me in duplici effigie, nisi ipsum tempus trivisset antiquum opus. Caussa navis restat: Deus falcifer navi appulit in fluvium Thuscum orbe priùs perlustrato. Recordor Saturnum receptum hâc terrâ. Pulsus erat regnis cœlestibus à Jove. Inde nomen Saturnia mansit diu genti: tellus appellata est etiam Latium, à Deo latente. At bona posteritas servavit navem in ære, perhibens testimonium accessui Dei hospitis. Ego obtinui terram, cujus aqua lenissima Tibridis arenosi alluit ripam sinistram. Hîc, ubi Roma nunc est, nemus intactum frondebat; & res tanta erat pascua paucis bobus. Arx mea erat tumulus, quem hæc ætas pia appellat nomine nostro, & dicit Janiculum. Ego tunc imperium tenebam, cùm tellus ferret Deos, & numina mista sedibus humanis. Flagitia hominum nondum pepulerant Justitiã. Illa postrema ex cœlestibus deseruit terram.

NOTÆ.

[f] *Me*] Janus *scil.* ex bicipiti formâ cognoscebatur.

[t] *Opus*] Figuram in ære expressam.

[u] *Thuscum*] Qui Tibris est.

[x] *Pererrato*] Cùm Jovem fugeret, cui insidias struxerat.

[y] *Falcifer*] Saturnus est, per quem tempus volunt significari.

[z] *Receptum*] Ab ipso quidem Jano; ut suprà dictum.

[a] *Genti*] Italiæ enim non modò à latendo *Latium* dicta est pars illa in qua latuit Saturnus; sed uti terræ, nationi etiam *Saturnia* ab eodem nomen remansit.

[b] *Hospitis*] Potiùs est, ut per navem, vel Arcam Noæ, vel fiscellam illam scirpeam pice ac bitumine oblitam credas significari, in quâ Moses est expositus. Diximus namque jam suprà per Janum Mosem intelligi debere. Verùm in tantâ suâ cœcitate passim historias & fabulas permiscuerunt Ethnici. Cæterùm diversissima habet Plutarchus; quem vide si tanti est, 40 Problem.

[c] *Paucis*] Pauperes quippe coloni paucis bobus tenuitatem suam sublevabant.

[d] *Janiculum*] Janiculus non collis modò fuit, quem postea Roma ædificiis suis nobilem fecit; sed & olim oppidulum habuit à concordibus Jano Saturnoque conditum.

[e] *Patiens esset*] Priusquam sceleribus suis homines Deos fugassent.

[f] *Justitiam*] Astræam appellavit hanc Deam in Metam.

Proque metu populum sine vi pudor ipse regebat.
  Nullus erat, justis reddere jura, labor.
Nil mihi cum bello: pacem postésque tuebar:
  Et clavem ostendens, Hæc, ait, arma gero.
Presserat ora Deus. tunc sic nostra ora resolvo,
  Voce meâ voces eliciente Deo.
Cùm tot sint [g] Jani; cur stas sacratus in uno,
  Hîc ubi juncta [h] foris templa duobus habes?
Ille manu mulcens propexam ad pectora barbam,
  Protinus [i] Oebalii rettulit [k] arma Titi.
Utque [l] levis custos armillis capta Sabinis,
  Ad summæ Tatium duxerit [m] arcis iter.
Inde, velut nunc est, per quem descenditis, inquit,
  Arduus in valles & Fora clivus erat.
Et jam contigerat [n] portam: [o] Saturnia cujus
  Demserat appositas insidiosa seras.
Cum [p] tanto veritus [q] committere numine pugnam,
  Ipse meæ [r] movi callidus [s] artis opus.

INTERPRETATIO.

Atque ipsa verecundia loco timoris ducebat populum sine vi. Nullus erat labor jus dicere justis. Nihil erat mihi cum bello. Servabam pacem & januam: atque exhibens clavem, Hæc, inquit, arma gero. Deus clauserat os suum: Tunc sic aperio nostrum, meâ voce educente voces Dei. Cùm tot sint Jani quamobrem stas sacratus in uno, hîc ubi habes ædem proximam duobus foris? Ille fingens barbam promissam ad pectus, continuò memoravit arma Titi Oebalii: & quemadmodum custos levis amore correpta armillarum Sabinarum duxerit Tatium ad viam ultima arcis. Inde, ait, erat collis asper, sicuti nunc est, per quem descenditis in valles & fora. Atque jam pervenerat ad portam, cujus Saturnia insidiosa sustulerat seras affixas. Ego astutus metuens venire in certamen cum tantâ Deâ movi opus artis meæ.

NOTÆ.

[g] *Jani*] Hoc est Jani statuæ, & templa.

[h] *Foris*] Romano & Boario, aut Boario & Piscario; in eo loco *scil.* unde calida illa aqua exiit adversus Tatium, de quâ suprà: quem locum *Lautolas* à lavando Varro dictum asserit.

[i] *Oebalii*] Oebalius seu Laconicus dicitur Tatius rex Sabinorum, quia cum Aboriginibus Sabinis Laconum nonnulli profugi sese miscuerant. Laconia verò *Oebalia* ab Oebalo rege dicta.

[k] *Arma*] Quæ adversus Romanos Tatius intulit, & Jani calida aqua modò memorata depulit.

[l] *Levis custos*] Tarpeia, ejus Tarpeii filia, qui Romanæ arci præerat; quæ quidem puella armillarum consequendarum gratiâ quas sinistris Sabini gerebant, eoque adeò parvi momenti, Capitolium arcem magnam hostibus prodidit.

[m] *Arcis*] Capitolii *scilicet.*

[n] *Portam*] Viminalem *scil.* quæ & *Janualis* ab eventu dicta est. Verùm Tabulis opus est Topographicis, si quis ista accuratè cupit perspicere.

[o] *Saturnia*] Possessivum posuit pro Patronymico. Juno nempe de qua hîc agitur filia Saturni, Romanis *scil.* à Trojanis usque infensa, cùm maximè Carthagini suæ excidio fore eos audivisse.

[p] *Tanto*] Junone *scilic.* quæ ad iram & vindictam maximè prona.

[q] *Committere*] Juno verò portam aperuerat.

[r] *Movi opus*] Romanis opem tuli, opus movendo meæ artis.

[s] *Artis*] Quæ in aperiendo fuit & claudendo sita.

[t] Oraque, quâ pollens ope sum, fontana reclusi;
Sumque repentinas ejaculatus aquas.
Antè tamen gelidis subjeci [u] sulphura venis:
Clauderet ut Tatio fervidus humor iter.
Cujus ut utilitas pulsis percepta Sabinis;
Quæque fuit, tuto [x] reddita forma loco est,
Ara mihi posita est parvo conjuncta [y] sacello:
Hæc [z] adolet flammis cum [a] strue farra suis.
At cur pace [b] lates, [c] motísque recluderis armis?
Nec mora; quæsiti reddita caussa mihi.
Ut populo reditus pateant ad bella profecto,
Tota patet demtâ janua nostra serâ.
Pace fores obdo; ne quà discedere possit:
Cæsareóque diu nomine [d] clausus ero.
Dixit; &, attollens oculos [e] diversa tuentes,
Adspexit toto [f] quidquid in orbe fuit.
Pax erat; & vestri, Germanice, caussa triumphi
Tradiderat famulas jam tibi [g] Rhenus aquas.

INTERPRETATIO.

Atque aperui scaturigines potentiâ quâ polleo, & emisi aquas subitaneas. Submisi tamen priùs sulphura venis frigidis, ut aqua calida obstrueres aditum Tatio. Cujus aquæ postquam auxilium cognitum est Sabinis prohibitis, & facies quæ fuit, restituta est loco securo, altare mihi constitutum est additum exiguo sacello: hoc consumit ignibus suis farra cum strue. At quamobrem clauderis tempore pacis, & recluderis armis concussis? Atque sine cunctatione, ratio relata mihi petiti. Tota nostra porta aperta est sublato obice, ut reditus pateant populo profecto ad bella. Pace claudo januas, ne quâ possit dilabi: & diu ero obseratus nomine Cæsareo. Absolvit; atque erigens oculos aspicientes diversa, intuitus est quicquid fuit in universo mundo. Pax erat, & Rhenus caussa vestri triumphi, Germanice, jam tibi obtulerat aquas servas.

NOTÆ.

[t] *Ora*] *Scaturigines.*

[u] *Sulphura*] Quorum calore fervesceret aqua.

[x] *Reddita forma*] Sabinis pulsis & exhaustâ aquâ.

[y] *Sacello*] *Ædicula*, Jano dicatæ.

[z] *Adolet*] *Urit.*

[a] *Strue*] Libi est genus, autore Festo.

[b] *Lates*] Quando clauditur templû tuum.

[c] *Motis*] Is verò qui belli susceperat administrationem, sacrarium Martis ingressus, primùm ancilia commovebat, deinde hastam ipsius simulacri, dicens, *Mars vigila.*

[d] *Clausus*] Regnante Numa clausum primò Jani templum fuerat; secundò post primum bellum Punicum; tertiò, pace terra marique partâ, post bellum Actiacum Augustus obseravit. Sed apertum postea, & clausum sæpius, ut ex Dione in primis apparet.

[e] *Diversa*] Anteriora quippe & posteriora.

[f] *Quicquid*] In Germanici gratiam dictum illud, qui anno Urbis 769 de Cheruscis, Chattis, & Angrivariis triumphavit. Procul namque dubio & multò antè Germanico decretum istum triumphum intellexerat Naso. Quanquam non ideò clausum templum Jani; siquidem non omnia bella extincta fuerant.

[g] *Rhenus*] Per Rhenum populos ejus accolas intellige, quorum voluntate Germanicus victor utebatur.

Jane, face æternos, Pacem, Pacísque [h] ministros;
[i] Neve suum, præsta, deserat auctor opus.
Quod tamen ex ipsis licuit mihi discere [k] Fastis;
Sacravêre Pâtres [l] hâc [m] duo templa die.
Accepit Phœbo Nymphâque Coronide [n] natum
[o] Insula, [p] dividuâ quam premit amnis aquâ.
Jupiter [q] in parte est. cepit locus unus utrumque:
Junctáque sunt magno templa [r] nepotis avo.
QUid vetat & stellas, ut quæque oritúrque cadítque,
Dicere? [s] promissi pars sit & ista mei.
Felices animos, quibus [t] hæc cognoscere primis,
Inque domos superas [u] scandere cura fuit!
Credibile est illos pariter vitiísque locísque
Altiùs humanis exseruisse caput.
Non [x] Venus & vinum sublimia pectora fregit;
Officiúmve fori, militiæve labor.
Nec levis ambitio, perfusáque gloria [y] fuco;
Magnarúmve fames sollicitavit opum.

INTERPRETATIO.

Jane fac Pacem, & ministros Pacis æternos: atque præsta ne auctor destituat opus suum. Patres consecrarunt hâc die duas ædes, quod tamen licuit mihi cognoscere ex ipsis fastis. Insula, quam fluvius lambit aquâ divisâ accepit genitũ Phœbo & Nymphâ Coronide. Jupiter est in parte. Unus locus cepit utrũque: & delubra nepotis sunt proxima magno avo.

QUid prohibet indicare stellas, prout quæque oritur & occidit? Ista quoque sit pars officii mei. Beatæ mentes, quibus primis fedit in ingenio intelligere hæc, & ascendere in sedes cœlestes! Credere est illas simul extulisse cervicem excelsius & vitiis & sedibus humanis. Non Venus & Bacchus, aut officium fori, & labor belli corrupit corda elata. Neque vana ambitio, & gloria illita fuco, & desiderium magnarum divitiarum illas *movit.*

NOTÆ.

[h] *Ministros*] Tiberium & Germanicum omnino intelligas postulat & res, & temporum ratio: cæterùm Nasonis votum ad Augustum spectare etiam, quo superstite adhuc decretus illis triumphus, ex Annalibus facilè est probare.

[i] *Neve*] *Ne qui Pacis Auctor fuit moriendo Pacem destituat.*

[k] *Fastis*] Annalibus & veteribus dierum monumentis.

[l] *Hac*] Calendis *scil.* Januariis.

[m] *Duo*] Jovi alterum, alterum Æsculapio.

[n] *Natum*] Æsculapius est Apolline ex Coronide nymphâ Phlegiæ, vel ut alii tradunt, Leucippi filiâ, genitus.

[o] *Insula*] Illam intelligit quam Tybris acit.

[p] *Dividuâ*] Scilicet insulæ objectu dividitur aqua.

[q] *In parte*] Quia in eâdem insulâ illi dicatum templum.

[r] *Nepotis*] Æsculapius Apollinis filius Jovis quidem nepos fuit, siquidem Apollo Jovem patrem habuit.

[s] *Promissi*] Dixit ab initio,
Lapsáque sub terras, ortáque signa canam.

[t] *Hæc*] Cœlestia *scilicet*, longè ab omni ambitione aliisq; pravis terræ cupiditatibus.

[u] *Scandere*] Hoc est, studiosè cœlestia scrutari.

[x] *Venus*] Cujus verò bonæ rei sit capax, quem Venus damnosa, aut Vinum violens torquet, ambitiosæ lites, seu bellorum strepitus obtundunt.

[y] *Fuco*] Eoque maximè fallaci.

[z] Admovêre oculis distantia sidera nostris;
Ætheráque ingenio [a] supposuêre suo.
[b] Sic petitur cælum: non ut ferat [c] Ossan Olympus;
Summáque [d] Peliacus sidera tangat apex.
Nos quoque sub [e] ducibus cælum metabimur illis,
[f] Ponemúsque suos ad stata signa dies.
Ergo ubi nox aderit venturis [g] tertia Nonis,
Sparsáque cælesti rore [h] madebit humus;
Octipedis [i] frustra quærentur brachia [k] Cancri:
Præceps occiduas ille subivit [l] aquas
Institerint Nonæ, missi tibi nubibus atris
[m] Signa dabunt imbres, exoriente [n] Lyra.
Quattuor adde dies [o] ductis ex ordine Nonis;
Janus [p] Agonali luce [q] piandus erit.

INTERPRETATIO.

Admoverunt oculis nostris astra remota, & submiserunt cœlum ingenio suo. Eo modo scanditur æther: non ut Olympus sustineat Ossam, & vertex Pelii tangat suprema sidera. Nos etiam metiemur cœlum sub illis ducibus, & assignabimus suos dies ad constituta signa.

Adeòque postquam nox tertia aderit Nonis futuris, & terra erit humida strata rore cœlesti, brachia Cancri octipedis nequicquam quærentur: ille præceps mersus est in aquas occiduas.

Nonæ advenerint, nimbi impulsi nubibus fuscis facient tibi indicia, Lyrâ exoriente.

Adjice quatuor dies Nonis digestis ex ordine, Janus erit placandus die Agonali.

NOTÆ.

[z] *Admovere*] Quia cognitioni nostræ subjecerunt.

[a] *Suppos.*] Quia Cœli rationem, &c. investigaverunt.

[b] *Sic*] Perscrutando cœlestia.

[c] *Ossan*] Quos Thessaliæ montes gigantes ad oppugnandum cœlum dicuntur construxisse, ut sæpe inculcatum.

[d] *Peliacus*] Vertex Pelii Thessaliæ montis altissimi.

[e] *Ducibus*] Philosophis *scil.* & Astronomis.

[f] *Ponemus*] Id est, Singulis signis, quæ suo & fixo tempore oriuntur & occidunt, quæ sunt suis circulis affixa, quorum vertigine vertuntur, proprios dies assignabimus.

[g] *Tertia*] Tertio Nonas Januarias Cancer occidit inquit Columella; hoc est tertio Januarii. Atque hoc intelligendum de occasu Cosmico, qui fit penè jam Sole oriente. Cæterùm spectat ad Astronomos subtilis hujusce rerum disquisitio.

[h] *Frustrà*] Quia occiderint.

[i] *Madebit*] Ex rore matutino.

[k] *Cancri*] Hunc Junonis beneficio in sidera relatum volunt, qui Herculis pedem momordit in Lernæa palude cùm adversus hydram certaret, atque ab eo est protritus. Ejus formam in cœlo si cupis spectare, compara tibi Hyginum: frustrà namque hæc alios auctores transcripserimus.

[l] *Aquas*] In mare enim mergi videntur astra, quandò occidunt.

[m] *Signa dabunt*] Indicio erunt instare Nonas, quibus & Lyra exoritur, & tempestates simul. Atque Lyram quod attinet, quæ & *fidicula* dicta, Nonis oriri intelligas Heliacè, & emergere Solis abscessu.

[n] *Lyra*] Hæc esse creditur, quâ Manes olim sibi conciliasse Orpheus dicitur.

[o] *Ductis*] Id est, quatuor adde dies, non retrogradiendo sicuti numerare consueverant, sed ex ordine post exactas Nonas procedendo; adeòque quinto Idus, seu nono Januarii Janus Agonali, &c.

[p] *Agonali*] Festo die, quo Agonia seu hostia κατ᾽ ἐξοχὴν aut princeps gregis Principe civitatis interrogato, immolatur.

[q] *Piandus*] *Hostiâ placandus.*

Nominis esse potes [r] succinctus [s] caussa [t] minister,
Hostia cælitibus quo feriente cadit.
Qui calido strictos tincturus sanguine cultros,
Semper (Agone ?) rogas, nec nisi jussus agis.
Pars, quia non veniant pecudes, sed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.
Pars putat hoc festum priscis Agnalia dictum ;
[u] Una sit ut proprio littera demta loco.
An, quia prævisos in aquâ [x] timet hostia cultros,
A pecoris lux est ista notata metu ?
Pars etiam, fieri solitis ætate priorum
Nomina de ludis [y] Graja tulisse diem.
Et pecus antiquus dicebat Agonia sermo :
Veráque judicio est ultima caussa meo.
Utque ea nunc certa est ; ita [z] Rex placare sacrorum
Numina lanigeræ conjuge debet ovis.
[a] Victima, quæ dextrâ cecidit [b] victriçe, vocatur.
Hostibus amotis [c] hostia nomen habet.

INTERPRETATIO.

Sacerdos succincte, quo percutiente victima procumbit diis, potes esse caussa nominis. Qui infecturus cultros cruore calido petis semper Agone? neque agis nisi monitus. Nonnulli putant diem Agonalem habere nomen ab actu, quia oves non accedant sed agantur. Pars credunt hoc festum appellatum Agnalia *à veteribus, ut una littera sit sublata proprio loco. An, quia victima metuit cultros prævisos in aquâ, hæc dies est signata à metu pecoris. Alii quoque* arbitrantur *diem habuisse nomina græca de ludis solitis celebrari tempore majorum. Atque lingua vetus appellabat bestiam Agoniam : & ultima ratio est vera meâ sententiâ. Et sicuti ea nunc certa est, ità Rex sacrorum tenetur placare deos marito ovis lanigeræ. Victima appellatur, quæ procubuit dextrâ victrice. Hostia habet nomen ab hostibus depulsis.*

NOTÆ.

[r] *Succinctus*] Ut ad opus expeditior esset.

[s] *Caussa*] Varias hujus nominis *Agonalis* caussas seu rationes recenset ; & primam quidem ex sacrificuli Regis sollenni voce petitam, qui principem seu populum civitatis ità interrogabat *Agone ?* seu ferione hostiam ? Quæ quidem ratio Varroni placuit.

[t] *Minister*] Sacerdos ipse, seu Rex sacrificulus.

[u] *Una*] O scilicet. Sed subtilior quàm verior videtur hæc Etymologia, quia non agna, sed aries atque is princeps gregis eo die mactabatur.

[x] *Timet*] Ἀγωνιάω enim Græcorum est *Timeo* seu *Metu angor* Latinorum.

[y] *Graia*] Ἀγὼν enim Græcis est certamen ; primusque dicitur Hercules *Agonales* ludos in Elide instituisse.

[z] *Rex sacrorum*] Sacrificulus fuit, Pontifici subjectus, quem post exactos reges Consule Bruto creavere ideo, quòd quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, & necubi illorum desiderium esset.

[a] *Victima*] Ansâ sumtâ ex iis quæ de Agonalibus dixit, multa de sacrificiis veterum intrudit.

[b] *Victrice*] Ejus manu qui hostem ipse vicisset.

[c] *Hostia*] Ab hostibus non malè crediderim hostiam dici : cæterùm cùm ab his qui in hostem pergerent, tum illis qui eum vicissent, cujusvis tamen Sacerdotis manu, cædebantur.

Ante

[d] Antè, Deos homini quod conciliare valeret,
[e] Far erat, & puri lucida mica ſalis.
[f] Nondum pertulerat [g] lacrymatas cortice myrrhas
Acta per æquoreas hoſpita navis aquas.
Thura nec [h] Euphrates, nec miſerat India [i] coſtum,
[k] Nec fuerant rubri cognita fila croci.
Ara dabat fumos herbis contenta [l] Sabinis,
Et [m] non exiguo laurus aduſta ſono.
Si quis erat, factis prati de flore coronis,
Qui poſſet violas addere; dives erat.
Hic, qui nunc aperit percuſſi viſcera tauri,
In ſacris [n] nullum culter habebat opus.
Prima Ceres avidæ gaviſa eſt ſanguine [o] porcæ,
Ulta ſuas [p] meritâ cæde nocentis opes.
Nam ſata vere novo teneris [q] lactentia ſulcis
Eruta ſetigeræ comperit ore ſuis.

INTERPRETATIO.

Far, & granum ſplendidum ſalis nitidi olim erat, quod poſſet facere deos propitios homini. Navis peregrina adducta per aquas marinas nondum advexerat myrrhas ſtillatas ex cortice. Neque Euphrates miſerat thura, neque India coſtum, neque fila rubri croci fuerant cognita. Altare contentum graminibus Sabinis, & laurus aduſta non levi crepitu faciebat fumos. Si quis eſſet qui poſſet adjicere violas fertis compoſitis de flore prati, erat opulentus. Hic culter, qui nunc fodit præcordia tauri percuſſi nullum habebat opus in ſacris. Prima Ceres lætata eſt cruore ſuis avida, ulta divitias ſuas morte nocentis. Nam invenit vere novo ſegetes lactentes in mollibus ſulcis inverſas roſtro porca ſetifera.

NOTÆ.

[d] *Ante*] Priuſquam in tantum aucta eſſet Romani Imperii Majeſtas.

[e] *Far*] Mola ipſa, quæ ex molito farre & ſale.

[f] *Nondum*] Jani *ſcil.* temporibus agreſtes & ſemiferi homines quid myrrha thuſve eſſet paſùm euſabant. Neque ſatìs conſtat quo primùm tempore in Italiam advecta hujuſcemodi odoramenta.

[g] *Lacrymatas*] Ad locum alludit qui eſt Metam. 10, ubi Myrrhæ, Cynaræ patris amore correptæ fabula tota narratur: quò ne pigeat recurrere.

[h] *Euphrates*] Qui Meſopotamiæ fluvius maximus in ſinum Perſicum influens, ab Oriente fœlicem Arabiam, unde thus petitur, claudens, merces & Sabæa aromata in alias gentes tranſmiſit.

[i] *Coſtum*] Frutex eſt cujus radix guſtu fervens, odore eximio, primo ſtatim introitu amnis Indi in Patale inſulâ, itemque in Arabiâ naſcens.

[k] *Nec fuer.*] Quia è Cilicia nondum advectum, neque per Italiam cultum.

[l] *Sabinis*] Herba eſt ad Cupreſſi ſimilitudinem fruticans. *De la Savinière.*

[m] *Non exiguo*] Quia folia ejus in igne crepitant.

[n] *Nullum*] Donis quippe non victimis Deorum favorem ſibi conciliare nitebantur.

[o] *Porca*] *Sus* verò à Græco ὗς, σῦς, vel θῦς; quod antiquius fuit, à verbo θύειν, quod eſt *immolare*, ideo deductum vocabulum, quòd, ut Varro ait, à ſuillo genere pecoris immolandi initium ſumtum videtur: cujus veſtigia, quòd initiis Cereris porci immolantur; & quòd initiis pacis fœdus cùm feritur, porcus occiditur, &c.

[p] *Meritâ*] Quia Cereris inventum fruges roſtro invertit, adeòque perdit.

[q] *Lactentia*] Videntur verò tenellæ ſegetes terræ humorem eodem modo ſugere quo infantes matrum ſiccant ubera.

Sus [r] dederat pœnas. exemplo territus hujus
Palmite [s] debueras abstinuisse caper.
Quem spectans aliquis dentes in vite prementem,
Talia non tacito dicta dolore dedit:
Rode, caper, vitem; tamen huic, cum stabis ad aram,
In tua [t] quod spargi cornua possit, erit;
[u] Verba fides sequitur: [x] noxæ tibi deditus [y] hostis
[z] Spargitur affuso cornua, Bacche, mero.
Culpa sui nocuit; nocuit quoque culpa capellæ.
Quid bos, quid placidæ commeruistis oves?
Flebat [a] Aristæus, quòd apes cum [b] stirpe necatas
Viderat inceptos destituisse favos.
[c] Cærula quem genetrix ægrè solata dolentem,
Addidit hæc dictis ultima verba suis:
Siste, puer, lacrymas. [d] Proteus tua damna levabit;
Quoque modo repares, [e] quæ periêre, dabit.
[f] Decipiat ne te versis tamen ille figuris;
Impediant geminas vincula firma [g] manus.

INTERPRETATIO.

Porca persolverat pœnas: caper tremefacte exemplo hujus debueras abstinuisse palmite. Quem aliquis cernens figentĕ dentes in vite, protulit talia verba dolore minimè secreto: Rode vitem, caper, tamen erit illi viti quod possit fundi in tua cornua, quando stabis ad altare. fides sequitur dicta; hostis proclivis in damna tua, Bacche, habes cornua sparsa mero affuso. Noxa obfuit porca, noxa etiam obfuit capella. Quid Taure, quidve mites oves commeruistis? Aristæus lacrymabatur, quòd adverterat apes extinctas cū prole reliquisse favos inceptos. Quem dolentem mater cærulea vix consolata, adjecit has novissimas voces sermonibus suis; Puer omitte fletus: Proteus minuet tua damna, & docebit quo modo restituas quæ perierunt. Attamen validi laquei ligent ambas manus, ne ille tibi imponat mutatis figuris.

NOTÆ.

[r] *Dederat*] Neque verò tam imperitè Ethnici quæ cuique Deo maximè contraria pecora credebant impigrè mactabant. Immò & inde haud quaquam temerè aliquid in usus tuos expisceris.

[s] *Debueras*] Quia *scil.* Baccho ob injurias suas mox jugulabitur.

[t] *Quod*] Vinum *scil.* de more præterquam in sacris Cereris.

[u] *Verba*] Id est, Verba re ipsâ comprobata sunt.

[x] *Noxa*] Id est, *traditus tibi pro peccato*: namque, ut inquit Festus, *Cùm lex jubet noxa dedere, pro peccato dedi jubet.*

[y] *Hostis*] Caper *scil.* qui vites rosit.

[z] *Spargitur*] Ad òque postmodum Baccho mactatur.

[a] *Aristæus*] Hujus Apollinis & Cyrenes filii quam hic Naso perstringit, fabulam prolixè habes apud Maronem sub finem Georgicorum: quò voluptatis causâ recurrere ne pigeat. Eâdem disces operâ, quamobrem ab ipso primò mactati boves: quod nunc enarrare incipit noster.

[b] *Stirpe*] Omni sobole.

[c] *Cærula*] Quia aquarum nympha Cyrene Penei amnis filia.

[d] *Proteus*] Hic Oceani & Tetyos, vel Neptuni & Phœnices filius, in omnes formas se vertere peritus, vates fuit qui nosset omnia.

[e] *Quæ per.*] Apes *scil.*

[f] *Decipiat*] Namque effugisse Proteum credidisset, qui eum sub eadem formâ nunquam conspicaretur.

[g] *Manus*] Protei *scil.* qui, ut ait Maro, priùs vinculis capiendus, neque sine vi ulla dat præcepta.

Pervenit ad vatem [h] juvenis: resolutáque somno
Alligat æquorei brachia capta [i] senis.
Ille suâ faciem [k] transformis adulterat arte:
Mox domitus vinclis in [l] sua membra redit.
Oraque cæruleâ tollens rorantia barbâ;
[m] Quâ, dixit, repares arte requiris apes?
Obrue mactati corpus tellure juvenci:
Quod petis à nobis, obrutus ille [n] dabit.
Jussa facit [o] pastor. fervent [p] examina putri
De bove: mille animas [q] una necata dedit.
[r] Poscit ovem fatum. [s] verbenas [t] improba carpsit;
Quas pia [u] Dîs ruris ferre solebat anus.
Quid tuti superest; animam cùm ponat in aris
Lanigerúmque pecus, ruricolæque boves?
Placat [x] equo Persis radiis [y] Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.
Quod semel est [z] triplici pro [a] virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro [b] nullâ virgine cerva cadit.

INTERPRETATIO.

Adolescens pervenit ad vatem, atque constringit lacertos senis marini solutos sopore. Ille mutabilis vertit vultus suâ arte: mox coactus funibus induit denuo suos artus. Atque attollens os stillans, barba cæruleâ, petis, inquit, quomodo repares apes? Defodito corpus tauri peremti: ille defossus præbebit quod petis à nobis. Pastor exequitur jussa. Examina pullulant & prorumpunt de tauro putrido: una anima interfecta genuit mille. Fatum vocat ovem: improba vellit verbenas, quas pia anus solebat ferre diis ruris. Quid restat securi; cùm ovis lanigera, & tauri ruricolæ deponant animã in altaribus? Persis placat Hyperionem vallatum radiis, ne victima lenta præbeatur Deo cito. Quia cerva est semel mactata Dianæ triplici pro puellâ, nunc etiam mactatur pro nullâ puellâ.

NOTÆ.

[h] *Juvenis*] Aristæus *scil.*

[i] *Senis*] Protei *scil.* dormientis: namque aliter quomodo alligasset.

[k] *Transformis*] Proteus, qui omnes formas induere arte, quâ fortè pollebat, magicâ, didicerat.

[l] *Sua membra*] Primam & propriam formam sumsit.

[m] *Quâ*] Quàm bene istud & ex coacto ingenio expressit.

[n] *Dabit*] Magno verò consensu antiqui ex putrefactis boum visceribus præsertim nasci apes tradiderunt.

[o] *Pastor*] Aristæus.

[p] *Examina*] Magno numero & festino impetu apes prorumpunt.

[q] *Una*] Juvenci.

[r] *Poscit*] Nunc, venustâ certè transitione, ad Ovium fabulam, cur mactentur, transit Naso.

[s] *Verbenas*] Cujus herbæ usus multus in sacris.

[t] *Improba*] Temeraria.

[u] *Dîs ruris*] Baccho putà, Cereri, aliisque.

[x] *Equo*] Soli quippe celerrimo numini gratum fore citum equum Persæ autumant.

[y] *Hyperiona*] Dicunt nonnulli Titanis & Terræ fuisse filium, Solisque patrem: alia itemque alii non multæ frugis. Verùm pro Sole ipso sæpius sumitur.

[z] *Triplici*] Quia trivia, triceps, & triplici nomine in cœlis, silvis & inferis appellata, ut suprà dictum.

[a] *Virgine*] Iphigeniâ *scil.* Agamemnonis filiâ, Dianæ aris ideo admovenda, quòd ipse, inscius, illius cervam occidisset; pro quâ tamen puellâ deorum miseratione alia cerva supposita. Fabulas verò hujusmodi identidem prolixè repetere non foret tædiosum modò, sed & inutile; cùm ubique prostent elegantes libelli qui has omnes enucleant.

[b] *Nulla*] Nulla quippe Iphigenia jam redimenda.

Exta [c] canum [d] vidi Triviæ libare [e] Sapæos:
Et quicunque tuas accolit, [f] Hæme, nives.
Cæditur & [g] rigido custodi ruris asellus.
Caussa pudenda quidem est, huic tamen apta Deo.
[h] Festa [i] corymbiferi celebrabas Græcia Bacchi,
[k] Tertia quæ solito tempore bruma refert.
Dî quoque cultores gelidi venêre [l] Lycæi,
Et quicunque jocis non alienus erat:
[m] Panes, & in Venerem [n] Satyrorum prona juventus,
Quæque colunt amnes soláque rura Deæ.
Venerat & senior pando [o] Silenus asello,
Quique rubro pavidas inguine terret aves.
Dulcia qui dignum nemus in convivia nacti
[p] Gramine vestitis accubuêre toris.
Vina dabat Liber: tulerat sibi quisque coronam,
Miscendas [q] parcè rivus agebat aquas.

INTERPRETATIO.

Vidi Sapaos & quisquis positus est ad tuas nives, Hame, facere Trivia visceribus canum. Asellus mactatur etiam rigido custodi ruris. Caussa quidem est turpis, sed tamen conveniens huic Deo. Gracia celebrabas festa Bacchi corymbiferi, qua tertia bruma refert tempore consueto. Dii etiam cultores frigidi Lycai, & quisquis non erat alienus jocis convenerunt. Panes, & juventus Satyrorum proclivis in Venerem, & Dea qua frequentant fluvios & rura deserta venerant. *Aderat quoque Silenus senior incurvo asello, & qui incussit timorem avibus pavidis rubro inguine. Qui nacti silvam aptam in grata convivia accubuerunt lectis vestitis gramine. Bacchus prabebat merum; singuli tulerant sibi serta. Rivus vehebat aquas miscendas parcè.*

NOTÆ.

[c] *Canum*] Non abs re sanè, siquidem illorum latratu phantasmata quæ ab Dianâ seu Hecate aut Proserpinâ immittuntur, ex istorum hominum opinione contra ejus voluntatem dissolvuntur.

[d] *Vidi*] Quo tempore credas exul per Thracum fines iter habuit, uti dictum in Tristibus.

[e] *Sapaos*] Thraciæ fuerunt populus, qui & *Sinties, Sinti*, & *Saii* aliquando dicti, habitantes in littore circa Abderam.

[f] *Hame*] Hæmus mons est Thraciæ nivosus. Verùm dubium non est quin de Zerintho, quam urbem & antrum Hecates facit Stephanus, Lycophron *Canis antrum* dixit, cogitaverit Naso. Namque & ipsum illâc transiisse in Tristibus vidimus; & ibi solitos præcipuè canes Hecate immolari testis, Suidas.

[g] *Rigido*] Priapo *scil.* Veneris & Bacchi filio, cujus ridiculi & fascino suo turpissimi dei in hortorum limine statua rudis ponebatur.

[h] *Festa*] Fabulam occipit narrare, ex quâ sacri antecedentis origo cognoscatur.

[i] *Corymbiferi*] *Corymbus* fructus est hederæ, ex quâ Baccho coronæ nectebantur.

[k] *Tertia*] Tertio enim quoque anno, brumali tempore, Trieterica Baccho majori sollennitate quàm alia ejus festa, in expeditionis Indicæ memoriam triennio peractæ, celebrabantur. Quâ in re, si tamen aliorum veriorem sententiam sequi amas, annua fuisse hæc Bacchi sacra ne dubites. *Trieteris* enim nihil aliud fuit quàm tres anni quadrimestres, seu duo semestres.

[l] *Lycai*] Qui mons fuit Arcadiæ Pani deo sacer.

[m] *Panes*] Fauni, Sylvani, de quibus toties.

[n] *Satyr.*] Qui Bacchi comites, Faunis similes.

[o] *Silenus*] Bacchi fuit nutritius, pædagogus, & comes assiduus, semper ebrius, quem tamen Satyri tanquam patrem observabant.

[p] *Gram. Vest.*] Toris graminicis: non enim tapetibus strata humus erat.

[q] *Parcè*] Utpote in Bacchi convivio.

[r] Naïdes [s] effusis aliæ sine pectinis usu,
Pars aderant [t] positis arte manuque comis.
Illa super suras tunicam collecta ministrat;
Altera [u] dissuto pectus aperta sinu.
Exserit hæc humerum; vestem trahit illa per herbas.
Impediunt teneros [x] vincula nulla pedes.
[y] Hinc aliæ Satyris [z] incendia mitia præbent;
Pars tibi, [a] qui pinu tempora nexa geris.
Te quoque, inexstinctæ Silene libidinis, urunt.
[b] Nequitia est, quæ te non sinit [c] esse senem.
At ruber hortorum decus & tutela Priapus
Omnibus ex illis [d] Lotide captus erat.
Hanc cupit, hanc optat: solâ suspirat in illâ;
Signáque dat nutu; sollicitárque notis.
Fastus inest pulcris, sequitúrque superbia formam.
Irrisum vultu despicit illa suo.
Nox erat: &, vino somnum faciente, jacebant
Corpora diversis victa sopore locis.
Lotis in herbosâ sub acernis [e] ultima ramis,
Sicut erat lusu fessa, quievit humo.
Surgit [f] amans: [g] animámque tenens, vestigia furtim
Suspenso [h] digitis fert taciturna gradu.

INTERPRETATIO.

Naides convenerant pars comis sparsis sine usu pectinis, aliæ crinibus fictis arte & manu. Illa ministrat habens tunicam collectam super suras; altera habens pectus nudum veste soluta. Hæc profert humerum: illa ducit vestem per gramina. Nullus calceus vincit molles pedes. Hinc aliæ movent lenes ardores Satyris; pars tibi, qui habes tempora vincta pinu. Incendunt te quoque, Silene, libidinis inextinctæ. Lascivia est quæ non patitur te esse senem. At Priapus ruber honos & Custos hortorum erat captus amore Lotidis ex illis omnibus. Cupit hanc, hanc optat, suspirat in illâ solâ; & facit indicia nutu, & sollicitat signis. Superbia inest formosis, & fastus comitatur pulcritudinem. Illa contempsit irrisum vultu suo. Nox erat; & corpora oppressa somno, mero inducente somnum, prostrata erant diversis locis. Lotis lassa sicut erat lusu requievit ultima sub frondibus acernis in terrâ gramineâ. Amans surgit, & comprimens spiritum fert clanculum pedes tacitos suspenso gradu.

NOTÆ.

[r] *Naides*] Quas deas suprà dixit colere amnes.
[s] *Effusis*] *Crinibus passis & impexis.*
[t] *Positis*] *Compositis*
[u] *Dissuto*] Ob dissutam vestem.
[x] *Vincula*] Pro calceis.
[y] *Hinc*] Ex eo quòd ità lascivientes nymphæ, & prope nudæ.
[z] *Incendia*] Amorem.
[a] *Qui pinu*] Pana indicat: nam pinu coronatur.
[b] *Nequitia*] Lascivia, blanditiæ, gestus protervi, &c.
[c] *Esse*] Pro *videri.*
[d] *Lotide*] Lotidos amore, quæ nympha in Loton arborem deorum miseratione conversa.
[e] *Ultima*] Postquam cæteri obdormivissent.
[f] *Amans*] Priapus *scil.*
[g] *Animam ten.*] *Spiritum, aut oris halitum comprimens.*
[h] *Digitis*] Pedum *scil.*

Ut tetigit niveæ ſecreta cubilia Nymphæ;
Ipſa ſui flatûs ne ſonet aura, cavet.
Et jam finitimâ corpus [l] librabat in herbâ:
Illa tamen multi plena ſoporis erat.
Gaudet: &, à pedibus tracto velamine, vota
Ad ſua felici cœperat ire viâ.
Ecce rudens rauco Sileni vector aſellus
Intempeſtivos edidit ore ſonos.
Territa conſurgens Nymphe manibúſque Priapum
Rejicit, & fugiens [k] concitat omne nemus.
At Deus, obſcœnâ nimium quoque parte paratus,
Omnibus ad Lunæ lumina riſus erat.
Morte dedit pœnas auctor clamoris: & hinc eſt
[l] Helleſpontiaco victima grata Deo.
[m] Intactæ fueratis aves ſolatia ruris;
Aſſuetum ſilvis, innocuúmque genus;
Quæ facitis nidos, quæ plumis ova fovetis,
Et facili dulces editis ore modos.
Sed nihil iſta juvant: quia linguæ crimen habetis,
Dîque putant mentes vos aperire ſuas.
Nec tamen id falſum. nam, Dîs ut proxima quæque,
[n] Nunc pennâ veras, nunc datis ore notas.
Tuta diu volucrum proles, [o] tum denique cæſa eſt:
[p] Juverúntque Deos [q] indicis exta ſui.

INTERPRETATIO.

Poſtquam pervenit ad occulta cubilia Nympha candida, cavet ne ventus ſui halitus ſtrepitum edat. Atque jam librabat corpus in gramine proximo, illa tamen erat plena plurimi ſomni. Lætatur, & vinculis detractis pedibus cœperat ire ad ſua vota viâ felici. Ecce aſellus Sileni rudens emiſit ſonum intempeſtivum ore rauco. Nympha exſurgens tremefacta eſt, & repulit Priapum manibus, & fugiens concitat omnem ſilvam. At Deus nimiùm etiam paratus parte turpi erat ludibrio omnibus ad lumina Lunæ. Auctor clamoris exſolvit pœnas cæde; & inde eſt victima grata Deo Helleſpontiaco. Aves oblectamenta ruris, genus aſſuetum ſilvis & innoxium fueratis illibata; quæ ſtruitis nidos, quæ fovetis ova plumis, & emittitis dulces modos ore docto. Verùm iſta nihil proſunt, quia habetis crimen linguæ, & Dii credunt vos detegere cogitationes ſuas. Neque tamen id vanum, nam ut quæque eſt familiaris Diis, facitis indicia certa nunc pennâ nunc linguâ. Soboles alitum diu ſecura tum denique mactata eſt; & viſcera ſui indicis placuerunt Diis.

NOTÆ.

[l] *Librabat*] Leviter in herbâ juxta nympham deponebat.

[k] *Concitat*] Omnes à ſomno excitat.

[l] *Helleſpont.*] Priapo *ſcil.* Lampſaceno, à Lampſaco urbe, quæ eſt. in littore Helleſponti, in orâ Aſiaticâ. Helleſpontum autem ab Helle Phryxi ſorore, quæ in illud mare decidit, appellatum eſſe ſæpe diximus.

[m] *Intactæ*] Nunc ad avium cædem declarandam pergit Poëta.

[n] *Nunc*] Præpetes *ſcil.* volatu, Oſcines garritu futura prænunciare ex augurali diſciplinâ credebantur.

[o] *Tum denique*] Cùm futurorum fecerunt indicia.

[p] *Juverunt*] Quia Diis mactatæ.

[q] *Indicis*] Avis quæ Deorum mentem aperit.

Ergo sæpe suo conjux abducta marito
Uritur ignitis alba columba [r] focis.
Nec [s] defensa juvant Capitolia, quo minùs anser
Det jecur in lances, [t] Inachi [u] lauta, tuas.
Nocte Deæ [x] Nocti [y] cristatus cæditur ales,
Quod tepidum vigili provocat ore diem.
[z] Interea Delphin clarum super æquora sidus
Tollitur; & [a] patriis exserit ora vadis.
[b] POstera lux hiemem medio discrimine signat;
Æquaque præteritæ, quæ superabit, erit.
[c] PRoxima prospiciet [d] Tithono [e] Aurora [f] relicto
[g] Arcadiæ sacrum [h] pontificale Deæ.

INTERPRETATIO.

Ergo alba columba conjux frequenter avulsa suo marito absumitur aris incensis. Neque Capitolia protecta prosunt, quò minùs anser præbeat jecur in patinas tuas, Inachi lauta. Ales cristatus jugulatur nocte Dea Nocti, quia ciet calidum diem ore experrecto. Interea Delphin sidus lucidum tollitur super maria; & extrahit os ex gurgitibus patriis.

DIes sequens signat hyemē discrimine medio, & quæ supererit erit æqualis anteactæ.

AUrora proxima Tithono relicto prospiciet sacrum pontificale Deæ Arcadiæ.

NOTÆ.

[r] *Focis*] In Veneris aris tota adurebatur.

[s] *Defensa*] Primos anseres Gallorum in Capitolium ascensum persensisse, & clangore vigiles excitasse notius est, quàm ut prolixè hic inculcetur.

[t] *Inachi*] Rex fuit Argivorum Inachus, quem in fluvium ejus nominis mutatum fuisse volunt. Hujus verò filia fuit Io, seu Isis, cujus sacerdotes anserinis ac bubulis carnibus vesci apud Ægyptios, tradit Herodotus.

[u] *Lauta*] Lautam dicit ex Romanorum opinione, qui anseres, præsertim verò eorum jecora, inter lautissima cibaria habebant.

[x] *Nocti*] Quæ quidem Poëtis Dea est.

[y] *Cristatus*] Gallus, qui cantu suo noctis silentium turbat, & quasi diem provocat.

[z] *Interea*] Atque adeò Agonali luce, seu quinto Idus: quanquam Cæsari apud Plinium pridie Nonas exoritur Delphin. Sed ità intelligas Cæsari matutinum pridie Nonas, huic quinto Idus cùm occidit Sol, eum ab oriente surgere.

[a] *Patriis*] Delphinus *scil.* piscis patriam habuit mare. Illam autem fuisse dicunt nonnulli qui ex Siculo mari Arionem citharœdum in Tænarum transvexit. Alii à Neptuno inter sidera collocatum eum volunt, qui Amphitritem nuptias cum ipso detrectantem allexerit, & mitem ad Neptunum produxerit.

[b] *Postera*] Quarto Idus Januar. decimo adeòque hujus mensis die Naso, pridie Nonas Columella, & tabulæ Ptolemæi, hoc est Januarii quarto, mediam hyemem faciunt. Quomodo computaverint non satìs assequor; nisi quòd ex Brumâ ipsâ seu Solstitio hyemali hyems media mihi videretur debere dijudicari. Sed Æquinoctiorum nunquam ferè non turbata ratio. Quare ista aliis peritioribus æstimanda relinquo.

[c] *Proxima*] Tertio Idus, undecimo adeòque Januarii. Sed ne deinceps in leviculis istis immoremur, paranda erit tabula, ex quâ vetus Romanorum nostraque dies computandi ratio uno intuitu perspiciatur.

[d] *Tithono*] Hunc Laomedontis filium ab Aurorâ in cœlum sublatum, & pro marito amatum jam sæpius vidimus.

[e] *Aurora*] Pro die ipso posita passim.

[f] *Relicto*] Cū Auroræ sit officiū diē aperire.

[g] *Arcadia*] De Carmentâ sermo est; quæ Evandri mater, mulier fatidica, ideoque à Romanis culta, relictâ Arcadiâ, ubi ille regnabat, & conscensâ navi in Italiam cum ipso, qui regno pulsus fuerat, venit. A Carminibus quibus responsa comprehendebat appellatam volunt, cùm magis *Themis*, itemque *Nicostrata* diceretur. Aram ei ad Carmentalem portam sub Capitolio dedicasse Romanos scribit Dionysius. Templum præterea habuisse in foro Romano à matronis dedicatum docet Plutarchus.

[h] *Pontificale*] Quod à Pontifice, & majori quàm aliorum Sacerdotum veneratione celebrabatur. *Carmentalia* autem dicit, quæ feriæ fuerunt stativæ, quæque universi populi eodem tempore recurrebant.

Te quoque lux eadem, [i] Turni soror, [k] æde recepit;
Hic ubi [l] Virgineâ Campus obitur aquâ.
Unde petam caussas horum, moremque sacrorum?
Dirigat in medio quis mea vela [m] freto?
Ipsa mone, [n] quæ nomen habes à carmine ductum,
Propositóque fave, ne tuus erret honos.
[o] Orta prior Lunâ (de se si creditur ipsi)
A magno tellus [p] Arcade nomen habet.
Hîc fuit Evander: qui, quamquam clarus [q] utroque,
Nobilior sacræ sanguine matris erat.
Quæ, simul æthereos animo conceperat [r] ignes;
Ore dabat vero carmina plena Dei.
Dixerat hæc nato [s] motus instare sibíque,
Multam præterito tempore [t] nacta fidem.
Nam juvenis, verâ [u] nimiùm cum matre, fugatus
Deserit Arcadiam [x] Parrhasiúmque larem.

INTERPRETATIO.

Dies eadem recepit te quoque templo, soror Turni, hic ubi Campus obitur aquâ Virgineâ. Unde petam caussas & ritus horum sacrorum? quis dirigat mea lintea in medio mari? ipsa doce, qua habes nomen derivatum à carmine, atque fave instituto, ne tua gloria minuatur. Terra orta prior Lunâ (si fides habetur ipsi de se) habet nomen à magno Arcade. Evander ibi fuit, qui tametsi erat illustris utroque sanguine, erat tamen clarior sanguine *matris. Quæ statim atque conceperat cœlestes flammas animo, efferebat vero ore carmina plena Dei. Ea quæ nacta erat multam fidem tempore antea&cte, dixerat motus instare sibi & filio. Nam adolescens pulsus cum matre nimiùm verâ reliquit Arcadiam & domum Parrhasiam.*

NOTÆ.

[i] *Turni soror*] Iuturnam dicit, Turni enim Rutulorum regis soror fuit, Dauni filia, quam Jupiter pro ereptâ virginitate immortalitate donavit.

[k] *Æde*] Hoc fuit templum in Campo Martio, prope ductum aquæ virginis.

[l] *Virgineâ*] Hanc aquam virgineam appellaverunt ideo quòd quærentibus aquam militibus, virguncula quædam puella venas monstravit, quas sequuti qui foderant vim aquæ ingentem invenerunt.

[m] *Freto*] Non abs re freto materiam certè difficilem Naso comparat.

[n] *Quæ nomen*] Carmentam seu Carmentim dicit: quanquam alii quasi carentem mente interpretati sunt, quòd *scil.* Apollinis numine correpta vaticinaretur.

[o] *Orta prior*] *Antelunares* ob religionis neglectum per convicium appellati fuerant Arcades. Probrum illud in laudem verterunt, antiquiorem sidere isto gentem suam gloriantes. At Censorinus, trimestrem annum primò habuisse illos dicit, & ob id *Proselenos* appellatos seu Antelunares; cùm priùs annum habuerint, quàm is in Græciâ ad Lunæ cursum constitueretur.

[p] *Arcade*] Jovis fuit filius ex Calisto, qui Arcadiæ Peloponnesi regioni intimæ nomen dedisse dicitur.

[q] *Utroque*] Mercurii faciunt filium Evandrum plerique; à quibus dissentire videtur Naso.

[r] *Ignes*] Afflatus aut instinctus Divinos intellige.

[s] *Motus*] *Seditiones*, per quas regno pelleretur. Ob patrem, per imprudentiam tamen, interfectum, fugatum volunt nonnulli: Alia tamen alii.

[t] *Nacta*] Eventu quippe confirmata omnia quæ Carmentis prædixerat.

[u] *Nimiùm*] Quia nimiùs fuisset regno non pulsos fuisse, falsaque fuissent Carmentis vaticinia.

[x] *Parrhas.*] Arcadia alio nomine *Parrhasia* dicta est: adeòque per *larem Parrhasium*, domum Evandri patriam intellige.

Cui

Cui genetrix flenti: Fortuna [y] viriliter, inquit,
(Siste, puer, lacrymas) ista ferenda tibi est.
[z] Sic erat in fatis: nec te tua culpa fugavit;
Sed Deus. infenso pulsus es [a] urbe Deo.
Non meriti pœnam pateris, sed [b] Numinis iram.
Est [c] aliquid magnis crimen abesse malis.
Conscia mens ut cuique sua est, ita [d] concipit intra
Pectora pro facto spemque metúmque suo.
Nec tamen ut primus mœre mala talia passus:
Obruit ingentes ista procella viros.
Passus idem, Tyriis qui quondam pulsus ab oris,
[e] Cadmus, in [f] Aoniâ constitit exsul humo.
Passus idem [g] Tydeus, & idem [h] Pagasæus [i] Iason:
Et quos præterea longa referre mora est.
Omne solum forti [k] patria est; ut piscibus æquor:
Ut volucri, vacuo quidquid in orbe patet.
Nec [l] fera tempestas toto tamen horret in anno:
Et tibi (crede mihi) [m] tempora veris erunt.

INTERPRETATIO.

Cui lacrymanti mater dixit, Puer reprime fletus, fers ista ferenda est tibi cordate. Ita erat in fatis, neque tuum facinus te expulit, sed Deus: fugatus es Deo adverso. Non fers pœnam flagitii, sed iram numinis. Est aliquid scelus abesse ingentibus malis. Prout animus est conscius cuique, ità concipit intra pectus spem vel metum pro facto suo. Neque tamen fleas, quasi primus tuleris hujusmodi mala: ista procella occupavit viros maximos. Cadmus, qui olim fugatus ab oris Tyriis exsul consedit in terrâ Aoniâ passus est idē. Tydeus passus est idem, atque idem Jason Pagasæus, & quos longum esset tempus insuper memorare. Omnis terra est patria viro cordato, ut mare piscibus, ut quicquid patet in aëre aliti. Neque horrida tēpestas sævit tamē toto anno; crede mihi, tempora veris erunt etiam tibi.

NOTÆ.

[y] *Viriliter*] O mirum consilium; & subinde animo revolvendū quandiu in hoc exilio agimus! fortitudo enim, nō lacrymæ prosunt.

[z] *Sic erat*] Cuilibet ergo suum onus ferendum; nam adversus fata quis sanâ mente tergiversetur?

[a] *Urbe*] Pallantio *scil.*

[b] *Numinis iram*] Prolixâ istud indiget oratione, ut à scelere vindicetur. Cavesis saltem ex primâ specie interpreteris.

[c] *Aliquid*] Imò quantum est.

[d] *Concipit*] Atque ea est lex naturæ, seu Dei potiùs in naturâ, adversus quam frustrà quisquam cavilletur. Eò redeunt denique vel ipsi etiam scelestissimi, suique fiunt tortores. Quod quidem suadeo altissimâ mente, quisquis es mediteris.

[e] *Cadmus*] Fabulam habes ejus in Metam.

[f] *Aonia*] Bœotiâ.

[g] *Tydeus*] Qui Oenei Calydoniæ regis filius, cùm Alcatum Lycotheumque nepotes, vel, ut alii volunt imprudés Menalippum fratrem occidisset, ad Adrastum regem profugit.

[h] *Pagasæus*] *Thessalicus*, à Pagasis Thessaliæ urbe.

[i] *Jason*] Qui Æsonis filius à Peliâ in Colchos honorifico exilio missus est; deinde, Medeæ dolis sublato Peliâ eodem, ad Creontem Corinthiorum regem divertit, secumque vitæ reliquum tempus, Corinthi egit, sed de eo plura alibi.

[k] *Patria*] Quia ubique ex tenui secum Deoque vivere didicit.

[l] *Fera*] *Non semper imbres nubibus hispides*
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque, &c. inquit Horat.

[m] *Tēpora*] *Informeis* quippe *hyemes reducit*
Jupiter idem
Summovet. Non si malè nunc, & olim
Sic erit.

ut ait idem ille & verè Horat. Neque dissimilia Maro, aliique propè omnes, ex ingenio naturæ *scilicet.*

Vocibus Evander firmatâ mente parentis
Nave secat fluctus, [n] Hesperiámque tenet.
Jamque ratem doctæ monitu Carmentis in amnem
Egerat, & Thuscis [o] obvius ibat aquis.
Fluminis illa latus, cui sunt vada juncta [p] Terenti,
Adspicit; & sparsas per loca sola [q] casas.
Utque erat, [r] immissis puppim stetit ante capillis;
Continuítque manum [s] torva [t] regentis iter.
Et procul in dextram tendens sua brachia ripam,
Pinea [u] non sano ter pede [x] texta ferit.
Neve daret saltum properans insistere terræ,
Vix est Evandri vixque retenta manu.
Dîque petitorum, dixit, salvete locorum;
Tuque novos cœlo terra datura [y] Deos:
Fluminàque, & Fontes, quibus utitur [z] hospita tellus,
Et nemorum Divæ, Naïadúmque chori;
Este [a] bonis avibus visi natóque mihique:
Ripáque felici tacta sit ista pede.

INTERPRETATIO.

Evander animo confirmato sermonibus matris sulcat aquas lintre, & advehitur in Hesperiam. Jamque impulerat navem in fluvium jussu docta Carmentis, & ferebatur in aquas Thuscas. Illa cernit latus amnis, cui sunt juncta vada Terenti, & tuguria sparsa per loca sola. Atque ut erat comâ disjectâ stetit ante puppim, & sæva cohibuit dextram dirigentis iter. Atque procul tendens sua brachia in ripam dextram, ter percutit texta pinea pede furenti. Et ægrè atque ægrè cohibita est manu Evandri, ne festinans inniti terra, desiliret. Dique, inquit, locorum quæsitorum salvete, tuque tellus præbitura cœlo novos deos; & fluvii, & fontes, quibus tellus hospita utitur, & deæ silvarum, atque chori Naïadum, estote visi filio mihique lætis auspiciis, & ista ripa sit tacta fausto pede.

NOTÆ.

[n] *Hesperiam*] *Italiam.* Regnante Fauno, ante annos circiter 60, quàm Æneas in Italiam deferretur, Evandrum eodem appulsum testatur Dionysius Halicarn.

[o] *Obvius ibat*] Navigabat adversùm fluvium Tiberinum, qui ex Hetturiâ seu Tusciâ labitur.

[p] *Terenti*] Locus fuit in campo Martio, si Festo credimus; quem vide, si tanti est.

[q] *Casas*] Pastorum & Aboriginum tuguria.

[r] *Immissis*] *Sparsis*, de more furentium, aut Spiritu quopiam divino correptorum.

[s] *Torva*] Ferox & furens, divino spiritu plena.

[t] *Regentis*] Illius qui ad gubernaculum sedebat; quem ad ripam tendere aut eò navim dirigere volebat.

[u] *Non sano*] Quia numine correpta.

[x] *Texta*] Navis ipsius tabulata.

[y] *Deos*] Spectat istud præsertim ad Cæsares: quamquam neque Romulus excludendus.

[z] *Hospita*] Quæ nos excipiet.

[a] *Bonis avibus*] *Felici augurio.*

[b] Fallor? an [c] hi fient ingentia mœnia colles?
 Juráque ab hâc terrâ cætera terra petet?
Montibus his olim totus promittitur orbis.
 Quis [d] tantùm fati credat habere locum?
Et [e] jam [f] Dardaniæ tangent hæc littora [g] pinus.
 Hîc [h] quoque caussa novi [i] fœmina Martis erit.
Care nepos, [k] Palla, funesta quid induis arma?
 Indue. non [l] humili vindice cæsus eris.
[m] Victa tamen vinces, eversâque Troja resurges.
 Obruet [n] hostiles ista ruina domos.
[o] Urite victrices [p] Neptunia Pergama flammæ:
 Non minùs hic toto est altior orbe [q] cinis?
Jam pius Æneas [r] sacra, & sacra [s] altera patrem,
 Afferet. Iliacos excipe, [t] Vesta, Deos.

INTERPRETATIO.

Decipior? an hi clivi fient [illegible] excelsi? & cætera terra petet jura ab hâc terra. Totus orbis promittitur olim his collibus. Quis credat locum habere tantùm fati? Atque jam naves Dardaniæ admovebuntur huic ripæ. Hic etiam fœmina erit caussa novi belli. Palla, dilecte nepos, quamobrem capis arma exitialia? Cape: non interficiêris tenui ultore. Troja victa vinces tamen, & prostrata excitaberis. Istud excidium obruet domos hostiles. Flamma victrices incendite Perg[illegible] Neptunia. Num hic cinis minùs est altior to[illegible]? Jam pius Æneas advehet sacra, & patr[illegible] sacra altera. Vesta excipe Deos Iliacos.

NOTÆ.

[b] *Fallor*] Sine omni periculo vaticinari potest, siquidem illud vaticinari est, re ipsâ quæ comprobata sunt proferre. Nasonis enim quàm Carmentis credideris magis istud esse de dominâ urbe vaticinium.

[c] *Hi colles*] Septem illos celebres dicit in quibus posita regina Urbium Roma, Palatinum, Capitolinum, Aventinum, Cœlium, Esquilinum, Viminalem, Quirinalem, quos prospectabat Carmentis.

[d] *Tantùm*] Ut possit gentibus imperare, qui nunc incultus & solus locus est.

[e] *Jam*] Post 60 annos enim eodem Æneas appulit.

[f] *Dardaniæ*] Trojanæ.

[g] *Pinus*] Pro navibus.

[h] *Quoque*] Ad Helenam istud spectat, quæ belli Trojani fuit causa.

[i] *Fœmina*] Lavinia *scilicet*, Latini filia, cujus causâ gravissimum, Turnum inter atque Æneam, bellum intercessit. De quibus Maro.

[k] *Palla*] Hunc Æneæ suppetias ferentem Turnus occidit.

[l] *Humili*] Turnum quippe, Pallantis maximè causâ Æneas peremit.

[m] *Victa*] A Græcis eversa.

[n] *Hostiles*] Romani quippe à Trojanis derivati Græciam totam imperio suo subjecerunt.

[o] *Urite*] In Græcos specie quâdam Ironiæ invehitur.

[p] *Neptunia*] A Neptuno Phœboque extructa.

[q] *Cinis*] Per cinerem, quæcumque incendio Trojano superfuerunt, atque adeò heroës intellige, à quibus nova mœnia excitata, quæ in orbem totum imperium suum protulerunt.

[r] *Sacra*] Ignem æternum *scil.* cum Palladio, aliisque Diis, de quibus qui fuerint non satis constat.

[s] *Altera*] Patrem Æneæ Anchisen dicit, quem Deum fecit, & pro Deo coluit; ut ex Marone liquet.

[t] *Vesta*] Per Vestam, templum Vestæ dicatum intellige, à Numâ primò positum, ut plurimis placet, multisque ceremoniis venerabile factum.

Tempus erit, cùm vos, orbémque tuebitur [u] idem:
Et fient ipso sacra colente Deo:
Et penes [x] Augustos patriæ tutela manebit.
Hanc fas imperii fræna tenere domum.
Inde [y] nepos [z] natúsque Dei (licet ipse recuset)
[a] Pondera cœlesti mente paterna feret.
Utque ego perpetuis olim sacrabor in aris;
Sic [b] Augusta novum Julia numen erit.
Talibus auspiciis nostros descendit ad agros;
[c] Substitit in medios præscia lingua sonos.
Puppibus egressus Latiâ stetit [d] exsul in herbâ.
Felix, exsilium cui locus [e] ille fuit!
Nec mora longa fuit. stabant [f] nova tecta: nec alter
Montibus Ausoniis [g] Arcade major erat.
Ecce boves illuc [h] Eritheïdas applicat heros
Emensus longi [i] claviger orbis iter.

INTERPRETAT[IO]

Tempus erit, cùm idem defendet vos at[que] orbem; & sacra celebrabuntur [ipso Deo] colente: & tutela patri[æ man]ebit penes Augustos. fas hanc [dom]um tenere habenas imperii. In[de n]epos & filius Dei, quamvis ipse [recus]ajet, feret onera paterna mente cœlesti. Atque ut ego sacrabor olim in altaribus æternis; ità Julia Augusta erit nova dea. Descendit in nostros agros hujusmodi auspiciis; lingua præscia substitit in medias voces. Profugus egressus navibus stetit in gramine Latino. Beatus, cui ille locus fuit exsilium. Neque tempus fuit longum; nova ædificia constructa erant; neque alius erat major Arcade in collibus Ausoniis. Ecce heros claviger peragrato itinere vasti orbis advehit illuc vaccas Eritheïdes.

NOTÆ.

[u] *Idem*] Ad Julium Cæsarem refertur istud vaticinium, qui & Imperium & Pontificatum, ipse quoque Diis adscriptus, obtinuit.

[x] *Augustos*] Augustum Cæsarem, ejusque posteros.

[y] *Nepos*] Germanicum intellige Augusti nepotem ideo, quòd à Tiberio adoptatus, quem Tiberium filium suum Augustus idem adoptione fecerat.

[z] *Natusque*] Tiberius est, qui improbâ mente quasi coactus & querens miseram & onerosam sibi injungi servitutem, imperium denique recepit.

[a] *Pondera*] Imperii administrationem.

[b] *Augusta*] Liviam dicit Augusti uxorem, cui Juliæ nomen datum, quòd in Juliam domum concessisset. Illi verò, ut est assentatorum ingenium, divinitas attributa; atque consecratam à Claudio nepote tradunt Suetonius & Dio. Siquidem verò ista omnia accipere non potuerit Naso, qui multò antè obiit, ab ipso hæc, captandæ benevolentiæ caussâ, anteoccupata, sagacitate quâdam dixeris.

[c] *Substitit*] Atque adeò omnia quæ mente agitabat Deo plena, non profudit. Scilicet è re non fuit Poëtæ, neque ex facili, plura aperire.

[d] *Exsul*] Evander *scil.*

[e] *Ille*] Pro se loquitur Naso, qui lubentissimè in illas oras concessisset.

[f] *Nova tecta*] Novis sedibus *Palantium*, à veteri urbe quam reliquerant, nomen imposuerunt.

[g] *Arcade*] Evandro *scil.* qui ex Arcadiâ profugerat.

[h] *Eritheïdas*] Quas ex Erythiâ insulâ in freto Gaditano, ubi Geryon regnasse dicitur, Herculem abduxisse fabulati sunt.

[i] *Claviger*] Scilicet clavam suam & pellem leoninam habuit Hercules peregrè proficiscens.

Dumque huic hoſpitium domus eſt [k] Tegeæa; vagantur
 Incuſtoditæ læta per arva boves.
Manè erat: excuſſus ſomno [l] Tirynthius hoſpes
 De numero tauros ſentit abeſſe duos.
Nulla videt taciti quærens veſtigia furti:
 Traxerat [m] averſos [n] Cacus in antra feros;
Cacus [o] Aventinæ timor atque infamia ſilvæ,
 Non leve finitimis hoſpitibúſque malum.
Dira viro facies; vires pro corpore; corpus
 Grande: pater monſtri [p] Mulciber hujus erat.
Proque domo longis ſpelunca receſſibus ingens
 Abdita, vix ipſis invenienda feris.
[q] Ora ſuper poſtes adfixáque brachia pendent,
 Squallidáque humanis oſſibus albet humus.
Servatâ malè parte boum Jove natus abibas:
 Mugitum rauco [r] furta dedêre ſono.
Accipio [ſ] revocamen, ait; vocemque ſecutus
 [t] Impia per ſilvas ultor ad antra venit.
Ille aditum fracti præſtruxerat objice montis:
 Vix [u] juga moviſſent quinque bis illud onus.

INTERPRETATIO.

Et dum domus Tegeæa eſt huic hoſpitium, juvencæ incuſtoditæ errant per amœnos campos. Manè erat: hoſpes Tirynthius excitatus à ſomno advertit duos boves deeſſe numero. Luſtrans nulla videt indicia ſecreti furti: Cacus traxerat in ſpeluncam feroces averſos, Cacus, inquam, formido atque dedecus nemorum Aventini, malum non parvum vicinis atque advenis. Vultus horridus homini, vires pro corpore; corpus ingens, Mulciber erat parens hujus monſtri. Atque vaſtum antrum productis receſſibus ſecretum, vix inveniendum ipſis feris illi erat pro domo. Vultus & brachia affixa pendent ſuper poſtes, & terra ſquallens alba eſt oſſibus humanis. Fili Jovis, diſcedebas, parte boum malè cuſtoditâ; rapina mugierunt voce raucâ. Audio revocamen, inquit, & ſecutus ſonum vindex pervenit per ſilvas ad ſpeluncam impiam. Ille præcluſerat aditum impedimento montis avulſi: vix decem juga moviſſent illud pondus.

NOTÆ.

[k] *Tegeæa*] *Arcadica* Evandri, qui hoſpitio Herculem excepit. Fuit enim Tegæa urbs Arcadica.

[l] *Tirynthius*] Hercules, cui à Tirynthe, aut Tiryntho Argis vicino oppido ubi nutritus illud datum nomen.

[m] *Averſos*] Per caudam boves in ſpeluncam ſuam traxerat Cacus.

[n] *Cacus*] Latro peſſimus cui à re ipsâ datum nomen; κακὸς enim Græcè *malus* dicitur. Vulcani filium fecerunt Poëtæ, Hiſtorici verò Evandri ſervum nequiſſimum.

[o] *Aventinæ*] Formidandum ſe in Aventini montis ſylvâ graſſationibus & latrociniis Cacus effecerat.

[p] *Mulciber*] *Vulcanus*, ferrum mulcere & ſubigere Diis paratus, ut alibi dictum.

[q] *Ora*] Capita & brachia humana in tropæi modum ex poſtibus pendebant iſtius nebulonis.

[r] *Furta*] Boves furto abductæ.

[ſ] *Revocamen*] De mugitu loquitur boüm. At certè mirè ex Herculis ingenio expreſſit, qui deceptus placidâ mente non diſcedebat.

[t] *Impia*] Propter impium Cacum.

[u] *Juga*] *Decem jugatorum boüm paria.*

Nititur hic humeris, [x] (cælum quoque sederat illis)
Et vastum motu collabefactat onus.
Quod simul evulsum est, [y] fragor æthera terruit ipsum;
Ictáque [z] subsedit pondere molis humus.
Prima movet Cacus collatâ prælia dextrâ;
Remque ferox saxis stipitibúsque gerit.
Quîs ubi nil agitur; patrias [a] malè fortis ad artes
Confugit, & flammas ore sonante vomit.
Quas quoties proflat, spirare [b] Typhoëa credas,
Et rapidum [c] Ætnæo fulgur ab igne jaci.
Occupat [d] Alcides: [e] adductáque clava trinodis
[f] Ter quater adversi sedit in ore viri.
Ille cadit, mixtósque vomit cum sanguine fumos;
Et lato moriens pectore plangit humum.
Immolat ex [g] illis taurum tibi Jupiter unum
Victor, & Evandrum ruricolásque vocat.
[h] Constituítque sibi, quæ Maxima dicitur, aram,
Hîc ubi [i] pars Urbis de bove nomen habet.
Nec tacet Evandri [k] mater, prope tempus adesse,
Hercule [l] quo tellus sit satis usa suo.

INTERPRETATIO.

Hic contendit humeris (cælum etiam positum fuerat super illos) atque impellendo devolvit ingentem molem. Qua statim atque sublata est, fragor concussit ipsum cælum, & terra percussa subsedit gravitate ponderis. Cacus movet prima certamina dextrâ consertâ, & sævus rem gerit lapidibus & sudibus. Quibus postquam nihil promovetur, parùm validus recurrit ad artes paternas, & eructat ignes ore strepente. Quos quoties efflat, arbitreris Typhœum spirare, & fulgur rapidum mitti à foco Ætnæo. Alcides invadit, & clava trinodis adducta impacta est ter, quater in os viri adversi. Ille procumbit, & vomit fumos confusos cum sanguine, & moriens verberat terram vasto pectore. Victor immolat tibi unum taurum ex illis, Jupiter, atque invitat Evandrum & ruricolas. Atque posuit sibi altare, quod dicitur maximum, hic ubi pars Urbis habet nomen de bove. Neque mater Evandri premit silentio propè tempus adesse, quo terra sit satis usa suo Hercule.

NOTÆ.

[x] *Cælum*] Dictum in Metam. pro Atlante cervicem cœlo supposuisse Herculem.

[y] *Fragor*] Ex impulsæ molis seu saxi motu.

[z] *Subsedit*] Subsidere videtur, cujus partes hinc inde disjiciuntur: nisi mavis hyperbolen hîc esse.

[a] *Malè*] Quippe cum fortiori res erat.

[b] *Typhoëa*] Quem Gigantem Ætnæ suppositum, unde flammas eructat, in Metam. vidimus.

[c] *Ætnæo*] Qui ex Ætnâ Siciliæ monte prorumpit.

[d] *Alcides*] Hercules, cui à robore illud Græcè datum nomen.

[e] *Adducta*] De more illorum, qui gravem ictum inferre parant.

[f] *Ter q.*] Manu Herculis satis fuit.

[g] *Illis*] Qui surrepti fuerant.

[h] *Constituit*] Non ità habent Historici; sed ab Evandro, à Carmentâ docto, Herculi dicatam aram maximam scribunt. Vide Dionysium & Livium.

[i] *Pars urbis*] In foro boario; cui ab immolato Herculis manibus bove datum nomen volunt: nisi quòd nonnulli ab æneâ bovis statuâ quæ ibi fuit accersunt.

[k] *Mater*] Evandrum ipsum divinationem matris Herculi aperuisse refert Dionysius.

[l] *Quo tellus*] Adeòque ille, monstris ex terrâ sublatis, ad superos sit excessurus.

At felix vates, ut Dîs gratissima vixit,
Possidet [m] hunc Jani sic Dea mense diem.
IDibus in magni castus Jovis æde sacerdos
[n] Semimaris flammis viscera [o] libat ovis:
[p] Redditáque est omnis populo provincia nostro;
Et [q] tuus [r] Augusto nomine dictus avus.
Perlege dispositas [s] generosa per atria [t] ceras;
Contigerunt nulli nomina tanta viro.
[u] Africa victorem de se vocat: alter [x] Isauras,
Aut [y] Cretum domitas testificatur opes.
Hunc [z] Numidæ faciunt, illum [a] Messana superbum,
Ille [b] Numantinâ traxit ab urbe notam.

INTERPRETATIO.

At beata vates, ut vixit gratissima Diis, ità dea habet hunc diem in mense Jani.

IDibus sacerdos castus adolet ignibus exta ovis semimaris in tēplo excelsi Jovis. Atq; omnis Provincia est reddita populo nostro, & avus tuus appellatus nomine Augusto. Evolve ceras digestas per atria nobilia, nemini obtigerunt tam præclara nomina. Africa appellat victorem de se; alius testatur opes Isauras, aut Creticas subactas: Numidæ dant fastus huic, Messana illi; ille habuit splendorem ab urbe Numantinâ.

NOTÆ.

[m] *Hunc*] Tertium Idus *scil.* quo *Carmentalia* celebrabantur.

[n] *Semimar.*] *Vervecis.*

[o] *Libat flam.*] *Sacrificat.*

[p] *Reddita*] Anno quippe ab Urbe conditâ 726, Augustus cùm omnium gratiam superiore anno beneficiis suis demeruisset, oratione ad tempus accommodatâ, sese jam imperio abdicare in Senatu, & illud reddere populo Romano proposuit. Eâ verò ratione factum, ut communibus precibus eum omnes ad illud retinendum coëgerint. Quâ re, cùm imperium stabilivisset Provincias Imperii ita partitur, ut pacatiores populo, quò Proconsules mitterentur, traderet; reliquas verò quæ fortè rebellarent sibi servaret: factumque hâc arte, ut & Senatui arma sustulerit, & ad se milites omnes, vimque adeò perduxerit. Atque hinc cujusmodi fuerit ista redditio satis patet.

[q] *Tuus*] Germanicum alloquitur.

[r] *Augusto*] Augusti cognomen sacrum atque venerandum Octavio Cæsari Idibus datum testatur Naso. Quanquam Censorinus in 16 Calend. Februar. rejicit. Orosius ad 8 Idus retrahit. Nugæ, quæ ad nos nihil spectant.

[s] *Generosa*] Virorum generosorum & nobilium, qui in atriis majorum imagines in decus gentis servabant.

[t] *Ceras*] Clypeos intellige seu imagines olim ex cerâ, quarum beneficio præclarorum virorum memoriam per singulas gentes servabant.

[u] *Africa*] Ut magis Augusti Augustum & venerandum cognomen extollat, alia præstantissimorum virorum profert, longè tamen inferiora. Africam quod attinet majori atque minori Scipioni à quibus victa, *Africani* nomen dedit.

[x] *Isauras*] Isaurorum Asiæ populorum ad Taurum montem; qui P. Servilio, à quo domiti, cognomen fecerunt *Isaurici*.

[y] *Cretum*] A Cretensibus verò, aut devictâ Cretâ insulâ Q. Metellus *Creticus* dictus est.

[z] *Numidæ*] Hi verò Africæ populi, qui sub Jugurthâ militabant, à Cecilio Metello fusi fugatique, *Numidici* titulum viro fecerunt.

[a] *Messana*] Hæc Siciliæ urbs Valerio Maximo *Messana* primò, mox *Messala*, à vulgo permutatâ litterâ, cognomen fecit.

[b] *Numantinâ*] A Numantiâ, Celtiberorum in Hispaniâ urbe nobilissimâ, Scipioni Æmiliano *Numantini* etiam cognomen ex triumpho datum.

Et mortem & nomen [c] Druſo Germania fecit.
[d] Me miſerum, virtus quam brevis illa fuit!
Si petat à victis, tot ſumat nomina Cæſar,
Quot numero gentes maximus orbis habet.
Ex [e] uno quidam celebres aut [f] torquis ademtæ,
Aut [g] Corvi titulos auxiliaris habent.
[h] Magne, tuum nomen rerum menſura tuarum eſt:
Sed [i] qui te vicit, nomine major erat.
Nec gradus eſt [k] ultra Fabios cognominis ullus.
Illa domus meritis Maxima dicta ſuis.
Sed tamen humanis celebrantur honoribus omnes;
Hic ſocium ſummo cum Jove nomen habet.
Sancta vocant auguſta Patres: auguſta vocantur
Templa, [l] ſacerdotum [m] ritè dicata manu.

INTERPRETATIO.

Germania dedit mortem & famam Druſo. Me infelicem, quàm brevis illa virtus fuit. Si Cæſar ſumat nomina à domitis, tot obtineat quot vaſtiſſimus orbis habet nationes. Quidam celebrati ex uno, vel propter armillam ſublatam, vel habent nomen Corvi opiferi. Magne, nomen tuum eſt menſura factorum tuorum: ſed qui ſuperavit te, erat major nomine. Neque eſt gradus ullus cognominis ultra Fabios. Illa domus appellata Maxima ſuis meritis. Verùm tamen omnes tolluntur laudibus humanis; hic habet nomen ſocium cum ſupremo Jove. Patres vocant ſancta Auguſta: Templa ritè ſacrata manu Sacerdotum dicuntur Auguſta.

NOTÆ.

[c] *Druſo*] Qui Tiberii frater & pater Germanici hujus cui faſtos ſuos Naſo conſecravit, cùm inter Salam fluvium & Rhenum adverſus Germanos fortiter certaſſet, victor mortem, equo ſuper crus collapſo, oppetiit, & *Germanicus* poſt fata appellatus fuit.

[d] *Me miſerum*] Siquidem ad Druſi filium verba faciebat Naſo, non abs re tanti viri recordatione cum commiſeratione loquutus. Namque Paterculo ſi qua fides, tot tantarumque virtutum fuit ille adoleſcens, quot & quantas natura mortalis percipit, vel induſtria perficit.

[e] *Uno*] Viro ſuperato putà, aut facto quopiam, &c.

[f] *Torquis*] Manlius quidem à torque aureo quem Gallo cuidam Romani nominis contemtore detraxit, poſtquam certamine ſingulari in bello viciſſet & occidiſſet, *Torquati* nomen aſſumſit.

[g] *Corvi*] Unum quemdam repentè advolaſſe & ſuper Maximi Valerii Tribuni galeam inſediſſe ſcribunt, cùm adverſus Gallorum ducem, qui agrum Pontinum occupaverant, ad ſingulare certamen deſcendiſſet. Neque id modò ſed in adverſarii ejus os atque oculos unguibus & roſtro dicitur involaſſe, manus laniaſſe, & denique uſque obturbaſſe, donec planè victus fuerit. Eam ob cauſam cognomen habuit Corvinus.

[h] *Magne*] Pompeium compellat, qui à magnis rebus geſtis *Magni* nomen reportavit.

[i] *Qui te*] Julius Cæſar *ſcil.* qui rei militaris experientiâ, virtute, & felicitate Pompeio major.

[k] *Ultra*] Maximi enim à Q. Fabio Rutiliano illud nomen acceperunt, de quo ſic Livius. *Fabius ſimul concordiæ cauſâ, ſimul ne humillimorum in manu comitia eſſent, omnem forenſem turbam excretam in quatuor tribus conjecit, urbanaſque eas appellavit: adeòque eam rem acceptam gratis animis ferunt, ut Maximi cognomen, quod tot victoriis non pepererat, hac ordinum temperatione pareret.*

[l] *Sacerdotum*] *Pontificum*; Senatus Populique juſſu & auctoritate.

[m] *Ritè*] Secundùm conſuetudinem, per auguria præſertim, precibus inſuper, aliiſque adhibitis quæ ad conſecrationem ſpectarent: de quibus alibi.

Hujus

Hujus & augurium dependet [n] origine verbi,
Et quodcunque suâ Jupiter auget ope.
Augeat imperium [o] nostri Ducis, augeat annos;
Protegat & vestras [p] querna corona fores.
[q] Auspicibúsque Deis tanti cognominis [r] hæres
Omine [s] suspiciat, [t] quo Pater, orbis onus.

INTERPRETATIO.

Augurium etiam, & quidquid Jupiter auges auxilio suo fluit ab origine hujus vocis. Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos; & corona querna tueatur vestras januas: atque hæres tanti cognominis suscipiat curam mundi Deis auspicibus, omine quo pater.

NOTÆ.

[n] *Origine*] Non meliùs credo hujus loci sensum possim reddere quàm si Tranquilli utar vocibus. Ità enim ille in Aug. cap. 7. *Loca religiosa, & in quibus augurato quid consecretur augusta dicuntur ab auctu, vel ab avium gestu gustare.* Quanquam enim ab *auctu* augurium deduci non crediderim, non minùs ideo quid sibi voluerit Naso noster, intelligitur, qui modò scopum suum assequeretur, datâ operâ etiam nonnunquam, aut saltem conscius errabat, vel errasse videri non verebatur. Scilicet hæ voces *Augustus*, & *Augurium* si mentem Poëtæ spectes, ab avium gestu, & auctu deducuntur; ut quæ augurio confirmata Augusta & aucta sint, & quæ Augusta aucta, augurio, avibus, vel potiùs Deorum nutu confirmata esse intelligantur.

[o] *Nostri ducis*] De Tiberio an magìs de Augusto agat facit ut dubites quòd Augusti tempore scripti hi Fasti, qui deinde correcti. De Augusto tamen sequentia faciunt ut exponam: quanquam alli aliter.

[p] *Querna*] De eâ suprà in Tristibus: ubi vide; nam subinde eadem repetere & tædiosum, & pravum fortè. Non abs re tamen fuerit, quod ad hunc locum maximè spectat, observare, callidissimè sibi Poëtam prospexisse, qui de coronâ quernâ & civicâ OB CIVES SERVATOS dari sollitâ, militum virtutis, & Principum clementiæ insigni clarissimo, mentionem in loco tam notabili injecerit. Namque eodem die quo *Augusti* cognomine decoratus Octavianus à Senatu, eodem inquam illi Corona querna concessa, quasi à genere humano; ut tacitè idem hic quod in Tristibus videatur Naso inculcare,

Adjice servatis unũ, Pater optime, civem.
Qui procul extremo solus in orbe jacet.

Neu genio hîc nos indulgere credideris, momenti tanti & tantæ observationis digna visa est ea corona, ut nummi plures ex eâ cusi, quidam cum coronâ ex hac fronde, & hisce litteris, OB CIVES SERVATOS; quidam cum aquilâ tenente unguibus quercum, & duobus arbusculis, (lauris scilicet) à latere; Alii cum orbe & iisdem ramulis, sed hacce inscriptione, PAX ORBIS TERRARUM. S. P. Q. R. Quòd nisi jam nimius essem, non pauca certè protulissem, ex quibus Bene merendo & Servando meliùs multò quàm sævitiâ & multis satellitibus imperium suum tutari & proferre Principem demonstratum ivissem. Satìs jam fuerit meminisse, quòd illa corona, de quâ modò, ad portam Palatinam in monumentum æternum excubias agebat.

[q] *Auspicibus*] *Faventibus.*

[r] *Hæres*] De Tiberio intellige, neque de alio.

[s] *Suspiciat*] Quasi rem arduam timeat; volentibus tamen omnibus bonis tandem in se recipiat. Imperium abdicantem vidimus suprà Augustum; & majori simulatione illud idem incipientem deinde habebimus Tiberium.

[t] *Quo pater*] Felicissimo, & cunctis volentibus.

Respiciet [u] Titan actas ubi [x] tertius Idus ;
Fient [y] Parrhasiæ sacra relata Deæ.
[z] Nam prius Ausonias [a] matres Carpenta vehebant :
[b] Hæc quoque ab Evandri dicta parente reor.
Mox honor eripitur, matronáque destinat omnis.
Ingratos [c] nullâ prole novare viros.
Neve daret partus ; ictu [d] temeraria cæco
Visceribus crescens excutiebat [e] onus.
[f] Corripuisse Patres ausas immitia nuptas,
[g] Jus tamen exemtum restituisse, ferunt.
Bináque nunc pariter [h] Tegeææ sacra Parenti
Pro [i] pueris fieri virginibúsque jubent.
[k] Scortea non [l] illi fas est inferre sacello,
Ne violent puros exanimata focos.

INTERPRETATIO.

Postquam Sol tertius respiciet Idus prateritas, sacra iterata Dea Parrhasia celebrabuntur. Nam olim carpenta ferebant matres Ausonias ; atque ea quoque puto appellata à matre Evandri. Paulò post decus tollitur, & omnis matrona decernit nullâ sobele augere maritos immemores. Et ne emitteret fœtus, audax deturbabat ex pracordiis pendus crescens ictu caco. Aiunt Patres objurgasse uxores non veritas admittere *sava* facinora, *& tamen restituisse jus sublatum. Atque jubent bina sacra nunc pariter fieri Matri Tegeaa pro pueris & puellis. Nefas est inferre scortea illi adicula, ne exanimata temerent pura altaria.*

NOTÆ.

[u] *Titan*] Sol Hyperione Titane ortus.

[x] *Tertius*] Decimo quinto Januarii, seu 18 Calend. Februarias, ità tamen ut Iduum diem comprehendas.

[y] *Parrhasia*] Arcadicæ Carmentæ ; quanquam non ipsi, sed sororibus duabus quæ etiam Carmentes dictæ sunt relata sacra. Prosæ seu Porrimæ alteri, alteri Postvortæ à recti perversique partus & potestate & nomine datum nomen, ut refert Agellius. Illam præterita, hanc futura vim noscendi habuisse testatur Macrobius.

[z] *Nam*] Causam sacri Carmentibus relati nunc profert.

[a] *Matres*] Datus nuptis hic honos paulò post captos Veios. Decima enim urbis & agri capti, quam eo bello voverat Camillus, cùm Apollini esset assignanda, neque in ærario copia extaret ; matronæ, cœtibus ad eam rem habitis, communi decreto aurum & omnia ornamenta sua in ærarium contulerunt. Grata ea res, ut quæ maximè unquam fuit Senatui : honoremque ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut pilento ad sacra ludosque, carpentis festo profestóque uterentur.

[b] *Hæc*] Carpenta à Carmenta dicit traxisse originem. Nugæ. Crediderim potiùs à carpendis seu scindendis lignis è quibus constabant deductum nomen : quomodo & Gallicè a carpendo tignarios fabros dicimus *des Charpentiers.*

[c] *Nullâ prole*] Neque masculâ neque fœminâ. Sobolem non propagare.

[d] *Temeraria*] Namque & sibi eo pacto mortem intentabant.

[e] *Onus*] Fœtum dicit seu embryonem.

[f] *Corripuisse*] *Increpasse.*

[g] *Jus*] Ut Carpentis matronæ veherentur.

[h] *Tegeæa*] Arcadicæ Carmenti, à Tegeâ Arcadiæ oppido, ut suprà.

[i] *Pueris*] Quos prius in utero necabant.

[k] *Scortea*] Id est, quæ ex Corio aut pellibus facta.

[l] *Illi*] Non modò illi, ut ex Varrone liquet, sed & aliquot aliis. *In aliquot sacris ac sacellis scriptum habemus*, inquit, *ne quid scorteum adhibeatur, ideo ne morticinum quid adsit.* Atque ex hâc superstitione nefas fuit veteribus, mortuæ pecudis corio calceos aut Soleas fieri flaminicis, quoniam suâ morte extincta omnia funesta sunt. Festum vide.

Si quis amas ritus veteres, assiste [m] precanti:
Nomina percipies [n] non tibi nota priùs.
Porrima placantur Postvertáque, sive sorores,
Sive fugæ comites, [o] Mænali Nympha, tuæ.
Altera, quod [p] porrò fuerat, cecinisse putatur;
Altera versurum postmodò quidquid erat.
[q] CAndida, te niveo posuit [r] lux proxima templo,
[s] Quà [t] fert sublimes alta [u] Moneta gradus:
[x] Nunc bene prospicies Latiam, Concordia, turbam:
Nunc te [y] sacratæ restituêre manus.
[z] Furius [a] (antiquum) populi superator Hetrusci
Voverat, & voti solverat ante fidem.
Caussa, quòd [b] à patribus sumtis secesserat armis
Vulgus; & [c] ipsa suas Roma timebat opes.

INTERPRETATIO.

Si quis amat ritus antiquos, adesto oranti, audies nomina tibi non priùs perspecta. Porrima & Postverta, seu tuæ sorores, Nympha Mænali, seu comites exilii piantur: altera creditur aperuisse quod porrò fuerat, altera quicquid erat brevì venturum.

DIes sequens constituit te in æde albâ seu marmoreâ, Concordia candida, quà excelsa Moneta fert gradus sublimes: nunc facilè prospicies agmina Latina: nunc manus sacratæ restituerunt te. Furius olim victor populi Hetrusci voverat, & antea exsolverat fidem voti. Caussa, quòd plebs secesserat à Patribus armis captis; & Roma ipsa metuebat suas vires.

NOTÆ.

[m] *Procanti*] Sacerdoti *scil.*

[n] *Non tibi*] Namque & à Nasone solo Porrimæ nomine, quæ ab aliis *Prosa*, *Prorsa* & *Anteverta* dicitur, hanc Deam cognoveris; si modò satis quæsivimus.

[o] *Mænali*] Carmentam dicit, à Mænalo Arcadiæ monte.

[p] *Porrò*] Quod longè antè fuerat. Sed veriorem paulò antè ex Gellio protulimus etymologiam: ex quâ insuper cur Carmentibus aræ statutæ sint, periculi *scil.* deprecandi causâ quod ex pravo mulierum partu imminet, apertè colligitur.

[q] *Candida*] Namque pura & sancta nisi est, Concordia dici non meretur.

[r] *Lux proxima*] Decimo septimo Calendas Febr.

[s] *Quà fert*] Locum assignat in quo templum Concordiæ dicatum, inter forum *scil.* & Capitolium, regione Urbis octavâ, prope ædem Junonis Monetæ.

[t] *Fert sub.*] Hypallage. Hoc est, quâ viâ sublimibus gradibus centum ad Junonem Monetam itur.

[u] *Moneta*] De Junone istâ Monetâ, quam à monendo dictam volunt, videbimus in sexto.

[x] *Nunc bene*] Postquam restitutum templum tuum à Tiberio atque Liviâ, Concordiæ vindicibus.

[y] *Sacrata*] Tiberii atque Liviæ: neque hîc Pontificibus locum dederis.

[z] *Furius*] M. Furius Camillus, qui Veientes vicit.

[a] *Antiquum*] *Olim.* Anno quippe ab Urbe conditâ 367 de Hetruscis triumphavit, & aliquot post annos Concordiæ ædem vovit.

[b] *A patribus*] *Roma* enim, ut ait Livius, *cùm plebs ære alieno oppressa esset, à concionibus abstinebat, & Patritii ita totam Rempublicam occupabant.* Verùm querelam eam quæ ab Urbis conditæ anno 379 decennio toto flagravit, victóque Senatu composita est, ex Livio ipso meliùs intelliges.

[c] *Ipsa*] Istuc ipsum queruntur Livius & Sallustius, posterior quidem his verbis inter cætera, *Qui labores, pericula, dubias atque asperas res facilè toleraverant, iis otium, divitiæ, optanda aliis, oneri miseriæque fuêre,* &c.

Caussa recens melior. passos [d] Germania crines
Porrigit auspiciis, [e] Dux venerande, tuis.
Inde triumphatæ [f] libasti munera [g] gentis;
Templáque fecisti, quam colis ipse, Deæ.
[h] Hæc tua constituit Genetrix & [i] rebus & [k] arâ,
Sola toro magni digna reperta [l] Jovis.
[m] HÆc ubi transierint, [n] Capricorno, Phœbe, relicto,
Per [o] juvenis curres signa gerentis aquam.
SEptimus hinc [p] Oriens cùm [q] se demiserit undis;
Fulgebit toto jam Lyra [r] nulla polo.
[s] SIdere ab hoc, [t] ignis venienti nocte [u] Leonis
Qui micat in medio pectore, [x] mersus erit.
TEr quater evolvi [y] signantes tempora Fastos;
Nec [z] Sementiva est [a] ulla reperta dies:

INTERPRETATIO.

Caussa nova potior. Germania porrigit comas sparsas tuis auspiciis Dux venerande. Delibasti dona nationis triumphata, & posuisti adem Dea, quam ipse revereris. Mater tua sola inventa digna lecto magni Jovis eam constituit & rebus & altari.

POstquam ea praterierint, ibis Phœbe per sidus juvenis ferentis aquam, Capricorno relicto.

CUm septimus hinc exoriens se condiderit Oceano jam nulla Lyra lucebit toto cœlo.

POst hoc signum nocte sequenti, stella Leonis qua splendet in medio pectore occiderit.

PErlegi ter quater fastos notantes tempora, neque ulla dies est inventa Sementiva;

NOTÆ.

[d] *Germania*] Eam regionem atque Pannoniam armis perlustraverant Tiberius atque Germanicus annis proximè superioribus. Quare & Urbis anno 762 utrique decretus triumphus. Non abs re igitur Germaniæ passi crines, & ipsa territa: neque sine caussâ Concordiæ dedicatum templum.

[e] *Dux venerande*] Apostroph: est ad Tiberium.

[f] *Libasti*] *Libanda Diis obtulisti*: non enim placet quod de prandio huc inculcant mille mensis, & congiario viritim ex manubiis hostium dato.

[g] *Gentis*] Germanicæ *scil.* de quâ triumphavit Tiberius.

[h] *Hac*] Fuit adeòque Livia adjutrix in Concordiæ restituendo templo.

[i] *Rebus*] Is *scilicet*, quæ ad sacra peragenda aliaque necessaria erant, exhibitis.

[k] *Arâ*] Aram dedicavit Livia in templo Concordiæ.

[l] *Jovis*] *Augusti*: namque miseros istos nihil puduit, homines Deo pares facere, & sibi illisque pariter illudere.

[m] *Hac*] Concordiæ festa..

[n] *Capricorno*] Signum est in Zodiaco, quod Sol 16. Calend. Febr. cùm in Aquarium ingreditur ferè deserit.

[o] *Juvenis*] Ganymedem volunt esse nonnulli, quem inter sidera collocatum, Aquarium dicunt.

[p] *Oriens*] Sol *scil.* Decimum indicat Calendas Febr. seu Januarii 23 diem.

[q] *Se demis.*] *Postquam occiderit.*

[r] *Nulla*] Quia occiderit heliacè.

[s] *Sidere ab hoc*] Post occasum Lyræ 3. nono adeòque Calend. Febr.

[t] *Ignis*] *Stella splendida.*

[u] *Leonis*] Qui sydus est in Zodiaco.

[x] *Mersus erit*] Cosmicè occiderit. Quanquam Columella sexto tantùm Calend. Febr. immergi scribit.

[y] *Signant.*] In quibus signata & descripta sunt tempora, & quæcumque in iis fiunt.

[z] *Sementiva*] Sementinæ feriæ, à semente dictæ; ideo institutæ, quasi ex iis fruges grandescere possent. His feriis deæ duæ *Seria & Sementina* præpositæ. Sacra verò in æde Telluris Cereri & Telluri fiebant, ut ex Varrone apparet.

[a] *Ulla*] Quia *scil.* feriæ *conceptivæ* erant; id est quæ quotannis à Sacerdotibus concipiebantur in dies certos, vel etiam incertos: cùm *stativæ* universi populi communes, certis & constitutis diebus ac mensibus, & in Fastis statis observationibus annotatæ.

Cùm mihi, sensit enim, Lux hæc [b] indicitur, inquit,
Musa. quid à Fastis non stata sacra petis?
Utque dies incerta sacro, sic tempora certa;
Seminibus jactis est ubi [c] fœtus ager.
State [d] coronati plenum ad præsepe juvenci:
Cùm tepido vestrum vere [e] redibit opus.
Rusticus [f] emeritum palo suspendat aratrum:
Omne reformidat frigida vulnus [g] humus.
Villice, da requiem terræ semente peractâ:
[h] Da requiem, terram qui coluère, viris.
[i] Pagus agat festum. pagum [k] lustrate, coloni;
Et date paganis annua liba [l] focis.
Placentur matres frugum Tellúsque Ceréque
Farre [m] suo, gravidæ visceribúsque [n] suis.
Officium commune Ceres & terra tuentur.
[o] Hæc præbet causam frugibus, illa locum.
Consortes operum, per quas correcta [p] vetustas,
Quernáque glans victa est [q] utiliore cibo;

INTERPRETATIO.

cùm Musa dixit mihi, namque advertit, Dies hac indicitur: quamobrem quaris in fastis sacra non stata? Et quemadmodum dies incerta sacro, ità tempora certa; cùm ager est gravidus seminibus sparsis. Tauri sertis redimiti state ad stabulum plenum: labor vester renovabitur cum vere tepido. Agricola affigat palo aratrum emeritum: terra frigida metuit omnem plagam. Villice prabe requiem terra, semente absolutâ; prabe quietem viris, qui subegerunt eam. Vicus celebret festum; agricola piate pagum; & prabete liba solennia aris paganis. Terra & Ceres matres frugum placentur farre suo, & extis porca pragnantis. Ceres & Tellus funguntur eodem officio. Altera dat caussam frugibus, altera locum. Socia operum, per quas antiquitas emendata, & glans querna superata est cibo meliore,

NOTÆ.

[b] *Indicitur*] Celeriùs quidem vel seriùs, pro temporis ratione; jacto enim semine dies indicebatur.

[c] *Fœtus*] *Gravidus.*

[d] *Coronati*] Moris enim fuit, ut boves, feriis, serto fuso per cornua, labore vacarent. Vide Tibull. lib. 2. Eleg. primâ.

[e] *Redibit*] Quia tum proscinduntur arva.

[f] *Emeritum*] Metaph. à militibus, qui cùm militiæ debitum tempus dederunt, vacationem habent.

[g] *Humus*] Non humus quidem, quæ mitior fit cùm sentit gelu; sed ideo dixit, quòd per hyemem fruges germinare non possint.

[h] *Da*] Is ergo totius rei rusticæ curam gerebat qui villicus dicebatur.

[i] *Pagus*] De Paganalibus intelligi debere hunc locum arbitror.

[k] *Lustrate*] Accensis fortè stipulæ acervis, ut in Parilibus; vel solenni pompa circumeundo.

[l] *Focis*] Habebat quippe foculum suum quilibet pagus ex Servii Tullii institutione.

[m] *Suo*] Quod ipsæ præbuerunt Tellus & Ceres.

[n] *Suis*] Utpote Satis, Cererisque muneribus maximè infestæ; ut dictum suprà.

[o] *Hæc*] Non refertur istud pronomen ad proximam, sed pro alterâ positum. Ceres namque jacit semina, & totam frugum rationem homines perdocuit.

[p] *Vetustas*] Quæ glandibus victitasse dicitur.

[q] *Utiliore*] Scilicet utilior panis & jucundior glandibus.

Frugibus immensis avidos [r] satiate colonos,
Ut capiant [s] cultûs præmia digna sui.
Vos date perpetuos teneris sementibus auctus:
Nec nova per gelidas herba sit usta nives.
Cùm serimus; cælum [t] ventis aperite serenis;
Cùm latet; ætherea spargite semen aquâ.
Neve graves cultis Cerealia [u] dona cavete
Agmine læsuro depopulentur aves.
[x] Vos quoque subjectis, formicæ, parcite granis:
Post messem prædæ copia major erit.
Interea crescat [y] scabræ rubiginis expers,
Nec [z] vitio cæli palleat ægra seges.
Et neque deficiat [a] macie, neque pinguior æquo
Divitiis pereat [b] luxuriosa suis.
Et careant [c] loliis oculos viriantibus agri;
Nec [d] sterilis culto surgat avena solo.
Triticeos fœtus, passuráque farra [e] bis ignem,
Hordeáque ingenti fœnore reddat ager.
Hoc ego pro vobis, hoc vos optate coloni:
Efficiántque ratas utraque Diva preces.

INTERPRETATIO.

cumulate agricolas avidos frugibus innumeris, ut consequantur fructus dignos sui laboris. Vos date incrementa continua teneris sementibus; neque herba nova sit usta per frigidas nives. Cùm spargimus semina, aperite cœlum ventis serenis: cùm tegitur, diffundite pluviam cœlestem in semina. Atque prospicite ne alites importuna cultis deprædentur munera Cerealia turbâ infestâ. Vos etiã formicæ, abstinete granis suppositis terræ: copia prædæ erit amplior à messe. Interea Seges augeatur libera ab omni rubigine asperâ, neque palleat languens vitio cœli. Et neque pereat macie, neque latior quàm par est, luxuriosa perdatur suis divitiis. Atque agri destituantur loliis creantibus molestiam oculis; neque avena sterilis crescat in agro subacto. Arvum restituat fœtus triticeos, & frumentum passurum bis ignem, atque hordeum maximo fœnore. Agricolæ ego istud voveo pro vobis, vos vovete hoc; atque utraque Dea reddant preces firmas.

NOTÆ.

[r] *Satiate*] Ad Deas ipsas orationem convertit Poëta.

[s] *Cultûs*] Laboris, quem in subigendis & serendis agris posuerunt.

[t] *Ventis*] A quibus dispergantur nubes.

[u] *Dona*] Semina ipsa.

[x] *Vos*] Apostrophe ad formicas.

[y] *Scab. rub.*] Asperæ rubiginis, *de la nielle:* quæ ex Solis ardore oritur, cùm in madefactos culmos incidit.

[z] *Vitio*] *Aeris intemperie.*

arbore nunc aquas
Culpante, nunc torrentia agros
Sidera, nunc hiemes iniquas:

siquidem vera sententia est Flacci.

[a] *Macie*] Ex tenuitate & sterilitate.

[b] *Luxuriosa*] Maronis legibus compescenda etiam & frugum & arborum luxuries: idemque ratio & experientia suadent.

[c] *Lolium*] Æra: *de l'yvroye:* quod quidem vilissimum triticum non oculos modò, sed caput, & totum corpus gravat.

[d] *Sterilis avena*] *Ægilops* à Plinio dicitur, Avenæ similis, nullo tamen grano.

[e] *Bis*] Primò namque veteres far torrebant; deinde sub molâ in farinam redactum, & subactum, in furnum mittebant.

[f] Bella diu tenuêre viros. erat aptior ensis
Vomere: [g] cedebat taurus arator equo.
Sarcula cessabant: versáque in [h] pila [i] ligones,
Factáque de rastri pondere cassis erat.
Gratia Dîs, domuíque [k] tuæ: religata catenis
Jampridem nostro sub pede bella jacent.
Sub juga bos veniat; sub terras semen aratas.
[l] Pax Cererem nutrit: pacis [m] alumna Ceres.
AT quæ [n] venturas præcedet sexta Kalendas,
Hac sunt [o] Ledæis templa dicata Deis.
Fratribus [p] illa Deis [q] fratres de gente Deorum
[r] Circa Juturnæ composuêre lacus.
IPsum nos [s] carmen deducit Pacis ad [t] aram.
[u] Hæc erit à mensis fine secunda dies.
Frondibus [x] Actiacis comtos redimita capillos,
Pax ades; & toto mitis in orbe mane.

INTERPRETATIO.

Bella tenuêrunt diu viros: gladius erat aptior vomere; bos arator cedebat equo. Sarcula quiescebant, & ligones mutati in pila, atque galea erat facta de mole rastri. Gratia Diis, & domui tuæ; bella vincta catenis jam diu jacent sub pede nostro. Taurus veniat sub juga, semen sub terras subactas. Pax alit Cererem: Ceres alumna pacis.

AT dies sextâ, quæ præcedet Calendas futuras, templa sunt dicata Deis Ledæis. Fratres de stirpe deorum statuerunt illa diis fratribus circa stagna Juturnæ.

IPsum carmen deducit nos ad altare Pacis. Hæc dies erit secunda ab exitu mensis. Pax ades habens crines coronatos frondibus Actiacis; & alma mane in toto orbe.

NOTÆ.

[f] *Bella diu*] In domus Augustæ laudem, per quam toti orbi pax data, ista subjiciuntur.

[g] *Cedebat*] Quia passim bella fervebant.

[h] *Pila*] Quod antiquum teli genus fuit apud Romanos.

[i] *Ligones*] Quibus terra foditur.

[k] *Tuæ*] Germanicum alloquitur Naso.

[l] *Pax*] Belli namque temporibus quomodo procedere possit res rustica?

[m] *Alumna*] Quæ adeòque cæteris alimenta præbet, à Pace accipit.

[n] *Venturas*] Februarias *scilic.* vigesimo quinto adeòque Januarii.

[o] *Ledæis*] *Ledâ ex Jove natis.* Castorem dicit & Pollucem.

[p] *Illa*] Templa *scil.*

[q] *Fratres*] Drusus & Tiberius ex gente Divorum seu Cæsarum.

[r] *Circa Jut.*] In regione Urbis octavâ fuit hoc templum, quod Tiberius suo & fratris nomine dedicavit.

[s] *Carmen*] Carminis ratio fastos digerens.

[t] *Aram*] Quo in loco fuerit hæc ara non constat. Magnificentissimum templum postea Vespasianus Paci absolvit, quod à Claudio inceptum.

[u] *Hæc*] Sacra ergo ad Pacis aram 30 Januarii peragebantur.

[x] *Actiacis*] Pacis oleam insigne esse omnes sciunt, quo munere Athenas atque adeò Atticam regionem Pallas ditavit. At verò Poëta Augustæ domui favens non *Actæis*, sed *Actiacis* frondibus Pacem vult coronandam, ad victoriam illam celeberrimam alludens quam ad Actium promontorium Epiri Augustus de Antonio reportavit: quare neque multò post Janum, signum Pacis, clausit.

Dum desunt hostes, desit quoque caussa triumphi.
[y] Tu Ducibus bello gloria major eris.
Sola gerat miles, quibus [z] arma coërceat, arma;
Canteturque [a] ferâ, nil nisi [b] pompa, tubâ.
Horreat [c] Æneadas & [d] primus & ultimus orbis;
Si qua parùm Romam terra timebit, amet.
Thura, sacerdotes, [e] pacalibus addite flammis;
[f] Albáque percussâ victima fronte cadat.
Utque [g] domus, quæ præstat eam, cum Pace perennet,
Ad pia [h] propensos vota rogate Deos.
Sed jam prima mei pars est exacta laboris;
Cumque suo finem mense libellus habet.

INTERPRETATIO.

Dum desunt hostes, caussa etiam triumphi desit. Tu eris gloria major Ducibus quàm Bellum. Miles tractet sola arma quibus reprimat arma: & nihil canatur raucâ tubâ nisi pompa. Prima & ultima pars mundi reformidet Æneadas: si qua tellus parùm metuat Romam, eam diligat. Sacerdotes prabete thura aris pacalibus; & victima candida mactetur cervice ictâ. Et orate Deos faventes piis votis, ut domus, quæ tuetur Pacem perstet cum eâ. Verùm jam pars prior mei laboris est absoluta; & libellus habet finem cum suo mense.

NOTÆ.

[y] *Tu*] Scilicet Pacem tueri, omni triumpho est majus. Quod utinam possent omnes satis intelligere.

[z] *Arma coërc.*] Vi namque publicè vim licet repellere; justum bellum quibus necessarium; & pia arma, quibus nisi in armis spes nulla relinquitur.

[a] *Fera*] Cujus horrendo sonitu ad fera bella animi incenduntur.

[b] *Pompa*] Quæ ad ludos & festa spectat.

[c] *Æneadas*] Romanos ab Æneâ in Latium invectos, aut ab ipso progenitos.

[d] *Primus & ult.*] Oriens & Occidens.

[e] *Pacalibus*] Qui in Pacis ara accensi.

[f] *Alba*] Quæque adeò læta omnia portendat..

[g] *Domus*] Augusta *scil.*

[h] *Propensos*] Nemini dubium esse potest, quin ad Pacem sit propensus qui verè Deus sit.

FASTOR.

FASTORUM
LIBER II.

[a] JAnus habet finem. cum carmine creſcit & annus.
Alter ut hinc menſis : ſic liber alter eat.
Nunc primùm velis, Elegi, [b] majoribus itis :
[c] Exiguum (memini) nuper eratis opus.
Certè ego vos habui faciles in amore [d] miniſtros ;
Cùm luſit numeris prima juventa ſuis.
Idem ſacra cano, ſignatáque tempora Faſtis.
[e] Ecquis ad hæc illinc crederet eſſe viam ?
[f] Hæc mea militia eſt. ferimus, quæ poſſumus, arma :
Dextráque non omni munere noſtra vacat.
Si mihi non valido torquentur pila lacerto ;
Nec bellatoris terga premuntur equi ;
Nec galeâ tegimur, nec acuto cingimur enſe ;
(His habilis telis [g] quilibet eſſe poteſt)
At tua proſequimur ſtudioſo pectore, Cæſar,
Nomina : per titulos ingredimúrque tuos.
Ergo ades, & placido paulùm mea munera vultu
Reſpice ; pacando [h] ſi quid ab hoſte vacas.

INTERPRETATIO.

JAnus habet finem. Annus augetur cum verſibus. Sicut alter menſis hinc procedit, *ità & alter liber currat. Elegi, nunc primùm itis velis majoribus : recordor eratis nuper opus parvum. Certè ego habui vos faciles miniſtros in amore, cùm juventus intens luſit ſuis numeris. Idem canto ſacra, & tempora notata Faſtis. Ecquis arbitraretur eſſe locum ab illis ad iſta ? Hac eſt mea militia. ferimus arma qua poſſumus ; & manus noſtra non ceſſat ab omni officio. Si pila non vibrantur à me forti brachio ; neque dorſum equi bellatoris urgetur ; neque tegimur caſſide ; neque cingimur gladio acuto ; (quivis poteſt eſſe peritus his armis.) At Cæſar proſequimur tua nomina corde* tibi *addicto, & ferimur per laudes tuas. Ergo ades, & reſpice mea dona vultu aliquantùm ſereno, ſi aliquod eſt otium ab hoſte domando.*

NOTÆ.

[a] *Janus*] Jano dicatus menſis.

[b] *Majoribus*] Quid ſibi velit ſequens Pentameter exponit. ne aliò quæras.

[c] *Exiguum*] Scilicet exiguum fuit quod vix bene inceptum. De Faſtorum libro primo loquitur.

[d] *Miniſtros*] Quia Elegis Amatoria conſignavit.

[e] *Ecquis*] Certè quidem parùm inter ſe conveniunt.

[f] *Hac*] Ars *ſcil.* Poëtica ; & Verſus ſcribere.

[g] *Quilibet*] Atque adeò Poëtæ opus præſtantius. Neque certè temerè dixit.

[h] *Si quid*] Namque tunc temporis in Germaniâ cum ſævis hoſtibus manus conſerebat. Annales inſpice tantùm, & ità eſſe ipſe cognoſces.

[i] Februa Romani dixêre [k] piamina patres:
Nunc quoque dant verbo plurima signa fidem.
Pontifices ab [l] Rege petunt & [m] Flamine [n] lanas,
[o] Quîs veteri linguâ Februa nomen erat.
Quæque capit [p] lictor domibus purgamina [q] certis,
Torrida cum [r] micâ farra, vocantur [s] idem.
Nomen idem ramo; qui cæsus ab arbore [t] purâ,
Casta sacerdotum tempora fronde tegit.
Ipse ego [u] Flaminicam poscentem februa vidi:
Februa poscenti [x] pinea virga data est.
Denique quodcunque est, quo pectora nostra piamur,
Hoc apud [y] intonsos nomen habebat avos.

INTERPRETATIO.

Patres Romani appellaverunt piamina februa: *nunc etiam plurima indicia faciunt fidem voci. Pontifices petunt ab Rege & flamine lanas quibus nomen erat* Februa *linguâ antiquâ. Atque purgamina, quæ* lictor Flaminius *sumit ex certis domibus, farra tosta cum micâ* salis *appellantur eodem nomine. Idem nomen ramo, qui recisus ab arbore purâ, velat foliis tempora casta Sacerdotum. Ipse ego vidi Flaminicam petentem februa; virga pinea data est petenti februa. Denique quidquid est, quo corda nostra purificantur, obtinebat illud nomen apud avos intonsos.*

NOTÆ.

[i] *Februa*] Nunc ad rem ipsam Naso, postquam Germanici benevolentiam captavit.

[k] *Piamina*] *Februa* dicta sunt purgamenta linguâ Sabinâ, ut docet Varro: dictúsque est inde *Februarius* secundus mensis, seu ultimus secundum veterem computationem, quòd eo populus sacrificiis expiatoriis purgaretur.

[l] *Rege*] De eo jam suprà de quo tamen repetam quæ docet Livius his verbis: *Regibus exactis, & partâ libertate, rerum divinarum deinde habita cura, & quia quædam publica sacra per ipsos reges factitata erant, necubi regum desiderium esset,* Regem sacrificulum *creant: id Sacerdotium Pontifici subjecere, ne additus nomini honos, aliquid libertati, cujus tunc prima erat cura, officeret.*

[m] *Flamine*] Diali, qui Jovi institutus.

[n] *Lanas*] Quarum usus in expiationibus. In Lupercalibus enim, verbi gratiâ, ut docet Plutarchus, cùm per Lupercos capellæ mactarentur, gemini adolescentes præclari sanguinolento gladio faciem fœdabant; alii illicò cum lanâ lacte madidâ accurrebant, atque sanguinem abstergebant.

[o] *Quîs*] Imò, si Festo fides, quæcumque purgamenti causâ in quibusque sacrificiis adhibentur *februa* appellantur.

[p] *Lictor*] Flaminium intellige, hoc est eum, de quo Festus, qui flamini Diali, sacrorum causâ, præstò erat.

[q] *Certis*] *Tersis* legendum esse contendit clariss. Heinsius, cui ut & illustrissimo Neapoli plurimùm in his debere nos candidè confitemur. De domo autem flaminis hîc agi, quæ *flaminia* dicebatur ille prior dicit.

[r] *Micâ*] Salis *scil.*

[s] *Idem*] Februa *scil.*

[t] *Purâ*] Quis ambigat quin arbor pura sit ipsissima pinus? nam paulò post dicit, *februa poscenti pinea virga data est.* Verba hæc sunt nobiliss. Neapolis, viri certè & doctissimi & accuratissimi.

[u] *Flaminicam*] *Flaminis conjugem*, quam & *flaminam* dixerunt. Verùm *flaminiam* habent multi codices, quod si retineas de Sacerdotulâ quâpiam intelligendum, quæ Diali præministraret. Quin & Joseph. Scaliger mavult *flaminiâ*, quasi ab ædibus flaminis quod quidem libentissimè amplecterer si per Manusc. liceret.

[x] *Pinea*] Clariss. Heinsius legit *spinea*, eò inductus, quòd omnibus spinarum generibus noxarum depellendarum vim insitam veteres crediderint: de quâ & noster in sexto.

[y] *Intonsos*] Primum enim tonsorem, eumque Siculum in Urbem duxit Scipio.

[z] Mensis ab his dictus: sectâ quia pelle [a] Luperci
Omne solum lustrant; [b] idque [c] piamen habent.
Aut quia [d] placatis sunt tempora [e] pura sepulcris,
Tunc cùm [f] ferales præteriêre dies.
Omne nefas omnémque mali purgamina caussam
Credebant nostri tollere posse senes.
[g] Græcia principium moris fuit. illa nocentes
Impia lustratos ponere facta putat.
[h] Actoriden Peleus, ipsum quoque [i] Pelea [k] Phoci
Cæde per [l] Hæmonias solvit [m] Acastus aquas.
Vectam frænatis per [n] inane [o] draconibus [p] Ægeus
[q] Credulus immeritâ [r] Phasida fovit ope.

INTERPRETATIO.

Mensis appellatus ab his; quia Luperci circumeunt omne solum pelle sectâ: atque credunt eam expiationem. Vel quia tempora sunt pura, tumulis placatis, tunc cùm dies ferales praterierunt. Nostri avi arbitrabantur piamina posse delere omne nefas atque omnem caussam mali. Gracia fuit initium consuetudinis: illa credit fontes lustratos absolvi factis impiis. Peleus expurgavit Actoriden, Acastus absolvit *etiã noce Phoci Peleum ipsum per aquas Hamonias. Ægeus facilis liberavit auxilio immerito Phasida latam per aërem draconibus frænatis.*

NOTÆ.

[z] *Mensis ab*] Februarius mensis ab his februis dictus.

[a] *Luperci*] Panis Sacerdotes, sectis caprorum coriis nudi, nisi si quæ pelles pudenda tegerent, per omnia discurrentes, & omnia lustrantes: de quibus, & Lupercalibus ipsis audiendus omnino Servius in 8 Æneidos. *Sub monte*, inquit, *Palatino est quadam spelunca, in qua de capro luebatur, id est sacrificabatur: unde* Lupercal *dictum nonnulli putant. Alii quòd illic lupa Remum & Romulum nutrierit. Alii, quod est verius, locum esse hunc sacratum Pani Deo Arcadia, cui etiam mons Lycaus in Arcadiâ est consecratus. Et dictus* Lycæus, *quòd lupos non sinat in oves savire. Ergo ideo & Evander Deo gentis sua sacravit locum, & nominavit* Lupercal, *quòd prasidio ipsius numinis lupi à pecudibus arcerentur.* Ex quibus vix dubium sit ab Evandro in Latium invecta ridicula & nefaria illa sacra in Panis Lycæi honorem: ut sicuti à λύκος, λύκαια, ita à lupo *Luperci* & *Lupercalia* dicta sint. Atque ista omnia ex eo licet confirmare quod Panis imago (utpote lepidissima) coleretur nuda, ac solùm pellis caprinæ amictu tecta, quomodo ejus Sacerdotes Lupercalibus discurrere soliti.

[b] *Idque*] *Hanc lustrationem.*

[c] *Piamen hab.*] *Credunt esse expiationem.*

[d] *Placatis*] Feralia enim, hoc est sacra pro mortuis, Februario mense peragebantur; ut in sequentibus patebit.

[e] *Pura*] Nisi verò mortuis justa soluta essent, circa sepulcra errare Manes, à quibus aëris intemperiem & pestilentias oriri, arbitrabantur.

[f] *Ferales*] De his in sequentibus.

[g] *Gracia*] Ad Romanos quidem à Græcis omnis propè Deorum cultus derivatus. At certè si altiùs repetas, ad Patres usque ascendere tenearis.

[h] *Actoriden*] Exempla eorum profert qui, patratis cædibus, expurgati. Actoriden quod attinet, seu Patroclum Actoris nepotem, & Menœtii filium, Clysonymo seu Æane interfecto, ad Peleum in Phthiam venit, ubi expurgatus, & cum Achille educatus.

[i] *Pelea*] Qui Achillis pater, Æaci filius.

[k] *Phoci*] Qui Pelei frater.

[l] *Hamonias*] *Thessalicas*; ab Æmo monte, proximo, aut Æmone Deucalionis filio sic dictas.

[m] *Acastus*] Hic Peliæ filius in Magnesiâ Thessaliæ annexâ regnasse dicitur.

[n] *Inane*] *Aerem.*

[o] *Draconibus*] Quos currui suo junxisse Medeam fabulati sunt.

[p] *Ægeus*] Athenarum rex.

[q] *Credulus*] Qui Medeæ scelera & dolos non perspexit: sed ei fidem habuit, eamque uxorem duxit.

[r] *Phasida*] Medeam ipsam intelligit, cui à Phasi Colchorum fluvio, unde ea orta, illud datum nomen.

[s] Amphiaraïdes [t] Naupactôo Acheloo,
Solve [u] nefas, dixit: ſolvit & ille nefas.
Ah nimiùm [x] faciles, qui triſtia crimina cædis
Flumineâ tolli poſſe puteris aquâ!
Sed tamen (antiqui ne neſcius ordinis erres)
Primus, ut eſt, Jani menſis & [y] antè fuit.
[z] Qui ſequitur Janum, [a] veteris fuit ultimus anni.
Tu quoque ſacrorum, [b] Termine, finis eras.
Primus enim Jani menſis, quia janua prima eſt.
Qui ſacer eſt [c] imis Manibus, [d] imus erat.
Poſtmodò creduntur ſpatio diſtantia longo
Tempora [e] bis quini continuaſſe Viri.
[f] PRincipio menſis [g] Phrygiæ [h] contermina Matri
[i] Soſpita delubris dicitur aucta novis.

INTERPRETATIO.

Amphiaraïdes dixit Acheloo Naupactôe, Libera me à ſcelere, & ille liberavit à ſcelere. Ah nimiùm indulgentes, qui arbitremini horrenda crimina necis poſſe dilui aquâ fluviali! Sed tamen ne decipiaris ignarus veteris ſeriei, menſis Jani fuit etiam primus antè, ut eſt; qui ſequitur Janum fuit ultimus anni veteris. Tu etiam, Termine, eras finis ſacrorum. Primus enim menſis Jani, quia janua prima eſt. Qui dicatus eſt Umbris inferis erat infimus. Decemviri creduntur junxiſſe poſtea tempora diſtantia longo intervallo.

PRincipio menſis Soſpita juncta Matri Phrygiæ dicitur ditata novis templis.

NOTÆ.

[s] *Amphiaraïdes*] Alcmæon Amphiarai auguris Argivi filius, de quo jam ſæpius, qui quidem Alcmæon patris juſſu matrem occid.t.

[t] *Naupactôe*] Achelous fluvius qui Acarnanes ab Ætolis dividit *Naupacteus* à Naupacto Ætoliæ urbe dicitur.

[u] *Nefas*] Quod in occidendâ matre Eriphyle patratum.

[x] *Faciles*] Illos carpit Naſo, qui aquæ aſperſione deleri poſſe ſcelera crediderunt.

[y] *Antè*] Poſtquam tamen à Numa reſtituta temporum ratio: namque à Martio menſe inchoatus Romuli annus.

[z] *Qui ſequit.*] Februarius *ſcil.*

[a] *Veteris fuit*] Naſo ſolus, quod ſciam iſtud docuit: multùmque adeò vereor ne hâc in parte deceptus ſit, quomodo & ſuprà decem tantùm menſes à Romulo numeratos aſſeruit. Ultimum adeòque crediderim dici debere anni menſem ipſum Februarium, quòd ultimus ex veteri & Romuleâ computandi ratione poſt Januarium, non poſt Decembrem, recenſeretur. Verùm quod dubitanter dico fucum nemini pepererit.

[b] *Termine*] De eo, cui ultima anni ſacra Februario menſe faciebant, in ſequentibus videbimus.

[c] *Imis*] *Inferis.*

[d] *Imus*] *Ultimus.*

[e] *Bis quini*] *Decemviri.* Cæterùm de hâc re cùm incertus loquatur Naſo, aliquid latere hîc minùs ab ipſo intellectum ſuſpicor.

[f] *Principio*] Calendis ipſis Februariis.

[g] *Phrygiæ*] Ea Cybele eſt, quam Idæam ab Idâ Phrygiæ monte Dindymenen, aliiſque inſuper nominibus à locis, ubi ea culta appellaverunt.

[h] *Centerınina*] Adeòque in Palatio, ubi Cybele templum habuit.

[i] *Soſpita*] De Junone Soſpitâ, cui Cn. Cornelius templum vovit ſub initium belli Inſubrici, non poteſt intelligi hic locus; ſiquidem illud templum in foro Olitorio fuit regione XI, iſtud verò in Palatio regione X. Adeòque certè ubi nihil videmus, aliorum ultrò facimus judicium.

Nunc ubi sint, illis, quæris, sacrata Kalendis,
Templa Deæ? [k] longo procubuêre die.
Cætera ne simili caderent labefacta ruinâ
Cavit sacrati provida cura [l] Ducis:
Sub quo delubris sentitur [m] nulla senectus.
Nec satis est homines, obligat ille Deos.
Templorum [n] positor, templorum sancte repostor,
Sit Superis, opto, mutua cura tui.
Dent tibi cælestes, quot tu [o] cælestibus, annos:
Proque tuâ [p] maneant in statione domo.
[q] Tum quoque vicini lucus [r] celebratur Asyli;
Qua petit æquoreas [s] advena Tibris aquas.
Ad [t] penetrale Numæ, [u] Capitolinúmque Tonantem,
Inque Jovis summâ cæditur arce [x] bidens.
[y] Sæpe graves pluvias adopertus nubibus Auster
Concitat, aut positâ sub nive terra latet.

INTERPRETATIO.

Petis ubi nunc sint templa dicata Deæ illis Kalendis? Ceciderunt longo tempore. Cura sedula Ducis sacrati sub quo nulla vetustas sentitur templis, prospexit ne cætera soluta ruerent simili ruinâ. Neque satis est devincire mortales, ille demeretur Deos. Ædificator ædium, sancte restitutor delubrorum, cupio, ut sit Diis cura tui reciproca. Dii præbeant tibi tot *annos, quot tu* iis præbes: *atque excubent pro tuâ domo. Tum etiam frequentatur lucus Asyli propinqui, quà Tibris hospes subit aquas marinas. Ovis mactatur ad penetrale Numæ, & Capitolinum Tonantem, & in supremâ arce Jovis. Sæpe Notus tectus nubibus ciet densas pluvias, vel terra abscondita est sub nive superstratâ.*

NOTÆ.

[k] *Longo die*] Vetustate.

[l] *Ducis*] Augustum intellige, quo vivente Fastos scripsit; uti dictum sæpe: quanquam addita & mutata nonnulla in Tiberii & Germanici gratiam.

[m] *Nulla*] Quia ità restaurata ut nova viderentur.

[n] *Positor*] Quin etiam, ut habet Suetonius, *Principes viros sæpe hortatus est, ut pro facultate quisque, vel monumentis novis, vel refectis & excultis Urbem adornarent: multaque à multis extructa sunt.*

[o] *Cælestibus*] Quia illorum templa reparabat Cæsar hoc dicit.

[p] *Maneant inst.*] *Excubent.* Vigilent.

[q] *Tum*] Calendis Februarii.

[r] *Celebratur*] Quia solenni pompâ ad asylum ibatur, seu lucum, qui inter viam Salariam, & Tiberim fuit, quò victi à Gallis fugientes è prælio Romani se receperunt. Quanquam de eo ne hunc locum exponamus istud facit, quòd Sextilibus Calendis Lucaria, seu festa in hoc luco celebrari solita peragerentur.

[s] *Advena*] Scilicet ex Apennino atque Hetruriâ Romam, deinde in mare devolvitur Tibris.

[t] *Penetrale Numæ*] Hoc est Templum Vestale, quod ad Numæ Pompilii regiam fuit.

[u] *Capitol.*] In templo, quod ab Augusto Jovi Tonanti excitatum in Capitolio, ut Suetonius docet; nequaquam cum Jovis Opt. Max. alio templo, quod Capitolinum dixerunt, seu arcem Capitolinam, ullo modo confundendum.

[x] *Bidens*] Eo nomine appellatur ovis circa bimatum, inter octo dentes duos habens eminentiores; cujus generis aptissimas ad sacrificia existimabant.

[y] *Sæpe*] Eadem propè de Calendis Febr. habes à Columellâ.

[z] Proximus [a] Hesperias Titan abiturus in undas,
[b] Gemmea purpureis cùm juga demit equis;
Illâ nocte aliquis, tollens ad sidera vultum,
Dicet, Ubi est hodie, quæ Lyra fulsit heri?
Dumque Lyram quæret; [c] medii quoque terga Leonis
In liquidas [d] subitò mersa notabit aquas.
Quem modo [e] cælatum stellis Delphina videbas,
Is [f] fugiet visus nocte [g] sequente tuos.
[h] Seu fuit occultis felix in amoribus [i] index:
[k] Lesbida cum [l] domino seu tulit ille lyram.
Quod mare non novit, quæ nescit Ariona tellus?
Carmine currentes ille tenebat aquas.
Sæpe, sequens agnam, lupus est hac voce retentus:
Sæpe avidum fugiens restitit agna lupum:
Sæpe canes leporésque umbrâ [m] cubuêre sub unâ;
Et stetit infestæ proxima cerva leæ.
Et [n] sine lite loquax cum Palladis alite cornix
Sedit; & accipitri juncta columba fuit.

INTERPRETATIO.

Cum proximus Titan descensurus in fluctus occiduos, tollis juga gemmea equis purpureis, illâ nocte quispiam tollens os ad astra dices, Ubi est hodie Lyra, quæ micuit heri? Et dum quæret Lyram, observabit etiam terga Leonis medii repente condita in undas fluidas.

Nocte sequente Delphin, quem cernebas modò distinctum stellis, is subtractus erit oculis tuis. Sive fuit felix index in amoribus secretis; sive ille vexit lyram Lesbiam cum domino. Quod mare ignorat, qua Terra nescit Arionem? Ille sistebat aquas fluentes versibus. Sæpe lupus sequens agnam repressus est hac sono: sæpe agna vitans lupum famelicum constitit. Sæpe canes atque lepores consederunt sub eâdem umbrâ; & cerva juncta leæna infesta constitit. Atque cornix garrula sedit cum ave Palladis sine rixâ, & columba proxima fuit accipitri.

NOTÆ.

[z] *Proxim.*] Secundo Februarii, inquit, occidit Lyra.

[a] *Hesperias*] Occiduas.

[b] *Gemmea*] Quia radiis suis Sol coruscus, omniaque illustrat, gemmata & nitida fecit Naso equorum ipsius juga.

[c] *Medii*] Non enim tota simul aut oriuntur aut occidunt sidera, quorum vel stellæ longè sparsæ, vel hoc aut illo modo dispositæ.

[d] *Subitò*] Quia Lyræ cùm occasus esset vespertinus, Leonis verò matutinus, qui jam antè mediâ sui parte occidisset, sub oculis spectantis, reliquâ mergebatur.

[e] *Cælatum*] Novem quippe stellis distinguitur Delphin.

[f] *Fugiet*] Quia Heliacè occiderit.

[g] *Sequente*] Tertio adeòque Nonas Febr.

[h] *Seu fuit*] Causas tangit Naso, ob quas in cœlum translatus creditur Delphinus. Eas verò ex Hygino ne pigeat repetere: namque ineptum foret libros libris sine fine suffarcinare.

[i] *Index*] Qui, ut jam suprà meminimus, Neptuni erga Amphitriten amores & callidè aperuit, & felices suadendo reddidit.

[k] *Lesbida*] Arionis Metymnâ, Lesbi insulæ urbe, oriundi; quem exceptum tergo, cùm in mare desiluisset, Delphinus dicitur ad Tænarum promontorium detulisse.

[l] *Domino*] Arione *scil.* insigni illo citharœdo, cujus commendationem ab ipso Nasone habes in sequentibus.

[m] *Cubuêre*] Dulci sopore *scilicet* decepti, uti loquitur Horatius noster.

[n] *Sine lite*] Quanquam inter noctuam atque cornicem plurimæ sint; ut videre est apud Ælianum.

[o] Cynthia sæpe tuis fertur, [p] vocalis Arion,
Tanquam [q] fraternis obstupuisse modis.
Nomen Arionium Siculas impleverat urbes;
Captáque erat lyricis [r] Ausonis ora sonis.
[s] Inde domum repetens puppim conscendit Arion;
Atque ita quæsitas [t] arte ferebat opes.
Forsitan, [u] infelix, ventos undámque timebas.
At tibi [x] nave tuâ tutius æquor erat.
Namque gubernator destricto constitit ense,
Cæteráque armatâ conscia turba manu.
[y] Quid tibi cum gladio? dubiam rege, navita, pinum,
Non sunt hæc digitis arma tenenda tuis.
[z] Ille metu vacuus, Mortem non deprecor, inquit:
Sed liceat sumtâ pauca referre lyrâ.
Dant veniam, ridéntque moram, capit ille coronam;
Quæ possit crines, Phœbe, decere tuos.
Induerat Tyrio bis tinctam murice pallam:
Reddidit icta suos pollice [a] chorda sonos.
Flebilibus veluti numeris canentia durâ
Trajectus [b] pennâ tempora [c] cantat olor.
Protinus in medias ornatus desilit undas.
[d] Spargitur impulsa [e] cærula puppis aqua.

INTERPRETATIO.

Arion sonore, Cynthia dicitur sæpe obstupuisse tuis modis tanquam fraternis. Nomen Arionium impleverat urbes Siculas; & littus Italum admirabatur voces lyricas. Inde rediens domum Arion ingreditur navem, atque vehebat divitias sic partas arte. Fortè, miser, metuebas ventos & fluctus. At mare erat tibi tutius nave tuâ. Namque nauclerus gladio nudato, & cæterum agmen conscium constitit manu armatâ. Quid tibi cum ense? Nauta guberna navem incertam. Hæc arma non sunt tractanda digitis tuis. Ille expers timoris, Ego, ait, non refugio mortem: sed concedatur repetere pauca lyrâ sumtâ. Concedunt, atque irrident spatium. Ille induit coronam, quæ possit convenire tuis capillis, Apollo. Sumserat pallam bis infectam murice Tyrio; fides impulsa pollice emiserunt suos sonos. Sicut Cygnus habens tempora fixa durâ pennâ canit modis lugubribus. Continuò ornatus immittit se in medias aquas. Puppis impulsa spargitur aquâ cæruleâ.

NOTÆ.

[o] *Cynthia*] Diana, à Cyntho monte in Delo insulâ.

[p] *Vocalis*] Vocis & lyræ sono omnia demulcens.

[q] *Fraternis*] Apollinis *scil.* citharæ inventoris.

[r] *Ausonis*] Italiam jam sæpe Ausoniam ab Ausonibus populis, vel Ausone Ulyssis filio dictam fuisse repetivimus.

[s] *Inde*] Tarento quippe ultimò profectus.

[t] *Arte*] Citharœdicâ *scil.*

[u] *Infelix*] Apostrophe est ad Arionem ipsum, qui infeliciter sese prædonibus credidit.

[x] *Nave*] Pro nautis posuit.

[y] *Quid tibi*] Increpatio est gubernatoris.

[z] *Ille*] Arion.

[a] *Chorda*] Fides citharæ alligatæ.

[b] *Pennâ*] Testatur Marsus se in Ioniâ Cygnos vidisse seniores, fronte pennâ quâdam trajectâ duriusculâ: quod & observavit Pomponius in extremâ Germaniâ. Suspicabat tamen per pennam pennatum telum fortè esse intelligendum.

[c] *Cantat*] Fabulæ, & Poëtarum figmenta.

[d] *Spargitur*] Maris aspergine rotatur ex Arionis saltu.

[e] *Cærula*] Ex maris cæruleo colore.

Inde (fide majus) tergo Delphina recurvo
Se memorant oneri ſuppoſuiſſe [f] novo.
Ille ſedens citharámque tenet, [g] pretiúmque vehendi
Cantat, & æquoreas carmine [h] mulcet aquas.
Dî pia facta vident. aſtris Delphina recepit
Jupiter; & ſtellas juſſit habere novem.
[i] NUnc mihi mille [k] ſonos, quoque eſt memoratus Achilles,
Vellem, [l] Mæonide, [m] pectus ineſſe tuum.
Dum canimus [n] ſacras alterno [o] pectine Nonas;
Maximus hinc [p] Faſtis accumulatur honos.
Deficit ingenium, majoráque viribus urgent.
Hæc mihi præcipuo eſt ore canenda dies.
Quid volui demens [q] Elegis imponere tantùm
Ponderis? [r] heroi res erat iſta pedis.
Sancte Pater Patriæ, tibi [ſ] Plebs, tibi [t] Curia nomen
Hoc dedit; hoc dedimus nos tibi nomen [u] Eques.

INTERPRETATIO.

Inde (vix credibile eſt) aiunt Delphinum ſe ſubmiſiſſe novo ponderi tergo pando. Ille innixus & tenet lyram, & canit mercedem pro vecturâ, & lenit aquas marinas carmine. Dii aſpiciunt pia facta. Jupiter admiſit Delphinum ſyderibus, & imperavit obtinere novem ſtellas.

NUnc optarem habere mille voces, & pectus tuum Mæonide, quo Achilles eſt cantatus. Dum cantamus ſacras Nonas plectro alterno, gloria maxima hinc additur Faſtis. Ingenium deficit, & majora viribus me premunt. Hæc dies eſt mihi cantanda ore præcipuo. Quid volui, amens, imponere tantùm oneris Elegis? Res iſta erat pedis heroici. Sancte Pater Patriæ, Populus, Curia impoſuit tibi hoc nomen; nos Equites impoſuimus tibi hoc nomen.

NOTÆ.

[f] *Novo*] Non tam frequenter enim iſtud evenit, Delphini ut tergo ſuo homines excipiant: quanquam & factum iſtud eſſe verè nonnulli teſtantur.

[g] *Pretium veh.*] Mercedem quâ erga Delphinum pro vecturâ tenebatur.

[h] *Mulcet*] Ut ad navigandum faciles eſſent. Fuerunt verò namque ad Tænarum Laconiæ promontorium denique appulit: atque hinc Periandium Corinthiorum regem adiit; qui & conquiſitos perfidos nautas digno ſupplicio pro ſcelere affecit.

[i] *Nunc*] Rem magnam aggreſſurus Poëta, diemque dicturus quo *Patriæ Pater* Auguſtus appellatus eſt, ingenium Homericum optat, quo, ut digna erat, rem ipſam poſſet decãtare.

[k] *Sonos*] *Voces.*

[l] *Mæonide*] Apoſtrophe eſt ad Homerum. Quanquam enim, ut eſt in hoc verſu.

Smyrna, Rhodos, Colophos, Salamis, Chios, Argis, Athenæ,

ſuum eſſe Homerum contenderint, vulgò à Mæoniâ Aſiæ minoris regiunculâ, vel Mæone patre, eo nomine dictus creditur.

[m] *Pectus*] Pro ingenio aut furore Poëtico poſuit.

[n] *Sacras*] Quia publico conſenſu conſecratæ, propter auctos Auguſti titulos: cùm priùs tutelâ Deo carere, Nonas dixerit. Lege Suetonium lib. 2. cap. 58.

[o] *Pectine*] Plectro, quo tanguntur chordæ. Alternum verò dicit propter Elegos.

[p] *Faſtu*] In quos neceſſe eſt cùm Auguſti laudem, tum ſacra ejus cauſsâ inſtituta referre.

[q] *Elegis*] Qui pede uno truncati Pentametri ratione, minùs ſunt gravi argumento idonei.

[r] *Heroi*] Heroïci ſeu Hexametri verſus.

[ſ] *Plebs*] Omnes repentino maximoque conſenſu Auguſto ſanctum illud cognomen detulerunt; quod ipſe quidem non ſine lacrymis accepit.

[t] *Curia*] *Senatus.*

[u] *Eques*] *Equeſter Ordo*: ex quo fuit Naſo.

Res

[x] Res tamen ante dedit. serò quoque vera tulisti
  Nomina. jam pridem tu [y] Pater orbis eras.
Hoc tu per terras, quod in æthere Jupiter alto,
  Nomen habes. hominum tu pater, ille Deûm.
Romule, [z] concedas. facit hic tua magna [a] tuendo
  Mœnia; tu [b] dederas transilienda Remo.
Te [c] Tatius, parvíque [d] Cures, [e] Cænináque sensit.
  [f] Hoc Duce Romanum est Solis [g] utrumque latus.
Tu breve [h] nescio quid victæ telluris habebas:
  [i] Quodcunque est alto sub Jove, Cæsar habet.
Tu [k] rapis, hic castas Duce se [l] jubet esse maritas.
  Tu recipis [m] luco, [n] submovet ille nefas.
Vis tibi grata fuit; florent sub Cæsare leges.
  Tu [o] Domini nomen, Principis ille tenet.

INTERPRETATIO.

Res tamen prius imposuit: serò etiam obtinuisti vera nomina: jam diu eras Pater orbis. Tu habes in terris nomen, quod Jupiter habet in excelso cælo: Tu es pater hominum, ille Deorum. Romule concedas. Hic facit tua mœnia magna defendendo; tu dederas ea transilienda Remo. Tatius, & parvi Cures, & Canina te sensit. Hoc Duce, utrumque latus Solis est Romanum. Tu habebas nescio quid exiguum terræ subacta: Cæsar obtinet quidquid est sub Jove excelso. Tu rapis, hic imperat nuptas esse pudicas se Duce. Tu recipis flagitium luco, ille arcet. Vis fuit tibi accepta; leges florent sub Cæsare. Tu habes nomen Domini, ille Principis.

NOTÆ.

[x] *Res*] Quia beneficiis & amore omnium Pater eras, priusquam illud tibi cognomen imponeretur.

[y] *Pater orbis*] Callidissimâ adulatione Augusti titulos auget Naso.

[z] *Concedas*] *Augusti laudibus decedas.* Ad illud verò alludit fortè quod factum, cùm Pater Patriæ appellatus est. Fuerunt namque qui *Romulum*, titulo sanè longè inferiori appellandum, censerent.

[a] *Tuendo*] *Defendendo, & protegendo.* De eo, ni fallor, cogitabat Naso, quòd fratrem Remum Romulus occidisset.

[b] *Dederas*] Adeòque parva fuerunt.

[c] *Tatius*] Regulus Sabinorum.

[d] *Cures*] Sabinorum oppidulum.

[e] *Canina*] Latii etiam oppidum.

[f] *Hoc*] Augusto *scil.*

[g] *Utrumque*] Oriens atque Occidens.

[h] *Nescio quid*] Per contemtum dicit. Vix enim ad decimum octavum lapidem protulit imperium suum ab Urbe Romulus.

[i] *Quodcumque*] Pedetentim tamen Naso; nisi te furor abripit.

[k] *Rapis*] Sabinarum raptum exprobrat Romulo elegantissimâ Antithesi, quæque maximè ad Augusti laudem facit.

[l] *Jubet*] Namque ad coërcendos adulteros anteà paratam Juliam legem instauravit, & novas sanxit.

[m] *Luco*] Asylum in eo fecit Romulus, quo scelesti undique ad novæ Urbis constitutionem se receperunt.

[n] *Submovet*] Quia ab Augusto repressi, fugati, aut occisi scelesti.

[o] *Domini*] Quod ut maledictum & opprobrium Augustus semper exhorruit, teste Suetonio. At enim hodie audaciâ suâ & superbiâ fretos nebulones quotidie videas, qui nihil quicquam industriâ suâ cùm parare velint, in omnes bonos dominium affectant. Quod genus sacrilegum utinam aliquis deni-

Te Remus [p] incusat ; veniam dedit [q] hostibus ille.
Cælestem fecit te [r] Pater ; ille [s] Patrem.
JAm [t] puer Idæus mediâ tenus [u] eminet alvo :
Et liquidas misto nectare [x] fundit aquas.
En etiam, si quis [y] Botean horrere solebat,
Gaudeat. à [z] Zephyris mollior aura venit.
[a] QUintus ab æquoreis nitidum jubar extulit undis
[b] Lucifer, & primi tempora veris eunt.
Ne fallare tamen ; restant tibi frigora, restant :
Magnáque discedens signa relinquit hiems.
[c] TErtia nox veniat : [d] Custodem protinus Ursæ
Adspicies geminos [e] exseruisse pedes.
[f] Inter [g] Hamadryadas [h] jaculatricémque Dianam
Callisto sacri pars fuit una chori.

INTERPRETATIO.

Remus arguit te ; ille pepercit hostibus. Pater fecit te deum ; ille Patrem.

JAm puer Idæus apparet usque ad medium ventrem : & fundit aquas mistâ nectare. Ecce etiã, si quis consueverat timere Borean, lætetur : lenior spiritus oritur à Zephyris.

QVintus Lucifer emisit purum splendorem à fluctibus marinis, & tempora primi veris currunt. Ne tamen erres; supersunt tibi frigora, supersunt ; atque bruma fugiens relinquit magna indicia sui.

NOx tertia adsit, continuò videbit custodem Ursæ extulisse ambos pedes. Callisto fuit pars una turba sacra inter Hamadryadas & Dianam venatricem.

NOTÆ.

que ad triremes in æternum alligaverit.

[p] *Incusat*] Quia nequidem in fratrem lenis.

[q] *Hostibus*] Exempla ejus rei pete ex Tranquillo.

[r] *Pater*] Mars ; cujus Romulus creditus filius.

[s] *Patrem*] Julium Cæsarem ; quem pro Deo coli voluit Augustus adoptione ejus filius.

[t] *Puer*] Ganymedes *scil.* de quo jam suprà, ab Idâ Phrygiæ monte dictus Idæus. Hunc verò Trois filium in Aquarium mutatum nihil opus est denuo admonere.

[u] *Eminet*] Dimidiâ sui parte ortus est.

[x] *Fundit*] Ad id alludit quòd non modò Jovi præbet pocula Ganymedes, sed ità dispositæ sunt stellæ, quæ illud sidus constituunt, ut pars maxima earum quasi effusio aquarum videantur.

[y] *Borean*] Qui à Septentrione ventus frigidissimus aërem perflat hyemali tempore.

[z] *Zephyris*] Mitiores & calidiores sunt ab occasu spirantes venti.

[a] *Quintus*] A Nonis *scil.* illo tamen die comprehenso : adeòque quinto Idus, seu ut numeramus nos, nono Februarii. Quanquam enim Plinius ad tertium diem post Nonas retrahit, & autor incertus ad octavum Idus constituit, nihilominùs tamen à Nasonis mente aberravit Bersmannus. Tabulam inspice aut Calendarium huic operi præfixum, & tute rem ipsam dijudicabis.

[b] *Lucifer*] Luciferum seu Phosphorum, aut Veneris stellam, quæ Solis ortum præcedit, pro die ipso, ut sæpe alibi, posuit.

[c] *Tertia*] Tertio Idus adeòque, seu undecimo Februarii.

[d] *Custodem*] Boores est seu Arctophylax, in quem deformatus Arcas Callistus filius. In eo autem sidere, & medio crurum stella est, quæ *Arcturus* dicitur, de quâ nunc maximè agitur. Ea verò Acronicè veris initio oritur, & vesperi conspici incipit, ut testantur oculi.

[e] *Exseruisse*] Dicit istud quia in cœlo ità obliquè dispositus Boores, ut pedes priùs quàm reliquum corpus ascendant.

[f] *Inter*] Fabulam ipsam Callistonis seu Callistus, atque adeò Booræ, narrare occipit, quam ex Metam. licet repetere.

[g] *Hamadryadas*] Sunt nymphæ, quæ cum quercubus simul oriuntur & occidunt.

[h] *Jaculatricem*] Sæpiùs verò jam venantem eam habuimus.

Illa Deæ tangens [i] arcus, Quos tangimus, arcus,
Este meæ testes virginitatis, ait.
[k] Cynthia laudavit, Promissáque [l] fœdera serva,
Et comitum princeps tu mihi, dixit, eris.
Fœdera [m] servasset, si non formosa fuisset.
Cavit mortales: [n] de Jove crimen habet.
Mille feras [o] Phœbe silvis venata redibat;
Aut plus, aut medium Sole tenente diem.
Ut tetigit lucum (densâ niger ilice lucus;
In medio gelidæ fons erat altus aquæ)
Hac, ait, in silvâ, virgo [p] Tegeæa, lavemur.
Erubuit [q] falso virginis illa sono.
Dixerat & Nymphis: Nymphæ velamina ponunt.
Hanc pudet, & tardæ dat mala signa moræ.
Exuerat tunicas: uteri manifesta tumore
Proditur indicio [r] ponderis ipsa sui.
Cui Dea, Virgineos, perjura [s] Lycaoni, cœtus
Desere, nec castas pollue, dixit, aquas.
[t] Luna novum decies implerat cornibus orbem:
Quæ fuerat virgo credita, mater erat.
[u] Læsa furit Juno, formam [x] mutatque puellæ.
[y] Quid facis? [z] invito pectore passa Jovem est.

INTERPRETATIO.

Illa tangens arcus Dea, Arcus, inquit, quos tangimus estote testes meæ virginitatis. Cynthia probavit, atque, ait, Permane in fœdere promisso, & tu eris mihi prima comitum. Perstitisses in fœdere, nisi fuisset pulcra: Effugit homines; corrupta est ab Jove. Phœbe revertebatur venata mille feras per nemora, Sole tenente diem medium aut amplius. Postquam pervenit ad lucum, (lucus erat opacus spissâ ilice, fons profundus aquæ frigidæ erat in medio) dicit, Virgo Tegeæa, lavemur in hoc nemore. Illa suffusa est pudore ad falsam vocem virginis. Monuerat quoque Nymphas. Nymphæ exuunt vestes. Hanc pudet, & præbet mala indicia lentæ moræ. Posuerat tunicas; ipsa manifesta tumore ventris proditur indicio sui oneris. Cui Dea inquit, perjura Lycaoni, relinque choros virgineos, neque inquina aquas castas. Luna impleverat decies novum orbem cornibus: quæ fuerat dicta virgo, erat genitrix. Juno offensa sævit, atque deformat faciem puellæ. Quid agis? passa est Jovem corde repugnante.

NOTÆ.

[i] *Arcus*] Quibus *scil.* falsò jurantes posset ulcisci.

[k] *Cynthia*] Diana, à Cyntho Deli monte.

[l] *Fœdera*] Virginitatem *scil.* servare tenebantur Dianæ comites.

[m] *Servasset*] Nequitiæ suæ nondum oblitus Naso.

[n] *De Jove*] Qui Dianæ indutus vultum, virgini fucum fecit.

[o] *Phœbe*] Diana Phœbi soror.

[p] *Tegeæa*] Callistonem alloquitur Arcadicam, quam à Tegeâ Arcadiæ urbe eo nomine jam suprà appellatam diximus.

[q] *Falso*] Quia non jam virgo erat Callisto.

[r] *Ponderis*] Ex quo venter tumebat.

[s] *Lycaoni*] *Lycaonis filia.*

[t] *Luna*] Id est exacto decimo mense Lunari.

[u] *Læsa*] Quia cum Callisto rem habuerat Jupiter.

[x] *Mutat*] In Ursam deformavit.

[y] *Quid facis*] Verba sunt Poëtæ, indignantis quòd in Callistonem immeritam sæviat Juno.

[z] *Invito*] Adeòque innocenti.

Utque [a] feræ vidit turpes in [b] pellice vultus;
Hujus in amplexus Jupiter, inquit, eat.
Ursa per incultos errabat squallida montes,
Quæ fuerat summo nuper amanda Jovi.
Jam [c] tria lustra [d] puer furto conceptus agebat;
Cùm mater nato est obvia facta suo.
Illa quidem, tanquam cognosceret, adstitit amens,
Et gemuit: gemitus verba parentis erant.
Hanc puer [e] ignarus jaculo fixisset acuto;
Ni foret in superas [f] raptus uterque domos.
Signa propinqua micant. prior est, quam dicimus Arcton:
Arctophylax formam terga sequentis habet.
Sævit adhuc, [g] canámque rogat [h] Saturnia [i] Tethyn,
[k] Mænaliam tactis [l] ne lavet Arcton aquis.
IDibus [m] agrestis [n] fumant altaria Fauni,
Hîc ubi discretas [o] insula [p] rumpit aquas.

INTERPRETATIO.

Et postquam aspexit fœdam faciem fera in pellice, Jupiter, ait, veniat in amplexus hujus. Ursa, quæ fuerat nuper amanda supremo Jovi, vagabatur squallida per hispidos colles. Puer genitus furtivo concubitu jam agebat tria lustra, cùm Parenti occurrit filio suo. Illa quidem insana constitit, quasi cognosceret, & gemuit; gemitus erant voces matris. Puer nesciens transfodisset eam telo acuto, nisi ambo essent sublati in sedes cœlestes. Fulgent sydera juncta; quam dicimus Arcton est prior, Arctophylax habet speciem sequentis terga. Saturnia furit adhuc, atque orat Tethyn albam, ne lavet Arcton Mænaliam aquis tactis.

IDibus ara Fauni agrestis fumant hic ubi insula dividit aquas diversas.

NOTÆ.

[a] *Fera*] Ursæ *scil.*

[b] *Pellice*] Callisto.

[c] *Tria*] Quindecim annos natus erat Arcas, ut ex re ipsâ, atque disertis aliunde petitis verbis liquet: adeòque lustrum Naso pro quinque annis posuit hîc quoque, ut & alibi; quanquam ex sententiâ plerorumque litteratorum quatuor tantùm comprehendat. Verùm de hâc lite dictum jam in præcedentibus, quòd sit satis.

[d] *Puer*] Arcas, qui ex furtivo Jovis cum Callistone congressu procreatus.

[e] *Ignarus*] *Matrem esse nesciens.*

[f] *Raptus*] *In cœlos translatus.* Callisto nimirum in Ursam majorem mutata, Arcas Bootæ sydus constituit.

[g] *Canam*] Quia annosa: an fortè ad aquæ colorem respexit, cùm præsertim ventis agitata?

[h] *Saturnia*] Juno Saturni filia.

[i] *Tethyn*] Hæc Cœli & Vestæ fuit filia, uxor Oceani.

[k] *Mænaliam*] Arcadicam, à Mænalo Arcadiæ monte.

[l] *Ne lavet*] Jam dictum in Metamorphosi, fictum istud ideo esse, quòd nunquam æquore tingi videatur Ursa, quæ ad polum nobis sublatum sita.

[m] *Agrestis*] Ruricolæ.

[n] *Fumant*] Fauno adeòque sacra fiebant. Neque certè hujusmodi nugis aliunde, fidem arcessere operæ pretium mihi videtur.

[o] *Insula*] Tiberinam dicit, in cujus angulo superiore, turpissimo numini, anno ab Urbe conditâ DIX sacratum fanum.

[p] *Rumpit*] Scilicet diversas in partes feruntur fluminis aquæ insulæ occursu.

[q] Hæc fuit illa dies, in qua [r] Veientibus arvis
[f] Ter centum Fabii, ter cecidêre duo.
Una domus vires & onus [t] fuſceperat Urbis:
Sumunt gentiles arma profeſſa manus.
Egreditur caſtris miles [u] generoſus ab iſdem;
E quîs dux fieri quilibet aptus erat.
Carmentis [x] portæ [y] dextro via proxima Jano eſt.
Ire per hanc noli, quiſquis es; [z] omen habet.
[Illâ fama refert Fabios exîſſe trecentos.
Porta vacat culpâ; ſed tamen omen habet.]
Ut celeri paſſu [a] Cremetam tetigêre [b] rapacem;
Turbidus hibernis (ille fluebat aquis)
Caſtra [c] loco ponunt: deſtrictis enſibus ipſi
[d] Tyrrhenum valido Marte per agmen eunt.
Non aliter, quàm cùm [e] Libycâ de rupe leones
Invadunt ſparſos lata per arva greges.

INTERPRETATIO.

Hæc dies illa fuit, quâ Fabii trecenti atque ſex occubuerunt in campu Veientibus. Una domus ſuſceperat vires & onus Urbis: manus gentiles capiunt arma profeſſa. Miles cordatus prodit ex caſtris iiſdem, ex quibus quivis erat idoneus fieri Imperator. Via porta Carmentis eſt juncta Jano dextro. Ne exeas per eam, quiſquis es; habet malum omen. Rumor eſt trecentos Fabios prodiiſſe illâ. Porta eſt inſons, ſed tamen eſt ominoſa. Poſtquam venerunt cito gradu ad rapidum fluvium Cremeram; (ille currebat tumidus aquis hibernis) ibi caſtra metantur; ipſi gladiis nudatis feruntur per turbam Tyrrhenam ſtrenuo Marte. Non aliter quàm cùm leones de caute Libycâ incurrunt in greges errantes per vaſtos campos.

NOTÆ.

[q] *Hæc*] Anno ab Urbe 277. tantâ clade afflicta gens Fabia. Diem quod attinet, ad 15 Cal. Sextiles Livius aſſignat. Quem cum Naſone noſtro quomodo conciliare queam prorſus non video. Alterutrum deceptum neceſſe eſt.

[r] *Vejentibus*] Populi fuerunt Hetruriæ ad Tiberim, qui denique à Camillo, exciſis Veiis illorum ſedibus, ſub Romanam poteſtatem redacti ſunt.

[f] *Ter centum*] Sex ergo ſupra trecentos uno die mactati Fabii: unuſque ex eâ gente ſuperfuit, qui ob impuberem ætatem domi relictus genus deinde propagavit.

[t] *Suſceperat*] Hæc fuerunt Conſulis verba pro Fabiorum gente ad Senatum, uti refert Livius; *Aſſiduo magis quàm magno præſidio, (ut ſcitis P.C) bellum Veiens eget. Vos alia bella curate, Fabios hoſtes Veientibus date. Autores ſumus, tutam ibi Majeſtatem Romani nominis fore. Noſtrum id nobis, velut familiare bellum, privato ſumtu gerere in animo eſt. Reſpublica & milite illic & pecuniâ vacet.*

[u] *Generoſus*] Scilicet nobilis fuit gens Fabia; quam etiam ex deorum ſemine manaſſe nonnulli arbitrabantur, aliis ad Nympham quandam, aliis ad Herculem referentibus.

[x] *Porta*] Quæ & *Veientina* & *Tarpeia*, *Scelerata* etiam à Fabiorum clade dicta eſt.

[y] *Dextro*] Jani templum ad dextram fuit prodeuntibus.

[z] *Omen*] Malum *ſcil.* ob Fabiorum cædem.

[a] *Cremeram*] Qui fluvius fuit Thuſciæ non longè à Veiis.

[b] *Rapacem*] Quia imbribus auctus rapido curſu ferebatur.

[c] *Loco*] Ad fluvium *ſcil.* qui, ut Livius refert, opportunus viſus eſt communiendo præſidio.

[d] *Tyrrhenum*] Veientium.

[e] *Libyca*] Exquiſita Fabiorum commendatio, quos Naſo non Leonibus modò confert, ſed ferociſſimis, cujuſmodi habet illorum arida nutrix Libya, quæ pars eſt Africæ.

Diffugiunt hostes, [f] inhonestáque vulnera tergo
Accipiunt: Thusco sanguine terra rubet.
[g] Sic iterum, sic sæpe cadunt. ubi vincere apertè
Non datur, insidias armáque [h] cæca parant.
[i] Campus erat: campi claudebant ultima colles,
Silváque montanas occulere apta feras.
In medio [k] paucos, [l] armentáque rara relinquunt:
Cætera virgultis abdita turba latet.
Ecce, velut torrens undis pluvialibus auctus,
Aut nive, quæ [m] Zephyro victa tepente fluit,
[n] Per sata perque vias fertur; nec, ut ante solebat,
Riparum clausas margine finit aquas:
Sic Fabii latis vallem discursibus implent;
Quosque vident spernunt. [o] nec metus alter inest.
Quò ruïtis, generosa domus? malè creditur hosti.
Simplex nobilitas, [p] perfida tela cave.
Fraude perit [q] virtus. in apertos undique campos
Prosiliunt hostes, & latus omne tenent.
Quid faciant pauci contra tot millia fortes?
Quidve, quod in misero tempore restet, habent?

INTERPRETATIO.

Hostes dilabuntur & ferunt tergo plagas indecoras: tellus rubet cruore Thusco. Eo modo denuo procumbunt, atque ità sæpe. Postquam non licet superare aperto Marte, adornant dolos & arma latentia. Erat planities: montes, atque silva idonea ad tegendum feras montanas finem faciebat ultima planitiei. Destituunt rares in medio, cum paucis armentis; reliquum agmen latet occultum virgultis. Ecce velut torrens tumidus aquis pluvialibus, seu nive, quæ currit liquefacta Favonio calido, rapitur per sata & per vias; neque, ut priùs consueverat continet aquas repressas margine riparum: sic Fabii implent vallem vastis discursibus; & contemnunt quos aspiciunt: neque timor inest. Quò prorumpitis, domus nobilis? malè confiditur hosti. Nobilitas credula, time arma dolosa. Virtus obruitur dolis. Hostes incurrunt in agros undique patentes, & occupant omnem oram. Quid agant pauci strenui adversus tot millia? quidve habent quod sit reliquum in duro tempore?

NOTÆ.

[f] *Inhonesta*] Turpe nimirum fugâ sibi in bello consulere.

[g] *Sic*] A Fabiis illorum clientibus fusi fugatique.

[h] *Cæca*] *Tecta. Dolus* enim *an Virtus quis in hoste requirat?*

[i] *Campus*] Optimè locum perscribit, ubi à Vejentibus positæ insidiæ.

[k] *Paucos*] Quos adeòque qui viderent facilè vinci posse crederent.

[l] *Armenta*] Quæ hostes ad prædandum pellicerent.

[m] *Zephyro*] Vento calido.

[n] *Per sata*] Prædonum more sine ordine ruebant, qui non cum hostibus congredi, sed pecora abigere properabant.

[o] *Nec metus*] Alios esse non credunt, à quibus periculum.

[p] *Perfida*] Scilicet perfida? Partibus suis favet Naso.

[q] *Virtus*] Fabii adeòque ad unum trucidati. Quam rem qui volet accuratiùs cognoscere ex Historicis petat: nam sanè id unum quidem curamus nos, ut ex fontibus ipsis quisque possit bibere, atque ad eos facilis detur accessus.

Sicut aper silvis longè Laurentibus actus
Fulmineo [r] celeres dissipat ore canes,
[s] Mox tamen ipse perit: sic non moriuntur inulti;
Vulneráque [t] alternâ dantque ferúntque manu.
Una dies Fabios ad bellum miserat omnes;
Ad bellum missos perdidit una dies.
Ut tamen Herculeæ superessent semina gentis,
Credibile est ipsos consuluisse Deos.
Nam puer impubes, & adhuc non utilis armis,
Unus de Fabiâ gente relictus erat.
Scilicet ut posses olim tu, [u] Maxime, nasci;
[x] Cui res cunctando restituenda foret.
[y] Continuata loco tria sidera, Corvus & Anguis,
Et medius Crater inter utrumque jacet.
Idibus illa latent; oriuntur nocte [z] sequenti.
Quæ sibi cur tria sint consociata canam.
Fortè Jovi festum Phœbus solenne parabat:
Non faciet longas fabula nostra moras.
I [a] mea, dixit, avis, ne quid pia sacra moretur:
Et tenuem [b] vivis fontibus affer aquam.

INTERPRETATIO.

Quemadmedum aper pulsus longè à silvis Laurentibus proturbat citos canes rostro fulmineo; mox tamen ipse cadit; ità non pereunt inulti, atque inferunt, & accipiunt plagas manu alternâ. Una dies dimiserat omnes Fabios ad bellum, una dies peremit dimissos ad bellum. Credibile est tamen ipsos Deos prospexisse ut restarent semina sobolis Herculea. Nam puer imberbis neque adhuc idoneus ad arma relictus erat solus de gente Fabiâ. Scilicet ut tu, Maxime, posses olim oriri, à quo res esset reparanda differendo.

Tria signa Corvus & Serpens & Crater inter utrumque sunt juncta loco. Illa non apparent Idibus; emergunt nocte sequenti. Quæ tria quamobrem sint conjuncta dicam. Fortè Phœbus adornabat festum solenne Jovi: fabula nostra non diu detinebit. Ito, inquit, mea volucris, ne quid impediat pia sacra; atque pete paulùm aqua ex vivis fontibus.

NOTÆ.

[r] *Celeres*] Quique adeò primi invadunt.

[s] *Mox*] Postquam undique irruentium canum numerum non potest dissipare.

[t] *Alternâ*] Quæ ut patitur, ità & infert plagas.

[u] *Maxime*] Quint. Fabium Maximum dicit, virum illum vix cuiquam inter Ethnicos secundum, qui Hannibalem cùm virtute & dolis, tum plurimis victoriis & proculcatâ Majestate Romanâ elatum, cunctando frænavit.

[x] *Cui*] A quo Res Romana, & Reipublicæ status esset restituendus.

[y] *Continuata*] Quia inter æquinoctialem & hyemalem circulum, trium signorum, Cancri, Leonis, & Virginis, longitudinem occupant; neque sine ratione, ut mox patebit sociata sunt.

[z] *Sequenti*] Adeòque 16 Calendas Mart. idque Acronicè.

[a] *Mea*] In tutelâ Apollinis Corvus propter auguria, qui olim albus, at niger factus Coronidis revelato adulterio, uti dictum in Metam.

[b] *Vivis*] *Scaturientibus.*

Corvus inauratum pedibus cratera [c] recurvis
Tollit, & aërium pervolat altus iter.
Stabat adhuc duris ficus [d] densissima pomis.
Tentat eam rostro: non erat [e] apta legi.
Immemor [f] imperii sedisse sub arbore fertur,
Dum fierent tardâ dulcia poma morâ.
Jamque satur nigris longum rapit unguibus [g] hydrum;
Ad dominúmque redit; fictáque verba refert:
Hîc mihi caussa moræ vivarum obsessor aquarum:
Hic tenuit fontes officiúmque meum.
Addis, [h] ait, culpæ mendacia, Phœbus? & audes
[i] Fatidicum verbis fallere velle Deum?
At tibi, dum [k] lactens hærebit in arbore ficus,
[l] De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.
Dixit: & antiqui monumenta perennia facti
Anguis, Avis, Crater, sidera [m] juncta micant.
[n] Tertia post Idus [o] nudos Aurora Lupercos
Adspicit: & Fauni sacra bicornis eunt.
Dicite, [p] Pïerides, sacrorum quæ sit origo:
Attigerint Latias unde petita domos.

INTERPRETATIO.

Corvus aufert craterem inauratum pedibus aduncis, & excelsus percurrit iter aërium. Ficus spississima stabat grossis adhuc duris. Tentat ficum rostro, non erat apta legi. Oblitus mandati dicitur constitisse sub arbore, donec fructus fierent mites longo spatio. Jamque plenus tollit atris unguibus longum hydrum, atque revertitur ad dominum, & reddit falsas voces: Hic custos vivarum aquarum fuit *mihi caussa cunctandi: hic occupavit fontes & officium meum. Phœbus inquit, cumulas flagitium mendacio? neque vereris velle imponere sermonibus Deo fatidico? At dum grossus lactens & viridis adhærebit arbori, de nullo fonte aqua frigida potentur à te. Dixit, atque Hydrus, Corvus, Crater fulgent signa continuata, & indicia veteris facti.*

Tertia Aurora ab Idibus cernit nudos Lupercos; atque sacra Fauni bicornis referuntur. Docete, Pierides, quæ sit caussa sacrorum: unde sumta pervenerint ad domos Latinas.

NOTÆ.

[c] *Recurvis*] Scilicet corvus unguibus craterem apprehendit.

[d] *Densissima*] Multis pomis, ut ferè evenit, arbor erat onusta.

[e] *Apta*] Quia fructus immaturus.

[f] *Imperii*] Apollinei mandati.

[g] *Hydrum*] Non temerè hujus generis anguem dixit; cui ab aquâ datum nomen.

[h] *Ait*] Phœbus *scil.*

[i] *Fatidicum*] Apollinis enim oracula nemini non audita.

[k] *Lactens*] Lac verò ex decerptis immaturis ficubus prodit.

[l] *De nullo*] *Ægrescunt Corvi*, inquit Plinius, *sexagenis diebus, siti maximè antequam fici coquantur Autumno.*

[m] *Juncta*] Imò & Corvus in hydri dorso, toto corpore ad craterem tendit, qui satis longo distans intervallo inclinatior est ad caput ejus, quem ille dixit obsessorem aquarum: ut docet Hyginus.

[n] *Tertia post*] Decimo quinto adeòque Calendas Martias, qui decimus quintus quoque est dies nostro numerandi modo.

[o] *Nudos*] Exceptis tamen pudendis, ut dictum suprà.

[p] *Pierides*] Musæ.

[q] Pana Deum pecoris veteres coluisse feruntur
Arcades. Arcadiis plurimus ille jugis.
Testis erit [r] Pholoë, testes [s] Stymphalides undæ;
Quique citis [t] Ladon in mare currit aquis;
Cinctáque pinetis nemoris juga [u] Nonacrini;
Altáque [x] Cyllene, [y] Parrhasiæque nives.
Pan erat armenti custos, Pan numen equarum:
Munus ob incolumes ille [z] ferebat oves.
Transtulit Evander silvestria numina secum.
Hîc, ubi nunc [a] Urbs est, tum locus Urbis erat.
Inde [b] Deum colimus, devectáque sacra [c] Pelasgis.
Flamen ad hæc prisco more [d] Dialis erat.
Cur igitur currant; & cur [e] (sic currere mos est)
Nuda ferant positâ corpora veste, rogas?
Ipse Deus velox discurrere gaudet in altis
Montibus; & subitas [f] concitat ille feras.
Ipse Deus nudus nudos jubet ire ministros:
Nec satis ad cursum commoda vestis erat.

INTERPRETATIO.

Arcades antiqui dicuntur coluisse Panem deum pecoris. Ille celeberrimus in montibus Arcadiis. Pholoë erit testis, aqua Stymphalides testes, atque Ladon qui fertur in mare aquis rapidis; & cacumina silva Nonacrina vestita pinetis, & Cyllene excelsa, & nives Parrhasiæ. Pan erat custos armenti, Pan numen equarum: ille habebat dona propter pecudes salvas. Evander transvexit deos silvestres secum. Tunc locus Urbis erat, ubi Urbs nunc est. Inde colimus hunc *Deum, & sacra deducta à Pelasgis. Flamen Dialis erat ad hæc antiquâ consuetudine. Petis ergo quamobrem discurrant, & quamobrem gerant corpora nuda, amictu omisso?* nam *mos est ità discurrere. Ipse Deus citus amat discurrere in excelsis montibus; atque is agitat feras veloces. Ipse Deus nudus vult ministros nudos currere; neque amictus erat satis idoneus ad cursum.*

NOTÆ.

[q] *Pana*] Pan verò vetustissimæ Arcadum genti numen fuit tam familiare, ut vix oppidulum aut angulus aliquis esset in suâ regione, ubi sacrum huic cornuto & miniato Deo, non esset.

[r] *Pholoë*] Qui mons est Arcadiæ.

[s] *Stymphalides*] Lacus & fluvii Stymphali, qui ex ejusdem nominis monte per agrum Argivum decurrit.

[t] *Ladon*] Arcadiæ quoque fluvius: de quo in Metam.

[u] *Nonacrini*] Nonacris etiam in collibus Arcadicis, ex quo Styx fluvius emanat.

[x] *Cyllene*] Mons est Arcadiæ etiam.

[y] *Parrhasia*] Arcadiam totam eo nomine dictam fuisse jam suprà diximus: sed hic per nives, montes quasi omnes nivosi sunt intelligendi.

[z] *Ferebat*] Quia oves tuebatur, illi quoque munera offerebantur.

[a] *Urbs*] Roma *scil.*

[b] *Deum*] Pana *scil.*

[c] *Pelasgis*] Ab Arcadibus, qui & illo nomine dicti.

[d] *Dialis*] Qui Jovi sacra perficiebat. Neque mireris quòd Pani ministraret, cùm eum naturam universam & Jovem ipsum esse crediderint.

[e] *Sic*] Lupercos corpore nudo discurrere solitos cùm singula lustrarent, asserit.

[f] *Concitat*] Hinc nati terrores quos dicunt *Panicos.*

[g] Ante Jovem genitum terras habuisse feruntur
Arcades: & Lunâ gens [h] prior illa fuit.
Vita feræ similis, nullos agitata per [i] usus:
Artis adhuc expers, & rude vulgus erant.
Pro domibus frondes norant, pro frugibus herbas:
Nectar erat palmis hausta duabus aqua.
[k] Nullus [l] anhelabat sub adunco vomere taurus:
Nulla sub imperio terra colentis erat:
Nullus adhuc erat usus equi. se quisque ferebat.
Ibat ovis lanâ corpus [m] amicta suâ.
[n] Sub Jove durabant, & corpora nuda gerebant,
Docta graves imbres & tolerare Notos.
Nunc quoque [o] detecti referunt monumenta vetusti
Moris, & antiquas testificantur [p] opes.
Sed, cur præcipuè fugiat velamina Faunus,
Traditur antiqui fabula plena joci.
Fortè comes [q] dominæ juvenis [r] Tirynthius ibat:
Vidit ab excelso [s] Faunus utrumque jugo.
Vidit, & incaluit, Montanáque numina, dixit,
Nil mihi vobiscum est: hæc meus [t] ardor erit.

INTERPRETATIO.

Arcades dicuntur tenuisse terras ante Jovem ortum; atque illa natio fuit prior Lunâ. Vita eorum similis feræ, ducta sine omni consuetudine: erant plebs adhuc imperita, & aspera. Habebant frondes domorum loco, gramina pro frugibus: aqua petita utraque manu erat nectar. Nullus bos anhelabat sub vomere curvo: nulla terra erat sub potestate subigentis: nullus adhuc erat usus equi: quisque vehebat se: Ovis ibat vestita suâ lanâ. Manebant sub dio, & ferebant corpora nuda, perita pati asperos nimbos & Austros. Nunc etiam nudi renovant indicia antiquæ consuetudinis, & ostendunt veteres divitias. Verùm fabula plena joci veteris refertur, quamobrem præsertim Faunus vitet vestimenta. Fortè juvenis Tirynthius ambulabat junctus dominæ: Faunus adspexit utrumque ex sublimi cacumine. Adspexit, & incensus est, atque dixit, Deæ monticolæ nihil mihi vobiscum, ista erit meus amor.

NOTÆ.

[g] *Ante*] Vetustissimi cultus qui Pani deo referebatur rationem reddit.

[h] *Prior*] De eâ re dictum suprà.

[i] *Usus*] Consuetudinem, conversationem, aut convictum. Imò propter rusticitatem suam malè audiebant Arcades, temporibus etiam mitioribus.

[k] *Nullus*] Terras non colebant.

[l] *Anhelabat*] Ut solent, cùm in vertendâ terrâ laborant.

[m] *Amicta*] Nullus quippe lanæ usus, neque à quoquam tondebatur.

[n] *Sub Jove*] *Sub dio · sub aperto cœlo.*

[o] *Detecti*] *Nudi*, Luperci *scil.*

[p] *Opes*] Credas quisquis istud legis, credas, inquam, id quod res est, Opes esse maximas, iis Opus non habere, atque opibus facilè posse carere. Eo modo Deus ipse etiam est dives. Sed istud meliùs docuerit Flaccus, probaverit Scriptura, confirmaverit usus ipse.

[q] *Domina*] Omphalæ, *scilic.* Hanc verò Lidyæ reginam, cui servivit Hercules non semel vidimus in præcedentibus.

[r] *Tirynthius*] Hercules *scil.* cui à Tiryntho oppido, de quo suprà, datum nomen.

[s] *Faunus*] Namque hic atque Pan unum numen.

[t] *Ardor*] *Amor.* hoc est quam amabo.

Ibat odoratis humeros perfusa capillis
[u] Mæonis, [x] aurato [y] conspicienda sinu.
[z] Aurea pellebant [a] rapidos umbracula soles;
Quæ tamen Herculeæ sustinuère manus.
Jam Bacchêa nemus [b] Tmoli vineta tenebat:
[c] Hesperus & fusco [d] roscidus ibat equo.
Antra [e] subit, tofis [f] laqueatáque pumice vivo.
[g] Garrulus in primo limine rivus erat.
Dumque parant epulas potandáque vina ministri;
Cultibus [h] Alciden instruit [i] illa suis.
Dat tenues tunicas [k] Gætulo murice tinctas:
Dat teretem zonam, qua modò cincta fuit.
Ventre [l] minor zona est: tunicarum vincla relaxat,
Ut possit vastas exseruisse manus.
Fregerat [m] armillas non illa ad brachia factas:
Stringebant magnos [n] vincula parva pedes.
Ipsa capit [o] clavámque gravem, [p] spoliúmque leonis,
Conditáque in pharetrâ tela minora suâ.

INTERPRETATIO.

Mæonis incedebat habens humeros sparsos crinibus odoratis, splendida vestibus auratis. Umbella aurea arcebat fervidos radios Solis, quam tamen manus Herculea ferebant. Jam venerat ad vineta Bacchica silvam Tmoli; & Hesperus roscidus ferebatur equo nigro. Ingreditur speluncam arcuatam tofis & pumice vivo. Fons loquax erat in primo aditu. Et dum servi adornant dapes & vina absumenda, illa ornat Alciden suo mundo. Præbet illi *leves tunicas infectas murice Gætulo, cingit lævi cingulo, quo modò cincta fuit. Cingulum est arctius ventre; relaxat ligamina tunicarum, ut possit emisisse magnas manus. Ruperat armillas non paratas ad illa brachia: parvi calcei premebant vastos pedes. Ipsa sumit & ponderosam clavam, & exuvias leonis, & tela minora condita in suâ pharetrâ.*

NOTÆ.

[u] *Mæonis*] Omphale Mæonia seu Lydia.

[x] *Aurato*] Vestem habuit sericam Omphale, intertexto auro.

[y] *Conspicienda*] Neque tamen magìs auri fulgore, quàm Nasonis ingenio.

[z] *Aurea*] *Aurata.*

[a] *Rapidos soles*] *Solis ardorem.*

[b] *Tmoli*] Qui mons Lydiæ Sardibus, regiâ quondam Lydorum, imminens, vitibus consitus; adeòque Bacchi nemus.

[c] *Hesperus*] *Vesper*, quæ Veneris stella noctis prænuntia.

[d] *Roscidus*] Sub occasum Solis nimirum ros quidam seu humiditas ex aëre in terram recidit. Verùm observaveris magìs quantâ elegantiâ rem ipsam perscribat Naso.

[e] *Subit*] Hercules *scil.*

[f] *Laqueata*] Naturâ magistrâ fornicatus tophus. *C'étoit une grotte faite par la nature.*

[g] *Garrulus*] Strepitum *scil.* & murmur edunt inter lapillos desilientes aquæ.

[h] *Alciden*] Herculem, cui à robore Græcè illud datum nomen; nisi ab Alcæo Amphitryonis patre repetiveris.

[i] *Illa*] Omphale *scil.*

[k] *Gætulo*] *Afro.* Gætuli enim Africæ populi: neque, opinor, pro purpurâ pretiosissimâ hunc muricem Afrum sumi, necesse est admonere.

[l] *Minor*] Quilibet conjiciat qui Herculem fando cognoverit.

[m] *Armillas*] *Les brasselets.*

[n] *Vincula*] Calceos nempe phrenetico errore fœminæ ab omni ævo voluerunt habere arctissimos; uti jam olim Lucianus inter earum cætera notavit: Hercules verò pedem habuit corpori non imparem.

[o] *Clavam*] Herculis gestamen.

[p] *Spolium*] Quod pro amictu illi fuit.

[q] Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno;
Et positis juxta [r] secubuêre toris.
Caussa; [s] repertori vitis pia sacra parabant,
Quæ facerent purè, cum foret orta dies.
Noctis erat medium: quid non amor improbus audet?
[t] Roscida per tenebras Faunus ad antra venit.
Utque videt somno [u] comites vinóque solutos;
Spem capit in dominis esse soporis idem.
Intrat; & [x] huc illuc temerarius errat adulter:
Et [y] præfert cautas subsequitúrque manus.
Venerat ad strati captata cubilia lecti;
Et [z] primâ felix sorte futurus erat.
Ut tetigit, fulvi setis hirsuta leonis
[a] Vellera, pertimuit, sustinuítque manum;
Attonitúsque metu rediit: ut [b] sæpe viator
Turbatum viso rettulit angue pedem.
Inde tori, qui junctus erat, velamina tangit
Mollia, [c] mendaci decipitúrque notâ.
[d] Adscendit; [e] spondâque sibi propiore recumbit:
Et rigido cornu durius inguen erat.

INTERPRETATIO.

Eo modo cœnaverunt, eo modo composuerunt sua corpora ad soporem, & seorsum cubuerunt lectis juxtà positis. Ratio fuit: *parabant pia sacra inventori vitis, quæ celebrarent castè, postquam dies esset orta. Erat medium noctis: quid Amor improbus non audet? Faunus accessit nocte ad speluncam rore conspersam. Et cùm cernit comites jacentes sopore & mero, arbitratur idem esse somni in dominis. Ingreditur; & adulter temerarius vagatur huc illuc, & præmittit manus providas, & subsequitur. Venerat ad cubilia petita lecti strati, atque futurus erat beatus primâ sorte. Cùm tetigit pellem hispidam setis rufi leonis pertimuit, & sustinuit manum; atque turbatus timore retrogressus est, ut sæpe viator rettulit pedem attonitum serpente viso. Postea tractat molles vestes lecti, qui erat proximus, & fallitur signo doloso. Ascendit & sternitur spondâ sibi propiore: atque inguen erat rigidius duro cornu.*

NOTÆ.

[q] *Sic*] Mutato cultu.

[r] *Secubuêre*] Quia, ut subdit Naso, Libero patri rem divinam facturi erant. Receptissimo autem ritu apud veteres in casto esse debebant qui se rei sacræ manè immisturi essent.

[s] *Repertori*] Baccho *scil.*

[t] *Roscida*] *Humida*, de more.

[u] *Comites*] Qui Herculem atque Omphalem sequuti.

[x] *Huc &*] Quippe sine lumine antrum subierat.

[y] *Præfert*] Eorum more, qui per obscura ambulant.

[z] *Primâ*] Quia primò ad Omphales lectum accesserat.

[a] *Vellera*] Quibus Omphale Herculem mentiebatur: namque mutato cultu ad somnum se utrumque composuisse vidimus.

[b] *Sæpe*] In sepibus enim & vepribus plerumque delitescunt angues.

[c] *Mendaci*] Quia Omphales vestimenta serica eam esse significabant; cùm tamen illis uteretur jam Hercules.

[d] *Adscendit*] Gradibus enim usus quoque fuit ad lectos. Quanquam βαθύστρωτον fuisse hunc non satis firmiter ex voce *adscendit* concludas, donec postmodum gementem Faunum inaudias.

[e] *Spondâ*] *Du côté le plus proche.* Quæ parieti tamen sponda aut latus hærebat *interior* dicta, altera *exterior* virum accipiebat.

Interea tunicas orâ ſubducit ab imâ:
Horrebant denſis aſpera crura pilis.
[f] Cætera tentantem cubito Tirynthius heros
Reppulit. è ſummo [g] decidit ille toro.
Fit ſonus: inclamat comites, & lumina poſcit
[h] Mæonis. illatis [i] ignibus acta patent.
Ille gemit lecto graviter dejectus ab alto:
Membráque de durâ vix ſua tollit humo.
Ridet & Alcides, & qui vidère jacentem:
Ridet [k] amatorem Lyda puella ſuum.
Veſte Deus luſus fallentes [l] lumina veſtes
Non amat; & nudos ad ſua ſacra vocat.
Adde peregrinæ cauſſas, mea Muſa, Latinas,
Inque [m] ſuo noſter pulvere currat equus.
Cornipedi Fauno cæsâ de more capellâ.
Venit ad [n] exiguas turba vocata dapes.
Dumque ſacerdotes verubus tranſuta ſalignis
[o] Exta parant, medias Sole tenente vias;
Romulus, & [p] frater, [q] paſtoraliſque juventus,
[r] Solibus & campo corpora nuda dabant:

INTERPRETATIO.

Interea tollit tunicas ad os extremum: tibia ſcabra rigebant ſpiſſis pilis. Heros Tirynthius rejecit subito conantem reliqua: ille decidit è ſummo cubili. Fit ſtrepitus: Maonis vocat magnâ voce comites, & petit lampadas. Facta apparent luminibus admotis. Ille depulſus ab excelſo toro multùm gemit; atque ægrè tollit ſuos artus de durâ terrâ. Et Alcides, & qui aſpexerunt proſtratum vident: puella Lyda ridet ſuum amatorem. Deus ludibrio habitus amictu non diligit amictus imponentes oculis; & vocat nudos ad ſua ſacra. Muſa mea adjice cauſſas Latinas peregrinæ, & equus noſter currat in ſuo pulvere. Capellâ mactatâ Fauno cornipedi, agmen invitatum acceſſit ad parvas epulas. Et dum Sacerdotes adornant viſcera tranſfixa verubus ſalignis, Sole tenente medium iter, Romulus, & frater, & juventus paſtoralis dabant corpora nuda Soli & campo:

NOTÆ.

[f] *Cætera*] Nondum nequitiarum oblitus Naſo.

[g] *Decidit*] Non temerè joci plenam fabulam dixiſſe Naſonem confitearis, qui ridiculum iſtum Faunum tanto ludibrio habitum intellexeris.

[h] *Mæonis*] Omphale Lydia.

[i] *Ignibus*] *Lucernis.*

[k] *Amatorem*] Faunum *ſcil.*

[l] *Lumina*] Tametſi non oculis Fauni impoſuerunt Omphales veſtimenta ſcis tamen, Lector. quid ſibi velit Naſo; atque alteram habes cauſam, cur nudi Luperci. Tertiam audi.

[m] *Suo*] Peregrina retulit Naſo; nunc de iis quæ Romana eſſent dicturus, ingenium ſuum equo, materiam ipſam pulveri ſeu Campo eleganti metaphorâ comparat.

[n] *Exiguas*] Neque enim Romulo tanta erat res, & ſupererat.

[o] *Exta par.*] Ritus nota quiſquis ex illis majora didiciſti aucupari.

[p] *Frater*] Remus.

[q] *Paſtoralis*] Qui Romulum Remumque comitabantur.

[r] *Solibus*] In Solem & pulverem parati erant illi ſcilicet.

[r] [Cæstibus, & jaculis, & [t] missi pondere saxi
Brachia per lusus experienda dabant.]
Pastor ab excelso, Per devia rura juvencos,
Romule, prædones, eripe, dixit, agunt.
Longum erat armari. [u] diversis exit [x] uterque
Partibus. accursu præda recepta Remi.
Ut rediit, verubus [y] stridentia detrahit exta:
Atque ait, Hæc certe non nisi [z] victor edet.
Dicta [a] facit, [b] Fabiique simul. venit [c] irritus illuc
Romulus, & mensas ossáque nuda videt.
[d] Risit; & indoluit Fabios potuisse Remúmque
Vincere: Quinctilios non potuisse suos.
[e] Fama manet facti. posito velamine currunt:
Et memorem famam, [f] cui bene cessit, habet.
Forsitan & quæras, [g] cur sit locus ille Lupercal:
Quæve diem tali nomine caussa notet.
[h] Ilia Vestalis [i] cælestia semina partu
Ediderat, patruo regna [k] tenente suo.

Interpretatio.

(Dabant brachia fingenda per lusus cæstibus, & missilibus, & mole saxi jacti.) Pastor clamavit à jugo. Romule raptores abigunt tauros per agros devios, recipe. Longum erat instrui armis. Uterque proficiscitur diversis partibus. Præda erepta accursu Remi. Postquam rediit, deripit verubus viscera crepitantia; atque inquit, certè non nisi victor comedet ista. Facit dicta, & Fabii simul. Romulus accessit illuc frustrà, atque spectat mensas & ossa spoliata. Risit; atque ægrè tulit Remum & Fabios potuisse vincere, suos Quinctilios non potuisse. fama facti superest. Discurrunt vestibus omissis; & quod bene evenit habet famam memorem. Fortè etiam petas, quamobrem ille locus sit Lupercal; & qua caussa signet diem hujusmodi nomine. Ilia Vestalis emiserat partu semina cœlestia, patruo suo regnante.

Notæ.

[r] *Cæstibus*] Cæstus seu Cestus, sive à *cædo*, sive à κεςὸν quod *cingulum* à κεντέω *pungo*, quia acu punctum & sutum, deduxeris, chirothecæ quoddam genus fuit ex loris bubulis, inserto atque insuto plumbo ferrove, cujusmodi pugiles manus instruebant. Quanquam minùs Romanis usitatus iste ludus.

[t] *Missi*] Disco crediderim lusisse etiam.

[u] *Diversis*] Ut quoquò sese proripuissent prædo in alterutrius manus incideret.

[x] *Uterque*] Remus & Romulus.

[y] *Stridentia*] Quia ad ignem assa.

[z] *Victor*] Qui prædam à latronibus recepit.

[a] *Facit*] Epulati sunt quippe soli, quomodo dixerat Remus.

[b] *Fabii*] Qui cum Remo accurrerant, & ab ejus partibus stabant.

[c] *Irritus*] Qui frustrà accurrerat, & absumptas dapes inveniebat.

[d] *Risit*] Oris tamen specie.

[e] *Fama manet*] Fabulæ. Vestimenta posuerant Romulus & Remus aliique ob sacrum Pani, antiquissimo more, & ab Evandro in Italiam inducto, peractum. Sed & alia multâ hâc de re finxit Plutarchus.

[f] *Cui*] Remo *scil.*

[g] *Cur sit*] Quamobrem *Lupercal* dicatur locus, ubi Pani seu Fauno sacra fiebant.

[h] *Ilia*] Numitoris Albanorum regis filia, quam, Amulius patruus Virginem Vestalem fecit.

[i] *Cælestia*] Quia ex Marte gravida.

[k] *Tenente*] Numitore fratre pulso.

Is jubet auferri [l] parvos, & in amne necari.
[m] Quid facis? ex istis [n] Romulus alter erit.
Jussa recusantes peragunt lacrymosa ministri.
Flent tamen, & [o] geminos in [p] loca jussa ferunt.
[q] Albula, quem Tyberin mersus Tyberinus in undâ
Reddidit; hibernis fortè tumebat aquis.
Hîc, ubi nunc [r] Fora sunt, [f] lintres errare videres;
Quaque jacent valles, Maxime [t] Circe, tuæ.
Huc ubi venerunt, nec jam procedere possunt
Longiùs; ex [u] illis unus, an alter, ait:
At quam sunt similes! at quam formosus uterque!
Plus tamen ex illis [x] iste vigoris habet.
[y] Si genus arguitur vultu; (ni fallit imago)
Nescio [z] quem vobis suspicor esse Deum.
At si quis vestræ Deus esset originis auctor;
In tam præcipiti tempore [a] ferret opem.
Ferret opem certè, si non [b] ope mater egeret:
Quæ facta est uno mater & orba die.
Nata simul, peritura simul, simul [c] ite sub undas
Corpora. desierat; depostúitque sinu.

INTERPRETATIO.

Is imperat parvos abripi, & extingui in fluvio. Quid agis? Romulus erit alter ex illis. Famuli detrectãtes exequuntur tristia mandata. Lacrymantur tamen, & portant geminos in loca dicta. Albula, quem Tyberinus haustus aquis fecit Tyberin, fortè auctus erat aquis hibernis. Cerneres naves fluctuare hic ubi nunc sunt fora, & quà valles tua porriguntur, Circe maxime. Postquam huc venerunt, neque jam possunt progredi ulteriùs, unus an alter ex his dixit: At quàm sunt pares! at quàm uterque est pulcher! Hic tamen ex illis habet plus vigoris. Si stirps cognoscitur ex facie; (nisi imago decipit) conjicio aliquem Deum esse vobis auctorem. At si quis Deus esset auctor vestra originis, adjuvaret in tempore tam opportuno. Mater sanè esset auxilio, nisi ipsa egeret auxilio, qua facta est mater & orba uno die. Corpora simul orta, simul moritura, descendite simul sub aquas. Absolverat, & deposuit gremio.

NOTÆ.

[l] *Parvos*] Remum & Romulum.
[m] *Quid facis*] Prohibentis est ni fallor.
[n] *Romulus*] Id est, qui Romam gentium dominam positurus est.
[o] *Geminos*] Romulum Remumque.
[p] *Loca*] Profluentem *scil.* fluvii Albulæ, seu Tiberis.
[q] *Albula*] Hoc fuit Tiberis nomen ex aquæ colore, priusquam in eo mersus esset Tiberinus rex Albanorum.
[r] *Fora*] Romanum, Boarium, Piscarium.
[f] *Lintres*] Quia ibi tum *uda tremuêre paludes.*
[t] *Circe*] De eo sæpius. Vallis verò ubi positus fuit, *Murcia* dicta.
[u] *Illis*] Ministris *scil.* qui gemellos Romulum Remumque in profluentem ferebant.
[x] *Iste*] Romulus *scil.*
[y] *Si genus*] Si *nobilitas vultu declaratur.*
[z] *Quem*) Auctor qui sit generis.
[a] *Ferret opem*) Affectum habet mirum ista repetitio.
[b] *Ope*) Illico scilicet & vincta & in custodiam data Vestalis, mox viva defodienda.
[c] *Ite*) Verba sunt ministri ad infantes, quos erat depositurus.

Vagierunt clamore pari : [d] ſentire putares.
[e] Hi redeunt [f] udis in ſua tecta genis.
Suſtinet impoſitos ſummâ cavus [g] alveus undâ.
Heu quantùm [h] fati parva [i] tabella vehit !
Alveus in limo ſilvis appulſus opacis ,
Paulatim fluvio deficiente , ſedet.
Arbor erat. remanent [k] veſtigia : quæque vocatur
[l] Rumina nunc ficus , Romula ficus erat.
Venit ad expoſitos (mirum) lupa [m] fœta [n] gemellos.
[o] Quis credat pueris non nocuiſſe feram ?
Non nocuiſſe parum eſt : prodeſt quoque. quos lupa nutrit,
Prodere [p] cognatæ ſuſtinuêre manus.
Conſtitit, & caudâ teneris blanditur alumnis,
Et [q] fingit linguâ corpora bina ſuâ.
Marte ſatos [r] ſcires, timor abſuit. ubera ducunt ;
Et ſibi permiſſi lactis aluntur ope.
Illa [ſ] loco nomen fecit ; locus ipſe Lupercis.
[t] Magna dati nutrix præmia lactis habet.
[u] Quid vetat Arcadio dictos à [x] monte Lupercos ?
Faunus in Arcadiâ templa Lycæus habet.

INTERPRETATIO.

Vagierunt clamore æquali : crederes intelligere. Hi revertuntur in ſuas ſedes genis humidis. Alveus cavus fert impoſitos ultimâ aquâ. Heu quantùm fati exigua tabula vehit ! Alveus appulſus ſilvis obſcuris, hæret in cœno, amne ſenſim ſubſidente. Arbor erat : ſuperſunt inditia : & quæ dicitur hodie ficus Ruminalis erat ficus Romulea. Lupa enixa fœtus acceſſit ad geminos expoſitos. (res ſtupenda) Quis credat feram non obfuiſſe infantibus ? Leve eſt non obfuiſſe, imò prodeſt. Manus conſanguineæ auſæ ſunt perdere quos lupa alit. Reſtitit, & demulcet teneros alumnos, caudâ, & lambit ambo corpora ſuâ linguâ. Cognoſceres genitos Marte, metus procul fuit. Sugunt mammas, atque nutriuntur auxilio lactis ſibi exhibiti. Illa dedit nomen loco ; locus ipſe Lupercis. Nutrix conſequuta eſt amplam mercedem lactis oblati. Quid prohibet Lupercos appellatos à monte Arcadio ? Faunus Lycæus habet delubra in Arcadiâ.

NOTÆ.

[d] *Sentire*) Quid de ſe ageretur *ſcil.*

[e] *Hi*) Miniſtri *ſcil.*

[f] *Udis*) Ex lacrymis, puerorum commiſeratione.

[g] *Alveus*] Cunas intellige.

[h] *Fati*) Per fatum res ipſas fato præſtitutas intellige, potentiamque adeò Romanam, quæ in tantùm excrevit.

[i] *Tabella*) Quam *alveum* ſuprà dixit.

[k] *Veſtigia*) Nondum penitus ſublato trunco.

[l] *Rumina*) A rumâ hoc eſt mammâ, quæ & *rumis* & *rumen* antiquè dicebatur, quamque Remo atque Romulo præbuiſſe lupam dixerunt, *Ruminalis* ficus appellata eſt.

[m] *Fœta*) Quæ paulò antè catulos depoſuerat.

[n] *Gemellos*) Romulum atque Remum.

[o] *Quis credat*) Indignatio eſt ab Amulii immanitate.

[p] *Cognatæ*) Amulii patrui.

[q] *Fingit*) Bene, ut ſolent bruta.

[r] *Scires*) Quia neque timebant, & Marti dicatum animal quaſi recognoſcebant.

[ſ] *Loco*) Qui *Lupercal* dictus à lupâ.

[t] *Magna*) Quia fama ejus ſuperſtes.

[u] *Quid vetat*) Novum profert etymon Naſo.

[x] *Monte*) Lycæum dicit, Græcè Λύκαιον, quem bene Latinè *Lupercum* appellaveris. In eo autem, a gente antiquiſſimâ, *Lupercalia*, quæ Lycaon Pelaſgi filius inſtituiſſe dicitur, magnâ feſtivitate celebrata.

[y] Nupta, quid exspectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe [x] fœcundæ patienter verbera dextræ:
[a] Jam socer optati nomen [b] habebit avi.
[c] Nam fuit illa dies, [d] durâ cum sorte maritæ
Reddebant uteri pignora rara sui.
Quid mihi, clamabat, prodest [e] rapuisse Sabinas?
Romulus: [f] (hoc illo sceptra tenente fuit)
Si mea non vires, sed [g] bellum injuria fecit;
Utilius fuerat non habuisse [h] nurus.
Monte sub [i] Esquilio multis [k] incæduus annis
Junonis magnæ [l] nomine lucus erat.
Huc ubi venerunt; pariter nuptæque virique
Suppliciter posito procubuêre genu.
Cum subito motæ tremuêre [m] cacumina silvæ,
Et Dea per lucos [n] mira locuta suos.
Italidas matres, inquit, caper hirtus inito.
[o] Obstupuit [p] dubio territa turba sono.

INTERPRETATIO.

Quid hæres marita? Tu non fies mater potentibus graminibus, neque precibus, neque carmine magico. Excipe patienter ictus dextra fœcundantis: mox socer consequetur nomen avi desiderati. Fuit enim illa dies, cùm tristi fato nupta emittebant paucos fructus ventris sui. Romulus vociferabatur, quid me juvat rapuisse Sabinas? (Istud enim *factum est illo regnante) Si injuria mea creavit bellum, non* auxit *vires, meliùs fuerat non habuisse nuptas. Erat lucus magna Junonis intactus à multis annis sub colle Esquilino. Postquam viri simul atque mulieres huc venerunt, procubuerunt genu flexo suppliciter. Cùm repentè fastigia nemoris concussi tremuerunt, atque Dea protulit ore mira per lucos suos. Hircus hispidus, inquit, inito matres Italicas. Agmen attonitum obstupuit voce ambiguâ.*

NOTÆ.

[y] *Nupta*] Mulieres alloquitur Naso, quia, ut Plutarchus in Romulo, *adultæ Lupercorum non declinant verbera, proficere ea ad conceptionem & partum rata.* Atque id non à plebeiis modò, sed & à nobilissimis matronis factitatum.

[x] *Fœcundæ*] Lupercorum, qui caprinarum pellium loris obvias feriebant.

[a] *Jam*] Postquam verbera Lupercorum senserit mulier.

[b] *Habebit*] Propter natum sibi ex verberatâ filiâ nepotem.

[c] *Nam*] Subjicit nunc Poëta, quod antiquæ non fuit institutionis in Lupercalibus.

[d] *Durâ*] Namque fœminæ ni concipiant, brevi intereat omne genus animantis.

[e] *Rapuisse*] Simulatis ludis, quomodo rem eam ad optatum finem perduxerit, notius est, quàm ut opus sit inculcare.

[f] *Hoc*] Quòd non parturiebant nuptæ.

[g] *Bellum*] Quod gravissimum à Sabinis ob sibi à Romulo raptas puellas, tantamque injuriam, excitatum.

[h] *Nurus*] Pro fœminis, ut passim.

[i] *Esquilio*] Unus fuit ex septem montibus Romanis, de quo in sequentibus.

[k] *Incæduus*] Nullo ferro violatus.

[l] *Nomine*] Junonis Lucinæ dicebatur.

[m] *Cacumina*] Arborum ultimæ frondes.

[n] *Mira*] Imò horrenda, & quæ Satyrorum aut Sacerdotum Panis nequitiam maximè redoleant. Sed mitiùs, quàm res erat, interpretatus est augur.

[o] *Obstupuit*] Neque abs re: namque fronte primâ voces illæ *Caper hirtus inito*, aliquid habent stupendum.

[p] *Dubio*] *Ambiguo:* namque nefas intelligere quod primò verba sonant.

Augur erat ; nomen longis intercidit annis.
Nuper ab [q] Hetruscâ venerat exsul humo.
Ille caprum mactat. jussæ sua [r] terga maritæ
[s] Pellibus exsectis percutienda dabant.
Luna resumebat decimo nova cornua [t] motu ;
Virque pater subitò, nuptáque [u] mater erat.
Gratia Lucinæ. dedit hæc [x] tibi nomina [y] lucus ;
Aut quia principium tu , Dea , [z] lucis habes.
Parce, precor , gravidis , [a] facilis Lucina, puellis ;
Maturúmque utero [b] molliter aufer onus.
[c] ORta dies fuerit ; tu desine credere [d] ventis.
[e] Prodidit illius temporis aura fidem.
Flamina non constant : & sex reserata diebus
Carceris [f] Æolii janua laxa patet.

INTERPRETATIO.

Erat augur ; nomen excidit longis annis : nuper accesserat profugus à terrâ Thuscâ. Ille immolat hircum. Nupta admonita præbebant dorsum verberandum pellibus dissectis. Luna recipiebat nova cornua decimo motu, & statim maritus erat pater, & marita mater. Gratia Lucinæ. Lucus imposuit tibi hæc nomina ; vel quia tu , Dea , habes principium lucis. Fave , oro, lenis Lucina, puellis gravidis ; atque extrahe leniter ventre pondus maturum.

POstquam *dies fuerit orta, tu ne confidas ventis. Ventus illius tempestatis excidit fide. Auræ non sunt stabiles, & valvæ carceris Æolii laxa patent aperta sex diebus.*

NOTÆ.

[q] *Etruscâ*] Ex Hetruriâ verò & sacra,& ceremoniæ , & omnis propè deorum cultus petitus.

[r] *Terga*] Interscapilium. *L'entredeux des épaules.*

[s] *Pellibus*] Caprinis, quibus Luperci obvios cædebant.

[t] *Motu*] Mense adeòque.

[u] *Mater erat*] Atque adeò Lupercorum pelles & ictus nequaquam irriti : & Junoni Lucinæ magna Gratia , quæ remedium tam potens indicaverat.

[x] *Tibi*] Junonem , seu Dianam alloquitur, quæ Dea est una atque eadem.

[y] *Lucus*] Esquilinus aut quivis alius ; namque Diana nemorum Dea.

[z] *Lucis*] Quia non ad proferendos fœtus tantùm & in lucem emittendos matres adjuvat Luna; sed & generationis caussas habere dicitur.

[a] *Facilis*] *Propitia.*

[b] *Molliter*] Sine doloribus.

[c] *Orta*] Eadem Lupercalium *scil.* decimo quinto adeòque Calendas Martias , non decimo quarto, uti scripserunt ; multò minùs decimo septimo Februarii mensis,sed decimo quinto : eo namque Sol in piscibus ex veteri etiam Kalendario.

[d] *Ventis*] Quia per sex dies vehementiùs tunc temporis flare solent.

[e] *Prodidit*] *Prodere fidem* pro *fallere* eleganter. Produnt verò fidem venti , qui cùm placidi aut quieti viderentur, repentinâ rabie coorti, omnia concutiunt.

[f] *Æolii*] Æoli ventorum regis carceres & claustra , quibus sævos compescit , si cupis propiùs cernere, Maronem adi.

JAm [g] levis [h] obliqua [i] subsidit Aquarius urna.
Proximus ætherios excipe, [k] Piscis, [l] equos.
Te memorant [m] fratrémque tuum (nam juncta micatis
Signa) duos tergo [n] sustinuisse Deos.
Terribilem quondam fugiens [o] Typhona [p] Dione,
Tunc cùm pro cælo Jupiter arma tulit.
Venit ad [q] Euphraten comitata Cupidine parvo;
Inque [r] Palæstinæ margine sedit aquæ.
[s] Populus, & cannæ riparum [t] summa tenebant:
[u] Spemque dabant salices, his quoque posse tegi.
Dum latet, intonuit vento nemus. illa timore
Pallet; & [x] hostiles credit adesse manus.
Utque sinu [y] natum tenuit, Succurrite [z] Nymphæ;
Et Dîs auxilium ferte duobus, ait.
Nec mora; [a] prosiluit. Pisces subière gemelli.
Pro quo nunc dignum [b] sidera munus habent.

INTERPRETATIO.

JAm levis Aquarius subsidit urnâ obliquâ. Piscis proxime, excipe equos cœlestes. Dicunt te & fratrem tuum (nam continuata fulgetis sidera) tulisse dorso duos Deos. Dione fugiens olim horrendum Typhonem tunc cùm Jupiter tulit arma pro cœlo, venit ad Euphraten stipata parvo Cupidine, atque constitit ad ripas aquæ Palestinæ: Populus & arundines habebant extrema earum: atque salices spem faciebant se etiam posse his occultari. Dum latitat, silva intonuit vento. Illa pallet metu, atque arbitratur manus infestas adesse. Et cùm teneret filium gremio, Subvenite Nymphæ, inquit, & ferte opem Diis duobus. Et sine cunctatione, immisit se in aquam. *Pisces gemini subiverunt: pro quo nunc obtinent sidera mercedem dignam.*

NOTÆ.

[g] *Levis*] Quia à ferendi Solis labore eo die cessat.

[h] *Obliqua*] Ad figurationem sideris respexit; quia nempe ex inversâ propè urnâ aqua in pisces aut effunditur, aut effundi videtur.

[i] *Subsidit*] Poëticè dixit, quasi in ferendo Sole multùm desudasset Aquarius.

[k] *Piscis*] Sidus illud intellige, quod συνδεσμον ὑπουρανον Aratus appellavit, & duobus piscibus constituitur, sub Andromeda versus Æquinoctialem. De quo vide Hyginum, ne cum alio pisce confundas qui ad Antarcticum magìs remotus, *Notiusque* quoque dicitur.

[l] *Eques*] Solis *scil.* qui relicto Aquario in Pisces transit.

[m] *Fratrem*] Piscem alium: qui *Boreus* magìs ad Septemtrionem remotus; cùm prior *Notius* à Noto vento, qui ab illâ parte exsurgit, appelletur.

[n] *Sustinuisse*] Imò in pisces mutatós Venerem Cupidinemque alii fabulati sunt: diversa insuper de Syrorum superstitione tradit Diodorus.

[o] *Typhona*] Qui Terræ filius cum aliis etiam adversus Deos bellum movit: ut dictum alibi.

[p] *Dione*] Hæc Oceani & Tethyos filia sæpe à Poëtis pro Venere ejus filiâ, ut hoc loco, ponitur.

[q] *Euphraten*] Fluvius est notissimus Asiæ, qui Syriam Palæstinam seu Judæam quoque perluit.

[r] *Palæstina*] Judæa est, notior quàm ut opus sit Asiæ Provinciam esse indicare.

[s] *Populus*] Herculi arbor sacra.

[t] *Summa*] *Ultima.*

[u] *Spem*] Sperabat Venus sese cum filio posse etiam inter salices latere, sicuti alii Dii aliis pariter sese tegebant.

[x] *Hostiles*] Tiphonis ipsius aut cujuspiam gigantis.

[y] *Natum*] Cupidinem *scil.*

[z] *Nymphæ*] Fluviales alloquitur.

[a] *Prosiluit*] *In flumen desiliit.*

[b] *Sidera m.*] Inter sidera sunt collocati meriti sui gratâ mercede.

Inde nefas ducunt genus hoc imponere mensis,
Nec violant [c] timidi piscibus ora Syri.
[d] Proxima lux vacua est: at [e] tertia dicta Quirino.
Qui tenet hoc nomen, Romulus ante fuit.
Sive quod hasta *Curis* priscis est dicta Sabinis:
(Bellicus à [f] telo venit in astra Deus)
Sive suum Regi nomen posuêre [g] Quirites:
Seu quia Romanis junxerat ille, [h] Cures.
Nam [i] pater armipotens, postquam [k] nova mœnia vidit,
Multáque Romuleâ bella peracta manu,
Jupiter, inquit, habet Romana potentia vires;
[l] Sanguinis officio [m] non eget illa mei.
[n] Redde patri natum: quamvis [o] intercidit alter,
Pro se, proque Remo, qui mihi restat, erit.
Unus erit, quem tu tolles [p] in cærula cæli;
Tu mihi dixisti: sint [q] rata dicta Jovis.

INTERPRETATIO.

Inde Syri pii arbitrantur nefas admovere hoc genus mensis, neque polluunt ora piscibus. Dies sequens est immunis; at tertius dicatus Quirino. Qui habet hoc nomen fuit priùs Romulus. Sive quia hasta appellata est Curis à veteribus Sabinis: (Deus bellicus translatus est ad sidera per illud *telum) sive quia Quirites dedêrunt nomen suum Regi: sive quia ille addiderat Cures Romanis. Nam pater armipotens, postquam vidit novos muros, & bella absoluta manu Romuleâ, Jupiter, ait, opes Romanæ sunt auctæ; illis nihil est opus auxilio sanguinis mei. Restitue filium patri; tametsi alter periit, qui mihi superest erit pro se & pro Remo. Unus erit, quem tu assumes in cærulea cæli, Tu mihi dixisti: verba Jovis sint firma.*

NOTÆ.

[c] *Timidi*] Ad religionem spectat istud Epithetum: fuêre namque olim pietate insignes Syri. Fortè autem, ut Scaligeri fuit conjectura, ad Syriam phrenesim alludit Naso. Ex usu quippe piscium timuit ea gens, ne sibi venter aut membrum aliud intumesceret.

[d] *Proxima*] Adeòque decimo quarto Calendas Martias, seu decimo sexto Februarii.

[e] *Tertia*] Decimo tertio Calend. Mart. erant Quirinalia: quæ quidem multò post Romuli seu Quirini excessum instituta sunt.

[f] *Telo*] Quia hastâ, quæ Sabinis *Curis* dicta, atque adeò rebus bello feliciter gestis gloriam, & divinitatem nactus Romulus, ideo, inquit Naso, *Quirinus* fortè dictus.

[g] *Quirites*] Ut à Quiritibus seu Romanis *Quirinus* dictus sit Romulus.

[h] *Cures*] Plur. numeri tantùm; nomen est illius oppidi ubi imperavit Tatius, quocum fœdus hâc lege percussum, ut populis duobus junctis, Roma quidem antiquum nomen à Romulo obtineret, Romani verò Quirites à Curibus dicerentur.

[i] *Pater*] Mars *scil.* cujus numen bello præsertim potens.

[k] *Nova*] Romæ Urbis, à Romulo posita.

[l] *Sanguinis*] De Romulo loquitur, quem Martis filium propter laudem bellicam fecerunt.

[m] *Non eget*] Quia per se jam Roma potens.

[n] *Redde*] Atque adeò cœlo repone, diisque annumera.

[o] *Intercidit*] Qui, novæ Urbis quia saltu vallum irrisisset, fratris Romuli jussu quin occisus sit vix dubium.

[p] *In cærula*] Ex Ennii Annalibus, de Romulo in Deorum numerum adscribendo, haustum illud testatur illustriss. Neapolis.

[q] *Rata*] *Firma. Re comprobentur.*

Jupiter annuerat. nutu tremefactus uterque
Est [r] polus; & cæli pondera sensit [s] Atlas.
Est locus: antiqui [t] Capream dixêre paludem.
Fortè tuis illic, Romule, [u] jura dabas.
[x] Sol fugit; & [y] removent subeuntia nubila cælum:
Et gravis effusis decidit imber aquis.
Hinc tonat, hinc missis [z] abrumpitur ignibus æther,
[a] Fit fuga: [b] Rex [c] patriis astra petebat equis.
[d] Luctus erat, [e] falsæque Patres in crimine cædis,
Hæsissetque animis forsitan illa fides.
Sed [f] Proculus Longâ veniebat Julius [g] Albâ:
Lunáque fulgebat; nec facis usus erat.
Cum subito motu nubes crepuêre [h] sinistræ.
Rettulit [i] ille gradus horruerúntque comæ.
Pulcher, & humano major, trabeáque decorus
Romulus in mediâ visus adesse viâ:

INTERPRETATIO.

Jupiter annuerat: uterque polus contremuit nutu, & Atlas sensit gravitatem cæli. Est locus; veteres appellaverunt Capream paludem. Fortè Romule tu jus dicebas illic tuis. Sol subduxit se, & nubes coorta abscondunt cœlum; & pluvia densa decidit aquis effusis. Hinc tonat, hinc cœlum dividitur ignibus missis. Diffugiunt. Rex ferebatur ad sidera equis patriis. Mœror incesserat; & Patres erant in crimine falsa necis; atque fortè illa opinio mansisset in mentibus. Verùm Julius Proculus veniebat Albâ Longâ; & Luna splendebat, neque opus erat tadâ: cùm nubes sinistra strepuerunt motu repentino. Ille repressit pedem; & capilli steterunt. Romulus splendidus & procerior homine, atque ornatus trabeâ visus adesse in mediâ viâ,

NOTÆ.

[r] *Polus*] Fictos cœli cardines seu polos Septemtrionalem atque Meridionalem pro cœlo ipso poni jam sæpius dictum.

[s] *Atlas*] Quem Mauritaniæ regem cœlum cervicibus sustinere non semel repetitum.

[t] *Capream*] Fuit hæc palus paulò extra Urbem mare versus.

[u] *Jura*] Suo modo credas, per vim magis, quàm ut quæque res erat. Namque & ob asperius ingenium discerptum à Senatu vulgò putant: neque dubitandi caussam habeo gravem, utcumque turbine abreptum tradat Livius.

[x] *Sol*] Hanc Solis eclipsim ad diem 26 Maij anni ante C. Natum 713 tabulæ Astronomicæ referunt: vulgòque creditum Romulum & per defectum Solarem conceptum, & per eumdem sublatum. Quanquam de priore nihil certi.

[y] *Removent*] Dicit istud quia obnubilato aëre non apparet cœlum.

[z] *Abrumpitur*] Fulminibus quippe atque coruscationibus scindi cœlū videtur oculis.

[a] *Fit fuga*] Neque sine caussâ. *Poplifugia* deinde appellarunt illam diem Romani.

[b] *Rex*] Romulus *scil.*

[c] *Patriis*] Martis.

[d] *Luctus*] Ob sublatum Romulum.

[e] *Falsæ*] Oborta tempestas, solisque defectio, consecrationis speciem præbuêre, cum è conspectu ablatus Romulus; ut ne interfectum à Senatu quisquam è populo crederet: Cui rei mox Julius Proculus fidem fecit. Cæterùm discerptum tamen ut dictum suprà, vix ullus dubitaverit, qui rei Romanæ notitiam habuerit.

[f] *Proculus*] Hunc virum, cætera probum & Romulo affinitate conjunctum à patribus subornatum ne dubites: cujus ad rem accommodatissimam orationem pete si placet ex Plutarcho aut Livio.

[g] *Alba*] Quod Latii fuit oppidum ab Ascanio Æneæ filio conditum.

[h] *Sinistra*] Ad omen alludit, quod ex sinistro fulmine ac tonitru captabant.

[i] *Ille*] Proculus *scil.* tremefactus.

Et dixisse simul, Prohibe lugere Quirites :
  Nec [k] violent lacrymis numina nostra suis.
Thura ferant, placéntque novum pia turba [l] Quirinum ;
  Et [m] patrias artes militiámque colant.
Jussit : & in tenues oculis evanuit auras.
  Convocat hic Patres : jussáque verba refert.
Templa Deo fiunt. collis quoque dictus [n] ab illo :
  Et referunt [o] certi sacra [p] paterna dies.
Lux quoque cur [q] eadem Stultorum festa vocetur ,
  Accipe : parva quidem caussa, sed apta subest.
Non habuit tellus doctos antiqua colonos :
  Lassabant agiles aspera bella viros.
Plus erat in gladio quàm curvo laudis aratro :
  Neglectus domino pauca ferebat ager.
Farra tamen veteres [r] jaciebant, farra metebant :
  Primitias [s] Cereri farra resecta dabant.
[t] Usibus admoniti [u] flammis torrenda dedère ;
  Multáque peccato damna tulère suo.
Nam modò verrebant [x] nigras pro farre favillas ;
  Nunc ipsas igni corripuère casas.

INTERPRETATIO.

& simul dixisse, Veta Quirites flere : neque lædant numina nostra suis lacrymis. Offerant thura , atque pium agmen placent novum Quirinum : & colant artes patrias , & militiam. Imperavit ; & evanuit oculis in auras inanes. Hic convocat Patres, & memorat voces jussas. Ædes ponuntur Deo : mons etiam appellatus ab illo ; & certi dies reponunt sacra paterna. Disce etiam quamobrem eadem dies dicatur festa Stultorum : ratio quidem levis, sed tamen conveniens. Terra vetus non habuit incolas eruditos : sæva bella conficiebant viros fortes. Plus erat gloria in ense , quàm in aratro adunco : ager neglectus reddebat pauca domino. Antiqui tamen spargebant triticum , metebant triticum : offerebant Cereri primitias frumentum resectum. Impulsi utilitate dederunt farra *torrenda ignibus ; & passi sunt multum dispendium suo errore. Nam modò colligebant atrum cinerem pro frugibus ; modò immiserunt ignem suis tuguriis.*

NOTÆ.

[k] *Violent*] Lætitiam quippe non mœrorem ex consecratione regis sui concipere debebant Romani: siquidem tamen ea non ficta fuisset.

[l] *Quirinum*] Eo nomine in cœlis vocari ipsemet indicavit ; modò ut Historicorum quoque fabulis aliqua fides.

[m] *Patrias*] Justitiam præsertim & militiam ; ex Plutarchi sententiâ. Maro autem Æn. 6.

Tu regere imperio populos , Romane, memento ;
Hæ tibi erunt artes ; pacisque imponere morem ;
Parcere subjectis, & debellare superbos.

[n] *Ab illo*] A Curibus tamen Sabinorum, qui illic consederunt, dictum collem testatur Festus ; cùm priùs *Agonus* appellaretur.

[o] *Certi*] Quirinalia ergo stata & annua.

[p] *Paterna*] Romulo patri dicata.

[q] *Eadem*] Quâ Quirini festum.

[r] *Jaciebant*] *Serebant.*

[s] *Cereri*] Quæ frugum dea.

[t] *Usibus*] Experientia quippe artium magistra : neque necessitati quicquam inexpertum.

[u] *Flammis*] Quanquam ergo tostum melius esse far usu didicissent ; non tamen torrendi farris idoneam rationem invenerant.

[x] *Nigras*] Farre nimiùm tosto.

Facta Dea est [y] Fornax : læti Fornace coloni
Orant, ut fruges [z] temperet illa suas.
[a] Curio [b] legitimis nunc Fornacalia verbis
Maximus [c] indicit ; nec stata sacra facit.
Inque Foro, multâ circum pendente tabellâ,
[d] Signatur certâ Curia quæque notâ.
Stultáque pars populi, quæ sit sua Curia, [e] nescit :
Sed [f] facit extremâ sacra relata die.
[g] Est honor & [h] tumulis. animas placate paternas ;
Parváque in extinctas munera ferte [i] pyras.
Parva petunt [k] Manes. pietas pro divite grata est
Munere. non [l] avidos [m] Styx habet ima Deos.
[n] Tegula projectis satis est velata coronis ;
Et sparsæ fruges, parcáque mica salis :
Inque mero mollita [o] Ceres, violæque solutæ,
Hæc habeat mediâ testa relicta [p] viâ.

INTERPRETATIO.

Dea Fornax creata est: Agricolæ læti Fornace precantur, ut illa moderatè torreat sua farra. Nunc Curio maximus indicit vocibus sollennibus Fornacalia ; neque facit sacra stata. Atque Curia quæque notatur certo indicio in foro, multâ tabellâ circùm pendente. Et pars populi stulta ignorat quænam sit sua Curia : sed celebrat sacra relata die extremâ.

Est quoque honor sepulcris. Placate animas paternas ; & portate levia dona in rogos extinctos. Umbræ poscunt tenuia. Pietas est accepta pro lauto dono. Styx infima non habet Deos cupidos. Tegula tecta floribus sparsis, & farra projecta, & parva mica salis, & frumentum aspersum vino, & violæ solutæ sufficiunt. Testa destituta in mediâ viâ habeat hæc.

NOTÆ.

[y] *Fornax*] A Numa initium habuit, qui & egregiæ deæ *fornacalia* torrendi farris indictitias ferias instituit.

[z] *Temperet*] Ne adurantur.

[a] *Curio*] Primum omnium seu Caput aut ἔξαρχον intellige ; cujus auctoritate & Curiæ, quas 30 numero Romulus instituit, & Curiones cæteri regebantur.

[b] *Legitim.*] Certâ quâdam formulâ comprehensis, hâc v.g. JOVIS EPULUM CRAS EST. LAVATIO DEUM MATRIS EST HODIE. &c.

[c] *Indicit*] Quia non statæ feriæ, sed indictitiæ.

[d] *Signatur*] In iis tabellis, in quam Curiam seu ædiculam ad eam rem paratam, hæc aut illa Curia seu pars populi ad rem divinam accederet, descriptum erat.

[e] *Nescit*] Atque adeò rei Divinæ suo tempore non dat operam.

[f] *Facit extrema*] Quirinalia stultorum ferias appellavit etiam Festus, quòd eo die sacrificarent, qui fornacalibus, cùm indicta essent non potuerant feriari.

[g] *Est honor*] Tertio à Quirinalibus die feralia fieri, & piis Manibus justa solvi alii scripserunt.

[h] *Tumulis*] Ad sepulcra.

[i] *Pyras*] Propriè pyra lignorum est congeries accensa, in quâ mortuorum cadavera adurebantur. Verùm hoc in loco pro busto aut sepulcro ponitur.

[k] *Manes*] Quos Animas paternas modò dixit.

[l] *Avidos*] *Avaros.*

[m] *Styx*] Inferorum palus, quæ pro Inferis ipsis posita.

[n] *Tegula*] Super tegulâ testâ aut silice ponebantur epulæ aut dona quæ diis Manibus apponebantur.

[o] *Ceres*] Pro pane posuit vino madido, aut farinâ eodem subactâ. Videatur Festus.

[p] *Viâ*] Ad vias enim posita olim sepulcra: quod & hodie adhuc apud multos obtinet.

Nec [q] majora veto: sed & his placabilis umbra est.
Adde preces positis & [r] sua verba [s] focis.
Hunc morem Æneas pietatis [t] idoneus auctor
Attulit in terras, juste [u] Latine, tuas.
Ille patris [x] Genio [y] solennia dona ferebat,
[z] Hinc populi ritus edidicêre pios.
At quondam, dum longa gerunt pugnacibus armis
Bella, [a] Parentales [b] deseruêre dies.
Non impune fuit. nam dicitur [c] omine ab isto
Roma [d] suburbanis [e] incaluisse rogis.
Vix equidem credo: bustis exîsse feruntur,
Et tacitæ questi tempore noctis avi.
Perque vias Urbis, Latiósque ululasse per agros
Deformes animas vulgus [f] inane, ferunt.
Post ea [g] præteriti tumulis redduntur honores;
[h] Prodigiísque venit [i] funeribúsque modus.
Dum tamen [k] hæc fiunt, viduæ [l] cessate puellæ:
Exspectet puros [m] pinæa tæda dies.

INTERPRETATIO.

Neque prohibeo ampliora: verùm Manes possunt etiam placari istis. Adjice preces & sua verba aris positis. Æneas certus auctor pietatis induxit hunc ritum in terras tuas, juste Latine. Ille portabat munera solennia Genio parentis; inde populi perdidicerunt pias ceremonias. At olim, dum gerunt longa bella armis pugnacibus, omiserunt dies Parentales. Non fuit inultum: nam Roma dicitur calefacta rogis suburbanis ab isto omine. Ægrè equidem fidem adhibeo: avi questi dicuntur prodiisse sepulcris tempore noctis silentis: atque aiunt. Animas turpes populum tenuem ululasse per vicos Urbis, & per campos Latinos. Post illa honores omissi reponuntur sepulcris, & finis fuit portentis & funeribus. Dum tamen hæc geruntur, puella vidua quiescite, fax pinea exspectet dies puros.

NOTÆ.

[q] *Majora*] Quibus quisquam Manes placare studeat. Multùm verò in his sepulcralibus epulis consumsisse veteres nullus dubitat.

[r] *Sua*] *Convenientia.*

[s] *Focis*] Pro accensis luminibus interpretati sunt. Ego per focos altaria intelligenda esse censeo; quod ex Æneidos quinto, atque ab Æneâ ipso Anchisæ patri relatis feralibus verum esse facilè demonstravero.

[t] *Idoneus*] Quippe pietate super æthera notus.

[u] *Latine*] Laurentum rex fuit, cujus filiam Laviniam Æneas duxit uxorem.

[x] *Genio*] Manibus patris Anchisæ, cui tanquam Deo sacra instituit.

[y] *Solennia*] Ne pigeat rem totam ex Æneidos 5 repetere.

[z] *Hinc*] Ab ipso Æneâ.

[a] *Parentales*] Quibus, pro parentibus & majoribus extinctis, epulas ad eorum sepulcra ferebant.

[b] *Deseruêre*] Vix aliunde istud sit probandum. Verùm de his nugis dubiam cur faciamus Nasonis fidem.

[c] *Omine*] Impietate sanè nihil magis ominosum.

[d] *Suburbanis*] Hi enim ante Urbem excitabantur.

[e] *Incaluisse*] Atque adeò plurimos ob intermissa feralia interiisse.

[f] *Inane*] Vanæ atque inanes dicuntur Umbræ, quæ sine corpore.

[g] *Præteriti*] Neglecti aut omissi.

[h] *Prodigiis*] Non ampliùs bustis prodierunt Manes.

[i] *Funeribus*] Non ità frequentes cadebant Romani.

[k] *Hæc*] Sacra feralia.

[l] *Cessate*] De nuptiis nolite cogitare.

[m] *Pinea*] Cujusmodi ad nuptias soliti adhibere, aut etiam ex spino, quas ex maritæ foculo accendebant.

Nec

Nec tibi, quæ [n] cupidæ [o] matura videbere matri,
[p] Comat virgineas [q] hasta recurva comas.
Conde [r] tuas, [s] Hymenæe, faces; & ab [t] ignibus atris
Aufer. habent alias mœsta sepulcra faces.
Dî quoque templorum foribus [u] celentur opertis:
Thure vacent aræ: stentque sine igne [x] foci.
Nunc animæ tenues, & [y] corpora functa sepulcris
Errant: nunc posito [z] pascitur umbra cibo.
Nec tamen [a] hæc ultra, [b] quàm tot de mense supersint
Luciferi, [c] quot habent carmina nostra pedes.
[d] Hanc quia [e] justa ferunt, dixêre Feralia lucem.
Ultima placandis Manibus [f] illa dies.

INTERPRETATIO.

Neque acus curva ornet capillos virgineos tibi, quæ videberis matura matri cupida. Hymenæe repone tuas tædas, & tolle eas ab ignibus obscuris: tristia busta habent alias tædas. Dii etiam condantur januis templorum clausis: altaria sint sine thure; & aræ maneant sine igne. Nunc Umbræ inanes, & corpora sepulta vagantur; nunc Manes pascuntur dapibus admotis. Neque tamen hæc ultrà quàm tot dies restent de mense, quot carmina nostra habent pedes. Vocaverunt hanc diem feralia, quia ferunt justa. Illa dies postrema Umbris placandis.

NOTÆ.

[n] *Cupidæ*] Scilicet id unum propè curant matres, ut placeant filiæ suæ, & quàm primùm nubant.

[o] *Matura*] Quæ ætate est nubili.

[p] *Comat*] Atque adeò per dies ferales & placandis Manibus dicatos de matrimonio ne cogitet.

[q] *Hasta rec.*] Acum comatoriam ne dubites intelligendam esse, quâ crinium compago retinebatur, ne laxiùs fluerent, aut sparsi dissiparentur, de quâ Martialis, hoc disticho,

Unus de toto peccaverat orbe comarum
Annulus, insertâ non bene fixus acu.

[r] *Tuas*] Quæ lætitiæ sunt, utpote ad nuptias.

[s] *Hymenæe*] Deum nuptiarum jam sæpe diximus.

[t] *Ignibus at.*] Tædarum feralium, quæ lugubres; utpote in funebribus, & ad Deos inferos spectantibus.

[u] *Celentur*] Ne quid funestum videant; quâ re etiam Pontifici, flamini Diali, aliisque qui rem sacram facturi essent interdictum funesto aspectu res divinas turbare.

[x] *Foci*] *Deorum altaria.*

[y] *Corpora f.*] *Umbræ defunctorum*, qui sepulcro tamen non caruère: namque his qui caruissent centum errare annos necesse; neque ad hæc sacra, utcumque horrenda, & ab impuro spiritu conficta admittebantur.

[z] *Pascitur*] Scilicet ad epulas venient qui carent corpore.

[a] *Hæc*] De erroribus Umbrarum loquitur.

[b] *Quàm tot*] Conjecturâ opus est hoc in loco, quam ex illustriss. Neapoli peto. Suspicatus est 12 Calendas Mart. ultimum fuisse diem quo feralibus sacris incumbendum esset, quibus quidem aliquot antè diebus vacare liceret. Atque ità undecim dies remanebunt è mense; ipso tamen feralium die comprehenso.

[c] *Quot habent*] Siquidem non errant Umbræ ultrà quàm deinde tot dies supersint ex mense Februario, quot pedes carmina ista habent, undecim certè superesse necesse est; tot enim constant pedibus Hexameter & Pentameter: atque adeò quanquam à veteribus Calendariis aberret Naso, non potuerint ipsius feralia, ultra 12 Calendas Martias proferri.

[d] *Hanc*] Duodecimam dicit Calendas Mar. seu Februarii decimum octavum diem, ut numeramus nos quo feralia absolvebantur.

[e] *Justa*] Eo nomine sacra appellabantur, quæ diis manibus persolvebantur: in quibus sollenne aliquid offerre, & ex præcedentibus apparet.

[f] *Illa*] Februarii mensis decima octava, *scilicet*, quam ultimam Manibus placandis dicit esse.

Ecce [f] anus in mediis residens annosa puellis,
Sacra facit Tacitæ: [g] vix tamen ipsa tacet.
Et digitis [h] tria thura tribus sub limine ponit,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.
Tum [i] cantata ligat cum fusco [k] licia [l] rhombo;
Et septem nigras versat in ore fabas.
Quodque [m] pice adstrinxit, quod acu trajecit [n] ahenâ,
Obsutum [o] mænæ torret in igne caput:
Vina quoque instillat. vini quodcunque relictum est,
Aut ipsa, aut comites, [p] plus tamen ipsa, bibit.
Hostiles linguas, inimicáque [q] vinximus ora,
Dicit discedens; [r] ebriáque exit anus.
Forsitan à nobis, quæ sit Dea Muta, requiras.
Disce, per antiquos quæ mihi nota senes.
Jupiter indomito [f] Juturnæ captus amore
Multa tulit, tanto non patienda Deo.

INTERPRETATIO.

Ecce anus provecta ætate stans in mediis puellis refert Sacra Tacitæ; ipsa tamen ægrè tacet. Atque ponit tria thura tribus digitis sub limine, quâ parvus mus paravit sibi callem secretum. Tum nectit licia cantata nigro rhombo; & agitat septem fabas atras in ore. Atque torret in igne caput mænæ consutum, quod compegit pice, quod transfixit acu aneâ. Infundit etiam vina: vel ipsa, vel comites, ipsa tamen plus bibit vini, quodcumque est residuum. Abiens dicit, ligavimus linguas inimicas, & constrinximus ora infensa; atque vino oppressa prodit. Fortè petas à nobis, quæ sit Dea Muta. Accipe quæ mihi perspecta per senes avitos. Jupiter correptus amore sævo Juturnæ toleravit multa non toleranda Deo.

NOTÆ.

[f] *Anus*] Per dies ferales Tacitæ Deæ, quæ & *Muta*, & *Lara*, & *Mania* dicta nescio quid magicum, ad compescendas detrahentium linguas, parabant; quod deinceps, modò ne rideas, aut fleas, à Nasone audies.

[g] *Vix*] Taceat vetula! Prunam citiùs ore retinuerit.

[h] *Tria thura*] *Tria thuris grana.*

[i] *Cantata*] *Incantata.*

[k] *Licia*] Limbos intellige, quibus utrimque stamina ligantur; quorum quidem usus multus in veneficiis, ad mentes ligandas, non secus ac illis implicatur stamen.

[l] *Rhombo*] Trochus fuit seu turbo, aut simile aliquod instrumentum, quo veneficæ præsertim ad incantationes utebantur. Hinc Propertii,

magico torti sub carmine rhombi,

& Lucani

torti magicâ vertigine rhombi.

[m] *Pice adst.*] Ne quam vocem proferat scilicet muti piscis caput.

[n] *Ahena*] Ex ære, ritu sollenni.

[o] *Mana*] Pisciculus est marinus non magni pretii; quem ut appositissimè, non sine magno conatu tamen, & multâ eruditione ex Manuscriptis quibusdam & veterum monumentis huc retraxit clariss. Heinsius. Maniæ verò deæ ob nominis cognationem, quod in aliis diis obtinuit, docente Athenæo; deinde & Mutæ Mænas mutus piscis, isque insigniter obsutus, mirè dedicatus fuit: neque aliter scripsisse velim Nasonem nostrum.

[p] *Plus tamen*] Atque adeò non temerè paulò antè pro *annosa vinosa* reponendum suadebat idem Heinsius.

[q] *Vinximus*] Propriè ex arte magicâ, pro *ligavimus*. Cæterùm adversus maledicos aliud incantamentum, quam recti consciam mentem ne quæsieris; nisi fortè insuper famæ mendacia ridere multo usu, exercitisque purioris Philosophiæ documentis obfirmato animo didiceris.

[r] *Ebria*] Quæque adeò pulcrè & sapienter sacrum absolvit.

[f] *Iuturnæ*] Quæ nympha Turni illius Virgiliano carmine notissimi regis soror fuit.

Illa modo in silvis inter [t] coryleta latebat:
Nunc in [u] cognatas desiliebat aquas.
Convocat [x] hic Nymphas, Latium, quodcunque tenebas:
Et jacit in medio talia verba choro:
Invidet [y] ipsa sibi, vitátque, quod expedit illi,
Vestra soror summo jungere membra Deo.
Consulite [z] ambobus: nam quæ mea magna voluptas,
Utilitas vestræ magna sororis erit.
Vos illi in primâ fugienti obsistite ripâ,
Ne sua fluminea corpora mergat aquâ.
Dixerat: annuerunt omnes [a] Tiberinides udæ,
Quæque colunt [b] thalamos, Ilia diva, tuos.
Forte fuit [c] Naïs, Lara nomine: [d] prima sed illi
Dicta bis antiquum syllaba nomen erat,
Ex [e] vitio positum. sæpe illi dixerat [f] Almo,
Nata, tene linguam. nec tamen illa tenet.
Quæ, simul ac tetigit Juturnæ stagna sororis,
Effuge, ait, [g] ripas: dicta refértque Jovis.
Illa etiam Junonem adiit: miseratáque [h] nuptam,
[i] Naïda Juturnam vir tuus, inquit, amat.

INTERPRETATIO.

Illa nunc latitabat in silvis inter coryleta; nunc se dabat in aquas consanguineas. Hic convocat Nymphas, quotcumque habebas, Latium; & mittit tales voces in medium cœtum: Vestra soror ipsa sibi nocet, & refugit quod illi prodest miscere artus cum supremo Deo. Prospicite utrique; nam quæ mea magna voluptas, erit ingens compendium vestræ sororis. Vos occurrite illi fugienti in ultimâ ripâ, ne tingat suos artus aquâ fluminea. Absolverat: omnes Tiberinides madida, & quæ frequentant thalamos tuos, Ilia, assenserunt. Fortè fuit Naïs nomine Lara; verùm prima syllaba bis prolata erat illi nomen vetus impositum ex pravitate. Almo dixerat sæpe illi, filia reprime linguam; neque tamen illa compescit. Quæ statim atque pervenit ad latices Juturnæ sororis, Vita, inquit ripas; atque narrat verba Jovis. Illa quoque accessit ad Junonem, & dolens vicem maritæ, ait, Maritus tuus tenetur amore Juturnæ Naidis.

NOTÆ.

[t] *Coryleta*] *Corylis loca consita*; cujus arboris fructum *avellanas* dicimus.

[u] *Cognatas*] Non tam quia Venilia Nympha mater, & ex Deorum gente ab avo aut proavo Pilumno Jove sato, quàm quòd in Latino agro fons quidam Iuturnæ nomine, qui Poëtis fabulandi occasionem dedit.

[x] *Hic*] Jupiter *scil.* qui quàm sit in hac nympharum turbâ ridiculus deus vix quisquam dixerit.

[y] *Ipsa*] Iuturna *scil.*

[z] *Ambobus*] Iuturnæ *scil.* atque Jovi.

[a] *Tiberinides*] Tiberini fluvii Nymphæ.

[b] *Thalamos*] Anienem intellige, in cujus undas se præcipitem dedit Ilia, à quo excepta fuit, & pro uxore amata: namque ea fuit Poëtæ nostri sententia Amorum lib. 3. Eleg. 6.

[c] *Nais*] Fluvialis nympha.

[d] *Prima sed*] *Lala* adeòque dicebatur, à Græco *λαλέω loquor.*

[e] *Vitio*] Loquacitate *scil.* & garrulitate.

[f] *Almo*] Qui fluvius ad Urbem in Tiberim defluens garrulæ nymphæ pater fuit.

[g] *Ripas*] Quia dixerat Jupiter,
Vos illi in primâ fugienti obsistite ripâ.

[h] *Nuptam*] Junonem *scil.* cui pellicem Jupiter adornabat.

[i] *Naida*] Nympham fluvialem. Sed nota quàm multa paucis aperiat garrula.

Jupiter [k] intumuit ; quaque est non usa modestè,
Eripuit linguam : Mercuriúmque monet ;
Duc hanc ad Manes : locus ille silentibus aptus.
Nympha, sed infernæ Nympha [l] paludis, erit.
Jussa Jovis fiunt. accepit lucus euntes.
Dicitur illa duci tum placuisse Deo.
Vim parat hic ; [m] vultu pro verbis illa precatur ;
Et [n] frustra muto nititur ore loqui.
Fitque [o] gravis, geminósque parit, qui [p] compita servant,
Et vigilant nostrâ semper in urbe, Lares.
[q] PRoxima cognati dixêre [r] Charistia cari,
Et venit ad socias [s] turba propinqua dapes.
Scilicet à [t] tumulis, &, qui periere, propinquis,
Protinus ad vivos ora referre juvat ;
Postque tot amissos, quidquid de [u] sanguine restat,
Adspicere ; & generis dinumerare [x] gradus.
Innocui veniant. [y] procul hinc procul impius esto
Frater, & in [z] partus mater acerba suos ;

INTERPRETATIO.

Jupiter incensus est irâ, atque sustulit linguam quâ non est usa parcè, atque Mercurio imperat, Ducito istam ad Inferos; ille locus est idoneus tacentibus. Erit Nympha, sed Nympha paludis Stygiæ. Mandata Jovis observantur. Lucus recepit proficiscentes. Illa dicitur tum placuisse Deo duci. Hic vim facit : illa orat nutu pro voce ; & nequicquam contendit fari ore muto. Atque fit gravida, & emittit Lares gemellos, qui assident triviis, & vigilant semper in nostrâ Urbe.

CAri cognati dederunt nomen proximis Caristiis, atque agmen cognatum accedit ad epulas amicas. Nimirum gratum est continuò redire ad superstites à sepulcris, & cognatis qui sunt mortui, atque videre quidquid superest de genere post tot ereptos, & recensere gradus consanguinitatis. Insontes accedant : Procul hinc, procul esto frater impius, & mater sæva in liberos suos ;

NOTÆ.

[k] *Intumuit*] Bile *scil.* ex Laræ indicio.

[l] *Paludis*] Stygis.

[m] *Vultu*] Qui quidem non levis animi index.

[n] *Frustrà*] Quia neque loquitur, neque Mercurius flectitur.

[o] *Gravis*] Ex Mercurio facta est gravida.

[p] *Compita*] Trivia ; in quibus etiam publicè Lares colebantur, ut postea videbimus.

[q] *Proxima*] Quæ omisit vetus Romanum ; Constantini magni Calendarium ad 8 Calend. Mart. assignat. Dies verò ille totus dicatus conviviis : unde & dictus *festum epularum.*

[r] *Charistia*] Ἀπὸ τῆς Χάριτος, à *Gratiâ* dicta *Charistia,* quia ut Valer. Max. tradit, illis conviviis præter cognatos & affines nemo interponebatur ; ut, si quæ inter necessarios querela esset orta, apud sacra mensæ, & inter hilaritatem animorum, fautoribus Concordiæ adhibitis, tolleretur.

[s] *Turba pr.*] Cognati & affines.

[t] *Tumulis*] Ad quos feralibus diebus accesserant.

[u] *Sanguine*] *De eâdem cognatione.*

[x] *Gradus*] Sunt enim inter se cognati alii aliis propinquiores, superiores, aut inferiores.

[y] *Procul*] Verba hæc sunt : quæ si impios à Charistiis nostris arcere possent.

[z] *Partus*] *Filios* : quos malè perdere non dubitet, ut Medea.

[a] Cui pater est vivax, qui matris [b] digerit annos,
[c] Quæ premit invisam socrus iniqua nurum.
[d] Tantalidæ fratres absint, & [e] Iasonis uxor,
Et [f] quæ ruricolis semina tosta dedit:
Et [g] soror, & Progne, Tereusque [h] duabus iniquus:
Et quicunque suas per scelus auget opes.
[i] Dîs generis date thura [k] boni. Concordia fertur
[l] Illo præcipuè mitis adesse die.
Et [m] libate dapes: ut grati pignus honoris
Nutriat [n] incinctos [o] missa [p] patella Lares.
Jamque ubi suadebit placidos nox [q] ultima somnos,
[r] Parca precaturæ sumite vina manus.

INTERPRETATIO.

cui pater est vivax, qui inquirit in annos matris, qua socrus acerba urget nurum invisam. Fratres Tantalidæ, & conjux Jasonis sit procul, itemque ea qua prebuit semina tosta agricolis: & Progne cum sorore, & Tereus infestus utrique, & quisquis cumulat suas divitias per flagitium. Probi offerte thura Diis gentis. Concordia dicitur adesse lenis præsertim illo die. Atque libate epulas, ut patella missa pignus grati honoris alat Lares succinctos. Cùmque jam nox extrema suadebit lenes somnos, manus precatura capite paulùm meri:

NOTÆ.

[a] *Cui*] Quique adeò patris mortem optat.

[b] *Digerit*] *Recenset*, ut quàm sit brevi moritura intelligat.

[c] *Quæ premit*] Istæ verò in proverbium abierunt, quasi nurus diligere non possint.

[d] *Tantalidæ*] Tantalidis Atteo atque Thyesti Tantali nepotibus similes: quorum quidem odia & nefaria facta non semel vidimus.

[e] *Jasonis*] Medea; quæ patrem prodidit, fratrem laceravit, filios ex Jasone marito necavit, veneficiis suis orbem replevit.

[f] *Quæ rur.*] Ino est Phryxi & Helles noverca. quæ agricolis adusta semina dabat, ut cum minùs nascerentur divinitus immissam annonæ caritatem crederent; mox ad Sacerdotes & augures irent, qui corrupti Phryxum atque Hellen mactandos pro expiatione dicerent, &c. de quibus fusiùs in sequentibus.

[g] *Soror*] Philomela, cujus & Prognes Tereique fabulam habes in Metam.

[h] *Duabus*] Philomelæ *scilicet* & Prognæ.

[i] *Dîs generis*] Ejusdem cognationis, Laribus, & diis domesticis.

[k] *Boni*] Namque malos Deus non audit.

[l] *Illo*] Quo Charistia celebrantur.

[m] *Libate dap.*] Diis *scil.*

[n] *Incinctos*] Incincti nempe seu succincti in marmoribus & signis æneis antiquis exprimuntur Lares.

[o] *Missa*] Vox est convivalis; unde *missus* pro cibo; & *missa pulla fruges* apud Livium in auguralis Sacri descriptione.

[p] *Patella*] Festus speciali quâdam significatione patellas dicit esse vasa parva picata, sacris faciendis apta. Ab iis verò Lares *patellarii* dicti, quia non è potu modò in focum, qui Larium sedes, aliquid defundebatur, sed è cibis quoque in patellâ aliquid in focum deferebatur.

[q] *Ultima*] In multam noctem quippe, imò & primam lucem quandoque apud veteres convivia protrahebantur.

[r] *Parca*] Ad libationem, quæ parco mero, in focum aut mensam effuso, fiebat.

Et, Bene [f] nos, [t] Patriæ bene te Pater, optime Cæſar,
Dicite ſuffuſo, ſint rata verba, mero.
[u] NOx ubi tranſierit, ſolito celebretur honore
Separat indicio [x] qui Deus arva ſuo.
Termine, ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes, ab [y] antiquis ſic quoque numen habes.
Te duo [z] diversâ domini pro parte coronant;
Bináque ſerta tibi, bináque liba ferunt.
Ara fit: huc ignem [a] curto fert ruſtica [b] teſtu
Sumtum de tepidis ipſa colona focis.
Ligna ſenex minuit: conciſáque conſtruit altè;
Et [c] ſolida [d] ramos [e] figere pugnat humo.
Dum [f] ſicco primas irritat cortice flammas;
Stat puer, & manibus lata [g] caniſtra tenet.
Inde, ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva favos.

INTERPRETATIO.

atque dicite, Bene vos, Bene te, Cæſar optime, Pater Patriæ, Voces ſint firmæ mero ſparſo.

POſtquam nox præterierit, Deus qui dividit agros ſuâ notâ honoretur ſolenni honore. Termine, ſeu ſaxum, ſeu es truncus immiſſus in arvum, habes etiam ſic numen à veteribus. Duo domini pro duabus partibus redimiunt te ſertis, & offerunt tibi duas coronas, & duo liba. Ponitur altare: Colona ipſa agreſtis huc portat parvâ teſtâ ignem petitum ex focis calidis. Senex ſcindit ligna; & extruit altè confracta, atque contendit defodere ſudes in ſolo duro. Dum excitat primas flammas cortice arido, puer conſiſtit, & tenet amplas corbes manibus. Tum, poſtquam ter injecit farra in medios foces, parva filia offert favos diviſos.

NOTÆ.

[f] *Vos*] Lares intellige, inter quos medius Auguſtus in compitis etiam dicatus.

[t] *Patriæ*] Auguſto enim in conviviis non publlcis tantùm ſed & privatis, ex Senatuſ conſulto omnes libare tenebantur; ut ex Dione liquet. Hinc Horat. Odarum lib. 4. Od. 5. ad eundem,

Condit quiſque diem collibus in ſuis,
Et vitem viduas ducit ad arbores:
Hinc ad vina redit lætus, & alteris
Te menſis adhibet deum.
Te multâ prece, te proſequitur mero,
Defuſo pateris, & Laribus tuum
Miſcet numen, uti Græcia Caſtoris
Et magni memor Herculis.

[u] *Nox ubi*] Septimo adeòque Calend. Mart. quanquam aliter in quibuſdam Calendariis.

[x] *Qui deus*] Terminum dicit, in cujus tutelâ agri fines, cuique terminalia ſacra in Latio à Numâ inſtituta.

[y] *Antiquis*] Græcis *ſcilicet*, qui τέρμονας dixerunt, quos Latini *Terminos*.

[z] *Diversâ*] Quia enim deorum agros dividunt Termini, à duobus ſeu diverſis partibus fiebat ſacrificium, atque illud quidem privatum.

[a] *Curto*] Utpote pauperis qui fictilem neque integram patellam habeat.

[b] *Teſtu*] Antiquè pro *teſtâ* aut *teſto*.

[c] *Solida*) *Durâ*.

[d] *Ramos*) *Stipites*.

[e] *Figere*) Ad coërcendam lignorum ſtruem.

[f] *Sicco*) Faciliùs quippe ignem concipiunt quæ arida ſunt.

[g] *Caniſtra*) Corbem dicit, in quâ quæ ad ſacrificium neceſſaria.

Vina tenent alii : [h] libantur singula flammis.
Spectant, & [i] linguis [k] candida turba favent.
[l] Spargitur & cæso [m] communis Terminus [n] agno :
Nec [o] queritur, lactens cum sibi porca [p] datur.
Conveniunt, [q] celebrántque dapes vicinia simplex ;
Et cantant laudes, Termine sancte, tuas.
Tu populos, urbésque, & regna ingentia [r] finis :
Omnis erit sine te [s] litigiosus ager.
Nulla tibi ambitio est : nullo corrumperis auro,
Legitimâ [t] servas credita rura fide.
Si tu signasses olim [u] Thyreatida terram ;
Corpora non leto missa [x] trecenta forent :
Nec foret [y] Othryades congestis tectus in armis.
O quantum [z] patriæ sanguinis ille dedit !

INTERPRETATIO.

Alii tenent vinum : singula libantur igne. Cœtus candidus spectant, & favent linguis. Terminus communis tingitur etiam sanguine *agni mactati : neque queritur, cū sus lactens sibi offertur. Vicinia simplex congrediuntur, & frequentant epulas ; & canunt laudes tuas, sancte Termine. Tu limites ponis populis, & urbibus, & magnis regnis : omne arvum esset jurgiis obnoxium sine te. Nulla est tibi ambitio ; nullo auro dimoveris à vero. Custodis agros commissos fide intemeratâ. Si tu olim distinxisses terram Thyreatida, trecenta corpora non essent data neci : neque Othryades esset celatus in armis cumulatis. O quantùm ille dedit sanguinis Patriæ !*

NOTÆ.

[h] *Libantur*) De singulis pars aliqua in ignem mittebatur.

[i] *Linguis*) Aut silebant, aut bona verba & ad rem divinam spectantia, uti opus erat, ex ritu dicebant.

[k] *Candida*) Vel quia pia, vel quia in candidis vestibus.

[l] *Spargitur*) Ab omni tamen cæde ac sanguine incontaminatum conservari oportere Terminum pacis & amicitiæ custodem Numa vir justus ac civilis statuerat, si Plutarcho credimus. Ubi jam illa lex ? Distinguas necesse est tempora ; nisi Nasonem nostrum atque Horatium mavis illi litem movere.

[m] *Communis*] Scilicet communis Terminus qui duorum agros dividit.

[n] *Agno*] Aut certè ejus sanguine.

[o] *Queritur*] Termino deo grata etiam porca.

[p] *Datur*] Immolatur.

[q] *Celebrant*] Ad epulas frequentes accedunt.

[r] *Finis*] *Distermimas. Dividis.*

[s] *Litigiosus*] Quia alter in alterius partem ultrà quàm jus esset manus inferret, aut certè conaretur.

[t] *Servas*] Ne à quoquam ex eo quod cujusque est detrahatur.

[u] *Thyreatida*] Fuerunt *Thyrea* seu *Thyrea* oppidum ad Argivi & Lacedæmonii agri confinia ; à quo terra *Thyreatis* dicta, cujus caussâ bellum Argivos inter & Lacedæmonios ortum.

[x] *Trecenta*] Utrimque enim tam ab Argivorum quàm Lacedæmoniorum parte, trecenti communi consensu eâ lege certaverunt, ut utrius urbis trecenti victores fuissent ; illius victoria censeretur. Atque ex sexcentis tres tantùm superfuêre ; duo quidem Argivi, unicus Spartanus ; qui tamen posterior, dolo victoriæ testimonia in castra sua retulit. Quam rem prolixè narrat Herodotus.

[y] *Othryades*] Hic Spartanus ille fuit, qui solus superstes, postquam duo Argivi velut victores se in patriam recepissent, spoliatis Argivorum cadaveribus, arma hostilia, quasi victoriæ testimonia, in castra sua retulit.

[z] *Patriæ dedit*] Ad illud alludit ni fallor ; quòd dolo suo novi certaminis caussa fuit ; siquidem postquam uterque populus in medium prodiit, Argivis, qui plures superfuissent, Lacedæmonii, quia Othryades non fugisset, & ex hostibus spolia reportasset, concedere noluerint. Ex eâ enim contentione inito prælio Lacedæmonii victores discesserunt.

Quid, nova cum fierent [a] Capitolia? nempe Deorum
Cuncta Jovi [b] cessit turba locúmque dedit.
Terminus (ut veteres memorant) [c] conventus in æde
Restitit: & magno cum Jove templa tenet.
Nunc quoque, se supra ne quid nisi sidera cernat,
Exiguum templi tecta [d] foramen habent.
Termine, post [e] illud levitas tibi libera non est,
Qua positus fueris in statione, [f] mane.
Nec tu vicino quicquam concede roganti;
Ne videare hominem præposuisse [g] Jovi.
Et seu vomeribus, seu tu pulsabere rastris;
Clamato, Meus est hic ager, ille tuus.
[h] Est via, [i] quæ populum [k] Laurentes ducit in agros,
Quondam [l] Dardanio regna petita duci.
Illac lanigeri pecoris tibi, Termine, [m] fibris
Sacra videt fieri [n] sextus ab Urbe [o] lapis.

INTERPRETATIO.

Quid, cum nova Capitolia ponerentur? Nimirum omnis turba Deorum cessit Jovi, & prabuit locum. Terminus consultus, ut antiqui narrant, restitit in templo; atque habet Ædem cum magno Jove. Nunc etiam, ne quid videat suprà nisi astra, tecta templi habent parvum foramen. Termine, post illud factum, *levitas non est tibi concessa. Sta in loco, quo fueris constitutus. Neque tu indulge quicqam vicino petenti; ne videaris pluris fecisse hominem quàm Jovem. Et sive tangaris vomeribus, seu rastris, vociferator, hoc arvum est meum, illud tuum. Est via, qua ducit populum in campos Laurentes, regna quæsita olim à rege Dardano. Sextus lapis ab Urbe spectat sacra tibi referri in* illâ viâ *extis pecoris lanigeri, Termino.*

NOTÆ.

a *Capitolia*] Templum Jovi in colle Capitolino, quod à Tarquinio Prisco inceptum ex voto, sed à nepote Superbo absolutum.

b *Cessit*] Dii cæteri Geniique qui in Capitolino monte aras habebant, transferri in alia loca permiserunt, ut Jovi cederent, Termino & Juventa exceptis, qui, ut æterni imperii omen facerent, restiterunt.

c *Conventus*] Augures enim de unaquâque arâ consulendos eos statuerunt, an se moveri loco concederent.

d *Foramen*] *In Capitolio*, inquit Servius, *superna pars tecti patet, qua lapidem ipsum Termini spectat: nam Termino, nou nisi sub dive sacrificabatur.* Neque huic soli: sed numini cuivis, in loco fulgurito cui ara erecta esset, sine tegmine veteres faciebant.

e *Illud*] Quod *scil.* Jovi ipsi noluit cedere.

f *Mane*] Si quis adeòque Terminum aut occuluisset, aut transtulisset lege sacer erat; ut quivis eum impune tanquam sacrilegum posset occidere.

g *Jovi*] Cui cedere noluit, uti dictum.

h *Est via*] De sacris privatis, quæ Termino deo fiebant, hactenus Poëta; nunc ad publica pergit.

i *Quæ pop.*] Laurentina dicta est, inter Hostiensem & Appiam.

k *Laurentes*] Hoc est qui ad Laurentum Latii oppidum, non procul à Lavinio, spectabant.

l *Dardanio*] Æneæ *scil.* qui Latini regis, Laurenti imperium tenentis, filiam Laviniam duxit uxorem; ibidemque deinde regnavit.

m *Fibris*] *Extis. Visceribus.*

n *Sextus*] Qui olim agri Romani finis.

o *Lapis*] Pro milliario. Millia enim passuum olim lapidibus signabantur.

[p] Gentibus est aliis tellus data limite certo;
Romanæ spatium est Urbis & orbis idem.
[q] NUnc dicenda mihi [r] Regis fuga. traxit ab illâ
Sextus ab extremo nomina mense dies.
Ultima Tarquinius Romanæ gentis habebat
Regna: vir [s] injustus, fortis ad arma tamen.
Ceperat hic alias, alias everterat urbes;
Et [t] Gabios turpi fecerat arte suos.
Namque [u] trium minimus, proles [x] manifesta Superbi,
In medios [y] hostes nocte silente venit.
Nudarant gladios: Occidite, dixit, inermem.
Hoc cupiant [z] fratres, Tarquiniúsque pater,
Qui mea crudeli laceravit verbere terga.
Dicere ut [a] hoc posset, verbera [b] passus erat.
Luna fuit. spectant juvenem, gladiósque recondunt:
Tergáque deductâ veste [c] notata vident.
[d] Flent quoque, &, ut secum tueatur bella, precantur.
Callidus [e] ignaris annuit ille viris.
Jamque [f] potens, misso genitorem appellat amico,
Prodendi Gabios quod sibi monstret iter.

INTERPRETATIO.

Terra data est aliis nationibus limite certo: idem est spatium Urbis Romanæ & Orbis.
NUnc Regifugium est referendum à me. Dies Sextus à mense extremo deduxit nomina ab illo. Tarquinius vir iniquus, sed tamen strenuus ad arma, tenebat novissima regna gētis Romanæ. Hic ceperat alias urbes, alias diruerat; & fecerat Gabios suos pudendo dolo. Namque minimus trium, filius manifestus Superbi, profectus est in medios hostes nocte tacitâ. Strinxerant gladios: Interficite, inquit, inermem: fratres istud voveant, atque genitor Tarquinius, qui distrinxit meum dorsum sævo verbere. Passus erat verbera, ut posset istud dicere. Luna splenduit. Aspiciunt juvenem, & recondunt enses: atque amictu detracto cernunt terga signata. Lacrymantur etiam, atque orant, ut gerat bella secum. Ille versutus assentitur viris nescijs. Jamque potens, consulit patrem, amico misso, quam rationem sibi ostendat prodendi Gabios.

NOTÆ.

[p] *Gentibus*] Veram caussam dissimulat Naso, quamobrem tam propè non longiùs ab Urbe deo Termino sacrificarent: ut *scil.* suo more. Romano Imperio faveat; & ingenio indulgeat.

[q] *Nunc*] In Sextum Calendas Mart. seu 24. Febr. incidit Regifugium ex Calendario Romano Augusti jussu in saxeis tabulis exarato.

[r] *Regis fuga*] Quia eo die Tarquinius Superbus ultimus Rex Romanorum ejectus cum filiis.

[s] *Injustus*] Qui regnum occiso etiam Servio rege, socero suo, invasit.

[t] *Gabios*] Volscorum fuit oppidum, non longè ab Urbe, Tarquinii fraude, quam narrat Poëta, sub Romanam ditionem coactum.

[u] *Trium*] Quos filios habuit Tarquinius.

[x] *Manifesta*] Ad mores referendum; quòd superbus & injustus, sicut pater, hic fuerit, nomine Sextus.

[y] *Hostes*] Gabinos *scil.*

[z] *Fratres*] Titus & Aruns.

[a] *Hoc*] Quòd verberatus esset: atque hinc fidem Gabinis faceret, quos proderet.

[b] *Passus erat*] Atque id publicè in foro.

[c] *Notata*] *Virgis signata.*

[d] *Flent*] Ex commiseratione.

[e] *Ignaris*] Qui nescirent quantum scelus ille pararet.

[f] *Potens*] Quippe Gabinorum dux.

Hortus odoratis suberat cultissimus herbis,
[g] Sectus humum rivo lene sonantis aquæ.
Illic Tarquinius mandata latentia nati
Accipit, & virgâ [h] lilia summa metit.
Nuncius ut rediit, decussáque lilia dixit;
Filius, Agnosco jussa parentis, ait.
Nec mora: Principibus cæsis ex urbe Gabinâ,
Traduntur ducibus mœnia nuda suis.
Ecce (nefas visu) mediis [i] altaribus anguis
Exit, & exstinctis ignibus exta rapit.
Consulitur [k] Phœbus. [l] sors est ita [m] reddita: Matri
Qui dederit [n] princeps oscula, [o] victor erit.
Oscula [p] quisque suæ matri properata tulerunt,
Non intellecto credula [q] turba Deo.
[r] Brutus erat stulti sapiens imitator, ut esset
Tutus ab insidiis, dire Superbe, tuis.

INTERPRETATIO.

Hortus cultissimus herbis odoratis junctus erat, habens solum divisum rivo aqua leniter strepentis. Tarquinius ibi accipit secretos nuntios filii, atque excutit virgâ extrema lilia. Postquam nuntius rediit, atque rettulit lilia decussa, filius dixit, Intelligo monita patris. Atque sine spatio, Proceribus ex urbe Gabinâ interfectis, muri produntur vacui suis ducibus. Ecce, visu horrendum, Serpens prodit ex mediis aris; atque aufert fibras ex ignibus extinctis. Phœbus consulitur. Responsum est ita redditum: Qui primus obtulerit oscula Matri erit victor. Agmen credulum obtulerunt quisque oscula ac el rata matri, Deo non intellecto. Brutus erat prov dus simulator fatui, ut esset securus à tuis dolis, crudelis Superbe.

NOTÆ.

[g] *Sectus hum.*] Habens humum divisam.

[h] *Lilia*] Historici dicunt papavera decussisse, ut validiores extinguendos esse inter Gabinos eo modo significaret. Quod quidem non impigrè fecit Sextus ad omne nefas paratus; ut Dionysius refert.

[i] *Altaribus*] E columnâ ligneâ elapsum scripsit Livius: neque alia memorat portenta. Verùm Poëtæ multò plura sunt concessa.

[k] *Phœbus*] Delphos ad Apollinis oraculum missi Titus & Aruns sciscitatum de prodigiis. Quanquam aliter Dionysius.

[l] *Sors*] *Responsum.*

[m] *Reddita*] Postquam enim de portento Deum interrogarunt Titus & Aruns ex jussu patris. Apollinem deinde consuluerunt, Cui fato datum esset Romanum Imperium. Sed festinat Naso.

[n] *Princeps*] *Primus.*

[o] *Victor*] Imperio adeoque potitus.

[p] *Quisque*] Composuisse inter se juvenes scribit Dionysius; ut unà matrem oscularentur, pariterque regnarent: Livius verò sorti permisisse, uter matri osculum primus redderet.

[q] *Turba*] De duobus.

[r] *Brutus*] Hujus patrem M. Junium Tarquinius Superbus clam occiderat ejus divitiis inhians, & cum eo alterum è duobus filiis majorem natu. L. Junius, de quo nunc sermo est, auxilii & cognatorum inops fatuum se simulavit, unde Bruti cognomen assumpsit, atque in eâ fatuitate perseveravit, dum vi [illegible] non est habere tempus opportunum. Hinc verò ademtis bonis omnibus Tarquinius sub se custodiebat, non honoris gratia, sed [illegible] dicens, stulta agens, ut [illegible] moveret. Delphos cum Tito & Arunte [illegible] tiverat.

Ille jacens pronus matri dedit oscula,[r] Terræ,
[t] Creditus offenso procubuisse pede.
[u] Cingitur interea Romanis [x] Ardea signis,
Et [y] patitur lentas obsidione moras.
Dum vacat, & metuunt hostes committere pugnam;
Luditur in castris: otia miles agit.
[z] Tarquinius juvenes socios dapibúsque meróque
Accipit. [a] ex illis [b] Rege creatus ait:
Dum nos [c] difficilis [d] pigro tenet Ardea bello,
Nec sinit ad patrios arma referre Deos;
Ecquid in officio [e] torus est socialis? & ecquid
Conjugibus nostris mutua cura sumus?
Quisque suam laudant. [f] studiis certamina crescunt;
Et fervent multo linguáque corque mero.
Surgit [g] cui clarum dederat Collatia nomen;
Non opus est verbis, credite [h] rebus, ait.
Nox superest: tollamur equis, Urbémque petamus.
[i] Dicta placent: frænis impediuntur equi.

Interpretatio.

Ille prostratus pronus deosculatus est Tellurem matrem, creditus cecidisse pede alliso. Interea Ardea cingitur signis Romanis; & fert longa tempora obsidionis. Dum licet, atque hostes timent congredi, luditur in castris; miles otiatur. Tarquinius accipit epulis & vino sodales adolescentes. Post illas filius Regis dicit: Dum fortis Ardea moratur nos lento bello, neque patitur reportare arma ad Deos patrios; anne lectus conjugalis manet in officio? anne & sumus cura mutua nostris uxoribus? Singuli efferunt suam laudibus: contentiones augentur studiis; & lingua atque cor incalescunt multo vino. Is, cui Collatia imposuerat illustre nomen surgit, atque inquit, Non opus est vocibus, fidem habete rebus. Nox restat: Conscendamus equos, & tendamus in Urbem. Dicta probantur; immittunt habenas equis.

Notæ.

[r] *Terra*] Quæ omnium communis mater.

[t] *Creditus*] Quanquam de industriâ procubuerat, ut ex oraculo primus matrem deoscularetur, & regno potiretur. Sed sapientet oportuit stultum imitari.

[u] *Cingitur*] Ex fide Annalium istud.

[x] *Ardea*] Urbs Rutulorum Turni regia in Latio.

[y] *Patitur*] Imò, durante diu obsidione, & longo magis quàm acri bello, ut loquitur Livius, & milites qui in castris erant, & qui in Urbe cives, tributis fessi, belli diuturnitatem ægerrimè ferebant, si Dionysio fides.

[z] *Tarquinius*] Sextus *scil.* ut ex sequentibus patebit, cùm audendo Gabios cepisse jactabit. Neque enim audiendum hoc in loco crediderim clariss. Heinsium.

[a] *Ex illis*] *A dapibus: post cœnam.* Namque aliter vix totus hic locus bene consistat.

[b] *Rege creatus*] Idem Sextus.

[c] *Difficilis*] Quia strenuè repugnabant Ardeates.

[d] *Pigro*] *Lento.*

[e] *Torus*] Pro uxore.

[f] *Studiis*] In laudandis suis uxoribus.

[g] *Cui clar.*] Tarquinium dicit Collatini Egerii filium, cui Dionysius ex multâ in urbe Collatiâ, quæ prope Romam fuit, commoratione, nomen datum scribit. Quanquam ex beneficiis in eam urbem collatis impositum magìs, quod clarum esset nomen, crediderim.

[h] *Rebus*] Postquam ad uxores veneritis.

[i] *Dicta*] Collatini.

[k] Pertulerant dominos. regalia protinus illi
Tecta petunt: custos [l] in fore nullus erat.
Ecce [m] nurum Regis [n] fusis per colla coronis
Inveniunt posito pervigilare mero.
Inde cito passu petitur [o] Lucretia. nebat,
Ante torum calathi, lanáque mollis, erant.
Lumen ad exiguum famulæ [p] data pensa trahebant:
Inter quas [q] tenui sic ait ipsa sono:
Mittenda est domino (nunc, nunc properate, puellæ)
Quamprimùm nostrâ facta [r] lacerna manu.
Quid tamen audistis? nam plura audire [s] soletis.
[t] Quantùm de bello dicitur esse super?
Postmodò victa cades: [u] melioribus, Ardea, [x] restas,
Improba; [y] quæ nostros cogis abesse viros.
Sint tantùm reduces. sed enim temerarius ille
Est [z] meus; & stricto [a] qualibet ense ruit.
Mens abit, & morior, quoties pugnantis imago
Me subit: & gelidum pectora frigus habet.
[b] Desinit in lacrymas: intentáque fila remittit;
In gremio vultum deposúitque suum.

INTERPRETATIO.

Pertulerant dominos. Continuò illi feruntur ad domos regias: nullus erat custos ad januam. Ecce inveniunt nurum Regis pervigilare vino apposito, sertis sparsis per colla. Inde Lucretia invisitur veloci gradu. fila trahebat. Quasilli & lana mollis erant ante lectum. Ministræ carpebant pensa data ad tenuem lucernam; inter quas ipsa sic loquitur voce submissâ: Jam, jam festinate puellæ, lacerna texta nostrâ manu brevì mittenda est domino. Quid tamen accepistis? nam soletis audire plura · quantùm aiunt restare de bello? Brevi procumbes superata, Ardea improba, debita es fortioribus, quæ cogis maritos nostros abesse. Revertantur modò: sed enim ille meus est audax; & quâlibet fertur nudato ense. Deficio animo, atque morior, quoties species certantis recurrit, & glacies occupat cor frigidum. Facis finem flendo; & laxas fila contenta, atque demittis faciem suam in sinum.

NOTÆ.

[k] *Pertulèr.*] Vide horum juvenum ut Naso impetum sequatur.

[l] *In fore*] *Ad fores.* Atque adeò ad ignominiam nuruum regiarum illud spectat.

[m] *Nurum*] *Nurus* scripsit Livius, qui tamen de vino, cujus potus ex Romuli lege grave crimen sexui muliebri, nihil dicit. In convivio luxuque cum æqualibus tempus terentes inventas fuisse testatur tantùm.

[n] *Fusis*] Quæ vinolentiæ nota tamen apud antiquos.

[o] *Lucretia*] Quæ Collatini uxor, Spuriique Lucretii Tricipitini, nobilissimi civis Romani, filia, Collatiæ degebat.

[p] *Data*] A Lucretiâ: Namque hoc matrisfamilias incumbebat.

[q] *Tenui*] Ut pudicas decet.

[r] *Lacerna*] Vestis fuit ad arcendos imbres præsertim.

[s] *Soletis*] Scilicet ancillæ patulas olim habuerunt, ut nunc habent, aures, & linguaces linguas.

[t] *Quantum*] Temporis *scil.* ex rei difficultate.

[u] *Melioribus*] A quibus adeò vinceris.

[x] *Restas*] *Resistis.*

[y] *Quæ nost.*] Hæc summa improbitatis.

[z] *Meus*] Collatinus *scil.*

[a] *Qualibet*] Etiam per hostes confertissimos.

[b] *Desinit in l.*] Non potuit melius pudica.

Hoc ipsum decuit: lacrymæ cecidêre pudicæ,
Et [c] facies animo dignáque parque fuit.
Pone metum, venio, [d] conjux ait. illa revixit;
Deque viri collo dulce pependit onus:
Interea [e] juvenis furiatos regius ignes
Concipit, & cæco raptus amore ruit.
Forma placet, niveúsque color, flavíque capilli;
Quique aderat nullâ factus ab arte decor.
Verba placent, & vox; & [f] quod corrumpere non est:
Quoque minor spes est, hoc magis ille cupit.
Jam dederat cantum lucis prænuncius [g] ales;
Cùm referunt juvenes in sua castra pedem.
Carpitur attonitos absentis imagine [h] sensus
[i] Ille: recordanti plura magísque placent.
[k] Sic sedit: sic culta fuit: sic stamina nevit:
Neglectæ collo sic jacuere comæ:
Hos habuit vultus: hæc illi verba fuere:
Hic decor, hæc facies, hic color oris erat.
[l] Ut solet [m] à magno fluctus languescere flatu;
Sed tamen à vento, qui fuit ante, tumet:
Sic, quamvis aberat placitæ præsentia formæ,
Quem dederat præsens forma, manebat amor.

INTERPRETATIO.

Hoc ipsum decuit: lacrymæ pudicæ defluxerunt, & vultus dignus & similis fuit animo. Omitte timorem, adsum, inquit maritus. Illa refecta est; & pependit suave pondus de collo mariti. Interea adolescens regius concipit flammas furiales, & rapitur insano amore. Pulcritudo, & color cãdidus, & flava coma, & elegantia nulla arte parata quæ inerat grata est. Dicta placent, & sonus, & quod non licet corrumpere: & quò spes est levior, hoc ille magìs optat. Jam avis præsaga emiserat cantum diei, cùm juvenes revertuntur in sua castra. Ille habet sensus stupefactos captos formâ absentis: plura & magis placent animo revolventi. Eo modo sedit: ità fuit ornata: sic traxit fila capilli inculti sic sparsi sunt per collum: Iste fuit vultus: hæc fuerunt ejus dicta: hæc erat elegantia, hæc species, hic color erit. Quemadmodum unda consuevit subsidere post vehementem ventum; sed tamen inflata est à vento qui priùs flavit; ità, quanquam præsentia pulcritudinis probata longè erat, amor superat, quem species præsens moverat.

NOTÆ.

[c] *Facies an.*] Quia sicut animus pudicus, ità vultus pudicitiam præferebat.

[d] *Conjux*] Collatinus, qui postquam Lucretiæ verba ante januam audivisset repentè ingressus est, & consolatus uxorem.

[e] *Juvenis*] Sextus Tarquinius.

[f] *Quod*] Pudicitiam *scilicet*.

[g] *Ales*] Gallus *scil.*

[h] *Sensus*] Phrasis Græca. *Carpitur per sensus. Sensus habet quasi consumtos.*

[i] *Ille*] Sextus.

[k] *Sic sedit*] Verba sunt Sexti, singula, de more amantium, animo revolventis, quæ in Lucretiâ viderat, aut ab illâ audierat.

[l] *Ut solet*] Vix ad rem altius quicquam possit excogitari hâc comparatione.

[m] *A mag.*] Post magnum ventum.

Ardet, & [n] injusti stimulis agitatus amoris
  Comparat [o] indigno vimque dolúmque toro.
[p] Exitus in dubio est: audebimus [q] ultima dixit.
  [r] Viderit, Audentes Forsne Deusne juvet.
Cepimus audendo Gabios quoque. talia fatus
  Ense latus cingit; tergáque [f] pressit equi.
Accipit [t] æratâ juvenem Collatia portâ,
  [u] Condere jam vultus Sole parante suos.
Hostis, ut hospes, init penetralia Collatina;
  Comiter excipitur: [x] sanguine junctus erat.
[y] Quantum animis erroris inest! parat inscia rerum
  Infelix epulas hostibus illa suis.
[z] Functus erat dapibus: poscunt sua tempora somni.
  Nox erat; & totâ lumina nulla domo.
Surgit, & auratum vaginâ deripit ensem;
  Et venit in thalamos, nupta pudica, [a] tuos.
Utque [b] torum pressit; [c] Ferrum, Lucretia, mecum est,
  Natus, ait, Regis, Tarquiniúsque vocor.
Illa nihil: neque enim vocem viréfque loquendi,
  Aut aliquid toto pectore mentis habet.

INTERPRETATIO.

Uritur; atque stimulatus aculeis iniqui amoris struit vim & insidias lecto immerito. Eventus incertus est: Audebimus extrema, inquit; Viderit, Fortunane an Deus opem ferat audentibus. Potiti sumus etiam Gabiis audendo. Postquam talia protulit accommodat gladium lateri, & conscendit equum. Collatia admittit juvenem portâ aratâ, cùm jam Sol vellet occulere suam faciem. Hostis intrat domum Collatinam ut hospes: Accipitur urbane; erat quippe *consanguineus. Quantùm inest noctis & cæcitatis mentibus. Illa misera ignara rerum instruit dapes hostibus suis. Epulatus erat: sopor petit sua tempora. Nox erat; neque ulla lucerna totâ domo.* Ille *surgit, & stringit gladium auratum, & accedit ad cubiculum tuum, casta marita. Et postquam filius Regis institit lecto, inquit, Lucretia gladium habeo, & vocor Tarquinius. Illa nihil; neque enim obtinet vocem, & facultatem loquendi, aut aliquid animi toto pectore.*

NOTÆ.

[n] *Injusti*] Quia nuptam, quia cognati uxorem amabat.

[o] *Indigno*] Indignus uterque conjux Collatinus & Lucretia, quibus vis & dolus paratur.

[p] *Exitus*] Verba sunt Sexti, qui inceptum difficile esse non ignorabat.

[q] *Ultima*] Non preces ergo tantùm, promissa, & minas, sed vim denique.

[r] *Viderit*] Non Lucretia, uti interpretati sunt, sed Deus aut fors. Loquendi est formula solennis, ubi quid difficile obversatur, cujus non satis est certus qui illud incipit.

[f] *Pressit*] Ascendit equum; abscedit è castris; & Collatiam contendit.

[t] *Ærata*] Ære enim aut ferro muniuntur ut plurimùm portæ urbium.

[u] *Condere*] Sub occasum Solis.

[x] *Sanguine*] Tarquinius enim Collatinus Tarquinii Superbi nepos, Sexti filii consobrinus.

[y] *Quantùm*] Apposita certa Exclamatio, & bonæ frugis plena.

[z] *Functus*] Sextus comederat.

[a] *Tuos*] Lucretiæ.

[b] *Torum pr.*] *Lecto incubuit.*

[c] *Ferrum*] *Gladius. Morieris si emiseris vocem dixit*, ut habet Livius.

Sed tremit, ut quondam stabulis deprensa relictis,
Parva sub infesto cùm jacet [d] agna lupo.
Quid faciat? pugnet? vincetur femina pugnâ.
Clamet? at in dextrâ, qui necet, ensis adest.
Effugiat? [e] positis urgetur pectora palmis;
Nunc [f] primùm externâ pectora tacta manu.
Instat amans hostis precibus, pretióque, minísque:
Nec prece, nec pretio, nec movet ille minis.
Nil agis; eripiam, dixit, [g] per crimina vitam:
Falsus adulterii testis adulter ero.
Interimam famulum; cum quo deprensa fereris.
Succubuit [h] famæ victa puella metu.
[i] Quid, victor, gaudes? hæc te victoria [k] perdet.
Heu [l] quanto regnis [m] nox stetit una tuis!
Jamque erat orta dies: passis sedet illa capillis;
Ut solet ad nati mater itura rogum.
Grandævumque patrem fido cum conjuge castris
[n] Evocat: & positâ venit uterque morâ.
Utque vident habitum; quæ luctus causa requirunt:
Cui paret exsequias, quove sit icta malo.
Illa diu reticet, pudibundáque celat amictu
Ora. fluunt lacrymæ more perennis aquæ.

INTERPRETATIO.

Ast trepidat, ut olim parva agna correpta in præsepibus destitutis, cùm ia. et sub lupo infesto. Quid agat? Reluctetur? puella opprimetur luctâ. Vociferetur? at gladius adest in dextrâ, qui perimat. Dilabatur? Habet pectus oppressum manibus urgentibus: nunc primùm pectus tactum manu alienâ. Hostis amans urget precibus, pollicitationibus, & minis, ille neque precibus; neque pollicitationibus, neque minis tangit. Nihil promoves, inquit, adimam vitam per crimina ore falsus testis adulterii. Interficiam ministrum; cum quo diceris correpta. Puella victa subacta est timore famæ. Quid triumphas, victor? ista victoria te perimet. Heu quantò una nox venit tuis regnis! Jamque dies illuxerat: illa sedet comâ sparsâ, quemadmodum consuevit genitrix itura ad rogum filii. Atque arcessit castris patrem ætate provectum cum marito fideli. & uterque adest sine omni cunctatione. Et cùm vident habitum petunt quæ sit caussa luctus; cui adornet funera, vel quo sit malo turbata. Illa diu tacet, & verecunda occulit os veste lacrymæ cadunt ad modum aquæ jugis.

NOTÆ.

[d] *Agna*] Egregia comparatio.
[e] *Positis*] Eadem habet Livius.
[f] *Primùm*] Quia antea maritus solus tetigerat.
[g] *Per crimina*] *Te occidam deinde & meruisse dicam.* A[illegible]ue hæc maxime a[d] defendendam Lucretiæ pudici[t]iam spectant.
[h] *Fama*] Infamiæ.
[i] *Quid vic.*] Convertit orationem ad Sextum N[o]s, cum Exclamatione.
[k] *Perdet*] Profligabit te & domum tuam.
[l] *Quanto stetit*] Gall. dicimus, *Combien te couta?*
[m] *Nox*] Seu potiùs unius noctis flagitium. Metony[mi]a est.
[n] *Evocat*] Namque ambo & Lucretius & Collatinus apud Ardeam militabant.

Hinc pater, hinc conjux [o] lacrymas ſolantur, & orant
Indicet: & [p] cæco flentque pavéntque metu.
Ter conata loqui; ter deſtitit: auſáque quarto,
[q] Non oculos adeo ſuſtulit illa ſuos.
[r] Hoc quoque Tarquinio debebimus? eloquar, inquit,
Eloquar infelix dedecus ipſa meum.
Quæque [ſ] poteſt narrat. reſtabant ultima; flevit:
Et matronales erubuêre genæ.
Dant veniam facto genitor conjúxque coacto.
Quam, dixit, veniam vos datis, ipſa nego.
Nec mora; celato [t] figit ſua pectora ferro:
Et cadit in [u] patrios ſanguinolenta pedes.
Tunc quoque, jam moriens, ne non procumbat honeſtè,
Reſpicit. hæc etiam cura [x] cadentis erat.
Ecce ſuper corpus [y] communia damna gementes
Obliti decoris virque patérque jacent.
[z] Brutus adeſt; tandémque animo ſua nomina fallit:
Fixáque ſemanimi corpore tela rapit.
Stillantémque tenens generoſo ſanguine cultrum,
Edidit impavidos ore [a] minante ſonos:

INTERPRETATIO.

Hinc genitor, hinc maritus ſiſtunt fletus, atque precantur ut loquatur atque lacrymantur & timent cæco pavore. Ter tentavit loqui, ter repreſſa eſt; & quartò auſa, illa ergo non ſuſtulit oculos ſuos. Debebimus iſtud etiam Tarquinio? Proferam, inquit, proferam ipſa, miſera, meum opprobrium. Atque memorat quæ poteſt: ultima ſuperarant, flevit; & genæ matronales ſunt rubore ſuffuſæ. Pater & maritus ignoſcunt facto coacto: ipſa, inquit recuſo veniam quam datis: & continuò, transfodit ſuum pectus cultro occulto; atque cruenta procumbit ad pedes patris. Tunc etiam jam moriens, curat ne non cadat honeſte: hæc fuit etiam ſolicitudo morientis. Ecce maritus, & genitor immemores decoris ſternuntur ſuper corpus flentes damna communia. Brutus adeſt, atque denique abjudicat ſua nomina ingenio: & revellit cultrum immiſſum corpore ſemianimi. Atque tenens telum madens ſanguine nobili, protulit voces audaces ore minante:

NOTÆ.

[o] *Lacrymas*] *Lacrymantem.*

[p] *Cæco*] Namque rem ipſam ignorabant.

[q] *Non oculos*] Præ pudore adeòque humi defixos tenebat.

[r] *Hoc quoque*] Ad ſtuprum reſpicit; expugnatúmque ſibi quoque muliebre decus dicit, quòd ipſa dedecus ſuum patefacere cogatur.

[ſ] *Poteſt*] Hoc eſt, Veniſſe Sextum, Vim feciſſe, cæteraque omnia, excepto dedecore ipſo, quod ex aliis ultrà quàm ſat erat intelligebatur.

[t] *Figit*] Eadem tradit Livius.

[u] *Patrios*] Optimè ex decoro, quaſi maritalem violaſſet pudicitiã caſtiſſima matrona.

[x] *Cadentis*] Atque adeò pudica quæ vixerat, pudoris habuit rationem moriens.

[y] *Communia*] Alter enim filiæ, uxoris alter mortem deflebat.

[z] *Brutus*] Ille idem de quo ſuprà, qui datâ operâ ſtultitiam ſimulaverat: nunc verò animo minimè ſtultum eſſe oſtendet.

[a] *Minante*) *Per hunc*, inquit, *caſtiſſimum ante regiam injuriam ſanguinem juro, voſque, dii, teſtes facio me L. Tarquinium Superbum, cum ſcelerata conjuge, & omni liberorum ſtirpe, ferro igníque, quâcumque dehinc vi poſſum, exacturum.* Livius.

Per

Per tibi ego hunc juro fortem castúmque cruorem,
Perque tuos [b] Manes, qui mihi numen erunt:
Tarquinium pœnas profugâ cum stirpe daturum.
Jam satis est virtus [c] dissimulata diu.
Illa jacens ad verba oculos sine [d] lumine movit;
Visáque concussâ dicta probare comâ.
Fertur in exsequias animi matrona virilis:
Et secum [e] lacrymas, invidiámque trahit.
Vulnus [f] inane patet. Brutus clamore Quirites
Concitat, & Regis facta nefanda [g] refert.
Tarquinius cum [h] prole fugit. capit annua [i] Consul
Jura. dies regnis illa suprema fuit.

FAllimur? an veris prænuncia [k] venit hirundo;
Et metuit, ne qua versa recurrat hiems?
Sæpe tamen, [l] Progne, nimiùm [m] propetasse quereris;
Virque tuo Tereus frigore [n] lætus erit.

JAmque duæ restant noctes de mense secundo,
[o] Marsque citos [p] junctis curribus urget equos:

INTERPRETATIO.

Ego tibi juro per hunc sanguinem castum & generosum, & per tuam Umbram, quæ erit mihi numen, Tarquinium persoluturum pœnas cum sobole fugatâ. Virtus est celata jam satis diu. Illa prostrata movit oculos sine acie ad eas voces; & visa est assentiri dictis, capillis motis. Matrona animi virilis effertur ad funus; & trahit secum fletus atque invidiam. Vulnus vacuum est detectum. Brutus irritat Romanos, & memorat acta flagitiosa Regis. Tarquinius fugit cum libero. Consul assumit jura annua: illa dies fuit ultima regni.

DEcipimur? an hirundo præsaga veris rediit; & timet, ne qua hyems mutata recurrat? Sæpe tamen quereris, Progne, nimiùm festinasse; & maritus tuus Tereus gaudebit frigore.

JAmque duæ noctes supersunt de mense secundo; & Mars urget veloces equos curribus junctis:

NOTÆ.

[b] *Manes*) Genii sunt defunctorum, quos ut deos coluit antiquitas.

[c] *Dissimulata*) Tyranni metu se stultum simulasse jam sæpius dictum.

[d] *Lumine*) *Oculorum acie*; quia moribunda.

[e] *Lacrymas*) Multitudinis *scil.* Qua de re vide Dionys.

[f] *Inane*) Patens sanguine exhausto.

[g] *Refert*) Idque prolixâ oratione, quam Dionysius integram habet.

[h] *Prole*) Duo quidem patrem sequuti Cere in Hetruscos ierunt, anno ab Urbe conditâ 245. Sextus verò Gabios tanquam in suum regnum profectus, ab ultoribus veterum simultatum, quas sibi ipse cædibus rapinisque concitaverat, interfectus est.

[i] *Consul*) Non rex. Brutus & Collatinus primò creati.

[k] *Venit*) Circa finem Februarii incipiunt redire hirundines; quæ tamen videntur metuere ne hyems redeat, quia hoc ipsum metuunt homines.

[l] *Progne*) Quæ Terei uxor in hirundinem mutata, ut dictum in Metam.

[m] *Properasse*) Quia eo tempore asperum est quandoque frigus.

[n] *Lætus*) Namque maximè infestus uxori suæ fuit propter appositum in dapes suum Ityn.

[o] *Marsque*) Tertio Calendas Martias à Romulo instituta in Martis honorem Equiria celebrabantur, frequenti equorum cursu, in Campo Martio.

[p] *Junctis*) Singulis enim missibus quatuor aut plures quadrigæ, laxato repagulo, certatim sese ad palmam fundebant.

Ex [q] vero positum permansit Equiria nomen :
Quæ [r] Deus in Campo prospicit ipse [s] suo.
[t] Jure venis, [u] Gradive ; locum tua tempora poscunt :
Signatúsque tuo nomine mensis adest.
[x] Venimus in portum, libro cum mense peracto.
Naviget hinc [y] aliâ jam mihi linter aquâ.

INTERPRETATIO.

Nomen Equiria datum ex re ipsâ permansit, qua ipse Deus spectas in Campo suo. Meritò ades Gradive, tempora tua expetunt spatium, & mensis notatus tuo nomine advenit. Tangimus portum, libro absoluto cum mense. Jam navis hinc mihi currat aliâ aquâ.

NOTÆ.

[q] *Vero*] Ab equis *scil.*
[r] *Deus*] Mars.
[s] *Suo*] Martio.
[t] *Jure venis*] Istud ex Poëtæ ingenio, ut ad mensem Marti dicatum transeat.
[u] *Gradive*] Martis illud est cognomen à gradiendo ultro citròque cùm in aciem itur.
[x] *Venimus in p.*] Quia absolutus secundus Fastorum liber hoc dicit. Metaphora est à navigatione.
[y] *Aliâ aquâ*] Alia materia tractanda.

FASTORUM
LIBER III.

[a] Bellice, depositis clypeo paulisper & hastâ,
Mars, ades ; & nitidas casside solve comas.
Forsitan ipse roges, quid sit cum Marte poëtæ.
A te, qui canitur, nomina mensis habet.
[b] Ipse vides manibus peragi fera bella Minervæ.
Num minùs ingenuis artibus illa vacat ?
Palladis exemplo ponendæ tempora sume
Cuspidis. invenies & quod inermis agas.

INTERPRETATIO.

Mars bellice accede, scuto & casside paulisper emissis, & solve unctos capillos galeâ. Fortè ipse requiras, quid sit vati cum Marte. Mensis qui describitur habet nomen à te. Ipse cernis sæva bella geri manibus Palladis. Num illa minùs dat operam artibus ingenuis ? Tempus sume omittendæ hastæ exemplo Palladis : atque reperies quod facias inermis.

NOTÆ.

[a] *Bellice*] Martem compellat belli deum Poëta, eumque statim ab initio invocat, utpote cui mensis dicatus.
[b] *Ipse vid.*] Ab exemplo arguit Palladis, quæ tametsi fera bella tractet, non ideo minùs pacis studiis favet.

Tum quoque inermis eras, cum te Romana [c] sacerdos
[d] Cepit; ut huic Urbi [e] semina digna dares.
Ilia Vestalis (quid enim vetat [f] inde moveri?)
Sacra lavaturas mane [g] petebat [h] aquas.
Ventum erat ad [i] molli declivem tramite ripam:
Ponitur è summâ fictilis urna comâ.
Fessa resedit humi; ventósque accepit aperto
Pectore; turbatas restituítque comas.
Dum sedet; umbrosæ salices, volucrésque canoræ
Fecerunt somnos, & leve murmur aquæ.
Blanda quies victis furtim subrepit ocellis:
Et [k] cadit à mento languida facta manus.
[l] Mars videt hanc, visámque cupit, potitúrque cupitam:
Et sua divinâ furta [m] fefellit ope.
Somnus abit: jacet illa [n] gravis. jam scilicet intra
Viscera, Romanæ [o] conditor Urbis, eras.
Languida consurgit; nec scit cur languida surgat:
Et peragit tales arbore nixa sonos:
Utile sit faustúmque, precor, quod imagine [p] somni
Vidimus. an somno clarius illud erat?

INTERPRETATIO.

Erat etiam inermis tum cùm Sacerdos Romana te cepit, ut faceres initium dignum huic Urbi. Ilia Vestalis (namque quid prohibet inde incipere?) petebat manè aquas lavaturas sacra. Ventum erat ad declivem ripam tenere calle: urna fictilis deponitur summis capillis. Lassa resedit humi, & excepit auras diducto sinu, atque recomposuit capillos disjectos. Dum sedet, salices umbrosa, & aves canora, & exiguum murmur aqua conciliaverunt soporem. Lenis somnus clanculùm inducitur superatis ocellis; & manus facta languida cadit à mento. Mars spectat hanc, & exoptat spectatam, & potitur exoptatâ; atque celavit sua furta ope divinâ. Sopor excutitur: illa jacet gravida. Jam nimirum eras intra præcordia ædificator Urbis Romanæ. Languida erigitur; neque novit quamobrem languida consurgat: atque profert tales voces inclinata ad arborem: Oro, sit felix atque commodum quod spectavimus imagine somni: an illud erat apertius somno.

NOTÆ.

[c] *Sacerdos*] Rhea, seu Ilia, aut Sylvia, Vestalis; de quâ libro superiori.

[d] *Cepit*] *Amore ejus correptus es.*

[e] *Semina*] Romulum *scil.* & Remum, à quibus principium duxit Urbs Roma.

[f] *Inde mov.*] Hinc incipere.

[g] *Petebat*] Ex more quotidiano Vestalium.

[h] *Aquas*] Ex fonte fluminis Numici, qui olim ingens fuit, post paulatim decrescens in fontem redactus, qui & ipse siccatus est, sacris interceptus. Vestæ enim libare non nisi de hoc fonte licebat: ut docet Servius ad illa Æneid. 7. *Fontis stagna Numici.*

[i] *Molli*] Quia herbosus.

[k] *Cadit*] Addidit istud Naso, ut honestiùs rem ipsam explicaret.

[l] *Mars*] Credideris Martem fuisse. Imò nequam quispiam habitu militari.

[m] *Fefellit*] *Occultavit.* Sed Poëticè loquitur.

[n] *Gravis*] Quia gravida.

[o] *Conditor*] Romulus.

[p] *Somni*] Scilicet somni!

Ignibus [q] Iliacis aderam : cum lapsa capillis
[r] Decidit ante sacros lanea [s] vitta focos.
[t] Inde duæ pariter (visu mirabile) [u] palmæ
Surgunt. ex illis altera [x] major erat :
Et [y] gravibus ramis [z] totum protexerat orbem ;
Contigerátque [a] novâ [b] sidera summa comâ.
Ecce meus ferrum [c] patruus molitur in illas.
Terreor admonitu ; corque timore micat.
[d] Martia Picus avis gemino pro [e] stipite pugnant ,
Et [f] Lupa. tuta per hos utraque palma fuit.
Dixerat : & plenam non firmis viribus urnam
Sustulit. implerat, dum sua [g] visa refert.
Interea crescente Remo, crescente Quirino ,
[h] Cælesti tumidus pondere venter erat.
Quò minùs [i] emeritis exiret cursibus annus ,
[k] Restabant nitido jam duo [l] signa [m] Deo.

INTERPRETATIO.

Adstabam ignibus Iliacis ; cùm vitta lanea delapsa crinibus excidit ante sacros focos. Inde (mirabile visu) duæ simul palmæ oriuntur : altera ex illis erat major : atque penitus velaverat totum mundum gravibus ramis ; & contigerat suprema sidera novâ fronde. Ecce meus patruus intentat illis ferrum. Trepido recordatione, & cor salit metu. Picus volucris Martia & Lupa certant pro duplici trunco : utraque palma fuit intacta per hos. Absolverat, atque sustulit non validis viribus urnam plenam impleverat dum memorat sua visa. Interea Remo crescente, Quirino crescente, uterus turgebat onere cælesti. Jam duo sidera supererant Deo splendido , quò minùs annus finiretur cursibus absolutis.

NOTÆ.

[q] *Iliacis*] Ilio avecta Vestæ sacra & Ignis.

[r] *Decidit*] Quia *scil.* virginitatem amiserat , ex seipsa cadit quæ mox à Pontifice adimenda.

[s] *Vitta*] Quæ Vestalibus ità proprium insigne, ut & aliis cuivis numini consecratis commune esset : itemque pudicitiæ documentum.

[t] *Inde*] Ex vittâ lapsâ , adeòque virginitate raptâ.

[u] *Palmæ*] Victores intellige Remum Romulumque.

[x] *Major*] Romulus.

[y] *Gravibus ramis*] Progenie fœcundâ.

[z] *Totum*] Quia in omnes gentes protensum Romanum Imperium.

[a] *Novâ*] Mirandâ.

[b] *Sidera*] Seu ad famam referas , seu de Romuli consecratione intelligas.

[c] *Patruus*] Amulius , qui Remum atque Romulum studuit perdere.

[d] *Martia*] Quia Marti sacer Picus avis , quem quidem infantibus Remo atque Romulo astitisse atque alimenta contulisse testatur Plutarchus.

[e] *Stipite*] Palmâ *scil.* utrâque.

[f] *Lupa*] Quæ infantibus ubera præbuisse dicitur.

[g] *Visa*] Per somnum . quæ secum animo revolvebat, atque sibi narrabat.

[h] *Cœlesti*] Quod ex Marte deo.

[i] *Emeritis*] *Exactis.* Metaph. est à militibus, qui *Emeriti* dicuntur, postquam debita militiæ tempora absolverunt.

[k] *Restabant*] Adeòque decimo mense Iliæ partus instabat.

[l] *Signa*] Pro mensibus posuit signa cœlestia in Zodiaco , quæ motu suo Sol perlustrat.

[m] *Deo*] Phœbo, qui Sol est.

Sylvia [n] fit mater: Vestæ [o] simulacra feruntur
Virgineas oculis [p] opposuisse manus.
Ara Deæ [q] certè tremuit [r] pariente ministrâ;
Et [s] subiit cineres territa flamma suos.
[t] Hæc ubi cognovit contemtor Amulius æqui:
(Nam raptas [u] fratri victor habebat opes)
Amne jubet mergi geminos. scelus unda [x] refugit.
In siccâ pueri destituuntur humo.
Lacte quis infantes nescit crevisse [y] ferino,
Et picum expositis sæpe tulisse cibos?
Non ego te, tantæ nutrix [z] Larentia gentis,
Nec taceam vestras, Faustule pauper, [a] opes.
Vester honos veniet, cùm [b] Larentalia dicam:
[c] Acceptus Geniis illa December habet.
[d] Martia [e] ter senos proles adoleverat annos;
Et suberat flavæ jam [f] nova barba comæ,
Omnibus agricolis armentorúmque [g] magistris,
[h] Iliadæ fratres jura petita dabant.

INTERPRETATIO.

Sylvia fit genitrix: simulacra Vestæ dicuntur admovisse manus virgineas oculis. Certè altare concussum est Sacerdote pariente; & flamma territa se occultavit sub suos cineres. Postquam Amulius contemter æqui intellexit hæc; (nam superior tenebat opes sublatas fratri) imperat gemellos obrui flumine. Fluctus horret flagitium. Infantes relinquuntur in terrâ siccâ. Quis ignorat pueros auctos esse lacte ferino, atque Picum sæpe portasse escam expositis? Ego te non præteream silentio Larentia nutrix tantæ sobolis, neque vestras opes pauper Faustule. Vestra laus recurret cùm dicam Larentalia. December gratus Geniis habet illa. Soboles Martia creverat ad annum decimum octavum, & prima lanuge jam addita erat flavis capillis. Fratres Iliadæ dicebant jura omnibus ruricolis, & magistris armentorum seu pastoribus.

NOTÆ.

[n] *Fit*] Peperit gemellos Remum atque Romulum.

[o] *Simulacra*] Ficta hæc: nullum enim simulacrum in æde Vestæ. Verùm simile quid evenisse dicunt scelestæ illi Tulliæ, viso parentis signo in fano Fortunæ.

[p] *Opposuisse*] Ne scelus videret Vesta.

[q] *Certè*] Ut distinguatur istud ab eo quod finxit Poëta de Vestæ simulacro.

[r] *Pariente*] *Dum pareret Ilia Vestalis.*

[s] *Subiit*) Ferè extincta est: quod super omnia gravia & timenda Romani habebant.

[t] *Hac*) Peperisse Iliam, &c.

[u] *Fratri*) Numitori.

[x] *Refugit*] Non enim pueri hausti fluctibus.

[y] *Ferino*] Lupæ.

[z] *Larentia*] Faustuli, pastoris regii uxor, scortum nobile, cui ideo Lupæ datum nomen: Ea verò infantibus Remo Romuloque quia ubera præbuit, à Lupâ nutriti dicti sunt.

[a] *Opes*] Eas appellat opes regios pueros educasse.

[b] *Larentalia*] Larentiæ festa, quæ quidem in veteri Calendario ad mensem Decembrem remittuntur.

[c] *Acceptus*] *Gratus*; quia eo mense Saturnalia, quibus, cæteris omissis, genio indulgebant, & voluptuosa convivia agitabant.

[d] *Martia*] Romulus & Remus.

[e] *Ter senos*] *Ad decimum octavum annum creverant.*

[f] *Nova barba*] Lanugo prima.

[g] *Magist.*] *Pastoribus.*

[h] *Iliadæ*] Iliæ filii Romulus & Remus.

Sæpe domum veniunt [i] prædonum ſanguine læti,
Et redigunt [k] actos in ſua rura boves.
Ut [l] genus audierunt; animos pater agnitus auget:
Et pudet in paucis [m] nomen habere caſis:
Romuleóque cadit trajectus Amulius enſe:
Regnáque longævo reſtituuntur [n] avo.
[o] Mœnia conduntur: quæ, quamvis [p] parva fuerunt,
[q] Non tamen expediit tranſiluiſſe Remo.
Jam, modo quà fuerant ſilvæ, [r] pecorúmque receſſus,
Urbs erat: [s] æternæ cùm [t] pater Urbis ait:
[u] Arbiter armorum, de cujus ſanguine natus
Credor; & ut credar pignora certa dabo:
A te principium Romano ducimus anno:
Primus [x] de patrio nomine menſis eat.
Vox rata fit; patrióque vocat de nomine menſem.
Dicitur hæc pietas grata fuiſſe Deo.
Et [y] tamen ante [z] omnes Martem coluêre [a] priores.
[b] Hoc dederat ſtudiis bellica turba ſuis.

INTERPRETATIO.

Sæpe repetunt domum gaudentes nece latronum, & reducunt juvencos abactos in ſuos agros. Poſtquam cognoverunt de ſtirpe ſuâ, parens cognitus addit animos: & pudet conſequi famam in paucis tuguriis; atque Amulius ſternitur transfixus gladio Romuleo; atque regna redduntur avo ſeniori. Muri ponuntur, qui tametſi humiles fuerunt, non tamen juvat Remum tranſiliiſſe. Jam Urbs erat, quà nemora, & receſſus pecorum fuerant; cùm pater Urbis æterna dicit. Arbiter armorum, de cujus ſanguine credor ortus; atque exhibebo firma indicia, quibus credar; Habemus initium à te anno Romano, primus menſis currat de nomine patrio. Dictum confirmatur: atque appellat menſem de nomine patrio. Iſta pietas dicitur fuiſſe accepta Deo. Et tamen majores coluerunt Martem ante omnes. Turba bellica dederat hoc ſuis ſtudiis.

NOTÆ.

[i] *Prædonum*] Quos aut vulneraverant aut occiderant.

[k] *Actos*] *Abactos à prædonibus.*

[l] *Genus*] Unde originem ducerent. Quod quidem Fauſtulus edocuiſſe dicitur.

[m] *Nomen*] *Famam & laudem.*

[n] *Avo*] Numitori, quem Iliæ patrem diximus.

[o] *Mœnia*] Romana *ſcil.*

[p] *Parva*] Cùm primò condita.

[q] *Non expediit*] Quia ideo interfectus, quòd valli anguſtias ſaltu increpuiſſet.

[r] *Pecor. rec.*] Quapropter pars quædam in Palatio *pecuſium* dicta, Feſto autore.

[s] *Æternæ*] Ex opinione & votis Romanorum, aut etiam augurum declaratione.

[t] *Pater*] Romulus.

[u] *Arbiter arm.*] O Mars.

[x] *De patrio*] A Marte *Martius* dicitur, qui ex Romuli ſententiâ primus menſis fuit.

[y] *Tamen*] Quamvis Romuli fuit inſtitutum ut à Marte patre primus menſis appellaretur, ante Romulum tamen ab Italis utpote bellicâ gente cultum fuiſſe Martem conſtat.

[z] *Omnes*] Deos *ſcil.*

[a] *Priores*] Latini *ſcil.*

[b] *Hoc*] Ut Martem colerent.

Pallada [c] Cecropidæ, [d] Minoïa [e] Creta [f] Dianam,
Vulcanum tellus [g] Hypſipylæa colit:
Junonem [h] Sparte, [i] Pelopeïadéſque Mycenæ:
[k] Pinigerum Fauni [l] Mænalis ora caput.
Mars [m] Latio venerandus erat; quia præſidet armis.
Arma feræ genti remque decúſque dabant.
Quòd ſi fortè vacas, [n] peregrinos inſpice Faſtos:
Menſis in his etiam nomine Martis erit.
Tertius [o] Albanis, quintus fuit ille [p] Faliſcis:
Sextus apud populos, [q] Hernica terra, tuos.
Inter [r] Aricinos, Albanáque tempora [s] conſtant
Factáque [t] Telegoni mœnia celſa manu.
[u] Quintum [x] Laurentes, bis quintum [y] Æquicolus [z] aſper,
[a] A tribus hunc primum turba [b] Curenſis habet.

INTERPRETATIO.

Cecropidæ reverentur Minervam, Creta Minoïa Dianam, terra Hypſipylæa Vulcanum; Sparta & Mycenæ Pelopeïades Junonem, ora Mænalis caput Fauni piniferum. Mars erat Sacer Latio, quia præeſt armis. Arma parabant opes & honorem ſævæ nationi. Quòd ſi fortè ſpatium datur, evolve Faſtos extraneos, erit quoque in his menſis nomine Martis. Is fuit tertius Albanis, quintus Faliſcis, Sextus apud populos tuos, terra Hernica. Tempora Albana conveniunt inter Aricinos, & muros altos poſitos manu Telegoni. Laurentes habent quintum, ſævus Æquicolus decimum, populus Curenſis tenet *hunc primū à tribus.*

NOTÆ.

[c] *Cecropidæ*] Athenienſes, quibus à Cecrope rege illud nomen.

[d] *Minoïa*] In quâ imperium tenuit Minos Jovis filius.

[e] *Creta*] Inſula in Mediterraneo mari nobiliſſima.

[f] *Dianam*] Cui templum fuit in Dictæo Cretæ monte.

[g] *Hypſipylæa*] Lemnon dicit, inſulam maris Ægæi, verſus Thraciam, ubi & ferrariam exercuit claudus ille deus. Ab Hypſipyle autē Thoantis regis filiâ inſulæ datum cognomen.

[h] *Sparte*] Quæ alio nomine *Lacedæmon* dicitur, Peloponneſi urbs notior, quàm ut de eâ quicquam opus ſit dicere.

[i] *Pelopeïades*] Quia in eâ Pelopidæ regnarunt, à quibus auctæ Mycenæ.

[k] *Pinigerum*] Faunum ipſum pinu coronatum, de quo in præcedentibus.

[l] *Mænalis ora*] Arcadia, cui à Mænalo monte pinifero illud nomen.

[m] *Latio*] Pro Romanis ipſis poſuit.

[n] *Peregrinos*] Aliarum urbium in Italiâ.

[o] *Albanis*] Ab Albâ longâ, quam in Latio condidit Aſcanius Æneæ filius eo nomine dicti ſunt.

[p] *Faliſcis*] Hos vidimus jam ſæpe Hetruriæ populos, propter gramina ſua & boves candidos.

[q] *Hernica*] Hernicos dicit, qui loca ſaxoſa in Latio inter Æquos & Volſcos tenebant, ſexto loco Martium menſem numeraſſe.

[r] *Aricinos*] Qui Latii oppidum Ariciam tenebant.

[s] *Conſtant*] *Conveniunt.* Inter Aricinos, & Albana mœnia ſeu Albanos, & Tuſculanos conſtant tempora.

[t] *Telegoni*] Ulyſſis fuit ex Circe filius, qui Tuſculum arduo in colle 12 ab Urbe lapide condidit.

[u] *Quintum*] Menſem Martium fecerunt aut habuerunt Laurentes *ſcil.*

[x] *Laurentes*] Qui Laurentum Latini regiam tenuerunt.

[y] *Æquic.*] Æqui, Æquicoli, ſeu Æquiculi populi fuerunt inter Marſos & Hernicos.

[z] *Aſper*] Quia in durâ terrâ, Æqui, ut loquitur Maro; quique

Armati terram exercent; ſemperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.

[a] *A tribus*] Quartum adeòque.

[b] *Curenſis*] Cures Sabinorum intellige,

Et tibi cum proavis, [c] miles [d] Peligne, Sabinis
[e] Convenit: hic genti [f] quartus utrique Deus.
Romulus hos omnes ut vinceret [g] ordine saltem,
[h] Sanguinis auctori tempora prima dedit.
Nec totidem veteres, quot nunc, habuêre [i] Kalendas.
Ille minor geminis mensibus annus erat.
[k] Nondum tradideras [l] victas victoribus artes,
Græcia, facundum sed [m] malè fortè genus.
Qui bene pugnarat, [n] Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila, disertus erat.
Quis tunc aut [o] Hyadas, aut [p] Pleiadas Atlantêas
Senserat, aut [q] geminos esse sub axe [r] polos?
Esse [s] duas Arctos; quarum [t] Cynosura petatur
[u] Sidoniis; [x] Helicen Graja carina notet?

INTERPRETATIO.

Miles Peligne, sentis cum proavis Sabinis; hic Deus est quartus utrique nationi. Ut Romulus superaret hos omnes saltem serie, asseruit prima tempora auctori sanguinis. Neque antiqui habuêrunt tot Calendas, quot nunc. Ille annus erat brevior duobus mensibus. Nondum prabueras artes subactas victoribus, Gracia, gens diserta, sed parùm strenua. Qui bene certaverat habebat perspectam artem Romanam: qui poterat jacere tela erat facundus. Quis tunc cognevit aut Hyadas, aut Pleiadas Atlantêas, aut duos esse polos sub axe? Esse duas Ursas, quarum Cynesura observetur à Sidoniis, navis Graca notet Holicen?

NOTÆ.

[c] *Miles*] In decus suæ gentis dixit istud in Pelignis creatus Naso.

[d] *Peligno*] Ultra Marsos fuerunt, magis ad mare Adriaticum, versus Orientem. A Sabinis ortos vides; tametsi Illyricum genus facit Festus.

[e] *Convenit*] Quia à Sabinis & Pelignis Martius mensis quarto loco numeratus.

[f] *Quartus*] Quia Marti quartum mensem dicaverunt.

[g] *Ordine*] Non re; siquidem & alii Marti mensem unum consecrassent, quanquam non primum ordine, ut Romulus.

[h] *Sang. auct.*] Marti *scil.*

[i] *Kalendas*] Pro mensibus posuit.

[k] *Nondum*] Longo enim tempore à Romulo, atque post bella Punica à Romanis subacta Græcia.

[l] *Victas*] Quæque adeò postea victoribus suis faverent, & scientias edocerent.

[m] *Malè fortè*] Non modò quia à Romanis victi, sed quia certè effœminati quo tempore capti sunt.

[n] *Romanam*] Quæ tota in armis fuit.

[o] *Hyadas*] Sydus in capite Tauri, quod fecerunt Atlantis Mauritaniæ regis filiæ ex Æthrâ. A Græco ὕειν à pluendo. Latinè Suculæ ab eodem dictæ sunt.

[p] *Pleiadas*] Atlantis ejusdem filiæ ex Pleione, quæ etiam in sydus abiverunt ad collum Tauri: dictæ à πλέω navigo, quòd circa æquinoctium Vernum orientes navigandi tempus opportunum indicent.

[q] *Geminos*] Arcticum & Antarcticum.

[r] *Polos*] Sunt poli vertices seu axis extrema, circa quem cœlum verti fingitur. Quanquam sæpe axis pro polo sumitur. deinde & videtur Poëta, non axis esse extrema polos credidisse, sed axis extrema super polos tanquam super cardines moveri.

[s] *Duas*] Majorem & minorem, de quibus jam sæpius dictum.

[t] *Cynosura*] Minor est Ursa, ad cujus observationem Phœnices atque adeo Sidonii navigationes suas dirigebant.

[u] *Sidon.*] Sidone Phœniciæ urbe in Syriâ antiquissimâ & opulentissima oriundis.

[x] *Helicen*] Major Ursa est quam Græci navigantes observabant.

Signaque

[y] Signáque quæ longo frater percenseat anno,
Ire per [z] hæc uno mense [a] sororis equos?
[b] Libera currebant, & inobservata per annum
Sidera: constabat sed tamen esse Deos.
Non illi cælo labentia signa [c] movebant;
Sed [d] sua: quæ magnum [e] perdere crimen erat.
Illáque de [f] fœno. sed erat reverentia fœno,
[g] Quantam nunc [h] Aquilas cernis habere tuas.
Pertica suspensos portabat longa [i] maniplos:
Unde [k] maniplaris nomina miles habet.
Ergo animi indociles, & adhuc ratione carentes
Mensibus [l] egerunt lustra [m] minora decem.
Annus erat; decimum cum Luna repleverat orbem.
[n] Hic nostris magno tunc in honore fuit.
Seu quia [o] tot digiti, per quos numerare solemus:
Seu quia bis quino fœmina mense parit.

INTERPRETATIO.

Atque equos sororis percurrere uno mense ea sydera, quæ frater perlustret longo anno? Astra movebantur libera & inobservata per annum; sed tamen constabat esse Deos. Illi non movebant signa cadentia cœlo, sed sua, quæ amittere erat magnum crimen. Atque ea erant *de fœno: verùm erat honos fœno, quantum nunc vides Aquilas tuas habere nunc. Longa pertica ferebat manipulos suspensos; à quibus miles manipularis obtinet nomina. Adeòque mentes feræ, & adhuc destituta ratione peregerunt lustra minora decem mensibus. Annus erat cùm Luna clauserat orbem decimum: hic fuit tunc nostris in magno honore. Seu quia tot* sunt *digiti, per quos consuevimus numerare; seu quia fœmina parit decimo mense.*

NOTÆ.

[y] *Signa*) Zodiaci duodecim illa intellige, quorum singula singulis mensibus Sol Lunæ frater pervadit seu percenset.

[z] *Hæc*) Signa *scil.*

[a] *Sororis*) Lunæ.

[b] *Libera*] Quia inobservata pro anni ratione.

[c] *Movebant*) Illa non curabant.

[d] *Sua*] Fœni seu straminis manipulos *scil.*

[e] *Perdere*] Imò & deserere nonnunquam, aut ab iis longiùs esse: namque & ideo ignominiâ aliisque pœnis mulctati.

[f] *Fœno*] Seu potiùs legi aut ordini. Sed ad Poëtæ scopum magis illud convenit.

[g] *Quantam*] Majorem dixerit, qui veterum monumenta lustraverit.

[h] *Aquilas*] Quæ Legionum singularum fuerunt signa.

[i] *Maniplos*] Ex fœno *scil.*

[k] *Maniplaris*] Pro *manipularis*. Eo verò nomine dicebantur qui ejusdem essent manipuli seu signi: quod quidem signum primò centenis militibus præferebatur.

[l] *Egerunt*] Pro *transegerunt*. Constituerunt.

[m] *Minora*] Siquidem lustrum quinque annorum spatium comprehendat, (ut Nasoni visum) singulísque annis decem menses tantùm tribueris, decem omnino mensibus minus fuerit lustrum quàm solet esse, cùm singulis annis menses duodecim assignantur.

[n] *Hic*] Annus *scil.*

[o] *Tot digiti*] Bardos admodum nobis obtrudit Naso, si qui usque adeò imperiti fuerunt, ut ex digitis suis annorum menses constituendos crediderint.

Sed quod adusque [p] decem numero crescente venitur;
Principium [q] spatiis sumitur [r] inde novis.
[ſ] Inde [t] pares centum [u] denos secrevit in orbes
Romulus: [x] Hastatos instituitque [y] decem.
Et totidem [z] Princeps totidem [a] Pilanus habebat
Corpora: [b] legitimo [c] quique merebat equo.
Quin etiam [d] partes totidem [e] Titiensibus idem,
Quosque vocant [f] Ramnes, [g] Luceribusque dedit.
Assuetos igitur numeros servavit in anno.
[h] Hoc luget spatio fœmina mœsta [i] virum.
Neu dubites, primæ fuerint quin ante Kalendæ
Martis; ad hæc animum [k] signa referre potes.
[l] Laurea Flaminibus, quæ toto perstitit anno,
Tollitur: & frondes sunt in honore novæ.

INTERPRETATIO.

Seu quòd ascenditur usque ad decem, numero crescente; inde sumitur initium spatiis novis. Hinc Romulus divisit centum æquales in denos orbes; & instituit decem Hastatos. Atque Princeps habebat totidem corpora, Pilanus totidem; & qui militabat equo legitimo. Quinetiam idem assignavit totidem partes Titiensibus, & iis quos appellant Ramnes, atque Luceribus. Observavit ergo numeros consuetos in anno. Conjux tristis flet maritum eo tempore. Neve dubites, quin primæ Calendæ fuerint priùs Martis, potes revocare mentem ad hæc indicia. Laurea, quæ mansit toto anno flaminibus, demitur; & nova folia sunt in honore.

NOTÆ.

[p] *Decem*] Quando enim in numerando ulterius progredimur, per reiterationem illud fit eorumdem numerorum ab unitate ad decimum numerum.

[q] *Spatiis*] Spatia vocat numeros omnes qui supra decem ad viginti, triginta &c. excurrunt.

[r] *Inde*] A numero decimo.

[ſ] *Inde*] Ex eâ denarii numeri ratione.

[t] *Pares*] Ne referas ad denos, ut suadet Commentator, namque ineptum foret, & à Nasonis ratione alienum. Sed pares intellige ætate & robore æquales.

[u] *Denos orbes*] Contubernia dixerunt. Gall. *Dixaine.*

[x] *Hastatos*] *Hastati* dicti sunt primo qui hastis pugnabant, in quibus juvenes erant & adolescentes.

[y] *Decem*] Qui singuli tamen novem sub se haberent ejusdem generis: namque hic capita tantùm recenset Naso.

[z] *Princeps*] Eo nomine appellati viri, qui à prine pro gladiis rem gerebant.

[a] *Pilanus*] Pilani *Triarii* quoque dicti sunt qui tertio ordine pilis certabant, & subsidio, utpote maturâ ætate, servabantur.

[b] *Legitimo*] Lege & de publico dato.

[c] *Quique*] Qui, inquit, merebat equo, aut militabat, atque adeò Decurio habebat decem corpora: neque tantùm peditum genera in decem quæque partes distributa, sed & equitum eadem fuit divisio.

[d] *Partes*] Quas *Curias* dixerunt.

[e] *Titiensibus*] A Tito Tatio appellata est una ex tribus illis Tribubus, in quas populum Romanum divisit Romulus.

[f] *Ramnes*] Ramnenses a Romulo dictos voluerunt qui alteram Tribum Romanam constituerunt; atque id quidem Thuscâ etymologiâ.

[g] *Luceribus*] Tertia Tribus à Lucumone quodam seu Lucere Ardeæ rege, qui auxilio fuit Romulo adversus Tatium, Tuscum nomen habuisse videtur, si qua veterum monumentis fides: quanquam sunt quoque qui ab asyli luco appellatam voluerint.

[h] *Hoc*] Decem mensibus.

[i] *Virum*] Ademtum *scil.*

[k] *Signa*] *Indicia*; ex quibus Calendas Martis primas fuisse constet.

[l] *Laurea*] Corona ex Lauro. *Ingrediente Martio*, inquit Macrobius, *in regiâ, curiisque, atque flaminum domibus laureæ veteres novis laureis mutabantur.*

Janua nunc Regis positâ viret [m] arbore Phœbi;
Ante tuas fit idem, [n] Curia [o] Prisca, fores.
[p] Vesta quoque ut folio niteat velata recenti,
Cedit ab [q] Iliacis laurea [r] cana focis.
Adde, quòd [s] arcanâ [t] fieri novus ignis in æde
Dicitur; & vires flamma refecta capit.
Nec mihi parva fides, annos hinc isse priores;
[u] Anna quod hoc cœpta est mense Perenna coli.
Hinc etiam veteres initi memorantur [x] honores
[y] Ad spatium belli, [z] perfide Pœne, tui.
Denique quintus ab [a] hoc fuerat Quintilis: & [b] inde
Incipit, à numero nomina [c] quisquis habet.
Primus [d] oliviferis Romam deductus ab arvis
Pompilius menses sensit abesse duos.
Sive hoc à [e] Samio doctus, qui [f] posse renasci
Nos putat; [g] Egeriâ sive monente suâ.

INTERPRETATIO.

Janua Regis nunc viret, arbore Phœbi admotâ: idem fit ante tuam januam, Curia Prisca. Ut etiam Vesta tecta fronde novâ splendeat, laurea alba tollitur ab aris Iliacis. Adde, quòd novus ignis dicitur excitari in templo secrete, & flamma de novo excitata sumit vires. Neque mihi fides levis, annos priores inde initium habuisse, quòd Anna Perenna cœpta est coli hoc mense. Antiqui honores dicuntur etiam hinc sumti ad tempus belli tui, Pœne perfide. Denique quintus ab hoc fuerat Quintilis; & inde initium habet quisquis sumit nomina à numero. Primus Pompilius deductus Romam ab agris oliviferis advertit duos menses desiderari: seu hoc didicerit à Samio, qui credit nos posse renasci; seu Egeriâ suâ docente.

NOTÆ.

[m] *Arbore Phœbi*] Lauro *scil.* Phœbo gratissimâ propter amatam Daphnen, in eam arborem mutatam.

[n] *Curia*] Numero singulari posuit pro Curiis 30, seu ædibus, in quibus sacra sua peregerunt totidem Curiæ seu populi partes in quas universos Romulus distribuit.

[o] *Prisca*] Ad distinctionem 30 novarum, quæ aucto populo deinde constructæ sunt.

[p] *Vesta*] Vestalis ara.

[q] *Iliacis*] Quia Vestæ sacra Ilio ab Æneâ advecta.

[r] *Cana*] *Vetus*, quæ certè albicat.

[s] *Arcana*] Quia maribus ad illam non dabatur accessus.

[t] *Fieri*] Eadem tradunt Solinus & Macrobius.

[u] *Anna*] Dea quæ annis præsidebat, cui sacrificia mense Martio fieri cœpêre, ut annare & perennare commodè liceret.

[x] *Honores*] Magistratum.

[y] *Ad spatium*] Imò usque ad annum urbis conditæ 600, quo tempore Q. Fulvius Nobilior, & T. Annius Luscus Calendis Januariis Consulatum inierunt.

[z] *Perfide*] Pœnorum verò seu Carthaginiensium fides in proverbium abiit.

[a] *Hoc*] Martio primo mense.

[b] *Inde*] A Martio.

[c] *Quisquis*] Quintilis v. gratiâ, qui deinde Julius, Sextilis, September, &c. qui omnes à numero nomen sumserunt.

[d] *Oliviferis*] In Sabinis enim, unde accitus Numa Pompilius, olearum magna copiâ, tempore quidem Nasonis.

[e] *Samio*] Pithagorâ *scil.* Verùm non illud patitur ratio temporum siquidem multò posterior Numâ ille philosophus, ut docent Cicero aliique, qui temporibus iisdem in Italiâ fuisse testantur, quibus L. Brutus patriam liberavit.

[f] *Posse renasci*] De eâ animarum transmigratione dictum in Metam.

[g] *Egeriâ*] Cujus nymphæ seu deæ monitu omnia facere Numa finxit, quò magis barbari quæ sanxisset acciperent.

Sed tamen [h] errabant etiamnum tempora ; donec
[i] Cæsaris in multis hæc quoque cura fuit.
Non hæc ille Deus [k] tantæque propaginis auctor
Credidit officiis esse minora suis :
[l] Promissúmque sibi voluit prænoscere [m] cœlum :
Nec Deus ignotas hospes inire domos.
Ille [n] moras Solis, quibus in [o] sua regna rediret,
Traditur [p] exactis disposuisse notis.
Is [q] decies senos tercentum & quinque diebus
Junxit, & è [r] pleno [f] tempora quarta die.
[t] Hic anni modus est. in [u] lustrum accedere debet,
Quæ consummatur [x] partibus, una dies.
[y] SI licet occultos monitus audire Deorum
Vatibus ; ut certè fama licere putat ;

INTERPRETATIO.

Verùm tamen tempora adhuc errabant, donec hæc fuit etiam cura Cæsaris inter cæteras. Ille Deus & auctor tantæ sobolis non arbitratus est hæc esse leviora suis officiis. Atque voluit antè cognoscere cœlum sibi promissum, neque Deus peregrinus intrare domos ignotas. Ille dicitur notasse signis accuratis moras Solis, quibus reverteretur in sua regna. Is addidit sexaginta quinque dies trecentis, & fecit tempora quarta ex integro die. Hæc est mensura anni : una dies quæ perficitur partibus debet venire in lustrum.

SI detur Poëtis audire secreta documenta Deorum, ut quidem fama credit concedi,

NOTÆ.

[h] *Errabant*] Quia ad Solis cursum non satis accuratè digesta temporum seu mensium ratio.

[i] *Cæsaris*] Julii *scil.* qui temporum turbatas prorsus rationes ad ordinem certiorem redegit.

[k] *Tantæ*] Quia Augusti pater per adoptionem, Tiberii avus, Germanici proavus, &c.

[l] *Promissum*] Jupiter ad Venerem de Julio Æneid. 1.

Hunc tu olim cœlo, spoliis Orientis onustum,
Accipies secura ; vocabitur hic quoque votis.

[m] *Cœlum*] Optimè sanè cœlum dixit cùm de temporum ratione agitur, solâ namque ex Astronomiâ Chronologia sua fundamenta reperit.

[n] *Moras*] Tempora quæ absumuntur dum Sol à Capricorno Signa Zodiaci percensendo ad idem cœli punctum redit.

[o] *Sua regna*] Solitos cursus. Nam regnare Sol videtur cùm ad nos rediens vitam omnibus terrestribus calore suo inspirat. Alii habent *signa* ut de Zodiaci intelligas, quæ ejus quasi regna sunt.

[p] *Exactis*] Accuratioribus quidem quàm prius, verumtamen intercalationibus adhuc obscuris, Pontificum culpâ.

[q] *Decies senos*] *Sexagenos.* Atque adeò annum ex trecentis quinquaginta quinque diebus Julius Cæsar constituit : in quartum annum, quem bissextum dixerunt, atque post sextum Cal. Martias rejecto die illo qui ex 4 annorum sex horis constituitur quibus anni singuli supra 365 dies constant.

[r] *Pleno*] Plenum dicit diem illum, qui ex quatuor quadrantibus singulorum annorum constat, ex quibus lustrum conficitur.

[f] *Tempora quarta*] Quartum annum intercalarem, inquit, junxit Cæsar tribus præcedentibus, sicut junxerat dies singulorum annorum. Sed quod breviùs & obscuriùs dixit mox exponet.

[t] *Hic*] Quem proposuit 365 dierum ; addito tamen quarto quoque anno die intercalari.

[u] *Lustrum*] Quod spatium est quatuor annorum inclusivè, aut quinque exclusivè: ea modò ut brevitatis causâ ità loqui liceat.

[x] *Partibus*] Senis *scilicet* horis cujusque anni.

[y] *Si licet*] Verecundè à Marte petit Naso, quamobrem Calendas Martias colant matronæ.

Cùm sis officiis, Gradive, [z] viribus aptus;
Dic mihi, matronæ cur tua festa [a] colant.
Sic [b] ego: sic positâ dixit mihi cuspide Mavors;
Sed tamen in dextrâ [c] missilis hasta fuit:
Nunc primùm studiis pacis, Deus utilis armis,
Advocor: & [d] gressus in nova castra fero.
Nec piget: incepti juvat [e] hac quoque parte morari.
[f] Hoc solam ne se posse Minerva putet.
Disce, Latinorum vates [g] operose dierum,
Quod petis: & memori pectore dicta nota.
Parva fuit, si prima velis [h] elementa referre,
Roma: sed in parvâ spes tamen [i] hujus erat.
Mœnia jam stabant populis angusta [k] futuris:
Credita sed turbæ tunc [l] nimis ampla suæ.
Quæ fuerit nostri si quæris regia [m] nati;
Adspice de cannâ straminibúsque [n] domum.
In stipulâ placidi carpebat munera somni:
Et tamen ex illo [o] venit in astra toro.
Jamque [p] loco majus Romanus nomen habebat:
Nec conjux illi, nec socer ullus erat.

INTERPRETATIO.

cùm sis idoneus virilibus officiis, Gradive, dic mihi, quamobrem matronæ celebrent tua festa. Ità ego loquutus sum; *Mars mihi sic respondit hastâ positâ: sed tamen hasta missilis fuit in manu: Nunc primùm* ego *Deus aptus armis requiror ad studia pacis, & concedo in nova castra. Neque pœnitet: placet etiam hærere in hac parte negotii, ne Pallas credat se solum hoc posse. Accipe quod poscis, Poeta laboriose dierum Latinorum; atque observa* mea *verba mente sedulâ. Roma fuit exigua, si velis meminisse primi principii; verùm spes erat tamen hujus in exiguâ. Jam muri stabant arcti populis venturis; sed tunc crediti nimis vasti suo agmini. Si petis qua fuerit augusta nostri filii, vide domum de juncis & stipulâ. Sumebat dona lenis somni in stramine & tamen ascendit cælum ex illo lecto. Jamque Romanus obtinebat famam præstantiorem loco; neque uxor, neque socer ullus illi erat.*

NOTÆ.

[z] *Viribus*] Bello *scil.*

[a] *Colunt*] Matronalia enim Calendis Martiis celebrabantur, quibus munuscula invicem missitare consueverant.

[b] *Ego*] Naso *scil.* loquutus sum.

[c] *Missilis*] Quæ longè mitti posset.

[d] *Gressus*] Ad Gradivi alludit cognomen.

[e] *Hac*] Pacis studiis, & arte Poeticâ.

[f] *Hoc*] Literis *scil.* seu positis armis, immiscere.

[g] *Operose*] Materia namque difficilis.

[h] *Elementa*] *Initia*, aut urbis *primordia*.

[i] *Hujus*] Magnificæ *scil.*

[k] *Futuris*] Postquam in tantum aucta fuit Res Romana ut totius propè orbis fines caperet.

[l] *Nimis ampla*] Quia viri res erant tantùm unius ætatis.

[m] *Nati*] Romuli *scil.*

[n] *Domum*] Curiam Calabriam vocat Servius, quæ, sublato Romulo, summæ religionis Romanis fuit: quamque quoties de ea aliquid vetustate fœdabatur sacerdotes instaurabant, ut integra servaretur.

[o] *Venit in astra*] *Relatus est in Deos.*

[p] *Loco*] Quia Urbs parva, & straminea tecta.

Spernebant generos inopes vicinia dives;
Et [q] malè credebar sanguinis auctor ego.
In stabulis habitasse, boves pavisse, nocebat;
Jugeráque inculti pauca tenere soli.
[r] Cum pare quæque suo coëunt volucrésque feræque;
Atque aliquam, de qua procreet, anguis habet.
Extremis dantur connubia gentibus: at, quæ
Romano vellet nubere, nulla fuit.
Indolui; [s] patriámque dedi tibi, Romule, mentem.
Tolle preces, dixi: quod petis, arma dabunt.
Festa para [t] Conso: Consus tibi cætera dicet;
Ipso festa die dum sua sacra canes.
[u] Intumuêre [x] Cures, & [y] quos dolor attigit idem.
Tum primùm generis intulit arma socer.
Jamque ferè raptæ [z] matrum quoque nomen habebant;
Tractáque erant [a] longâ bella [b] propinqua morâ.
Conveniunt nuptæ [c] dictam Junonis in ædem:
Quas inter [d] mea sic est nurus orsa loqui:
O pariter raptæ, (quoniam [e] hoc commune tenemus)
Non ultrà [f] lentè possumus esse piæ.

INTERPRETATIO.

Vicinia potens contemnebant generos pauperes, & ego vix credebar auctor sanguinis. Oberat mansisse in præsepibus, egisse armenta, & habere pauca jugera terræ immitis. Alites & feræ junguntur singula cum suo pare; & serpens habet aliquam de quâ sobolem generet. Conjugia conceduntur ultimis nationibus; at nulla fuit quæ vellet jungi Romano. Intumui, & immisi tibi animum patrium, Romule; mitte orare, dixi; arma præbebunt quod poscis. Adorna festa Conso: Consus docebit te reliqua ipso die quo celebrabis sua sacra festa. Cures, atque ii quos idem dolor invasit insurrexerunt: tum primùm socer admovit arma generis. Jamque ferè quæ sublatæ fuerant habebant etiam nomen matrum, & bella cognata erant ducta in longum spatium. Maritæ coëunt in templum appellatum Junonis, inter quas nurus mea sic incipit; O simul sublatæ, (siquidem habemus hoc commune) non ampliùs possumus esse segniter piæ.

NOTÆ.

[q] *Malè cred.*] Quis enim crederet?

[r] *Cum pare*] Addita hæc ad Romuli excusationem; ut ad rapiendas Sabinas necessitate compulsus videatur.

[s] *Patriam*] Ut adeòque quod cuperet vi potiùs quàm vanis precibus consequeretur.

[t] *Conso*] Hunc Consum, quem & Neptunum equestrem vocaverunt, numen fuisse volunt consiliorum: cujus ara in Circo maximo, quòd scilicet consilia debeant esse occulta, sub terrâ occultabatur. Festa verò ipsius seu ludi 18 Augusti mensis celebrabantur.

[u] *Intumuêre*] Dolore *scil.* quòd raptæ essent suæ puellæ.

[x] *Cures*] Sabini Curibus oriundi.

[y] *Quos*] Cenninenses *scil.* Crustumerini & Antennates, ut ex Livio apparet.

[z] *Matrum*] Pepererant *scil.*

[a] *Longa*] Triennium enim duravit bellum priusquam raptarum precibus componeretur.

[b] *Propinqua*] Quæ inter propinquos seu affines.

[c] *Dictam*] Quò se conventuras constituerant.

[d] *Mea*] Hersiliam dicit Martis nurum, siquidem Romuli uxor fuit.

[e] *Hoc*] Quod raptæ fuimus.

[f] *Lentè*] Quia interea confligent patres virique nostri.

Stant acies: sed [g] utrâ Dî sint pro parte rogandi,
Eligite. hinc conjux, hinc pater arma tenent.
Quærendum, [h] viduæ fieri malimus an [i] orbæ.
[k] Consilium vobis forte piúmque dabo.
Consilium dederat. parent, crinémque [l] resolvunt;
Mœstáque funereâ corpora veste tegunt.
Jam [m] stabant acies ferro mortíque paratæ:
Jam lituus pugnæ signa daturus erat:
Cùm raptæ veniunt inter patrésque virósque;
Inque sinu natos pignora cara ferunt.
Ut medium campi passis tetigere capillis;
[n] In terram posito procubuêre genu.
Et, quasi [o] sentirent, blando clamore nepotes
Tendebant ad avos brachia parva suos.
Qui poterat, clamabat avum tum denique visum:
Et qui vix poterat, [p] posse coactus erat.
Tela viris animúsque [q] cadunt: gladiísque remotis
[r] Dant soceri generis accipiúntque manus.
[s] Laudatásque tenent natas; scutóque nepotem
Fert Avus: hic scutis dulcior usus erat.

Interpretatio.

Agmina sunt in conspectu; verùm eligite pro utrâ parte Dii sint orandi: Hinc mariti, hinc genitor movent arma. Videndum malimusne fieri viduæ an orbæ. dabo vobis consilium generosum & pium. Consuluerat. Obsequuntur, atque pandunt comas, & velant tristia corpora veste lugubri. Jam consistebant acies accinctæ ferro & neci: jam cornicen erat daturus signa certaminis, cùm raptæ feruntur inter genitores & maritos, & ferunt in gremio liberos pignora dilecta. Postquam venerunt in medium planitiei laceris comis; sese immiserunt terræ, flexo genu. Et quasi intelligerent, nepotes porrigebant parva brachia clamore amabili ad suos avos. Qui poterat, clamabat avum tum denique conspectum, & qui vix poterat erat coactus posse. Arma atque animus excidunt viris, & ensibus positis soceri dant manus generis, atque accipiunt. Et amplectuntur filias celebratas, atque avus portat nepotem clypeo: hic erat usus carior clypeorum.

Notæ.

[g] *Utrâ*] Pro patribus anne pro maritis?

[h] *Viduæ*] Maritis destitutæ.

[i] *Orbæ* Sine parentibus.

[k] *Consilium*] Quodnam mox patebit.

[l] *Resolvunt*] Ad movendam misericordiam laceris comis in medias acies prosiliērunt.

[m] *Stabant* Ordinibus ad pugnam instructis in conspectu erant.

[n] *In terram* [illegible]x, ut habet Livius, *crinibus sparsis, sci[illegible]âque veste, victo malis muliebri pavore, ausæ se inter tela volantia inferre, ex transverso impetu facto, dirimere infestas acies, dirimere iras, hinc patres, hinc viros orantes, ne se sanguine nefando soceri, generique respargerent*, &c. Dionysius insuper humi prostratas permansisse, ait, donec astantes erigerent, moderata omnia pro viribus se facturos polliciti.

[o] *Sentirent*] Quid rerum ageretur, quove consilio, in medias acies allati essent.

[p] *Posse coact.*] Q[illegible]a in tanto tumultu perturbatus clamabat, atque adeò avi primam saltem l[illegible]tteram *a*, qui vagientium sonus est, proferebat.

[q] *Cadunt*] Atque adeò jam Hersiliæ optimum consilium intell[illegible].

[r] *Dant*] Atque a[illegible]ò fœdus percutiunt.

[s] *Laudatas*] Ob pietatem, & egregium consilium.

Inde diem, quæ prima, [t] meas celebrare Kalendas
[u] Oebalides matres non leve munus habent.
An, quia committi strictis mucronibus ausæ
Finierant lacrymis Martia bella suis?
[x] Vel quod erat de me feliciter Ilia mater;
Ritè colunt matres sacra, diémque meum.
[y] Quid quòd hyems adoperta gelu nunc denique [z] cedit,
Et pereunt [a] victæ Sole tepente nives.
Arboribus redeunt detonsæ frigore frondes;
Vividáque è tenero palmite [b] gemma tumet.
Quæque diu latuit, nunc, se qua tollat in auras,
Fertilis occultas invenit herba vias.
Nunc fœcundus ager: pecoris nunc hora creandi:
Nunc avis in ramo [c] tecta laréinque parat.
[d] Tempora jure colunt Latiæ fœcunda parentes:
Quarum [e] militiam votáque partus habet.
[f] Adde, quòd excubias Regi Romanus agebat;
Quà nunc [g] Esquilias nomina collis habet.
Illic à nuribus Junoni templa Latinis
[h] Hâc sunt, si memini, [i] publica facta die.

INTERPRETATIO.

Inde matronæ Oebalides non ducunt parvum officium celebrare meas Calendas, & diem quæ est prima. An, quia non veritæ exponi nudatis gladiis extinxerant Martia bella suis lacrymis? Vel quia Ilia erat feliciter mater de me, matronæ ritè celebrant festa & diem meum. Quid quòd hiems tecta glacie nunc denique laxatur, & nives liquefactæ Sole tepido diffluunt. Folia sublata frigore renascuntur arboribus; & oculus virens turget ex tenero palmite. Atque gramen fœcundum quod diu abditum fuit nunc invenit viam quà exsurgat in aerem. Nunc campus fertilis; nunc tempus pecoris gignendi: nunc ales adornat domum & larem in fronde. Matres Latinæ meritò celebrant tempora fertilia, quarum partus facit militiam & desideria. Adde quòd Romani agebant excubias Regi, quà mons habet nunc nomen Esquilias. Illic ædes publica posita Junoni à matronis Latinis hâc die, si recorder.

NOTÆ.

[t] *Meas*] Martis sacras.

[u] *Oebalides*] Sabinæ, à Laconibus ortæ, quibus ab Oebalo suo rege illud nomen.

[x] *Vel quod*] Ut *scilicet* & gratum animum testarentur, & tantâ felicitate quantâ Mars Iliam beaverat fruerentur, si Romulo similes viros eniterentur.

[y] *Quid*] Tertiam addit rationem cur Calendis Martiis Matronæ Gradivi festa colerent; quia nempe eo mense terra fœcunda, qualis & matrona fieri cupit.

[z] *Cedit*] Sole quippe redeunte.

[a] *Victæ*] *Liquefactæ.*

[b] *Gemma*] Oculos dicit turgescentes vitium.

[c] *Tecta Lar.*] Nidum sub frondibus.

[d] *Tempora*] Calendas Martias.

[e] *Militiam*] Desiderat mulier partum ut miles prælium.

[f] *Adde*] Quartam rationem subnectit Naso.

[g] *Esquilias*] Cùm Tito Tatio parùm fideret Romulus, in monte Esquilino excubias habuit; atque inde illi datum nomen volunt & Naso noster, & nonnulli alii: quanquam à quisquiliis, aliunde etiã etymologiam repetiverunt quibus illa non arrisit.

[h] *Hac* Calendis scil.

[i] *Publ. f.*] *Martias Calendas matronæ celebrant*, inquit Festus, *quòd eo die Junonis Lucinæ ædes coli cœpta sit.*

Quid

Quid moror, & variis onero tua pectora caussis?
Eminet ante oculos, quod petis, ecce tuos.
[k] Mater [l] amat nuptas: matris me turba frequentant;
Hæc nos præcipuè tam pia caussa [m] decet.
Ferte [n] Deæ flores: gaudet florentibus herbis
Hæc Dea; de tenero cingite flore caput.
Dicite, Tu lucem nobis, Lucina, dedisti.
Dicite, Tu voto parturientis ades.
Si qua tamen gravida est; resoluto crine precetur;
Ut [o] solvat partus molliter illa suos.
Quis mihi nunc dicat, quare [p] cælestia Martis
Arma [q] ferant [r] Salii, [s] Mamuriúmque canant?
[t] Nympha, mone, nemori stagnóque [u] operata Dianæ:
Nympha, Numæ conjux, ad [x] tua festa veni.
Vallis [y] Aricinæ silvâ præcinctus [z] opacâ
Est lacus, [a] antiquâ relligione sacer.

INTERPRETATIO.

Quamobrem cesso, & onero tuum animum diversis rationibus? Ecce quod postulas exstat pro oculis tuis. Mater diligit maritas; agmen matris me celebrant. Hæc caussa tam pia nos decet in primis. Offerte flores Deæ: hæc Dea lætatur herbis florentibus: redimite caput flore tenero. Dicite, Tu Lucina præbuisti nobis lucem. Dicite, Tu faves voto parturientis. Si qua tamen est gravis, oret comâ sparsâ, ut illa resolvat leniter suos partus.

Quis jam mihi aperiat, quamobrem Salii portent arma cœlestia Martis, & canant Mamurium? Nympha, operata nemori & stagno Dianæ, doce: Nympha uxor Numæ, accede ad tua festa. Est lacus sacer veteri religione circumdatus silvâ obscurâ vallis Aricinæ.

NOTÆ.

[k] *Mater*] Juno *scil.* Martis mater.

[l] *Amat*] Præest enim nuptiis & puerperiis.

[m] *Decet*] Ut grato animo in Junonem matrem filium quoq; ejus Martem colamus.

[n] *Deæ*] Junoni *scil.*

[o] *Solvat*] Atque adeò leniter & sine dolore mater onere levetur.

[p] *Cœlestia*] Scutum æneum dicit, quod cœlo missum in Urbis peste laborantis salutem ab Egeriâ suâ Numa tradidit.

[q] *Ferant*] Imò & pugionibus arma pulsabant eleganter saltantes.

[r] *Salii*] Eo nomine à saliendo dicti sunt Martis Sacerdotes.

[s] *Mamurium*] De eo sic Festus: *Mamurii Veturii nomen frequenter in cantibus Romani frequentabant hâc de causâ. Numâ regnante cœlo cecidisse fertur ancyle, id est, scutum breve, quod ideo sic appellatum est, quia ex utroque latere erat recisum, ut summum, infimumque ejus latius medio pateret, undique edita vox, omnium potentissimam fore civitatem, quandiu id in eâ mansisset. Itaque facta sunt ejus generis plura, quibus id misceretur, ne internosci cœleste posset. Probatum est opus maximè* Mamurii, *qui præmii loco petiit, ut suum nomen inter carmina Salii canerent.*

[t] *Nympha*] Egeriam dicit, de quâ superiùs.

[u] *Operata*] Operari est quandoque rem divinam facere, ut hoc loco.

[x] *Tua*] *Tuo consilio instituta.* Omnia enim quasi monitu deæ Egeriæ Numa faciebat, quò magìs barbari acciperent.

[y] *Aricinæ*] Erat in sinistrâ viæ parte quâ Ariciam descendebatur, quæ quidem Aricia ab Albâ 20 stadiis distabat.

[z] *Opacâ*] Nam lucus fuit, atque fanum in eo.

[a] *Antiquâ*] Illuc ex Tauricâ regione advectum Dianæ simulacrum in præcedentibus non semel vidimus.

Hîc latet [b] Hippolytus furiis direptus [c] equorum:
Unde [d] nemus nullis illud initur equis.
[e] Licia dependent longas velantia sepes,
Et posita est meritæ multa [f] tabella Deæ.
Sæpe potens voti frontem redimita coronis
Fœmina lucentes portat ab Urbe faces.
[g] Regna tenent fortésque manu pedibúsque [h] fugaces:
[i] Et perit exemplo postmodò quisque suo.
Defluit [k] incerto lapidosus murmure rivus:
Sæpe, sed [l] exiguis haustibus, inde bibes.
[m] Egeria est, quæ præbet aquas, Dea grata [n] Camœnis.
Illa Numæ conjux consiliúmque fuit.
Principio [o] nimiùm promtos ad bella Quirites
Molliri placuit jure, Deûmque metu.
Inde datæ leges; [p] ne firmior omnia posset:
Cœptáque sunt purè tradita sacra coli.

INTERPRETATIO.

Hippolytus laceratus furore equorum hic est abditus: quare illud nemus nullis equis tangitur. Licia dependent tegentia longas sepes, & multa tabella affixa est Deæ meritæ. Sæpe fœmina compos voti cinctam habens frontē sertis fert tædas splendentes ab Urbe. Qui manu strenui, & pedibus leves obtinent regna; & quisque occidit post paulò suo exemplo. Rivus saxosus decurrit murmure incerto: potabis ex eo sæpe, sed parvis haustibus. Egeria est quæ dat aquas, Dea accepta Musis. Illa fuit uxor & consilium Numæ. Initio placuit Romanos nimiùm paratos ad certamina leniri jure, & timore Deorum. Inde leges latæ, ne potentior posset omnia; & sacra indicta cœpta sunt celebrari purè.

NOTÆ.

[b] *Hippolytus*] De isto quoque Thesei filio ab equis territis discerpto jam plura diximus in superioribus.

[c] *Equorum*] Territos eos à Phocis Neptuni jussu subitò ex mari erumpentibus suprà etiam vidimus.

[d] *Nemus*] Aricinum.

[e] *Licia*] Quibus suspensa eorum dona, qui Deæ favore votorum compotes facti fuerant.

[f] *Tabella*] Votiva *scil.* in quâ inscriptum nomen ejus qui suspenderet, & caussa voti, seu beneficium acceptum.

[g] *Regna*] Sacerdotium: nam qui ibi Sacerdos *Rex Nemorensis* dictus.

[h] *Fugaces*] Fugitivum voluerunt fuisse Sacerdotem qui Nemorense regnum obtineret, ad memoriam & imaginem fugæ Orestis, qui occiso rege Thoante in regione Tauricâ, cum sorore Iphigeniâ fugit, & simulacrum inde sublatum haud longè ab Ariciâ collocavit.

[i] *Et perit*] Qui, inquit, cæde alterius Rex Nemorensis creatus est, cùm fortior occurrit adversarius privatur pariter & regno & sacerdotio.

[k] *Incerto*] Anne quia levis susurrus; vel quia varius? Neapolis *incertum* credit quia ubi sit ambigitur; atque Nasoni sermonem esse dicit de fontibus, quibus lacus, qui ibi est, impletur.

[l] *Exiguis*] Quia frigida.

[m] *Egéria*] Nympha de qua jam toties.

[n] *Camœnis*] *Musis.* Sed Livium audi: *Lucus erat quem medium ex opaco specu fons perenni rigabat aquâ. Quò quia se persæpe Numa sine arbitris, velut ad congressum deæ inferebat, Camœnis eum lucum sacravit, quòd dearum sibi consilia cum conjuge suâ Egeriâ essent.*

[o] *Nimiùm*] Namque veri latrones.

[p] *Ne firm.*] Ne omnia in potentioris & fortioris arbitrio essent.

Exuitur feritas, armísque [q] potentius æquum est;
Et cum cive pudet conseruisse manus.
Atque aliquis modo trux visâ jam [r] vertitur arâ;
Vináque dat tepidis [s] salsáque farra [t] focis.
[u] Ecce Deûm genitor [x] rutilas per nubila flammas
Spargit, & [y] effusis æthera siccat aquis.
Non alias missi cecidêre frequentiùs [z] ignes.
Rex pavet; & vulgi pectora terror habet.
Cui [a] Dea, Ne nimiùm terrere; piabile fulmen
Est, ait: & sævi flectitur ira Jovis.
Sed poterunt ritum [b] Picus Faunúsque piandi
Prodere, Romani numen uterque soli.
Nec sine vi tradent. adhibeto [c] vincula captis.
Atque ita, quâ possint, erudit, arte capi.
Lucus Aventino suberat niger ilicis umbrâ,
Quo [d] posses viso dicere, Numen inest.
In medio gramen, muscóque adoperta virenti
Manabat saxo vena perennis aquæ.
[e] Inde ferè soli Faunus Picúsque bibebant.
Huc venit, & Fonti rex Numa mactat ovem.

INTERPRETATIO.

Sævitia omittitur, & quod justum validius armis: & pudet concertasse cum cive. Atque aliquis nunc terribilis jam mutatur conspecto altari; atque effert merum & molam aris calidis. Ecce pater Deorum mittit ignes coruscos per nubes, & exsiccat cœlum aquis sparsis. Neu aliàs fulgura excussa ceciderunt crebriùs. Rex territus, & pavor invadit corda plebis. Cui Dea, Ne nimiùm expavescas, fulmen, inquit, est placabile; & ira infensi Jovis lenitur. Ast Picus & Faunus poterunt docere morem placandi; uterque est numen terra Romana. Neque docebunt sine vi: admoveto laqueos captis. Atque ità ostendit quo dolo possint capi. Lucus opacus umbrâ ilicis junctus erat Aventino, quo viso posses dicere, Deus ibi habitat. In medio herba, & vena aqua jugis tecta musco virenti fluebat per saxa. Faunus & Picus propemodùm soli potabant de eâ. Rex Numa huc venit, & immolat ovem Fonti.

NOTÆ.

[q] *Potentius*] Quia æquitati vires suas submiserunt.

[r] *Vertitur*] *Mutatur* ac *mitescit*. Sed ad morem fortè antiquum alludit: namque soliti in adorationis ritu corpus dextroversum circumagere. Hinc Plautus in Curculione Ph. *Quò me vertam nescio.* Pa. *Si deos salutas dextroversum censeo.*

[s] *Salsaque*] Molam ex sale & farre molito.

[t] *Focis*] Aris.

[u] *Ecce deûm*] Jam propiùs ad ancyliorum descendit enarrationem.

[x] *Rutilas*] Fulgura.

[y] *Effus.*] Atque adeò multos imbres sparsos intelligas.

[z] *Ignes*] Fulmina.

[a] *Dea*] Egeria *scil.*

[b] *Picus*] Rex Latinorum Saturni filius, Fauni pater, auguriorum peritissimus, à Circe in avem sui nominis mutatus.

[c] *Vincula*] Dormientibus vincula erant injicienda.

[d] *Posses*] Ex loci horrore & solitudine.

[e] *Inde*] Ex eâ aquâ.

Plenáque [f] odorati Dîs ponit pocula Bacchi,
Cumque suis antro [g] conditus ipse latet.
Ad solitos veniunt silvestria numina fontes:
Et relevant multo pectora sicca mero.
Vina [h] quies sequitur. gelido Numa prodit ab antro,
Vincláque sopitas addit in [i] arcta manus.
Somnus ut abscessit; tentando vincula pugnant
Rumpere: pugnantes fortiùs illa tenent.
Tum Numa, Dî nemorum, factis ignoscite nostris,
[k] Si scelus ingenio scitis abesse meo.
Quoque modo possit fulmen monstrate piari.
Sic Numa: sic quatiens [l] cornua Faunus ait:
Magna petis; nec quæ monitu tibi discere nostro
Fas sit. habent fines numina nostra suos.
Dî sumus agrestes, & qui dominemur in altis
Montibus. arbitrium est in sua [m] tela Jovi.
Hunc tu non poteris per te deducere cælo:
At poteris nostrâ forsitan usus ope.
Dixerat hæc Faunus: par est sententia Pici.
Deme tamen nobis vincula, Picus ait.
Jupiter huc veniet validâ deductus ab arte.
[n] Nubila promissi Styx mihi testis erit.
Emissi quid agant laqueis, quæ carmina dicant;
Quâque trahant superis sedibus arte Jovem;

INTERPRETATIO.

Atque apponit Diis pocula plena vini: & ipse se abdit cum suis tectus speluncâ. Dii silvestres accedunt ad solitos fontes, & reficiunt pectora arida multo vino. Somnus sequitur vinum. Numa egreditur frigidâ speluncâ, & immittit laqueos strictos manibus sopitis. Postquam sopor abiit, contendunt violare funes nitendo, illi coërcent acriùs contendentes. Tum Numa, Dii silvarum, inquit, date veniam factis nostris, si cognoscitis flagitium abesse ingenio meo. Atque docete quo ritu fulmen possit piari. Ità Numa: Faunus agitans cornua sic ait: Flagitas magna, nec quæ liceat tibi cognoscere dictis nostris: nostra numina habent suos terminos. Sumus dii silvestres, & qui habeamus potestatem in excelsis montibus: Jupiter habet jus in sua tela. Tu non poteris evocare illum cœlo per te; at fortè poteris usus auxilio nostro. Faunus dixerat hæc: eadem est sententia Pici. Cæterùm, inquit Picus, tolle nobis laqueos. Jupiter huc accedet evocatus potenti arte. Styx obscura erit mihi testis promissi. Nefas est homini cognoscere quid faciant levati vinculis, quæ carmina proferant, & quâ arte deducant Jovem domo ætherâ.

NOTÆ.

[f] *Odorati*] Adeòque optimi.
[g] *Conditus*] Ne Picum Faunumve à vini gustu absterrerent.
[h] *Quies*] Obdormiverunt.
[i] *Arcta*] Non vides hos nexus cum Arnobio?
[k] *Si*] Pro siquidem.
[l] *Cornua*] Cornutum scil. & capripedem hunc egregium deum, an dæmonem impurum, finxerunt.
[m] *Tela*] Fulmina.
[n] *Nubila*] Atra.

Scire nefas homini. nobis concessa canentur,
Quæque pio dici vatis ab ore licet.
Eliciunt cælo te, Jupiter. [o] unde [p] minores
Nunc quoque te celebrant, Eliciúmque vocant.
Constat Aventinæ tremuisse cacumina silvæ:
Terráque subsedit pondere pressa [q] Jovis.
Corda [r] micant [s] Regis: totóque è pectore sanguis
Fugit; & hirsutæ diriguêre comæ.
Ut rediit animus, Da certa [t] piamina, dixit,
Fulminis, altorum Rexque Patérque Deûm,
[u] Si tua contigimus manibus [x] donaria puris:
Hoc quoque, quod petitur, si pia lingua rogat.
Annuit oranti: sed verum [y] ambage remotâ
Abdidit, & dubio terruit ore virum.
[z] Cæde caput, dixit. [a] cui Rex, Parebimus, inquit;
Cædenda est hortis eruta cepa meis.
Addidit [b] hic, Hominis: summos, ait [d] ille, capillos.
Postulat [e] hic animam: cui Numa, [f] Piscis, ait.
Risit: &, His, inquit, facito mea tela [g] procures,
O vir colloquio non abigende meo.

INTERPRETATIO.

Licita dicentur à nobis, & quæ possunt palam fieri ab ore pie poëta. Jupiter eliciunt te cœlo; unde minores colunt te atque appellant Elicium. Certum est vertices nemoris Aventini tremuisse; atque tellus onusta pondere Jovis subsedit. Cor Regis trepidat, & sanguis fugit ex toto pectore, & hispidi capilli exhorruerunt. Postquam mens rediit, Doce, inquit, certa piamina fulminis, Rex & Genitor sublimium Deorum. Si admovimus manus puras tuis aris; si etiam pia lingua erat hoc quod petitur. Assentitur roganti: verùm ambage omissâ texit veritatem, & incussit metum viro ore ambiguo. Cæde caput, inquit; cui Rex dixit, Obsequemur: Cepa eruta meis hortis est cædenda. Hic adjecit, Hominis; ille refert, extremos crines. Hic poscit animam; cui Numa dicit, Piscis. Risit: atque, His, ait fac pios mea fulmina, ô vir non arcende à colloquio meo.

NOTÆ.

[o] *Unde*] Ex eo quòd cœlo Jovem eliciunt. Illi verò ad elicienda consilia aram in Aventino dicasse Numam testatur Livius.

[p] *Minores*] *Posteri*.

[q] *Jovis*] Qui descendit *scil.* arte deductus Fauni.

[r] *Micant*] *Tremunt*, tanti numinis horrore *scil.*

[s] *Regis*] Numæ.

[t] *Piamina*] *Quibus te possim placare sacrificia edoce, ne mittas fulmina, & fulgurita procurentur.*

[u] *Si*] Pro *siquidem*, ut suprà.

[x] *Donaria*] *Altaria*, seu *aras*, in quibus dona ponuntur.

[y] *Ambage*] Breviter & sine circuitione verborum verum Jupiter aperuit; sed obscuritas fuit in ipso oraculo. Nihil moratus ille quin loqueretur, & quæ ad rem essent proferret: verùm quod dixit dubium sensum habuit, uti quidem Numæ visum.

[z] *Cæde*] *Incide*.

[a] *Cui*] Jovi *scil.* respondit Numa.

[b] *Hic*] Jupiter *scil.*

[c] *Hominis*] Caput *scil.* cædes.

[d] *Ille*] Numa.

[e] *Hic*] Jupiter.

[f] *Piscis*] Mænæ pisciculi potiùs quàm aliûs capite procurari & piari fulgurita quamobrem crediderint planè non scio.

[g] *Procures*] Cepâ, capillis, & pisce, cæsis expies.

Sed tibi, [h] protulerit cùm totum crastinus orbem
[i] Cynthius, imperii pignora certa dabo.
Dixit, & ingenti tonitru super æthera motum
Fertur, adorantem destituítque Numam.
Ille redit lætus, memorátque Quiritibus acta,
[k] Tarda venit dictis difficilísque fides.
At certè credemur, ait, [l] si verba sequatur
Exitus. en, audi crastina, quisquis ades.
Protulerit terris cùm totum Cynthius orbem,
Jupiter imperii pignora certa dabit.
Discedunt dubii, promissáque [m] tarda videntur;
Dependérque fides à veniente die.
Mollis erat tellus rotatâ mane pruinâ;
Ante sui populus limina Regis adest.
Prodit, & in solio medius consedit acerno.
Innumeri circa stantque siléntque viri.
Ortus erat [n] summo tantummodò margine Phœbus:
Sollicitæ mentes speque metúque pavent.
Constitit, atque caput [o] niveo velatus amictu
Jam bene Dîs [p] notas sustulit ille manus.
Atque ita, Tempus adest promissi muneris, inquit.
Pollicitam dictis, Jupiter, adde fidem.
Dum loquitur, totum jam Sol [q] emerserat orbem:
Et [r] gravis æthereo venit ab [s] axe fragor.

INTERPRETATIO.

Verùm, cùm Cynthius crastinus patefecerit tibi totum orbem, dabo firma pignora imperii. Dixit, & perhibens latum super ætherem magno fragore; atque reliquit Numam adorantem. Ille revertitur gaudens, & refert acta Romanis. Fides lenta & difficilis adhibetur dictis. At certè, inquit, fides adhibebitur, si eventus sequatur voces. Ecce audi die crastinâ quisquis ades. Cum Cynthius patefecerit totum cœlum terris, Jupiter præbebit indubitata pignora imperii. Abeunt incerti, & promissa videntur lenta, atque fides dependet à die futuro. Terra erat tenera pruinâ manè sparsâ; Plebs stat antè ostia sui Regis. Exit, & medius sedit in solio acerno. Viri innumeri sunt circumfusi & tacent. Phœbus prodierat tantùm extremâ orâ; animi anxii tremunt spe & metu. Constitit, & habens caput tectum albâ tiarâ ille sustulit manus jam bene notas Diis: atque sic ait, Tempus adest doni promissi, Jupiter fac fidem verbis. Dum loquitur jam Sol exeruerat totum orbem, & ingens tonitru factum est à polo æthereo.

NOTÆ.

[h] *Protuleris*] *Ostenderit. Patefecerit.*
[i] *Cynthius*] Phœbus, à Cyntho Deli monte.
[k] *Tarda*] Quia res incredibilis.
[l] *Si verba*] *Si verba eventu comprobentur.*
[m] *Tarda*] Quia in crastinum diem dilata: namque impatientes quæ magna sunt expectamus.
[n] *Summo*] *Extremo.* Nondum totus ortus Sol erat.
[o] *Niveo*] *Tiarâ*, quæ per malas veniens mento subligatur; uti quidem veteres Glossæ Juvenalis.
[p] *Notas*] Quia religiosus Numa fuit & pius.
[q] *Emerserat*] Extulerat se totum.
[r] *Gravis*] *Tonitru ingens.*
[s] *Axe*] *Cœlo.*

Ter tonuit [t] sine nube Deus, tria fulgura misit.
Credite dicenti ; mira, sed acta, loquor.
A mediâ cœlum regione [u] dehiscere cœpit :
[x] Submisêre oculos cum duce turba suos.
Ecce levi scutum [y] versatum leniter aurâ
Decidit. à populo clamor ad astra venit.
Tollit humo [z] munus cæsâ prius [a] ille juvencâ,
Quæ dederat nulli colla premenda jugo.
Idque [b] ancile vocat ; quod ab omni parte recisum est :
Quaque notes oculis, angulus omnis abest.
Tum, [c] memor imperii [d] sortem consistere in illo,
Consilium multæ calliditatis init.
[e] Plura jubet fieri simili cælata figurâ ;
Error ut ante oculos [f] insidiantis eat.
Mamurius [g] morum fabræne exactior artis,
Difficile est, illud, dicere, clausit opus.
Cui Numa munificus, Facti pete præmia, dixit :
[h] Si mea nota fides ; irrita nulla petes.
Jam dederat Saliis (à saltu nomina ducunt)
Armáque, & [i] ad certos verba canenda modos.

INTERPRETATIO.

Deus ter tonuit sine nube, misit tria fulgura. Fidē adhibete loquenti : dico mira sed facta. Cœlum cœpit discedere seu dividi à mediâ regione : agmen cum Rege demiserunt suos oculos. Ecce clypeus delapsus leniter versatus tenui vento : clamor sublatus ad sydera à plebe. Ille levat donum de terrâ bove priùs mactatâ, quæ nulli jugo præbuerat cervicem urendam. Atque illud vocat ancile, quia est recisum ab omni latere ; & quà lustres oculis, omnis angulus abest. Tum, recordans fata imperii stare in illo, capit consilium multæ astutiæ. Imperat parari plura cælata simili formâ ; ut error obversetur oculis insidiantis. Mamurius absolvit illud opus, qui moribus an artis fabræ dexteritate melior fuerit, difficile est dicere. Cui Numa liberalis ait, Posce mercedem operæ. Si fides mea perspecta, nihil frustrà petiveris. Jam dederat Saliis (habent nomina à saltu) & arma, & verba cantanda ad certos modos.

NOTÆ.

[t] *Sine nube*] *Cœlo sereno* ; ut hinc Deum adesse intelligeretur.

[u] *Dehiscere*] Divisum est cœlum.

[x] *Submisêre*] Reverentiæ causâ.

[y] *Versatum leniter*] Ne si majori impetu rueret, aut frangeretur, aut quempiam læderet.

[z] *Munus*] Scutum *scilicet* cœlo delapsum.

[a] *Ille*] Numa.

[b] *Ancile*] Ab ancisu quoque deduxit Varro, quòd ea arma ab utrâque parte, ut peltæ Thracum incisa.

[c] *Memor*] Ex Jovis monitu ; de quo suprà.

[d] *Sortē*] Imperij fata. Dixerat enim Jupiter,
imperii pignera certa dabo.

[e] *Plura*] Ut inter omnia, undecim quæ magis ad cœlestis formam accederent, retinerentur.

[f] *Insidiantis*] Quisquis denique ea imperii pignora, seu ancyle delapsum cœlo, surripere conaretur.

[g] *Morum*] Incertum, inquit, morum probitate an artis peritiâ præstantior fuerit Mamurius, qui ancilia cælavit.

[h] *Si mea*] S[illegible]

[i] *Ad certos*] Non has nugas modò, sed & habitum Saliorum apud Dionys. & Plutarchum invenies.

Tum sic Mamurius, Merces mihi gloria detur,
Nomináque extremo carmine nostra sonent.
Inde sacerdotes operi promissa vetusto
Præmia persolvunt, Mamuriúmque vocant.
Nubere siqua voles, quamvis properabitis ambo,
[k] Differ: habent parvæ commoda magna moræ.
Arma movent pugnam, pugna est aliena maritis.
Condita cum fuerint, aptius omen erit.
His etiam conjux [l] apicati [m] cincta [n] Dialis
Lucibus impexas [o] debet habere comas.
[p] TErtia nox emersa suos ubi moverit [q] ignes;
[r] Conditus è [s] geminis Piscibus alter erit.
Nam duo sunt: [t] Austris hic est, [u] Aquilonibus ille
Proximus. [x] à vento nomen uterque tenet.
CUm [y] croceis [z] rorare genis [a] Tithonia conjux
Cœperit, & quintæ tempora lucis aget;
Sive est [b] Arctophylax, sive est [c] piger ille [d] Bootes;
[e] Mergetur, visus effugiétque tuos.

INTERPRETATIO.

Tum ità Mamurius, Laus detur in præmiū; atque nomina nostra audiantur in ultimo carmine. Hinc sacerdotes persolvunt mercedem promissam operi antiquo, & citant Mamurium. Si qua cupies nubere, quamvis uterque festinabitis, cunctator, levis cunctatio habet amplum præmium. Arma cient certamen, certamen non est aptum maritis. Postquam fuerint reposita, omen erit magis idoneum. His quoque diebus uxor cincta Dialis apicati debet habere crines impexos.

POstquam nox tertia orta moverit suas stellas; alter ex geminis Piscibus erit depressus. Nam duo sunt: hic est propior Notis, ille Aquilonibus: uterque habet nomen à vento.

CUm uxor Tithonia cœperit rorare genis croceis, atque excitabit tempora quinta diei, sive est Arctophylax, sive ille est Bootes, condetur, atque subducetur oculis tuis.

NOTÆ.

[k] *Differ*] In tempus aliquod profer.

[l] *Apicati*] *Apice tecti*: *apex* enim, qui propriè virga fuit lanata, (hoc est in cujus extremitate modica lana) in summo flaminis pileo, synecdochicè pro ipso sæpe sumitur.

[m] *Cincta*] *Flaminica veste velata*. Festus.

[n] *Dialis*] Sacerdotis Jovis.

[o] *Debet*] Ut etiam per dies 14 mense Junio, donec stercus ex æde Vestæ delatum, ut videbimus in sexto Fast.

[p] *Tertia*] De mense Martio; quinto adeòque Nonas.

[q] *Ignes*] *Stellas*.

[r] *Conditus*] Occasu Acronico mersus fuerit.

[s] *Geminis*] Qui quidem sidus in Zodiaco constituunt: namque hîc virum magnum deceptum fuisse non dubito.

[t] *Austris*] Alter ex geminis, qui sunt in Zodiaco, magis ad Austrum spectat.

[u] *Aquilonibus*] Alter magis in Septemtrionem versus.

[x] *A vento*] Notius enim alter; alter Boreus appellatur

[y] *Croceis*] Quia manè crocei coloris cœlum apparet sæpius.

[z] *Rorare*] *Rorem effundere*. Matutino quippe tempore ros decidit.

[a] *Tithonia*] Aurora Tithoni conjux.

[b] *Arctophylax*] *Custos Ursæ*, qui & *Boota* dicitur.

[c] *Piger*] Quia hujus occasus quatuor Zodiaci signorum tempus absumit, ut docet Hygin.

[d] *Bootes*] *Rector boüm*, qui plaustrum regere videtur. Utroque enim nomine idem sidus & Ursa & Plaustrum dicitur.

[e] *Mergetur*] *Occidet*, atque id quidem Cosmicè, descendente eo infra horizontem occidentalem quo tempore Sol ascendit supra orientalem.

At

At non effugiet [f] Vindemitor. hoc quoque caussam
Unde trahat sidus parva referre mora est.
Ampelon intonsum Satyro Nymphâque creatum
Fertur in [g] Ismariis Bacchus amasse jugis.
[h] [Tradidit huic vitem pendentem frondibus [i] ulmi ;
Quæ nunc de pueri nomine [k] nomen habet.]
Dum legit in [l] ramo [m] pictas temerarius uvas,
Decidit: amissum Liber in astra vehit.
SExtus ubi [n] Oceano clivosum scandit [o] Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpit equis;
Quisquis ades, [p] canæque colis penetralia Vestæ;
[q] Gratare, [r] Iliacis thuráque pone focis.
Cæsaris [s] innumeris, [t] quem maluit ille mereri,
Accessit titulis [u] Pontificalis honos.
[x] Ignibus æternis [y] æterni numina [z] præsunt
Cæsaris. imperii [a] pignora juncta vides.

INTERPRETATIO.

At non subducetur Vindemitor. Breve est etiam tempus narrare unde hoc signum ortum sit. Bacchus dicitur dilexisse in montibus Ismariis Ampelon intonsum ortum Satyro & Nymphâ. Dedit huic vitem alligatam ramis ulmi, quæ vitis nunc habet nomen de nomine pueri. Dum imprudens colligit uvas versicolores in ramo decidit; Liber transtulit extinctum ad sidera.

CUm sextus Phœbus petit cœlum arduum ab Oceano, & scanditætherem equis alatis, quisquis ades, & frequentas adyta antiquæ Vestæ, gratulare, & admove thura aris Iliacis! Honos Pontificalis, quem Cæsar maluit mereri, additus est laudibus ejus innumeris. Numina æterni Cæsaris præsunt Ignibus æternis: aspicis pignora imperii conjuncta.

NOTÆ.

[f] *Vindemitor*] Stella est quæ *Trygeter* vel *Protrygeter* Græcis dicitur, in dextrâ Virginis alâ, quæ nostro acronicè; Non. Martias oritur, Columellæ sexto; Plinio octavo Idus. Vindemitor ideo dicitur, quod manè seu cosmicè exoriens septimo vel undecimo Cal. Septembres, ut diversis placet auctoribus, vindemiæ maturitatem promittat.

[g] *Ismariis*] Ismari Thraciæ montis.

[h] *Tradit*] Distichon adulterinum esse hoc non sine caussâ credidit cl. Heins.

[i] *Ulmi*] Ulmis junguntur vites à quibus sustineantur.

[k] *Nomen*] Ἄμπελος enim Græcè dicitur.

[l] *Ramo*] Ulmi *scil.* In ulmo ramosâ.

[m] *Pictas*] Rubro colore distinctas.

[n] *Oceano*] Ex quo prodire Sol videtur exoriens.

[o] *Olympum*] Cœlum.

[p] *Canæ*] *Antiquæ.*

[q] *Gratare*] Gratulare & Vestæ, & Augusto maximo Pontifici.

[r] *Iliacis*] Ilio ab Æneâ advectos æternos Vestæ ignes jam sæpe dictum.

[s] *Innumeris*] Quibus enim titulis atque honoribus Augustum prosequerentur certamen fuit inter Patres.

[t] *Quem mal.*] Honorem Pontificalem *scil.* ut diis gratus sanctúsque videretur.

[u] *Pontificalis*] Die sexto Martii, in Lepidi defuncti locum subrogatus fuit Augustus, & Pontifex max. creatus, anno ab Urbe cond. 740, vel 741, ut aliis placet.

[x] *Ignibus*] Vestæ focis inexstinctis, ut ad similitudinem siderum cœlestium, custos imperii flamma vigilaret.

[y] *Æterni*] Quia in deos relatus.

[z] *Præsunt*] Judex enim atque arbiter fuit rerum divinarum atque humanarum Pontifex maximus; qui Vestalibus etiam verbera aliásque pœnas, si quid deliquissent, pro jure suo infligebat.

[a] *Pignora*] Ignes dicit Vestales, & Pontificem Augustum; atque hunc per summam adulationem.

[b] De veteris Trojæ dignissima [c] præda favillâ,
Quâ gravis Æneas [d] tutus ab hoste fuit;
[e] Ortus ab Æneâ tangit cognata sacerdos
Numina; [f] cognatum, Vesta, tuere caput.
Quos sanctâ [g] fovet ille manu, [h] bene vivitis ignes.
Vivite inexstincti flammáque [i] Duxque precor.

UNa [k] nota est [l] Marti: Nonis sacrata quòd illis
Templa putant lucos [m] Vejovis ante [n] duos.
Romulus ut saxo lucum circumdedit alto,
Cuilibet, Huc, inquit, confuge; tutus eris;
O quàm de tenui Romanus origine crevit!
Turba vetus quàm non [o] invidiosa fuit!
Ne tamen ignaro novitas tibi nominis obstet;
Disce quis iste Deus, curve vocetur ita.
Jupiter est juvenis: juveniles adspice vultus.
Adspice deinde manum: fulmina nulla tenet.
Fulmina, post ausos cælum affectare Gigantas,
Sumta Jovi; primo tempore [p] inermis erat.

INTERPRETATIO.

Præda dignissima de cineribus antiqua Troiæ, quâ Æneas onustus securus fuit ab hoste; sacerdos natus ex Æneâ junctus est tuo numini: Vesta serva caput consanguineum. Ignes, quos ille fovet sanctâ manu, bene vivitis. Vivite, oro, inextincti, & flamma & Imperator.

UNum est signum Marti, quia credunt ædem Vejovis dicatam illis Nonis ante duos lucos. Postquam Romulus cinxit lucum excelsis muris, dixit cuilibet, Huc confuge, eris securus. O quàm de parvo initio Romanus auctus est! Quàm antiquus populus non fuit invidiosus! Ne tamen novitas nominis moretur te nescium, accipe quis iste Deus, & quamobrem sic appelletur. Jupiter est juvenis: cerne faciem juvenilem. Intuere præterea manum; nulla tractat fulmina. Tela accepta à Jove, postquam Gigantes aggressi ascendere in cœlum: & primo tempore erat inermis.

NOTÆ.

[b] *De vet.*] Vestam, ut vides, alloquitur.

[c] *Præda*] Æneæ *scil.* qui Deos Penates tanquam prædam è mediis hostibus sustulit.

[d] *Tutus*] Illi enim tela & hostes fecêre locum, cùm Diis atque Parente onustus Troiâ excessit.

[e] *Ortus ab Æneâ*] Quia Augustus Julii filius per adoptionem, Julia verò gens ad Ænean per Iulum seu Ascanium natales suos referebat.

[f] *Cognatum*] Quia à Venere gens Julia gens deûm.

[g] *Fovet*] Quippe max. Pontifex.

[h] *Bene*] Inexstincti Augusti curâ.

[i] *Dux*] Imperator. Augustus.

[k] *Nota*] *Inscriptio in Fastis.* Pridie Nonas factus Augustus Pontifex max. Nonis ipsis templum Vejovis dedicatum.

[l] *Marti*] Pro *Martio*, qui Marti sacer mensis.

[m] *Vejovis*] Id est *parvi Iovis*, ut Naso est interpretatus; vel Jovis qui detractâ juvandi facultate, vim habet nocendi, ut voluit Agellius. Namque, ut idem docet *Ve* particula ut augendæ, sic etiam minuendæ rei valet: solebantque etiam antiqui quosdam deos ne obessent placare.

[n] *Duos*] Locum septum densis sentibus inter duos lucos docet quoque Livius Asylo fuisse. Ædicula Vejovis in octavâ assignatur Urbis regione inter Arcem & Capitolium.

[o] *Invidiosa*] Summa quippe petit Livor.

[p] *Inermis*] Sagittas tamen, atque eas ad nocendum paratas habuisse in manu testatur Agellius.

Ignibus [q] Ossa [r] novis, & Pelion altius Ossâ
  Arsit; & in solidâ fixus Olympus humo.
Stat quoque [s] capra simul: Nymphæ pavisse feruntur
  [t] Cretides. infanti lac dedit illa Jovi.
Nunc vocor ad nomen. vegrandia farra colonæ,
  Quæ malè creverunt, [u] vescáque parva vocant.
Vis [x] ea si verbi est; cur non ego Vejovis ædem,
  Ædem non magni suspicer esse Jovis?
Jamque, [y] ubi cæruleum vallabunt sidera cælum,
  Suspice: [z] Gorgonei colla videbis equi.
[a] Creditur hic cæsæ gravidâ cervice Medusæ
  Sanguine respersis prosiluisse jubis.
Huic supra nubes & subter sidera lapso
  Cælum pro terrâ, pro pede [b] penna fuit.
Jamque indignanti nova fræna receperat ore,
  Cùm [c] levis [d] Aonias ungula fodit aquas.
Nunc fruitur cælo, quod pennis ante petebat:
  Et nitidus stellis [e] quinque decémque micat.

INTERPRETATIO.

Ossa, & Pelion sublimiùs Ossâ, atque Olympus fixus in terrâ solidâ flagravit. Est etiam juncta capra: Nymphæ Cretenses creduntur eum aluisse: illa præbuit lac Jovi puero: Jam transeo ad nomen. Coloni dicunt vegrandia farra quæ non bene aucta sunt, atque vesca quæ tenuia. Si ea est vocis significatio, cur ego non conjiciam templum Vejovis esse templum parvi Jovis? Jamque ubi astra cingent cœlum cæruleum, tolle oculos, aspicies colla equi Gorgonei. Hic dicitur prodiisse ex cervice gravidâ Medusæ interfectæ, jubis infectis sanguine. Cœlum fuit pro terrâ, & penna pro pede huic currenti supra nubes, & sub stellas. Jamque receperat fræna ore repugnante, cùm levis ungula aperuit aquas Aonias. Nunc gaudet cœlo, in quod priùs contendebat alis, & splendidus fulget quindecim stellis.

NOTÆ.

[q] *Ossa*] De istis Thessaliæ montibus tædet toties verba facere.

[r] *Novis*] Quos tunc Jupiter adversus ausos cœlum affectare Gigantes primùm misit.

[s] *Capra*] Juxta Vejovis simulacrum capræ fuit figmentum, ut loquitur Agell. quæ videlicet Jovem aliquando parvum fuisse, & Amaltheæ capræ lacte nutritum significaret.

[t] *Cretides*] Cretenses: de quibus in 5.

[u] *Vesca*] Quæ parva, imbecilla, & exsucca, *Vesca* dicuntur.

[x] *Ea*] Ut minuat.

[y] *Ubi cærul.*] *Ubi nox aderit.*

[z] *Gorgonei*] Pegasi alati equi, ex Medusæ Gorgonis sanguine orti; qui quidem in sidera relatus Nonis Martiis oritur heliacè.

[a] *Creditur*] Bene *creditur*: namque idem est propè ac si dicas *fabulosum est*. Fuit verò Pegasus navis nomen, quâ vectus Bellerophon.

[b] *Penna*] Quia alatus.

[c] *Levis*] Utpote alati.

[d] *Aonias*) *Bæotias*: Montana enim ejus regionis pars *Aonia* dicitur, in quâ mons Helicon, Musis sacer, ubi fons Hippocrene seu Caballinus, quem pedis pulsu Pegasus equus aperuit.

[e] *Quinque dec.*) Plures habet Hyginus, quem vide.

Protinus adspicies [f] venienti nocte Coronam
[g] Gnossida. Theseo crimine facta [h] Dea est.
Jam [i] bene perjuro mutarat conjuge Bacchum,
Quæ dedit ingrato [k] fila legenda viro.
Sorte tori [l] gaudens, Quid [m] flebam rustica, dixit?
[n] Utiliter nobis perfidus ille fuit.
[o] Interea Liber depexos crinibus Indos
Vincit, & [p] Eoo dives ab orbe venit.
Inter captivas facie præstante puellas
Grata nimis Baccho filia Regis erat.
Flebat amans conjux, spatiatáque littore curvo
Edidit incultis talia verba comis:
En iterum [q] similes, fluctus, audite querelas:
En iterum lacrymas accipe, arena, meas.
Dicebam, memini, perjure & perfide Theseu.
Ille abiit: [r] eadem crimina Bacchus habet.
[s] Nunc quoque nulla viro, clamabo, fœmina credat.
Nomine mutato caussa relata mea est.
O utinam mea sors, quâ [t] primùm cœperat, isset!
Jamque ego præsenti tempore nulla forem!

Interpretatio.

Continuò videbis Coronā Gnossiam nocte sequente. facta est Dea crimine Thesei. Jam quæ tradidit fila revolvenda viro ingrato feliciter mutaverat Bacchum marito perjuro. Læta sorte lecti, quamobrem lacrymabar inepta, inquit? Ille fuit nobis perjurus cum fructu. Interea Liber subigit Indos depexos crinibus, & redit opulentus ab orbe Eoo. Filia Regis egregiâ formâ erat nimis grata Baccho inter puellas captivas. Uxor amans atque ambulans in sinuoso littore, protulit hujusmodi voces capillis sparsis: En unda, accipite denuo similes questus: ex arena excipe denuo meas lacrymas. Dicebam, recordor, perjure & perfide Theseu. Ille excessit: Bacchus habet eadem crimina. Nunc etiam vociferabor, Nulla fœmina confidat viro. Caussa mea est repetita nomine mutato. O utinam mea sors cucurrisset quà primùm instituerat! Jamque ego nulla essem tempore præsenti!

Notæ.

[f] *Venienti*) Octavo adeòque Idus.

[g] *Gnossida*) Ab Ariadne, Gnoso, Cretæ urbe oriundâ, Minois filiâ nomen habuit hæc Corona, quam à Libero patre, vel à Venere, ut quibusdam, nostro etiam placet, dono acceperat.

[h] *Dea*) Ariadne ipsa facta est Dea Thesei crimine: quam Liberam Bacchus appellavit. Prolixè habes in Epistolis Heroïdibus totam propè ejus historiam.

[i] *Bene*) Quia pro homine perfido, fidelem Deum, Bacchum *scil.* invenerat.

[k] *Fila*) Quorum beneficio ex Labyrintho sese extricavit.

[l] *Gaudens*) Postquam Baccho melioribus avibus juncta fuit.

[m] *Flebam*) Vide in ejus epistolâ in Heroïdibus.

[n] *Utiliter*) Quia ex Thesei perfidiâ nacta est Bacchum, cui nupsit.

[o] *Interea*) Dum gaudet Ariadne Baccho conjuge.

[p] *Eoo*] Scilicet ad Solem & partes Orientis porrecti sunt Indi, quos Bacchus vicerat.

[q] *Similes*] Quales priùs audistis, cùm à Theseo fui relicta.

[r] *Eadem*] Fidei violatæ *scil.*

[s] *Nunc quoque*] Ex nuptiis Catullianis, Pelei & Thetidos.

[t] *Primùm*] Cùm me Theseus prodidit.

Quid me desertis perituram, Liber, [u] arenis
Servabas? potui dedoluisse semel.
Bacche levis, leviórque tuis, quæ tempora cingunt,
[x] Frondibus; in lacrymas, cognite Bacche, meas;
Ausus es ante oculos adductâ pellice nostros
[y] Tam bene compositum sollicitare torum?
Heu! ubi pacta fides? ubi, quæ jurare solebas?
Me miseram, quoties hæc ego verba loquor!
[z] Thesea culpabas, fallacémque ipse vocabas:
Judicio peccas [a] turpiùs ipse tuo.
Ne sciat [b] hoc quisquam, tacitísque doloribus urar;
Ne toties falli digna fuisse puter.
Præcipuè cupiam celari Thesea; ne te
Consortem culpæ gaudeat esse suæ.
At, [c] puto præposita est fuscæ mihi candida pellex.
Eveniat nostris hostibus [d] ille color.
Quid tamen hoc refert, [e] vitio si gratior ipso est?
Quid facis? amplexus inquinat illa tuos.
Bacche, fidem præsta, nec præfer amoribus ullam
Conjugis assuetæ semper amare virum.
Ceperunt [f] matrem formosi [g] cornua tauri;
Me [h] tua: at hic laudi est, [i] ille pudendus amor.

INTERPRETATIO.

Cur, Liber, servabas me morituram in Solis arenis? potui semel dedoluisse. Bacche levis, atque levior foliis tuis, quæ redimiunt tempora, Bacche cognite in meos fletus; Non veritus es turbare lectum tam bene compositum, pellice advectâ ante oculos nostros? Heu! ubi fides promissa? ubi quæ consueveras jurare? Me infelicem, quoties ego fundo has voces! Incusabas Theseum, & ipse appellabas deceptorem: ipse peccas turpius judicio tuo. Nullus istud intelligat, atque percellar secretis doloribus, ne credar fuisse merita toties decipi. Vovebam præsertim latere Theseum; ne lætetur te esse socium peccati sui. At, credo, pellex nivea antepposita est mihi nigræ. Ille color eveniat nostris hostibus. Quid tamen istud interest, si magis places ipso vitio? Quid agis? illa inficit tuos amplexus. Bacche, præsta fidem; neque antepone ullam amoribus uxoris solita semper amare maritum. Cornua pulcri tauri placuerunt matri meæ, tua mihi: at hic amor est honori, ille fuit erubescendus.

NOTÆ.

[u] *Arenis*] Diæ insulæ, ubi relicta à Theseo.

[x] *Frondibus*] Pampinis *scil.* quibus coronatur Bacchus.

[y] *Tam bene*] Jugali jure & amore, ut videbatur, reciproco, tam pulcrè munitum.

[z] *Thesea*] Qui me in Diâ insulâ destituerat.

[a] *Turpiùs*] Alios quippe qui damnat, legem figit sibi.

[b] *Hoc*] Me à Baccho deceptam, quam sciunt omnes a Theseo fuisse.

[c] *Puto*] Ironicè loquitur: nam qui à sole veniunt fusco sunt colore.

[d] *Ille*] Qualis est pellicis.

[e] *Vitio*] Colore fusco.

[f] *Matrem*] Pasiphaen, quæ Tauri amore capta; ut dictum jam sæpe.

[g] *Cornua*] Pro Tauro. Synecdoche est.

[h] *Tua*] Baccho cornua affinxerunt imperiti ex lumine quo splendebat Mosis facies à congressu Dei, vocis Hebrææ ambiguitate decepti. Mosen namque in Bacchum etiam deformasse Ethnicos nihil est certius; ut multis asserit in Demonstrat. suâ Evang. nobiliss. Huetius.

[i] *Ille*] Pasiphaes intelligo in taurum. Ne dubites.

Ne noceat quod amo : [k] neque enim tibi, Bacche, [l] nocebat ;
Quòd flammas nobis fassus es ipse tuas.
Nec, quòd nos [m] uris, mirum facis. ortus [n] in igne
Diceris, & patriâ raptus ab igne manu.
Illa ego sum, cui tu solitus promittere cælum.
Hei mihi, pro cælo [o] qualia dona fero !
Dixerat : audibat jamdudum verba querentis
Liber, ut à tergo fortè [p] secutus erat.
Occupat amplexu, lacrymásque per oscula siccat :
Et, Pariter cæli summa petamus, ait.
Tu mihi juncta toro, mihi [q] juncta vocabula sume:
Jam tibi mutatæ Libera nomen erit.
Sintque tuæ tecum faciam monumenta coronæ ;
Vulcanus Veneri quam dedit, illa tibi.
Dicta facit : [r] gemmásque novem transformat in [s] ignes.
Aurea per stellas nunc micat illa novem.
[t] SEx ubi sustulerit, totidem demerserit [u] orbes,
[x] Purpureum rapido [y] qui vehit [z] axe diem ;

INTERPRETATIO.

Ne noceat quod amo : neque enim , Bacche, nocebat tibi , quod ipse agnovisti amores tuos. Neque mirum facis, quòd nos incendis. Crederis natus in igne, & sublatus ex flammis manu patriâ. Ego illa sum, cui tu solitus polliceri cœlum. Hei mihi, qualia munera habeo pro cœlo! Absolverat : Liber jam diu audiebat voces dolentis , ut fortè sequutus erat à tergo. Repentè amplectitur, & siccat lacrymas per oscula ; &, Simul, inquit, ascendamus in cœlum. Tu mihi juncta lecto, obtine nomina mihi cognata : jam Libera erit nomen tibi transformata. Atque præstabo monumenta Coronæ tua sint tecum, quam Vulcanus dedit Veneri, illa sibi. Exequitur dicta ; & mutat novem gemmas in stellas : Illa aurea nunc fulget per novem stellas.

POstquam ille *qui trahit diem purpureum curru fervido sustulerit sex orbes, & totidem condiderit ;*

NOTÆ.

[k] *Neque enim*] Ratio est cur Ariadnæ non debeat nocere quòd amorem suum confiteatur.

[l] *Nocebat*] Quia non minùs ideo ab Ariadne redamatus.

[m] *Uris*] Jocus est in verbis. *Urere* enim de igne & de amore dicitur.

[n] *In igne*] Cùm Jovis ad Semelen Bacchi matrem accessu, fulmine ipsa exanimata esset ; infans verò immaturus adhuc in patris femur receptus, ubi debita tempora explevit. Quam fabulam habes in Metam.

[o] *Qualia*] Pellicem *scil.*

[p] *Secutus*] Ariadnen *scil.* conquerentem.

[q] *Juncta*] *Liberam* appellavit ; ut paulò antè ex Hygino etiam monuimus.

[r] *Gemmas*] Ex auro & Indicis gemmis à Vulcano factam scripsit idem Hyginus.

[s] *Ignes*] *Stellas*. Nam totidem constat Corona.

[t] *Sex ubi*] Tertio Idus , seu decimo tertio Martii mensis Equiria altera ; nam prima acta mense Februario.

[u] *Orbes*] Orbes Solis pro Sole ipso de novo prodeunte , atque adeò pro diebus posuit.

[x] *Purpureum*] *Rubicundum.*

[y] *Qui vehit*] Phœbus *scilic.* seu Apollo aut Sol.

[z] *Axe*] Pro curru posuit, quo Apollinem donarunt munifici Poëtæ.

Altera gramineo ſpectabis Equiria [a] campo,
Quem Tyberis curvis in latus [b] urget aquis.
Qui tamen [c] ejectâ ſi fortè tenebitur undâ;
[d] Cœlius accipiat pulverulentus equos.
[e] IDibus eſt Annæ feſtum [f] geniale Perennæ,
[g] Haud procul à ripis, [h] advena Tybri, tuis.
Plebs venit, ac virides paſſim disjecta per herbas
Potat, & accumbit cum pare quiſque ſuâ.
[i] Sub Jove pars durat: pauci tentoria ponunt:
Sunt, quibus è ramo frondea facta caſa eſt:
Pars ibi pro rigidis [k] calamos ſtatuêre columnis:
Deſuper extentas impoſuêre togas.
Sole tamen vinóque calent: annóſque precantur,
Quot ſumant cyathos; [l] ad numerúmque bibunt.
Invenies illic, qui [m] Neſtoris ebibat annos:
Quæ ſit per calices facta [n] Sibylla ſuos.
Illic & cantant, quidquid didicêre theatris,
Et [o] jactant [p] faciles ad ſua verba manus:

INTERPRETATIO.

aſpicies altera Equiria in Campo herboſo, quem Tyberis premit à latere aquis ſinuoſis. Qui tamen ſi fortè tenebitur aquâ exſuperante, Cœlius aridus accipiat equos.

IDibus eſt feſtum geniale Annæ Perennæ, non longè à ripis tuis, Tybri hoſpes. Populus adeſt, & paſſim ſtratus per gramina virentia bibit, & quiſque accumbit cum ſuâ sociâ. Pars manet ſub dio; pauci ponunt tentoria: ſunt quibus tugurium frondeum paratum eſt ex ramis: pars fixerunt ibi arundines pro firmis columnis: impoſuerunt deſuper togas extentas. Incaleſcunt tamen ſole & mero; atque poſcunt annos, quot ducant pocula; & potant ad numerum. Reperias illic, qui hauriat annos Neſtoris; quæ ſit facta Sibylla per ſuos cyathos. Illic & canunt quicquid didicerunt in theatris; & movent manus faciles ad ſuas voces:

NOTÆ.

[a] *Campo*] Martio *ſcil.* niſi Tiberis exundatio obſtet.

[b] *Urget in l.*] *Ab uno ebit latere.*

[c] *Ejectâ*] Inundatione Tiberinâ.

[d] *Cœlius*] Unus ex ſeptem Urbis collibus, ubi Campus qui minor dictus, in quo ſi Martius fortè exundatione Tiberinâ eſſet inacceſſus, Equiria agebantur.

[e] *Idibus*] Decimo quinto adeóque Martii.

[f] *Geniale*] Quo genio indulgetur. Soliti enim eo die, Annæ Perennæ re divinâ factâ, mero pro vitæ perennitate precari, ut *ſcilicet* quot calices exſiccarent tot annos viverent: ita ut vix quiſquam non ebrius diſcederet.

[g] *Haud procul*] Ubi Annæ Perennæ nemus, inter Anienis confluentem & pontem Milvium. De quo Martialis.

[h] *Advena*] Quia ex Hetruriâ, unde & Tuſcus amnis dictus.

[i] *Sub Jove*] Sub dio; ad arboris cujuſque truncum.

[k] *Calamos*] *Arundines.*

[l] *Ad numerum*] Quia *ſcil.* pro annis ſuis aut eorum numerum bibebant, cyathos accuratè numerabant.

[m] *Neſtoris*] Quem Poëtæ trecentos annos vixiſſe fabulati ſunt, quia ad tertiam ætatem ſeu nonageſimum annum pervenit.

[n] *Sibylla*] Cumæam intelligas, quæ in Metam. ſeptem ſæcula vixiſſe Æneæ refert, victurámque inſuper annos 300 dicit. *Merobibas* autem fœminas tacitè carpit Naſo, qui bibendo Sibyllæ annos æquare poſſe, quanquam hyperbolicè, ſuadet.

[o] *Jactant*] *Saltant* uno verbo, eo tamen modo, ut motus corporis ad cantilenam, ſeu feſtiva, ſeu gravior eſſet, componeretur. *Hyperchemata* dixerunt hujuſcemodi ſaltationes.

[p] *Faciles*] Quæ molliter ad numeros moveantur.

Et ducunt posito [q] duras cratere choreas,
Cultáque diffusis saltat amica comis.
Cùm redeunt, [r] titubant; & sunt spectacula vulgo:
Et [s] fortunatos obvia turba vocant.
Occurri nuper. visa est mihi digna relatu
Pompa: [t] senem potum pota trahebat anus.
Quæ tamen [u] hæc Dea sit, (quoniam [x] rumoribus errant)
Fabula proposito nulla tacenda meo.
[y] Arserat Æneæ Dido miserabilis [z] igne:
Arserat extructis [a] in sua fata rogis.
[b] Compositúsque cinis, [c] tumulíque in [d] marmore carmen
Hoc [e] breve, quod moriens ipsa reliquit, erat:
Præbuit Æneas & caussam mortis & ensem:
[f] Ipsa suâ Dido concidit usa manu.
Protinus invadunt [g] Numidæ sine [h] vindice regnum;
Et potitur captâ Maurus [i] Iarba [k] domo.
Seque memor spretum, Thalamis tamen, inquit, [l] Elissæ
En ego, quem toties reppulit illa, fruor.

INTERPRETATIO.

& agitant agrestes choreas emisso poculo, atque amica comta tripudiat sparsis capillis. Cùm revertuntur, vacillant; & sunt spectacula plebi: & turba occurrens dicit felices. Nuper factus sum obvius; pompa mihi visa est digna narrari: anus ebria trahebat senem ebrium. Quoniam verò falluntur rumoribus, nulla fabula prætereunda instituto meo, ne nesciatur *quæ sit hæc Dea. Flebilis Dido incensa fuerat amore Æneæ; incensa fuerat rogis extructis in suam mortem. Atque cinis erat conditus, & hoc breve carmen* insculptum *in marmore sepulcri, quod* quidem carmen *ipsa moriens reliquit: Æneas dedit caussam necis & gladium; ipsa Dido procubuit usa suâ manu. Continuò Numidæ irruunt in regnum sine defensore, & Iarba Maurus obtinet domum captam. Atque recordans se contemtum, Ecce ego tamen, ait; quem Elissa toties rejecit, potior ejus thalamis.*

NOTÆ.

[q] *Duras*] Rustico, atque incomposito more; qui molli atque facili opponitur.

[r] *Titubant*] Quia ebrii.

[s] *Fortunatos*] Pauper verò tum etiam, cùm vino madidus, sumit cornua, ut loquitur Flaccus.

[t] *Senem pot.*] Rem verò lepidam.

[u] *Hæc*] Anna Perenna.

[x] *Rumor. err.*] Aliis in alias sententias abeuntibus.

[y] *Arserat*] Fabulam inceptat.

[z] *Igne*] Amore Æneæ. Res nota ex Carmine Virgiliano.

[a] *In sua fata*] Extructo enim alto in rogo sibi mortem conscivit.

[b] *Compositus*] In urnam collectus.

[c] *Tumuli*) Aggestus terræ, quæ in urnam depositam jaciebatur.

[d] *Marmore*) Cippo lapideo, qui in tumulo statuebatur.

[e] *Breve*) Ut à prætereunte viatore majusculis insuper litteris exaratum epitaphium legi posset.

[f] *Ipsa*) Scilicet ipsa! Distichon seu Epitaphium istud ex epistolâ, quam Didonis nomine scripsit, repetit Naso. Vide in Heroidibus.

[g] *Numidæ*] Afri, Mauri, Hiarba duce, Didone extinctâ, Carthaginem, fugatis Tyriis, ejus conditoribus invadunt. Numidia pars Africæ.

[h] *Vindice*] *Defensore:* quippe mortua regina Dido.

[i] *Iarba*] Hic Iarba seu Iarbas potiùs Getulorum rex fuit, qui Didûs frustrà nuptias ambivit.

[k] *Domo*] Didûs regiâ.

[l] *Elissæ*] Didûs, cui illud primum fuit nomen.

Diffugiunt

Diffugiunt [m] Tyrii, quo quemque agit error. ut olim
Amisso [n] dubiæ rege vagantur apes.
[o] Tertia nudandas acceperat area messes;
Inque cavos ierant tertia musta lacus;
Pellitur [p] Anna [q] domo: lacrymánsque [r] sororia linquit
Mœnia. germanæ [s] justa dat antè suæ.
Mista bibunt molles lacrymis unguenta favillæ;
Vertice [t] libatas accipiúntque comas.
Terque, Vale, dixit: [x] cineres ter ad ora relatos
Pressit. & est illis visa subesse soror.
Nacta ratem comitémque fugæ [y] pede labitur æquo,
[z] Mœnia respiciens dulce sororis opus.
Fertilis est [a] Melite sterili vicina [b] Cosyræ
Insula, quam Libyci verberat unda freti.
Hanc petit hospitio Regis confisa vetusto.
Hospes opum dives Rex [c] ibi [d] Battus erat.
Qui postquam didicit casus [e] utriusque sororis;
Hæc, inquit, tellus quantulacunque tua est.

INTERPRETATIO.

Tyrii dilabuntur, quo error trahit singulos; ut quondam apes incerta errant rege sublato. Tertia area acceperat messes spoliandas; & tertia musta deciderant in profundas cupas, Anna fugatur domo, atque flens deserit muros sororios: persolvit prius justa germanæ suæ. Leves cineres bibunt unguenta mista lacrymis, & accipiunt capillos dereptos capite. Atque ter Vale dixit: ter amplexa est cineres admotos ori: atque soror visa est subesse illis. Postquam invenisset navem, & comitem exilii delabitur pede æquo, respiciens muros dilectum opus sororis. Melite est insula ferax proxima sterili Cosyra, quam fluctus maris Libyci quatit. Ad eam contendit credens hospitio antiquo Regis. Rex Battus ibi erat hospes pollens divitiis. Qui ubi accepit vices utriusque sororis; hæc terra, ait, quantulacumque est tua.

NOTÆ.

[m] *Tyrii*] Qui Tyro Phœniciæ urbe profugam Elisam comitati fuerant.

[n] *Dubiæ*] Incertæ quò potissimùm se conferant.

[o] *Tertia*] Tertius annus prætererat à Didonis funere.

[p] *Anna*] Didonis soror.

[q] *Domo*] Carthagine.

[r] *Sororia*] Quæ soror Elisa condiderat.

[s] *Justa dat*] Lacrymas præsertim offert inferias, & quæ subjiciet Naso.

[t] *Libatas*] Solenne fuit in gravi funere crines etiam in rogum mittere; aut ad compositos cineres vellere.

[u] *Vale*] De more.

[x] *Cineres*] Urnam, ubi compositi.

[y] *Pede lab.*] Proverbio dixit pro *navigatione utitur secundâ.*

[z] *Mœnia*] Carthaginiensia, quæ posuerat Dido.

[a] *Melita*] Insula maris Libyci inter Siciliam & Africam, quæ vulgò *Malta* dicitur.

[b] *Cosyra*] Parva est insula, quæ non ultra sex septem leucas patet.

[c] *Ibi*] Longè diversa habent alii, qui Cyrenen confugisse Annam dicunt, ad Battum quidem ejus urbis, oraculi jussu, conditorem. Sed hic quanquam Cyrenes conditor, non patitur ratio temporum, ut multò posterior Didonem unquam aut Annam viderit.

[d] *Battus*] Rex fuit mitissimus,

Lacrymásque dedisse,
Casibus humanis facilis ———

linguâ tamen impeditissima, cui inde cognomen; Polymnesti fuit ex Phronime pellice filius, Aristoteles nomine.

[e] *Utriusque*] Didûs & Annæ.

Et tamen hoſpitii ſervaſſet ad [f] ultima munus,
    Sed timuit magnas [g] Pygmalionis opes.
Signa [h] recenſuerat bis Sol [i] ſua: tertius ibat
    Annus; & exſulibus terra [k] petenda nova eſt.
Frater adeſt, [l] bellóque petit. [m] Rex arma peroſus,
    Nos ſumus imbelles, tu fuge [n] ſoſpes, ait.
Juſſa fugit; ventóque ratem committit & undis.
    Aſperior quovis æquore frater erat.
Eſt prope piſcoſos lapidoſi [o] Crathidis amnes
    Parvus ager: Cameren incola turba vocant.
Illuc [p] curſus erat. nec longiùs abfuit inde,
    Quàm quantùm novies mittere [q] funda poteſt.
Vela [r] cadunt primo, & [s] dubiâ librantur ab aurâ.
    Findite remigio, navita dixit, aquas.
Dumque parant [t] torto ſubducere carbaſa lino,
    Percutitur rapido puppis adunca Noto:
Inque patens æquor fruſtra pugnante magiſtro
    Fertur: & ex oculis viſa [u] refugit humus.
Aſſiliunt fluctus, imóque à gurgite pontus
    Vertitur, & [x] canas [y] alveus haurit aquas.

INTERPRETATIO.

Atque certè aſſervaſſet jus hoſpitii ad extrema; ſed metuit magnam potentiam Pygmalionis. Sol bis perluſtraverat ſua ſigna, tertius annus currebat; & terra nova petenda eſt profugis. Frater venit, & poſcit bello. Rex refugiens arma, Nos, inquit, ſumus imbelles, tu abi incolumis. Admonita excedit, & credit navem ventis & fluctibus. Frater erat ſævior quovis mari. Eſt campus vacuus ad flumina piſcoſa Crathidis ſaxoſi; populus accola appellant Cameren. Illuc tendebant; neque longiùs inde abfuit, quàm quantùm funda poteſt jacere novies. Vela primò cadunt, & hærent ex vento incerto. Nauta dixit, pulſate aquas remigio. Atque dum intendunt demittere vela funibus tortis, puppis curva quatitur furente Auſtro; atque impellitur in apertum mare, nauclero nequicquam renitente; atque terra conſpecta recedit ab oculis. Undæ incurrunt, & mare eruitur à profundo gurgite, & carina ducit albas aquas.

NOTÆ.

[f] *Ultima*] *Uſque ad finem.*

[g] *Pygmalionis*] Tyriorum rex fuit, Didûs atque Annæ frater, ſororum exitio ſemper imminens.

[h] *Recenſuerat*] Duo adeòque anni effluxerant.

[i] *Sua*] Duodecim illa dicit Zodiaci, quæ ſingulis annis Sol perluſtrat.

[k] *Petenda*] Annæ *ſcil.* & comitibus; cùm Pygmalionis non poſſent diutiùs hoſpitio frui.

[l] *Bello*] Bellum illaturus illi quiſquis ſororem Annam defenderet.

[m] *Rex*] Pygmalion.

[n] *Soſpes*] Priuſquam à fratre injuriam novam patiaris.

[o] *Crathidis*] Calabriæ eſt fluvius, de quo jam in Metam.

[p] *Curſus*] In eum agrum contendebant.

[q] *Funda*] Aut eâ funditor. Metonym. eſt.

[r] *Cadunt*] Quia deſierat ventus.

[s] *Dubiâ*] *Incertâ*; ut fieri ſolet cùm ventus mutatur.

[t] *Torto*] *Funibus*, quibus vela laxantur, aut in altum panduntur.

[u] *Refugit*] Refugere videtur, cùm retrocedit navis.

[x] *Canas*] *Albas*; cujuſmodi ſunt quando ventis agitantur.

[y] *Alveus*] Curva navis, alveo ſimilis.

Vincitur ars vento : nec jam moderator [z] habenis
Utitur ; at votis : hîc [a] quoque poscit opem.
Jactatur tumidas [b] exsul Phœnissa per undas ;
Humidáque appositâ lumina veste [c] tegit.
Tum primùm Dido felix est dicta sorori ,
Et quæcumque aliquam corpore pressit humum.
[d] Figitur ad Laurens ingenti flamine littus
[e] Puppis : &, [e] expositis omnibus, [f] hausta perit.
Jam pius Æneas regno [g] natâque Latini
Auctus erat ; populos miscuerátque [h] duos.
Littore dotali, solo comitatus [i] Achate ,
Secretum nudo dum pede carpit iter ;
Adspicit errantem, nec credere sustinet Annam
Esse. [k] quid in Latios illa veniret agros ?
Dum secum Æneas : Anna est, exclamat Achates.
Ad nomen vultus sustulit illa suos.
Quò fugiat ? quid agat ? quos terræ [l] quærat hiatus ?
Ante oculos miseræ fata [m] sororis erant.
[n] Sensit, & alloquitur trepidam [o] Cythereïus heros :
[p] Flet tamen admonitu mortis, Elissa, tuæ.

INTERPRETATIO.

Ars superatur vento ; neque jam gubernator utitur gubernaculo sed precibus : hic etiam petit auxilium. Profuga Phœnissa agitatur per fluctus turgidos , & velat oculos madidos amictu admoto. Tum primùm Dido, & quæcumque tetigit aliquod solum corpore, dicta est beata à sorore. Puppis est impacta forti vento ad littus Laurens , & omnibus eductis, absorpta perit. Jam pius Æneas auctus erat regno & filiâ Latini, & miscuerat duos populos. Dum calcat viam secretam nudo pede in littore dotali, stipatus solo Achate, conspicit Annam errantem, nec potest credere eam esse : quid illa peteret campos Latinos ? Dum secum Æneas ; Achates exclamat, Anna est. Illa erexit faciem suam ad nomen. Quò dilabatur ? quid faciat ? quos quærat hiatus terræ ? Mors infelicis sororis erat præ oculis. Heros Cythereïus advertit , & compellat timidam : lacrymatur tamen recordatione tui obitus, Elissa.

NOTÆ.

[z] *Habenis*] Pro *gubernaculo* posuit.

[a] *Quoque*] Cùm jam *scilicet* cæteri pavidi deorum suorum quisque opem implorarent.

[b] *Exsul Ph.*] Anna *scilic.* ex Phœniciâ oriunda.

[c] *Tegit*] Ne periculum videret.

[d] *Figitur*] Illisa atque afflicta est.

[e] *Expositis*] *In terram delatis.*

[f] *Hausta*] *Demersa.*

[g] *Natâ*] Laviniâ , quæ Latini patris regnum denique in dotem Æneæ tradidit.

[h] *Duos*] Trojanum atque Latinum.

[i] *Achate*] Qui assiduus Æneæ comes.

[k] *Quid in L.*] Istud apud se reputabat Æneas.

[l] *Quæras*] Ne virum aspiciat, qui Didûs sororis mortem acceleravit. Carthaginis occupatæ, exsilii, quo ipsa afflicta , & naufragii caussa fuit.

[m] *Sororis*] Quæ, ut modò dictum, Æneæ caussâ sibi mortem conscivit.

[n] *Sensit*] Quæcumque Annæ animo volvebantur.

[o] *Cythereïus*] Æneas ; cui à Venere matre , quæ *Cytherea* à Cytheris insulâ dicta, illud datum nomen.

[p] *Flet*] Æneas *scil.* ut pium decuit.

Anna, [q] per hanc juro, [r] quam quondam audire solebas
Tellurem fato prosperiore dari;
Perque [s] Deos comites, hac nuper sede locatos;
Sæpe meas [t] illos increpuisse moras,
Nec [u] timui de morte tamen: [x] metus absuit iste.
[y] Hei mihi! credibili [z] fortior illa fuit.
[a] Ne refer. adspexi non illo pectore digna
Vulnera, Tartareas [b] ausus adire domos.
At tu, seu ratio te nostris appulit oris,
Sive Deus; regni commoda carpe mei.
[c] Multa tibi memores, nil non debemus Elissæ.
Nomine grata tuo, grata sororis, eris.
Talia dicenti [d] (neque enim spes altera restat)
Credidit; errores exposuitque suos.
Utque domum intravit [e] Tyrios induta paratus;
Incipit Æneas: (cætera turba silet.)
Hanc tibi cur tradam, [f] pia caussa, Lavinia conjux,
Est mihi: consumsi naufragus hujus opes.
Orta Tyro, regnum Libycâ possedit in orâ:
Quam precor ut caræ more sororis ames.

INTERPRETATIO.

Anna ego juro per hanc terram, quam olim consueveras audire dari fato latiore, & per Deos comites, nuper positos in hâc sede, illos sæpe damnasse meas procrastinationes. Neque tamen metui de morte: iste timor abfuit. Hei mihi! illa fuit cordatior credibili. Ne memora. Vidi plagas non dignas illo pectore, non veritus ingredi domos infernas. At tu, seu ratio, seu Deus admovit te nostris littoribus, sume commoda mei regni. Debemus tibi multa non ingrati, nihil non debemus *Elissæ. Eris accepta nomine tuo, eris* accepta nomine *sororis. Credidit narranti talia; (neque enim spes alia superest) atque retulit errores suos. Et postquam subiit domum, ornata cultibus Tyriis, Æneas incipit, cætera turba tacet. Lavinia uxor, est mihi pia caussa, quamobrem tibi hanc tradam: passus naufragium exhausi hujus facultates. Orta Tyro obtinuit regnum in regione Libycâ, quam oro ut diligas tanquam caram germanam.*

NOTÆ.

[q] *Per hanc*] Optimè, ut in re tantâ, Deos à primo exordio testes facit suæ innocentiæ Æneas sese excusans.

[r] *Quam*] De Italiâ loquitur, quam si ex Marone cognoveris, tantùm non pro divinitate quâdam suspexeris.

[s] *Deos Com.*] Vestam & deos Penates, quos secum in Italiam profugus Æneas advexit.

[t] *Illos*] Deos *scil.* Quos quidem Æneam objurgasse ex Virgilio didiceris.

[u] *Timui de*] Hoc est, Didonem sibi manus violentas illaturam. Optima excusatio.

[x] *Metus ab.*] Optimè reduplicatione utitur.

[y] *Hei mihi*] Commiseratio apposita.

[z] *Fortior*] Quæ sibi mortem conscivit.

[a] *Ne refer*] Non tantùm quia nota omnia, ut bene quidem observaverant; sed quia præsertim nimio dolore torqueretur. Atque hoc cautissimum ad gratiam comparandam.

[b] *Ausus*] Ne pigeat de eo Æneæ ad inferos descensu Maronem ipsum audire Æn. 6.

[c] *Multa tibi*] Vide quam apposita, quàmque composita oratio. *Debemus*, inquit; *tibi multa*; *Elissæ omnia. Memores* adeòque etiamus, &c. Ad singulas voces ipse attende.

[d] *Neque en.*] Optimè istud ad decorum.

[e] *Tyrios*] Purpureos; atque auro intextas vestes, quales apud Virgil. Æneid. 4.

[f] *Pia*] Quia exul, bene merita, &c. Quamquam pius Æneas, credo, non omnia [illegible]

Omnia promittit, [g] falsúmque Lavinia vulnus
 Mente premit tacitâ, dissimulátque fremens.
Donáque cùm videat præter sua lumina ferri
 Multa palàm; mitti clàm quoque multa putat.
Non tamen exactum, quid [h] agat. furialiter odit,
 Et parat insidias, & cupit ulta mori.
Nox erat: ante torum visa est adstare [i] sororis,
 Squallenti Dido sanguinolenta coma.
Et fuge, ne dubita, [k] mœstum, fuge, dicere, tectum;
 [l] Sub verbum querulas impulit aura fores.
Exsilit; & velox humili super arva fenestrâ
 Se jacit. audacem fecerat ipse timor.
Quaque metu rapitur, tunicâ velata recincta,
 Currit, ut auditis territa dama lupis.
Corniger hanc cupidis rapuisse [m] Numicius undis
 Creditur, & stagnis occuluisse suis.
[n] Sidonis interea magno clamore per agros
 Quæritur. apparent signa notæque pedum.
Ventum erat ad ripas: inerant vestigia ripis.
 [o] Sustinuit tacitas [p] conscius amnis aquas.
Ipsa loqui visa est, [q] Placidi sum Nympha Numici.
 Amne perenne latens Anna [r] Perenna vocor.

INTERPRETATIO.

Lavinia pellicetur omnia, & tegit mente secretâ falsum vulnus, atque furens dissimulat. Et cùm cernat munera portari sub suis oculis, arbitratur multa mitti palàm, multa etiam secretò. Non tamen certum quid incipiat. Odio habet insano; molitur dolos, & optat occidere ulta. Nox erat: Dido infecta sanguine, capillis fœdu, visa est adesse sorori ante lectum, atque dicere, Vita, ne hæreas, vita tristem domum. Ventus agitavit januam stridentem, sub ipsam vocem. Prorumpit: & celeriter se mittit in campum ex depressâ fenestrâ: ipse pavor fecerat audentem. Et tecta tunicâ recinctâ, fugit quà abstrahitur timore sicuti dama tremefacta lupis auditis. Numicius corniger creditur abstulisse hanc fluctibus fervidis: atque abdidisse suis gurgitibus. Interea Sidonis quæritur ingenti clamore per campos: vestigia, atque indicia pedum cernuntur. Accesserant ad ripas: signa impressa erant ripis: fluvius conscius repressit aquas silentes. Ipsa visa est dicere, Sum Nympha lenis Numici, delitescens amne perenne, appellor Anna Perenna.

NOTÆ.

[g] *Falsum*] Falsò quippe adductam sibi pellicem credidit.

[h] *Agat*] Lavinia *scilic.* quæ quidem aliquid insigne adversus Annam moliebatur; quid tamen illud esset nondum invenerat.

[i] *Sororis*] Annæ *scil.*

[k] *Mœstum*] In quo triste facinus te adversum paratur.

[l] *Sub verbum*] Quo tempore Annam sororem Dido per somnum alloquebatur.

[m] *Numicius*] Latii parvus fluvius, in quo & repertum Æneæ cadaver.

[n] *Sidonis*] Anna, cui à Sidone Tyro vicinâ urbe illud nomen.

[o] *Sustinuit*] Ne murmur ederent, atque Annæ vox audiri posset.

[p] *Conscius*] Quippe qui Annam sustulerat.

[q] *Placidi*] Seu potiùs rapidi, qui fugientem hauserit.

[r] *Perenna*] A perenni aquarum fluxu.

Protinus [t] erratis læti vescuntur in agris:
Et celebrant largo [t] seque diémque mero.
Sunt quibus [u] hæc Luna est, quia mensibus impleat annum;
Pars [x] Themin, [y] Inachiam pars putat esse [z] bovem.
Invenies, qui tę Nymphen [a] Atlantida dicant;
Teque Jovi primos, Anna, dedisse cibos.
Hæc quoque, quam referam, nostras pervenit ad aures
Fama; nec [b] à verâ dissidet illa fide.
Plebs vetus, & nullis etiamnum [c] tuta [d] Tribunis,
[e] Fugit; & in [f] sacri vertice montis abit.
Jam quoque, quem secum tulerant, defecerat illos
Victus, & humanis usibus apta [g] Ceres.
Orta suburbanis quædam fuit Anna [h] Bovillis
Pauper, sed [i] mundæ sedulitatis, anus.
Illa, levi [k] mitrâ canos redimita capillos,
Fingebat tremulâ rustica liba manu.

INTERPRETATIO.

Continuò læti epulantur in campis lustratis, atque celebrant se atque diem mulso vino. Sunt quibus hæc est Luna, quòd conficiat annum mensibus, pars credit esse Themin, alii vaccam Inachiam. Reperies qui asserant te esse Nympham Atlantidē, Teque, Anna, præbuisse Jovi prima alimenta. Hic etiam rumor, quem proferam, tetigit nostras aures; neque is procul est à certá fide. Antiquus populus, neque adhuc satis securus fuit Tribunis secessit; & fugit in cacumen sacri montis. Jam etiam cibi quos secum portaverant atque triticum idoneum usibus humanis illis deerat. Fuit quædam Anna orta Bovillis suburbanis, anus pauper, sed nitida sedulitatis. Illa habens comam albam tectam levi ricá fingebat liba rustica manu tremente:

NOTÆ.

[t] *Erratis*] In quibus erraverant Annam quærentes.

[t] *Se*] Qui quæsivissent & invenissent Annam.

[u] *Hæc*] Anna Perenna *scil.*

[x] *Themin*] Quæ Dea quid fas sit docens vetustissimum in Bœotiâ dicitur habuisse oraculum.

[y] *Inachiam*] Isidem *scil.* quæ quidem priùs Inachi filia Io nomine: de quâ plura in superioribus.

[z] *Bovem*] In vaccam mutatam Junonis zelotypiâ dictum sæpius.

[a] *Atlantida*] Unam ex Atlantis filiabus, quam Jovis fuisse volunt nutricem.

[b] *A verâ*] Ut ipse adeòque maximus fabularum consectator cæteras minùs probet.

[c] *Tuta*] In terga enim debitorum sæviebant etiam fœneratores.

[d] *Tribunis*] Hos juris sui vindices, ob impotentiam maximè fœneratorum anno ab Urbe 260 sibi per secessionem à Patribus paravit plebs Romana.

[e] *Fugit*] Secessit à Patribus, atque in monte sacro per hyemem totam permansit, donec Menenii Agrippæ sapientiâ & auctoritate, postquam etiam de superbiâ suâ aliquid remisisset nobilitas, tandem revocata est.

[f] *Sacri*] Hic tumulus, qui ad tertium milliarium trans Anienem primus occurrit, viâ Nomentanâ, sacer ideo appellatus quòd ibi Jovi Fauno post reditum in Urbem plebs aram posuerit.

[g] *Ceres*] Deam pro inventis frugibus tritico seu frumento posuit.

[h] *Bovillis*] Suburbanum dixit istud oppidum, quia aliud fuit in Campaniâ.

[i] *Mundæ sedulit.*] Duobus verbis elogium quo opus erat absolvit.

[k] *Mitrâ*] Pileum fuit aut palliolum muliebre Lydio more.

Atque ita per populum fumantia mane ſolebat
Dividere. hæc populo [l] copia grata fuit.
[m] Pace domi factâ [n] ſignum poſuêre Perennæ,
Quòd ſibi defectis illa tuliſſet opem.
Nunc mihi, cur cantent, ſupereſt, obſcœna puellæ,
Dicere: nam coëunt, certáque probra canunt.
Nuper erat Dea facta; venit [o] Gradivus ad Annam;
Et cum ſeductâ talia verba facit.
Menſe meo coleris: junxi mea tempora tecum:
[p] Pendet ab officio ſpes mihi magna tuo.
Armifer armiferæ correptus amore Minervæ
Uror: & [q] hoc longo tempore vulnus alo.
Effice, [r] Dî ſtudio ſimiles coëamus [ſ] in unum.
Conveniunt [t] partes hæ tibi, comis anus.
Dixerat. illa Deum promiſſo ludit [u] inani;
Et [x] ſtultam [y] dubiâ ſpem trahit uſque morâ.
Sæpius inſtanti, Mandata peregimus, inquit.
Evictas precibus vix [z] dedit [a] illa manus.
Gaudet [b] amans, thalamóſque parat. deducitur [c] illuc
Anna [d] tegens vultus, ut nova nupta ſuos.

INTERPRETATIO.

atque ſic conſueverat ſpargere manè in plebem ea fumantia. Hæc abundantia fuit accepta plebi. Pace domi reſtitutâ, ſtatuerunt ſimulacrum Perennæ, quia illa auxilio fuiſſet ſibi deſtitutis. Jam mihi reſtat aperire, quamobrem puellæ canant turpia: nam conveniunt atque cantant certa probra. Facta erat nuper dea. Gradivus acceſſit ad Annam, & hujuſmodi voces profert ad ſeminam. Sacra fiunt tibi meo menſe: junxi mea tempora tecum; ſpes magna mihi pendet ab officio tuo. Ego *armifer ardeo incenſus amore Palladis armiferæ: atque gero iſtud vulnus à longo tempore. Fac, ut Dii ſimiles ſtudio jungamur. Anus comis hæ partes tibi conveniunt. Abſolverat: illa imponit Deo vanâ pollicitatione, & uſque producit ſpem ineptam incertâ morâ. Cum frequentiùs urgeret, Juſſa, ait, abſolvimus: illa ægrè præbuit manus victas precibus. Amans lætatur, atque adornat thalamos. Anna velans faciem ſuam ut nova nupta perducitur illuc.*

NOTÆ.

[l] *Copia*] Pro anus tamen tenuitate.
[m] *Pace*] Poſtquam in Urbem plebs rediit.
[n] *Signum*] Statuam, cum arâ.
[o] *Gradivus*] Mars.
[p] *Pendet ab*] *In te ſpes eſt. Pendet à te quod voveo.*
[q] *Hoc*] Amoris *ſcil.*
[r] *Dii*] Mars *ſcil.* & Minerva bellorum præſides.
[ſ] *In unum*] Per conjugium *ſcil.*
[t] *Hæ partes*] Ut Minervam ad conjugium flectas.
[u] *Inani*] Quia tametſi ſeſe promiſiſſet cum Minervâ acturam, & ad connubium pellecturam, nequaquam illud curavit.
[x] *Stultam*] Martis ſtultæ Minervæ nuptias ambientis.
[y] *Dubiâ*] Quâ modò rem bene, modò malè ſeſe habere anus Marti referebat.
[z] *Dedit manus*] *Votis annuit.*
[a] *Illa*] Minerva *ſcil.*
[b] *Amans*] Martem intellige.
[c] *Illuc*] In Martis thalamos.
[d] *Tegens*] Flammeo *ſcil.* quo nova nupta velatur, cùm ad virum deducitur.

Oſcula ſumturus [e] ſubitò Mars adſpicit Annam;
Nunc pudor eluſum, nunc ſubit ira, Deum.
Ridet amatorem caræ nova Diva Minervæ:
Nec res hâc Veneri gratior ulla fuit.
Inde joci veteres obſcœnáque dicta canuntur:
Et juvat hanc magno verba dediſſe Deo.
[f] Præteriturus eram gladios in [g] Principe fixos,
Cùm ſic à [h] caſtis Veſta locuta focis:
Ne dubita meminiſſe: meus fuit ille [i] Sacerdos.
Sacrilegæ telis [k] me petière manus.
Ipſa [l] virum rapui, [m] ſimulacráque nuda reliqui.
Quæ cecidit ferro, Cæſaris umbra fuit.
Ille quidem cælo poſitus Jovis atria ſervat;
Et tenet in magno [n] templa dicata foro.
At quicunque [o] nefas auſi proh bente Deorum
Numine, polluerant Pontificale caput;
Morte [p] jacent meritâ teſtes eſtote Philippi;
Et quorum ſparſis oſſibus [q] albet humus.
[r] Hoc opus, hæc pietas, hæc prima elementa fuerunt
Cæſaris; ulciſci juſta per arma patrem.

INTERPRETATIO.

Mars libaturus ſuavia videt repente Annam: jam verecundia, jam ira corripit Deum deceptum. Nova Diva irridet amatorem dilectæ Palladis: neque res ulla fuit gratior Veneri. Inde joci antiqui, & verba ſalacia cantantur: atque conducit huic fefelliſſe magnum Deum. Omiſſurus eram enſes adactos Principi, cùm Veſta itá loquuta eſt à caſtis altaribus: Ne cunctator mentionem feciſſe: ille fuit meus ſacerdos: manus impia irruerunt in me gladiis. Ipſa ſuſtuli virum, & reliqui inanem figuram. Umbra fuit Cæſaris quæ afflicta ferro. Ille quidem cœlo receptus ſervat atria Jovis, & habet templa dicata in magno foro. At quicumque aggreſſi nefas, numine Deorum vetante, fœdaverant caput Pontificale, afflicti ſunt morte dignâ. Philippi, & quorum oſſibus disjectis terra candet, eſtote teſtes. Hæc opus, hæc pietas, hæc fuerunt prima rudimenta Cæſaris ulciſci parentem per juſta arma.

NOTÆ.

[e] *Subito*) Poſtquam Annæ vultus detexiſſet.

[f] *Præteriturus*) Atque equidem datâ operâ, rei *ſcilicet* atrocis odio permotus.

[g] *Principe*) Julio Cæſare, qui tribus & viginti vulneribus anno ab Urbe conditâ 709 in curiâ confoſſus eſt. Dies *Parricidium* dictus, ac decretum ne eodem Senatus unquam cogeretur.

[h] *Caſtis*) Quia Caſta ipſa Dea, quæ in focis colebatur.

[i] *Sacerdos*) Pontifex quippe fuit Maximus, ad quem ſacrorum ſuprema cura pertinebat.

[k] *Me*) Siquidem cariſſimum ſibi Sacerdotem ferro violaverunt.

[l] *Virum*) Julium Cæſarem *ſcil.* quem in cœlum Veſta tranſtuliſſe dicit.

[m] *Simulac.*) Corpus dicit Cæſaris, quod ipſius tantùm quaſi ſpecies, aut umbra quædam. Atque equidem iſtud veriſſimum, & mente altiſſimâ omnibus perſcrutandum.

[n] *Templa*) Triennio ab obitu Julio Cæſari in foro Romano templum excitatum.

[o] *Nefas*) Imperatoris ejuſdémque Pontificis corpus violare.

[p] *Jacent*) Vix triennio quiſquam ſupervixit: quanquam hîc de Bruto & Caſſio præſertim conjuratorum principibus agitur, qui ad Philippos Macedoniæ urbe profligati.

[q] *Albet*) Albicant *ſcil.* inſepultorum oſſa.

[r] *Hoc opus*) Patrem Julium ulciſci, initium fuit rerum agendarum & gloriæ Auguſti.

Poſtera

[s] POstera cùm teneras Aurora [t] refecerit herbas;
Scorpios [u] à primâ parte videndus erit.
[x] TErtia post Idus lux est celeberrima Baccho.
Bacche, [y] fave vati; dum tua festa cano.
Nec referam [z] Semelen; ad quam nisi [a] fulmina secum
Jupiter adferret; parvus [b] inermis eras:
[c] Nec puer ut posses [d] maturo tempore nasci,
Expletum [e] patrio corpore matris onus.
[f] Sithonas & [g] Scythicos longum enumerare triumphos,
Et domitas gentes, thurifer Inde, tuas.
Tu quoque Thebanæ malè [h] præda tacebere matris;
Inque tuum furiis, acte [i] Lycurge, genu.
Ecce libet subitos [k] pisces, Tyrrhenáque monstra
Dicere. sed non est carminis hujus opus.

INTERPRETATIO.

POstquam sequens Aurora restituerit tenera gramina, Scorpius erit conspiciendus à parte anteriore.

TErtia dies ab Idibus est celeberrima Baccho. Bacche propitius esto Poëta, dum canto tua sacra. Neque memorabo Semelen; ad quam, nisi Jupiter attulisset fulmina secum, eras parvus inermis: neque dicam sarcinam matris perfectam corpore patrio, ut posses exoriri tempore maturo. Prolixum recensere Sithonas, & triumphos Scythicos; & tuas nationes subactas, Inde thurifer. Tu etiam malè præda matris Thebana, tuque Lycurge, impulse furiis in tuum genu silentio prætermitteris. En placet referre pisces repentinos & prodigia Tyrrhena: verùm non est opus hujus poëmatis.

NOTÆ.

[s] *Postera*) Adeòque 17 Calend. Apr.

[t] *Refecerit*) Rore, qui manè, atque exoriente Aurorâ decidit.

[u] *A primâ*) Quia medius occiderit: neque chelæ ejus, in quibus Libra, ampliùs, tunc temporis apparuerint.

[x] *Tertia post Idus*) Decima quinta adeòque Kalendas. Verùm de industriâ lapsus videtur Naso dum pertinaciter vetus calendarium sequitur: cui quidem ut subscribamus pro 15, 16 erit numeranda. Siquidem enim ut ex sequentibus patebit, & certum est, 14 Calend. Apr. inciperent Minervæ Quinquatria, & dies esset media inter illa & Liberalia, hæc necesse fuit ad 16 assignare.

[y] *Fave*) Non temerè vates Bacchi favorem implorat ad opus suum, quem carmina docentem vidisse se testatur Horatius.

[z] *Semelen*] Bacchi mater fuit, Cadmi filia.

[a] *Fulmina*] Quomodo ad Semelen Jupiter eodem Majestatis apparatu quo cum Junone venerit, unde & illa exanimata est, videsis in Metam.

[b] *Inermis*] Bella multa adultus Liber pater gessit, multámque inde sibi laudem peperit: at verò puer, nisi fulminibus quibus & mater Semele exarsit Jovis filius cognitus esset, inermis & sine eâ gloriâ fuisset.

[c] *Nec*] *Referam* supple.

[d] *Maturo*] Namque primò, ut ex matris fulmine extinctæ utero dereptus est, immaturus fuit fœtus Liber.

[e] *Patrio*] Jovis, qui Bacchum in femur suum recepit, ut ibi debita tempora matris impleret, & perfectus demum nasceretur.

[f] *Sithonas*] Sithones Thraciæ populi à Baccho domiti.

[g] *Scythic.*] Scythas etiam cum Indis Bacchus dicitur subegisse: imò & totum orbem bellis & victoriis peragrasse. Quæ vera an fabulosa sint, magnâ ex parte saltem ambigitur.

[h] *Præda*] Pentheum dicit Thebanum regem, qui ab Agave matre, dum Bacchi spernit sacra, discerptus est: uti sæpe dictum.

[i] *Lycurge*] Hic rex Thracum cùm Bacchi vites incidere niteretur, crus sibi abscidisse dicitur.

[k] *Pisces*] In quos mutati Tyrrheni nautæ, qui Bacchò vim parare ausi; ut fusè decantatum in Metam.

Carminis hujus opus, caussas exptomere; quare
Vilis [l] anus populos ad sua liba vocet.
[m] Ante tuos ortus aræ sine honore fuêrunt,
Liber, & [n] in gelidis herba reperta focis.
Te memorant [o] Gange, totóque Oriente subacto,
Primitias magno se posuisse Jovi.
Cinnama tu primus [p] captiváque thura dedisti,
Deque triumphato viscera tosta bove.
Nomine ab [q] auctoris ducunt Libamina nomen,
Libáque: quod sacris pars datur inde focis.
Liba Deo fiunt: succis quia dulcibus ille
Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.
Ibat arenoso [r] Satyris comitatus ab [s] Hebro:
(Non habet ingratos fabula nostra jocos)
Jamque erat ad [t] Rhodopen, [u] Pangæaque florida ventum:
[x] Æriferæ comitum concrepuêre manus.
Ecce [y] novæ coëunt volucres tinnitibus actæ:
Quaque movent sonitus æra, sequuntur apes.
Colligit errantes, & in [z] arbore claudit inani
Liber: & inventi præmia mellis habet.

INTERPRETATIO.

Est materia hujus poëmatis eruere caussas, quamobrem pauper anus invitet plebem ad sua liba. Priusquam ortus esses, Baccho, altaria fuerunt neglecta, atque gramen inventum in aris frigidis. Aiunt te, Gange, & toto Oriente domito servasse primitias magno Jovi. Tu primus obtulisti cinnama & thura captiva, atque intestina tosta de bove triumphato. Libamina atque liba sumunt nomen à nomine auctoris, quòd pars inde libatur sacris altaribus. Liba fiunt Deo, quia ille amat dulces succos, & dicunt mella inventa à Baccho. Recedebat ab Hebro arenoso stipatus Satyris: (narratio nostra non habet jocos ingratos.) Jamque pervenerant ad Rhodopen & Pangæa florentia, manus ærifera comitum strepuerunt. Ecce nova volatiles mota sonitibus conveniunt; atque apes sequuntur æra quâ tinnitus cient. Bacchus cogit vagantes, atque includit cavâ arbore, & habet præmia mellis reperti.

NOTÆ.

[l] *Anus*] Plures erant, quæ transeuntes quoslibet ad liborum emptionem invitabant, & pro emptore sacrificabant, libi emti parte foculo inditâ: ut ex Varrone indicavit illustriss. Neapolis.

[m] *Ante tuos*] Antequam natus esses.

[n] *In gelid.*] Gelidi verò foci fuerunt qui nulli, cùm herba in illis locis pullularet, ubi deinde extructi.

[o] *Gange*] Qui maximus Indiæ ulterioris fluvius.

[p] *Captiva*] Captivorum Arabum.

[q] *Auctoris*] Liberi *scil.* cui libamina fiebant, & vinum in sacris libabant, quòd vitem reperisset. At enim meliùs à λείβω *fundo* libamen, & libum ab eo quòd libandi causâ fieret.

[r] *Satyris*] Quos alibi *praviam Dei turbam* vocat Naso.

[s] *Hebro*] Qui Thraciæ fluvius in Ægeum devolvitur.

[t] *Rhodopen*] Thraciæ mons est.

[u] *Pangæa*] Mons Thraciæ Philippis imminens.

[x] *Ærifera*] Cymbalis enim, multóque æris tinnitu Bacchanalia celebrabantur.

[y] *Nova*] Quia tunc ignotæ.

[z] *Arbore*] Cavo trunco.

Ut Satyri [a] lævísque senex tetigêre [b] saporem ;
Quærebant flavos per nemus omne favos.
Audit in excesâ stridorem [c] examinis ulmo :
Adspicit & ceras, [d] dissimulátque senex.
Utque [e] piger pandi tergo residebat aselli ;
Applicat hunc ulmo corticibúsque cavis.
Constitit ipse super ramoso stipite nixus :
Atque avidè trunco condita mella [f] petit.
Millia crabronum coëunt ; & vertice [g] nudo
Spicula defigunt, oraque summa notant.
Ille cadit præceps, & calce feritur aselli :
Inclamátque suos, auxiliúmque rogat.
Concurrunt Satyri, [h] turgentiáque ora parentis
Rident. [i] percusso claudicat ille genu.
Ridet & ipse [k] Deus : [l] limúmque inducere monstrat.
Hic paret monitis, & linit ora luto.
Melle pater fruitur : libóque infusa calenti
Jure [m] repertori candida mella damus.
Fœmina cur [n] præsit, non est rationis opertæ.
[o] Fœmineos [p] thyrso concitat ille choros.
Cur anus [q] hoc faciat, quæris ? vinosior ætas
Hæc est, & gravidæ munera vitis amans.

INTERPRETATIO.

Postquam Satyri & senex calvus gustaverunt saporem, quærebant flavos favos per omnem silvam. Senex audit bombilans examen in cavâ ulmo; videt etiam ceras, atque dissimulat. Et ut segnis hærebat dorso curvi asini, admovet hunc ulmo & corticibus profundis. Ipse nixus trunco ramoso super stetit, atque captat cupidè mella abdita cavo. Millia crabronum congruunt, & immittunt aculeos nudo capiti, atque signant extremos vultus. Ille ruit præceps, & percutitur calce asini; atque vocat suos, & petit opem. Satyri concurrunt, atque irrident vultus inflatos patris: ille claudicat genu afflicto. Ipse quoque Deus videt, & docet apponere lutum. Hic obtemperat jussis, atque inducit limum faciei. Pater potitur melle: & meritò præbemus inventori flava mella infusa libo calido. Non est rationis arcana quamobrem fœmina præsit. Ille agit thyrso cœtus fœmineos. Petis quamobrem anus istud faciat? Hæc ætas est magìs dedita vino, & amāt dona vitis onusta.

NOTÆ.

[a] *Lævis*] Calvus quippe fuit Silenus : illumque capite glabro & ore deformi depinxit vetustas.

[b] *Saporem*] Mellis *scil.*

[c] *Examinis*] Quod quidem apum Silenus, cùm crabronum seu vesparum esset, stultè arbitratus est.

[d] *Dissimulat*] Ne leviores Satyri mel inde primi peterent.

[e] *Piger*] Quia senex, minùsque ad conscendendas arbores paratus.

[f] *Petit*] Seu petere festinat.

[g] *Nudo*] Namque calvus, ut dictum suprà.

[h] *Turgentia*] Ex crabronum infixis spiculis.

[i] *Percusso*] Calce aselli.

[k] *Deus*] Bacchus *scil.*

[l] *Limum*] *Lutum.* Aquâ verò ex raphani foliis meliùs crabronum ictus curantur.

[m] *Repertori*] Baccho *scil.*

[n] *Præsit*] Quia populum ad liba vocat.

[o] *Fœmineos*] Mænadum quas secum Bacchus rapit.

[p] *Thyrso*] Quæ pampinis atque hederis hasta est involuta.

[q] *Hoc*] Vocat populum ad liba, & Bacchi festa.

Cur hederâ cincta est? hedera est gratissima Baccho.
[q] Hoc quoque cur ita sit, dicere nulla mora est.
[r] Nysiades Nymphæ, puerum quærente [f] novercâ,
Hanc frondem cunis [t] apposuêre novis.
Restat, ut inveniam, quare toga [u] libera detur
[x] Lucifero pueris, candide Bacche, tuo.
Sive, quòd ipse puer semper, juvenísque videris;
Et media est ætas inter [y] utrumque tibi:
Seu quia tu pater es, patres sua pignora natos
Commendant curæ numinibúsque tuis.
Sive, quòd es Liber, vestis quoque libera per te
Sumitur, & vitæ liberioris iter.
An quia, cùm prisci colerent studiosiùs agros,
Et patrio faceret rure Senator opus,
Et caperet fasces à curvo [z] consul aratro,
Nec crimen duras esset habere manus;
[a] Rusticus ad ludos populus veniebat in Urbem:
Sed Dîs, non [b] studiis [c] ille dabatur honos.
Luce suâ ludos uvæ commentor habebat:
Quos cum [d] tædiferâ nunc habet ipse Deâ.
Ergo, ut tyronum celebrare frequentia possit,
Visa dies dandæ non aliena togæ.

INTERPRETATIO.

Quamobrem sit tecta hederâ? Hedera est gratissima Baccho. Nulla est etiam difficultas dicere, quamobrem hoc ità sit. Nymphæ Nysiades sparserunt illa folia in novas cunas. Superest, ut reperiam, quamobrem toga libera præbeatur pueris tuo die, Bacche splendide. Sive, quia ipse videris semper puer atque juvenis, & ætas est tibi media inter utrumque: seu quia tu es parens, parentes commendant liberos sua pignora curæ & potestatibus tuis. Sive, quod es Liber, vestis quoque libera, atque via vitæ liberioris capitur per te. An quia, cùm veteres colerent studiosiùs agros, & Senator faceret opus in arvo patrio, atque Consul sumeret fasces à curvo aratro, neque esset crimen habere manus scabras, populus rusticus commeabat in Urbem ad ludos: verùm ille honos exhibebatur Diis, non studiis. Repertor uvæ habebat ludos die suâ, quos ipse nunc habet cum Deâ tædiferâ. Ergo, ut turba tironũ possit celebrare, visa dies non aliena togæ exhibendæ.

NOTÆ.

[q] *Hoc*] Ut Bacchæ seu Mænades hæderâ cinguntur.

[r] *Nisiades*] Quæ Nysam Arabiæ urbem, ubi à Nymphis educatus Bacchus, incoluerunt.

[f] *Noverca*] Junone *scil.* pellicibus, atque ex illis natis liberis, nunquam non infesta.

[t] *Apposuêre*] Ne à Junone puer Bacchus videretur. Centum verò alias hujuscemodi nugas hac de re referunt Mythologi.

[u] *Libera*] Virilis; quæ & pura, & recta dicebatur: quam ætatis anno 16, depositâ prætextâ, tyronibus, vitæ liberioris indicium, præbebant.

[x] *Lucifero tuo*] Die tibi festo.

[y] *Utrumque*] Puerum & juvenem, *scil.* inter quos est adolescens.

[z] *Consul*] *Majores nostri*, inquit Cicero, *ab aratro abduxerunt Cincinnatum illum, ut Dictator esset.* Atque hic triumphalis agricola, finitâ expeditione ad boves rursus rediit, ut habet Florus.

[a] *Rusticus*] Qui ruri ferè sese continebat.

[b] *Studiis*] *Voluptati.*

[c] *Ille*] Ludorum *scil.*

[d] *Tædiferâ*] Cerere *scil.* quæ olim accensis tædis, toto orbe à Plutone raptam suam Proserpinam quæsivit.

Mite, [e] Pater, caput huc placatáque cornua vertas ;
Et des ingenio vela secunda meo.
[f] Itur ad [g] Argêos, (qui sint, sua pagina dicet)
Hac, [h] si commemini, præteritâque die.
Stella [i] Lycaoniam [k] vergit proclinis ad Arcton
[l] Miluüs. hæc illâ nocte [m] videnda venit.
Quid [n] dederit volucri, si vis cognoscere, cælum ;
Saturnus regnis ab Jove pulsus erat.
Concitat [o] iratus validos [p] Titanas in arma ,
Quæque fuit [q] fatis debita , poscit opem.
Matre satus Terrâ monstrum mirabile taurus
Parte sui serpens posteriore fuit.
Hunc triplici muro lucis incluserat atris
Parcarum monitu [r] Styx violenta trium.
Viscera qui tauri flammis adolenda dedisset ,
[s] Sors erat, æternos vincere posse Deos.
Immolat hunc [t] Briareus facta ex adamante securi ;
Et jam jam flammis exta daturus erat.

INTERPRETATIO.

Pater , huc convertas leno caput & cornua mitia , atque prabeas vela faventia ingenio meo. Hâc die, atque præteritâ , si recordor, conceditur ad Argêos : pagina sua dicet qui sint. Milvus stella vergit proclinus ad Arcton Lycaoniam. Hac est conspicienda illâ nocte. Si cupu scire quid dederit cœlum aliti : Saturnus erat dejectus solio ab Jove. Iratus vocat potentes Titanas in arma, & petit auxilium quod fuit debitum fatis. Taurus monstrum stupendum ortum matre Terrâ fuit serpens parte posteriore sui. Styx sæva id clauserat muro triplici in lucis opacis jussu trium Parcarum. Sors erat, illum, *qui immisisset ignibus exta tauri adolenda posse superare Deos immortales. Briareus mactat hunc bipenni factâ ex adamante : & jam jam erat missurus viscera in ignem.*

NOTÆ.

[e] *Pater*] Bacchum precatur, ut incœpto operi faveat.

[f] *Itur*] Cum pompâ *scil.*

[g] *Argêos*] Argeorum templa , seu sacraria , loca erant in urbe, ubi sacra fiebant , à Numa consecrata : quæ quidem ab Argivorum illic sepultis viris illustribus dicta esse censuit Festus ; Varro à principibus qui cum Hercule Argivo Romam venerunt, & in Saturniâ subsederunt.

[h] *Si comm.*] Dicit istud, quia in Ponto, & diu his sacris non interfuerat Naso.

[i] *Licaoniam*] Ursam non semel Lycaonis filiam fuisse diximus , nomine Callistonem priusquam in feram mutaretur , tum in cœlum transferretur.

[k] *Vergit procl.*] In Septemtrionali est cœli parte.

[l] *Milvus*] Avis rapacissima ; quæ quidem hodie in stellis non recensetur : alii vulturem cadentem esse, alii Aquilam aut Cycnum volunt.

[m] *Videnda venit*] Oritur acronicè : non occidit, ut inepè inculcavit Commentator..

[n] *Dederit*] Inter sydera reposuerit.

[o] *Iratus*] Saturnus *scil.* à Jove filio cœlesti regno dejectus.

[p] *Titanas*] Gigantes intellige Titanis ac Terræ filios, qui in Jovem insurrexerunt.

[q] *Fatis debita*] Quænam fuerit biformis tauri immolatione ex sequentibus intelliges : lege modò.

[r] *Styx*] Palus inferna irremeabilis & inviolabilis.

[s] *Sors erat*] Scis jam quâ de ope fatis debita loquutus sit Naso.

[t] *Briareus*] Centimanus est ille gigas, qui & Ægæon dictus.

Jupiter alitibus rapere imperat. attulit illi
Miluüs: & meritis venit in astra suis.
[u] UNa dies media est; & fiunt sacra Minervæ:
Nomináque à junctis quinque diebus habent.
Sanguine prima vacat; nec fas [x] concurrere ferro.
Caussa, quod est illâ nata Minerva die.
Altera, tresque super stratâ [y] celebrantur [z] arenâ.
Ensibus exsertis [a] bellica læta Dea est.
Pallada nunc pueri teneræque [b] ornate puellæ.
Qui bene [c] placarit Pallada, doctus erit.
Pallade placatâ, lanam [d] mollite, puellæ:
Discite jam plenas exonerare colos.
Illa etiam [e] stantes [f] radio percurrere telas
Erudit; & rarum pectine [g] denset opus.
Hanc cole, qui maculas læsis de vestibus aufers:
Hanc cole, velleribus quisquis [h] ahena paras.
Nec quisquam invita faciat bene [i] vincula plantæ
Pallade; sit [k] Tychio doctior ille licet.

INTERPRETATIO.

Jupiter aves monet tollere. Milvus attulit illi; atque adscriptus est sideribus officiis suis.

UNa dies est media, & sacra Minervæ fiunt: atque obtinent nomina à quinque diebus junctis. Prima caret cruore; neque fas est congredi ferro. Ratio, quia Minerva est nata ea die. Altera, tresque præterea celebrantur arenâ stratâ. Dea bellica gaudet gladiis nudatis. Pueri atque puellæ mollès colite nunc Palladem. Qui bene leniverit Palladem erit doctus. Puellæ subigite lanam Pallade lenitâ: discite nunc expedire plenas colos. Illa etiam docet absolvere radio telas stantes, & denset rarum opus pectine. Qui tollis maculas ex vestimentis inquinatis, hanc celebra: Hanc cole quisquis adornas ahena lanæ. Neque ullus concinnè paret calceos pedibus infestâ Minervâ, quamvis ille sit peritior Tychio.

NOTÆ.

[u] *Una dies*] Decimo quarto ergo Cal. Apriles, seu 19 Martii Minervæ Quinquatrus. Festivum eum diem Varro, Festus, atque Gellius sic dictum inde volunt quòd post diem quintum iduum celebraretur: quomodo & *triatrus, sexatrus, decimatrus*, &c. dicebant. Aliam tamen opinionem sequutus est Naso; utcumque minùs veram.

[x] *Concurr.*] Atque adeò neque obtusis ensibus.

[y] *Celebrantur*] A gladiatoribus *scil.*

[z] *Arena*] Minio etiam, quamquam leviter, & post multam arenæ injectionem, instravit quondam insania principum.

[a] *Bellica*] Bello enim præest quoque Pallas.

[b] *Ornate*] *Celebrate, colite.* Illis festis certamina etiam Oratorum & Poëtarum exhibebantur.

[c] *Placarit*] Coluerit, & sacrificiis Palladis sibi propitium numen fecerit.

[d] *Mollite*] *Carminate.*

[e] *Stantes telas*] *Jugo annexa licia.*

[f] *Radio percur.*] *Stamini tramam interserere.*

[g] *Denset*] Verberando *scil.* fila pectine pendenti.

[h] *Ahena*] In quibus lanas fuco imbuunt infectores.

[i] *Vincula*] Calceos.

[k] *Tychio*] Qui Homero egregius coriarius, seu calceolarius.

Et licet antiquo manibus collatus [l] Epêo
Sit prior ; iratâ Pallade [m] mancus erit.
Vos quoque, [n] Phœbeâ morbos qui pellitis arte,
Munera de vestris pauca referte Deæ.
Nec vos turba [o] feri [p] censu fraudata magistri
Spernite. discipulos attrahit illa [q] novos.
Quique moves [r] cælum, tabulámque [s] coloribus uris;
Quique facis doctâ [t] mollia saxa manu.
Mille Dea est operum : certè Dea carminis illa est.
Si mereor, studiis adsit amica meis.
[u] Cœlius ex alto quà mons descendit in æquum;
Hîc ubi non plana est, sed prope plana via est;
Parva licet videas Captæ delubra Minervæ,
Quæ Dea [x] natali cœpit habere suo.
[y] Nominis in dubio caussa est. [z] capitale vocamus
Ingenium sollers : ingeniosa Dea est.
An, quia de capitis fertur sine matre [a] paterni
Vertice cum clypeo prosiluisse suo?

INTERPRETATIO.

Et quamvis comparatus ad veterem Epeum sit dextior manibus, erit ineptus Minervâ invitâ. Vos etiam qui arcetis morbos arte Phœbeâ, præbete Deæ aliqua dona de vestris. Neque vos contemnite agmen privatum mercede sævi magistri. Illa adducit novos discipulos. Tuque qui tractas cælum, atque uris tabulam coloribus, quique reddis marmor tenerum peritâ manu. Dea est mille operum : sanè illa est Dea versuum. Si dignus sum, adsit propitia meis studiis. Licèt cernas parva templa Minervæ Captæ, quæ Dea cœpit habere suo natali, quà mons Cœlius descendit ex excelso in planum, hic ubi via non est æqua, sed est prope æqua. Caussa nominis est incerta. Appellamus ingenium callidum Capitale : Dea est ingeniosa. An, quia dicitur prodiisse cum parmâ suâ de vertice capitis paterni sine matre?

NOTÆ.

[l] *Epeo*] Qui opifex equi Duratei.

[m] *Mancus*] Quippe sine Dei ejusque Sapientiæ ope nihil prosperè incipitur.

[n] *Phœbeâ*] Phœbi seu Apollinis inventum fuit ars Medica; quæ tamen etiam sub Palladis tutelâ.

[o] *Feri*] Uti quidem à dissolutis vocari solent discipulis. Quanquam & certè feri multi conspiciuntur didascali.

[p] *Censu mag.*] Minerval intellige seu mercedem, quam magistris suis soliti exsolvere discipuli hoc mense, nisi fortè magis ludis & bellariis à parentibus data stipendia destinarent : quare &, deceptis illis, ad scholas metu & pudore postea accedere non audebant.

[q] *Novos*] Illorum loco qui scholis per lasciviam valedixerunt.

[r] *Cælum*] Instrumentum est sculptorum.

[s] *Coloribus uris*] De Encaustice loquitur: quam artem dicimus Gallicè exercere, *travailler en émail.*

[t] *Mollia*] Mollia dicuntur marmora quando à marmorariis seu statuariis tantâ arte cælantur, ut positâ innatâ duritie quasi flecti & moveri videantur.

[u] *Cœlius*] Unus fuit ex septem Urbis montibus, ad cujus radices, ut patet ex Poëtæ descriptione, ædicula fuit Minervæ.

[x] *Natali*] Non quo ab initio nata est; sed mensis Martii simili, atque adeò ipso die primo Quinquatruum.

[y] *Nominis*] Captæ *scil.*

[z] *Capitale*] Eo sensu dixit Tullius, *Siculus ille capitalis, creber, acutus,* &c.

[a] *Paterni*] Jovis *scilic.* ex cujus cerebro prosiliisse dicitur. Trita fabula.

An, quia perdomitis ad nos captiva [b] Faliſcis
 Venit: & hoc ipſum litera priſca docet?
An, quòd habet legem, capitis quæ pendere pœnas
 Ex illo jubeat furta reperta loco?
A quacunque trahis ratione vocabula, Pallas;
 Pro Ducibus noſtris [c] ægida ſemper habe.
Summa dies è quinque [d] tubas luſtrare canoras
 Admonet, & [e] forti ſacrificare Deæ.
Nunc [f] potes ad Solem ſublato dicere vultu;
 Hic here [g] Phryxeæ vellera preſſit ovis.
[h] Seminibus [i] toſtis ſceleratæ fraude [k] novercæ
 Suſtulerat nullas, [l] ut ſolet, herba comas.
Mittitur ad [m] tripodas, certa qui [n] ſorte reportet,
 Quam [o] ſterili terræ [p] Delphicus edat opem.
[q] Hic quoque [r] corruptus cum ſemine nunciat Helles
 Et juvenis Phryxi funera [ſ] ſorte peti.

INTERPRETATIO.

An, quia venit ad nos captiva, Faliſcis ſubactis; atque littera antiqua docet iſtuc ipſum? An, quia habet legem, qua jubeat furta reperta ex eo loco perſolvere pœnas capitis? A quácumque cauſsâ ducas nomina ô Pallas, tene ſemper ægidem pro noſtris Ducibus. Ultima dies ex quinque hortatur luſtrare tubas ſonoras, & ſacrificare bellicoſæ Deæ. Jam potes dicere facie elatâ ad Solem, Hic preſſit heri vellera ovis Phryxeæ. Herba nullas comas produxerat, ut conſuevit, ſeminibus uſtis dolo nefaria novercæ. Mittitur ad tripodas qui renunciet certo oraculo, quodnam remedium Delphicus doceat ad terram infœcundam. Hic etiam corruptus cum ſemine refert mortem Helles & juvenis Phryxi poſci oraculo.

NOTÆ.

[b] *Faliſcis*] De iis Hetruriæ populis, eorumque ubertimis paſcuis jam ſæpe dictum.

[c] *Ægida*] Paratum habeas clypeum in Tiberii & Germanici ſalutem.

[d] *Tubas luſt.*] *Tubiluſtrium* ultima illa dies in veteri Calendario dicitur.

[e] *Forti*] Palladi *ſcil.*

[f] *Potes*] Quia Sol in Ariete 15 Calendas Apriles, ſeu 18 Martii.

[g] *Phryxea*] Arietis qui Phrixum in Colchos tulit, deinde in cœlum tranſlatus eſt: quod ſydus cùm Sol ingreditur veris facit initium.

[h] *Seminibus*] Phrixi, occaſione datâ ex ariete, fabulam refert Naſo.

[i] *Toſtis*] Hanc Inûs, Athamantis uxoris, Phrixique atque Helles novercæ, nequitiam jam ſuprà vidimus. Toſta ſemina ſerenda [illegible]it, ut cùm nullæ ſegetes inde progerminarent, ad [illegible] oraculi locus daretur, cujus ſuaſu [illegible] caitium impune pararet.

[k] *Noverca*] Inûs *ſcil.*

[l] *Ut ſoles*] Quando tamen ſincerum, nulloque igne corruptū ſemen terræ mandatur.

[m] *Tripodas*] Ex quibus menſis Phœbades ſeu Apollinis ſacerdotes oracula ſua edebant. Tripus adeòque metonymicè pro Phœbi ipſius oraculo hoc in loco ponitur.

[n] *Sorte*] *Oraculo.*

[o] *Sterili*] Uti quidem vulgò credebatur; cùm verè ex corruptis ſeminibus malum oriretur.

[p] *Delphicus*] Deus *ſcilic.* Apollo, quem Delphis ad Parnaſſum montem celeberrimum toto orbe tenuiſſe oraculum nullus ignorat.

[q] *Hic*] Qui miſſus ad oraculum.

[r] *Corruptus*] Ab Ino Phrixi atque Helles novercâ: quæ donis vel quoquo alio modo nuntium ad hoc pepulit, ut reſponſum Phrixo ejuſque ſorori exitioſum tanquam à Phœbo referret.

[ſ] *Sorte*] Apollinis oraculo.

Utque

Utque [t] recusantem [u] cives, & [x] tempus, & [y] Ino
Compulerunt regem jussa nefanda [z] pati;
Et [a] soror & Phryxus velati tempora ramis
[b] Stant simul ante aras: [c] junctáque fata gemunt.
Adspicit hos, ut fortè pependerat æthere, [d] mater;
Et ferit [e] attonitâ pectora nuda manu:
Inque [f] draconigenam [g] nimbis comitantibus urbem
Desilit: & natos eripit inde suos.
Utque fugam capiant, [h] aries nitidissimus auro
Traditur, ille vehit per [i] freta longa duos.
Dicitur infirmâ cornu tenuisse sinistrâ
[k] Fœmina; cum de se nomina fecit aquæ.
Pæne simul periit, dum vult succurrere lapsæ,
Frater; & extentas porrigit usque manus.
Flebat, ut amissâ [l] gemini consorte pericli,
Cæruleo junctam nescius esse [m] Deo.
Littoribus [n] tactis aries fit sidus: at hujus
Pervenit in [o] Colchas aurea lana domos.

INTERPRETATIO.

Utque cives, & tempus, & Ino coëgerunt regem repugnantem tolerare imperia horrenda; & soror & Phryxus habentes tempora cincta ramis stant simul pro altaribus, atque lugent fata communia. Ut fortè mater pependerat cœlo videt hos, atque plangit pectora nuda manu stupefactâ: Atque descendit properè in urbem draconigenam, nimbis comitantibus; & inde aufert liberos suos. Atque ut evadant, aries splendidissimus auro datur: ille fert duos per longa freta. Puella dicitur tenuisse cornu sinistrâ debili, cùm dedit aquæ nomina de se. Frater ferè unà extinctus est, dum vult subvenire lapsæ, atque usque tendit manus porrectas. Lugebat tanquam perditâ consorte duplicis discriminis, ignorans esse junctam Deo cæruleo. Aries mutatur in sidus, littoribus tactis; at vellus aureum hujus attigit domos Colchas.

NOTÆ.

[t] *Recusantem*] Liberos enim suos Athamas nolebat perdere.

[u] *Cives*] Thebani; quos malè urgebat annonæ caritas.

[x] *Tempus*] Cœli, quæ credebatur, intemperies.

[y] *Ino*] Quæ totius fraudis artificium machinata fuerat.

[z] *Pati*] Atque adeò liberorum mortem novercæ, tanquam Deo jubenti condonare.

[a] *Soror*] Phrixi *scil.* Helle.

[b] *Stant*] Mox immolandi.

[c] *Juncta*] Quia simul iisdemque dolis mactandi.

[d] *Mater*] Nephele, Phrixi atque Helles mater: quæ Nebula est, illoque à Græcis appellatur nomine.

[e] *Attonita*] Ex liberorum suorum clade.

[f] *Draconigenam*] Quia Thebæ Bœotiæ à Cadmo, in draconem denique mutato, ejusque sociis, ex satis draconis dentibus ortis, conditæ: ut dictum in Metam. & alibi sæpius.

[g] *Nimbis*] Qui frequentes nebularum comites.

[h] *Aries*] Seu potiùs cum Arietis insigni navis.

[i] *Freta*] Quibus deinde, ab Helles casu nomen *Hellespontus*: ut mox dicetur à Poëtâ.

[k] *Fœmina*] Helle *scil.*

[l] *Gemini*] A novercâ, deinde & aquâ.

[m] *Deo*] Neptuno, qui lapsam comprehendit, compressamque in Nympham mutavit.

[n] *Tactis*] A Phrixo *scil.* arieti imposito.

[o] *Colchas*] Postquam enim ad Aëten regem Colchorum Phrixus pervenit, arietis vellus aureum Marti in templo ejus suspendit; ut sæpe in præcedentibus inculcatum.

[p] TRes ubi Luciferos veniens præmiserit [q] Eos ;
Tempora nocturnis æqua diurna feres.
[r] INde quater pastor saturos ubi clauserit hœdos ,
[s] Canuerint herbæ rore recente quater ;
Janus adorandus, cumque hoc [t] Concordia mitis ,
Et Romana [u] Salus, aráque [x] Pacis erit.
LUna regit menses. hujus quoque tempora mensis
Finit [y] Aventino Luna colenda jugo.

INTERPRETATIO.

POstquam sequens Aurora præmiserit tres Luciferos, habebis tempora diurna æqualia nocturnis.

INde postquam Pastor clauserit quater hœdos saturos, gramina albuerint quater rore novo, Janus, atque lenis Concordia cum eo, & Salus Romana, atque altare Pacis erit colendum.

LUna habet imperium in menses. Luna celebranda in monte Aventino absolvit etiam tempora hujus mensis.

NOTÆ.

[p] *Tres*] Adeòque septimo Calendas Apriles, seu Martii mensis die 26 Nasoni fuerit Æquinoctium vernum : quod tamen vetus Calendarium ad octavum Calendas Ap. aut Martii 25 diem retrahit : Hodierni Astrologi in vigesimum, ratione habitâ minutarum, quas vocant, necesse habuerunt revocare.

[q] *Eos*] Aurora, quæ eo nomine à Græcis appellata, Luciferum stellam, diei prænuntiam, videtur ante se ideo mittere, quòd post illam splendescat & exoriatur.

[r] *Inde*] Tertio igitur Calend. Apriles: quanquam ad sextum retulit clariss. Neapolis, qui, non ab ultimo die quinquatruum, sed à primo, locum proximè superiorem, maluit recensere.

[s] *Canuerint*] Idem dies Martii trigesimus hâc & præcedenti periphrasi indicatur.

[t] *Concordia*] Quæ dea non unum Romæ templum habuit.

[u] *Salus*] Huic templum à C. Junio Bubulco Censore in colle Quirinali locatum ; quod Consul voverat, Dictator dedicavit.

[x] *Pacis*] Cui deinde magnificentissimum templum à Claudio inchoatum Vespasianus Romæ construxit.

[y] *Aventino*] In illo quippe monte à Latinis, Servio regnante, extructum Dianæ templum, & refugium inviolabile.

FASTORUM
LIBER IV.

ALma, fave vati, [a] geminorum mater Amorum.
Ad [b] vatem vultus retulit illa suos.

INTERPRETATIO.

ALma mater geminorum Amorum esto propitia Poëtæ. Illa convertit faciem suam ad Poëtam.

NOTÆ.

[a] *Geminorum*] Plures quidem finxerunt Amores antiqui, matremque sævam Cupidinum Venerem appellat Horatius : quamobrem verò geminos dicat Naso non satis assequor, nisi fortè ad unius Amoris in diversis cordibus geminum effectum allusit. Non enim placent jam quæ de Joco & Cupidine, multò minùs quæ de terrestri & cælesti Amore, protulerunt.

[b] *Vatem*] Nasonem scil.

Quid tibi, ait, mecum? certè [c] majora canebas.
Num [d] vetus in molli pectore vulnus habes?
Scis Dea, respondi, de vulnere. [f] risit: & æther
Protinus ex illâ parte serenus erat.
Saucius, an [g] sanus, nunquid tua [h] signa reliqui?
Tu mihi propositum, tu mihi semper opus.
Quæ decuit, primis [i] sine crimine lusimus annis:
Nunc [k] teritur nostris area major equis.
Tempora cum caussis Annalibus eruta priscis,
Lapsáque sub terras, ortáque signa cano.
Venimus ad quartum, quo tu [l] celebertima, mensem.
Et vatem, & mensem scis, Venus, esse tuos.
Mota [m] Cytheriacâ leviter mea tempora [n] myrto
Contigit: &, Cœptum perfice, dixit, opus.
[o] Sensimus; & subitò caussæ patuêre dierum.
Dum licet, & spirant [p] flamina; [q] navis eat.
Si qua tamen pars te de Fastis tangere debet,
[r] Cæsar, in Aprili, quo tenearis, habes.

INTERPRETATIO.

Quid, inquit, est tibi mecum? sanè cantabat majora. Num habes plagam antiquam in corde tenero? Scis Dea, de plagâ, retuli. Risit; & continuò cœlum erat purum ex illâ parte. Vulneratus, seu intactus, nunquid deserui tua signa? Tu semper mihi inceptum, tu mihi opus. Lusimus primâ ætate quæ decorum fuit, sine crimine: nunc area major calcatur ab nostris equis. Canto tempora excerpta ex veteribus Annalibus, cum rationibus eorum; *atque sidera condita sub terras, & quæ apparent. Accessimus ad quartum mensem, quo tu ornatissima, nosti, Venus, & Poëtam, & mensem esse tuos. Conciliata tetigit leviter mea tempora myrto Cytheriacâ; atque, inquit, absolve opus inceptum. Sensim atque statim rationes dierum sunt aperta. Quandiu conceditur, & venti flant, navis currat. Si tamen pars aliqua de Fastis debet te movere, Cæsar, habes in Aprili quod te moretur.*

NOTÆ.

[c] *Majora*] Quàm quæ Veneris jocosæ instinctu sint scribenda. Minùs enim illa Tempora cum caussis, cæteraque à Nasone suscepta curæ habet.

[d] *Vetus*] Amoris *scil.*

[e] *De vulnere*] Additum istud, quia paullò antè dixerat Venus, *Quid tibi mecum?* Verùm notanda insuper Poëtæ calliditas & mollis elegantia.

[f] *Risit*] Noverat quippe sibi quid vellet veterator.

[g] *Sanus*] Nullo in amore occupatus.

[h] *Signa rel.*] *Destitui te.* Metaph. à militibus.

[i] *Sine crim.*] Sæpius ità prædicavit; minùs verè tamen.

[k] *Teritur*] Metaph. alia, quâ gravioribus quàm Amoris districtum sese Naso indicat.

[l] *Celeberrima*] Quia & Veneri sacer mensis, & ipsa eo mense multùm potest.

[m] *Cytheriacâ*] Cytheris insulâ Veneri sacrâ petitâ.

[n] *Myrto*] Quæ Veneri sacra arbuscula.

[o] *Sensimus*] Divæ quippe instinctu omnia prona vidit Naso.

[p] *Flamina*] Vento secundo similem facit Veneris favorem.

[q] *Navis*] *Inceptum Poëma augeatur.* Pergit in eâdem Metaph.

[r] *Cæsar*] Germanicum alloquitur.

Hic ad te magnâ descendit imagine mensis :
  Et fit [f] adoptivâ nobilitate tuus.
[t] Hoc pater Iliades, cùm [u] longum scriberet annum,
  Vidit ; & auctores rettulit ipse suos.
Utque fero Marti [x] primam dedit ordine sortem,
  Quòd sibi nascenti [y] proxima caussa fuit ;
Sic Venerem [z] gradibus multis in gente repertam
  Alterius voluit mensis habere locum.
Principiúmque sui generis, [a] revolutáque quærens
  Sæcula, cognatos venit ad usque Deos.
[b] Dardanon [c] Electrâ nesciret Atlantide cretum
  Scilicet ; Electran concubuisse Jovi ?
[d] Hujus Erichthonius : Tros est generatus ab illo :
  Assaracon creat hic : Assaracúsque Capyn.
Proximus Anchisen : cum quo commune parentis
  Non dedignata est nomen [e] habere Venus.
Hinc satus Æneas, [f] pietas spectata per ignes,
  [g] Sacra, patrémque humeris [h] altera sacra, tulit.

Interpretatio.

Hic mensis venit ad te magnâ specie, & fit tuus nobilitate adoptivâ. Pater Iliades istud advertit, cùm describeret longum annum ; atque ipse memoravit progenitores suos. Et sicut asseruit savo Marti primam sortem ordine, quia fuit sibi caussa proxima nascendi, ità voluit Venerem inventam in stirpe multis gradibus obtinere locum mensis alterius. Atque quærens initium suæ gentis & sæcula præterita, venit usque ad Deos consanguineos. Quasi verò ignoret Dardanum ortum ex Electrâ Atlantide ; Electran concubuisse Jovi ? Erichthonius fuit filius *hujus : Tros est creatus ab illo : Hic generat Assaracum, atque Assaracus Capyn. Proximus Anchisen, cum quo Venus non recusavit habere nomen commune parentis. Hinc ortus Æneas ; Pietas comprobata per flammas portavit sacra humeris, atque genitorem altera sacra.*

Notæ.

[f] *Adoptivâ*] Quia in domum Juliam ex Venere ortam adoptatus Germanicus.

[t] *Hoc*] Ad se *scil.* spectare mensis Aprilis Venerisque, cui dicatus, nobilitatem.

[u] *Longum*] Longus certè est : neque aliud voluit Naso ; aut discrimen ullum ab anno Lunari cogitavit.

[x] *Primam*] Quia mensem Martium, Romulo primum, Marti patri Romulus idem consecravit.

[y] *Proxima*] Pater *scil.* siquidem cum Iliâ Romuli matre rem habuit.

[z] *Gradibus*] Consanguinitatis *scil.* Non enim proxima causa, aut Romuli mater Venus fuit ; sed per longam nepotum seriem ad ipsum denique descendit.

[a] *Revoluta*] *Exacta & præterita.*

[b] *Dardanon*] Ab isto Jovis filio, secundoque Ilii rege Poëta Romani generis repetit vetustatem.

[c] *Electrâ*] Atlantis fuit filia ex quâ Jupiter Dardanum suscepit.

[d] *Hujus*] Dardani *scil.* filius fuit Erichthonius.

[e] *Habere nomen*] Quia cum Anchise concubuit Venus ; unde & uterque Æneæ Parentes dicti.

[f] *Pietas*] Decantata ea fuit, si quidquam aliud.

[g] *Sacra*] Deos Penates.

[h] *Altera*] Patrem Anchisen Æneas quia pro Deo coluit.

Venimus ad [i] felix aliquando nomen [k] Iüli :
　Vnde domus [l] Teucros Julia tangit avos.
[m] Postumus huic ; qui, quòd silvis fuit ortus in altis ,
　Silvius in Latiâ gente vocatus erat.
[n] Isque, Latine, tibi pater est : subit Alba Latinum :
　Proximus est titulis Epitos, Alba, tuis.
Ille dedit Capyi [o] recidiva vocabula Trojæ ;
　Et tuus est idem, Calpete, factus avus.
Cùmque patris regnum post hunc Tiberinus haberet ;
　Dicitur in [p] Thuscæ gurgite mersus aquæ.
Jam tamen [q] Agrippan genitum, Remulúmque nepotem
　Viderat ; in Remulum fulmina missa ferunt.
Venit Aventinus post hos ; [r] locus unde vocatus ;
　Mons quoque. post illum tradita regna Procæ.
Quem sequitur [s] diri Numitor germanus Amulî.
　[t] Ilia cum [u] Lauso de Numitore sati.

INTERPRETATIO.

Tangimus denique beatum nomen Iuli , ex quo domus Iulia spectat ad majores Teucros. Postumus fuit huic filius ; qui, quòd fuit natus in excelsis silvis, erat appellatus Silvius in natione Latinâ. Isque est tibi parens, Latine ; Alba sequitur Latinum : Epytus est proximus tuis titulis, ô Alba. Ille dedit Capyi nomina repetita Troja , atque idem est factus tuus avus, Calpete. Et cùm Tiberinus obtineret imperium patris ab isto , dicitur mersus in alto aqua Thusca. Jam tamen viderat Agrippan natum , atque Remulum nepotem : aiunt fulmina jacta in Remulum. Aventinus subsequutus est hos, ex quo locus dictus atque collis. Imperium commissum Proca ab ille. Quem Numitor frater crudelis Amulii sequitur. Ilia atque Lausus ortè ex Numitore.

NOTÆ.

[i] *Felix*] Propter Cæsares inde ortos.

[k] *Iuli*] Qui Æneæ filius.

[l] *Teucros*] *Troianos.*

[m] *Postumus*] Hunc Virgilius Æneæ facit filium ; quem sibi in successorem assumsisse Ascanium scripto reliquit Dionys. Halicarnassæus.

[n] *Isque*] Non Silvii Posthumi , sed Æneæ Sylvii ex illo orti Latinum faciunt filium Virgilius, aliique. Quare hinc periisse Distichon non temerè conjicias. Verùm cùm satis diversa de Albanorum regum successione tradant auctores , non ineptum fuerit illorum seriem ex Livio , Eusebio , nostroque Nasone transcribere.

Livius :	*Eusebius :*	*Ovidius :*
Æneas	Æneas	Æneas
Ascanius	Ascanius	Ascanius
Silvius	Silvius	Silvius
Æneas	Æneas	
Latinus	Latinus	Latinus
Alba	Alba	Alba
Atis	Silvius Athis	Epithus
Capys	Capys	Capys
Capetus	Calpetus	Capetus
Tiberinus	Tiberinus	Tiberinus
Agrippa	Agrippa	Remulus
Remulus	Remulus	Agrippa
Aventinus	Aventinus	Aventinus
Proca	Procas	Proca
Amulius.	Amulius.	Numitor.

[o] *Recidiva*] *Resurgentia.* Habuimus namque suprà Capyn in regibus Troianis.

[p] *Thusca*] Tibris enim fluvius Thusciæ seu Hetruriæ.

[q] *Agrippan*] Acrotan appellavit in Metam.

[r] *Locus*] In quo & sepultus.

[s] *Diri*] Quia Numitorem fratrem majorem natu,cui vetustum Silviæ gentis regnum à patre legatum,vi & dolis solio deturbavit, omnemque ejus stirpem exscindere , nisi Romulus obstitisset, non dubitavit.

[t] *Ilia*] Remi Romulique mater,Rhea insuper atque Silvia dicta.

[u] *Lauso*] Ægestus dicitur à Dionysio,

Ense cadit patruo Lausus: [x] placet Ilia Marti;
Teque parit, gemino juncte [y] Quirine Remo.
Ille suos semper Venerem Martémque [z] parentes
Dixit. & [a] emeruit vocis habere fidem.
Neve secuturi possent nescire nepotes;
Tempora Dîs generis [b] continuata dedit.
Sed Veneris mensem [c] Grajo sermone notatum
Auguror: à spumis est Dea dicta maris.
Nec tibi sit mirum Grajo [d] rem nomine dici:
[e] Itala nam tellus Græcia major erat.
Venerat [f] Evander plenâ cum classe suorum:
Venerat [g] Alcides, Grajus uterque genus.
Hospes Aventinis armentum pavit in herbis
[h] Claviger: & tanto est [i] Albula pota Deo.

INTERPRETATIO.

Lausus peremtus est gladio patrui. Ilia grata est Marti, atque te enititur Quirine juncte Remo gemello. Ille asseruit semper Martem atque Venerem parentes suos; atque emeruit habere fidem vocis. Et ne nepotes venturi possent ignorare, dedit tempora juncta Diis gentis. Verùm conjicio mensem Veneris signatum sermone Græco: Dea est appellata à spumis maris. Neque sit tibi novum rem appellari nomine Græco; nam terra Itala erat major Græcia. Evander accesserat cum integrâ classe suorum: Alcides accesserat; ambo stirpe Græcâ. Hospes clavam ferens pavit armentum in gramine Aventino, & Albula hausta est à tanto Deo.

NOTÆ.

[x] *Placet*] Atque hinc satos Remum Romulumque jam sæpius diximus.

[y] *Quirine*] Romulus est eo nomine post fata appellatus.

[z] *Parentes*] Patet verò fuisse ex modò relatâ serie: ficta tantùm ne esset.

[a] *Emeruit*] Diis quippe fatum Romuli virtus suasit.

[b] *Continuata*] Marti quidem Martium primum mensem, Veneri alterum Aprilem consecravit.

[c] *Graio*] *Græco.* Macrobius Saturnalium primo, de Romulo: *Secundum mensem nominavit* Aprilem, *quasi* Aphrilem, *à spumâ, quam Græci ἀφρὸν vocant, unde orta Venus creditur: & hanc Romuli fuisse asserunt rationem, ut primum quidem mensem à patre suo Marte, secundum ab Ænea matre Venere nominaret: & hi potissimùm anni principia servarent, à quibus esset Romani nominis origo.* Fabulæ: sed quæ placuerunt. Alii ad aperiendo Aprilis nomen deducunt, quod eo omnia aperiantur. Verùm ab Apro, imitatione Græcorum, quibus December ἐλαφηβολιὼν a cervis dicitur, deductum nomen eruditè, ut consueverat, ostendit summus ille Criticorum Josephus Scaliger.

[d] *Rem*] Mensem *scil.* Aprilem.

[e] *Itala*] Non tota quidem, sed, ut placuit nonnullis Italiæ latus, quod infero mari alluitur; seu potiùs, ex aliorum sententiâ, pars illa quæ à Tarento usque ad Cumas porrigitur, quia ibi plerasque omnes civitates Græci condiderant.

[f] *Evander*] De quo plus quàm satis suprà dictum.

[g] *Alcides*] Hercules: quem etiam non semel in præcedentibus vidimus.

[h] *Claviger*] Herculis clavam habuimus quoque sæpius.

[i] *Albula*] Eo antiquo nomine, ab aquæ, seu potiùs arenæ colore, dictus Tibris.

Dux quoque [k] Neritius. testes [l] Læstrygones exstant:
Et quod adhuc [m] Circes nomina littus habet.
Et jam [n] Telegoni, jam mœnia [o] Tiburis udi
Stabant: Argolicæ quod posuêre manus.
Venerat [p] Atrides fatis agitatus Halesus;
A quo se dictam terra [q] Falisca putat.
Adjice Trojanæ suasorem [r] Antenora pacis,
Et generum [s] Oeniden, Appule [t] Daune, tuum.
[u] Serus ab Iliacis, & post Antenora, flammis
Attulit Æneas in loca [x] nostra [y] Deos.
Hujus erat [z] Solymus [a] Phrygiâ comes exul ab Idâ:
A quo Sulmonis mœnia [b] nomen habent.
[c] Sulmonis gelidi patriæ, Germanice, nostræ.
Me miserum, [d] Scythico quàm procul illa solo est!

INTERPRETATIO.

Rex Neritius accessit *etiam: Lastrigones sunt testes; itemque littus quod obtinet adhuc nomina Circes. Atque jam muri Telegoni, jam Tiburis humidi, quod manus Argolica condiderunt, stabant. Halesus Atrides impulsus fatis, à quo terra Falisca credit se appellatam, accesserat. Adde Antenorem suasorem pacis Trojanæ, & Oeniden generum tuum, Dauno Appule. Æneas tardius, & post Antenorem, advexit Deos in nostras sedes, ab ignibus Trojanis. Solymus erat socius hujus, profugus ab Idâ Phrygiâ, à quo muri Sulmonis habent nomen: Sulmonis frigidi patria nostra, ô Germanice. Me infelicem, quantùm illa est longè à terrâ Scythicâ.*

NOTÆ.

[k] *Neritius*] A Nerito in Leucate insulâ, quæ Laërtis patris Ulyssis fuit, hic dictus Neritius.

[l] *Lastrygones*] Hos Anthropophagos Ulyssi nonnullos ex sociis surripuisse dictum in præcedentibus.

[m] *Circes*] Circeum quippe promontorium, hodie *monte Circello*, haud procul ab Urbe versus Orientem situm est.

[n] *Telegoni*] Qui Ulyssis ex Circe filius Tusculum posuit: cujus quidem hodie vix rudera quædam exstant prope *Frescati*.

[o] *Tiburis*] Hoc suburbanum prope oppidulum Tiburtius Coras & Catillus fratres atque Maroni *Argiva juventus* statuerunt. *Tivoli* hodie, retento à Tiburtio seu Tiburno, majore natu, nomine, dicitur: quanquam & Horatius aliique Catilli etiam mœnia appellaverunt.

[p] *Atrides*] Quia ex Agamemnone Atrei filio ortus, uti quidem nonnullis non abs re verisimile: quanquam aurigam ejus alii tantùm voluerunt.

[q] *Falisca*] Quæ in Hetruriâ, non longè ab Urbe ad Septentrionem. Mutatum autem elementum H in F magnâ illorum cognatione, ad nominis etymologiam.

[r] *Antenora*] Hic Antenor Patavii fuit conditor, qui, stante adhuc Troiâ, pro pace cum Græcis ineundâ sæpe verba coram Priamo fecit.

[s] *Oeniden*] Diomeden dicit Oenei nepotem, qui Arpi oppidum in Appulia statuit.

[t] *Daune*] Rex fuit Appuliæ, qui filiam suam Diomedi collocavit uxorem.

[u] *Serus*] Quia post Antenorem aliosque memoratos, in Italiam venit.

[x] *Nostra*] Italiam *scil.* Nasonis patriam.

[y] *Deos*] Penates, Vestamque præcipuè.

[z] *Solymus*] Qui & *Selimus* & *Selemnus* dictus, Sulmonemque Poëtæ patriam in Pelignis condidit.

[a] *Phrygiâ*] Ut ab ejusdem nominis aliis montibus distinguatur. In Idâ autem Troiæ seu Phrygiæ consederant qui Æneâ duce Italiam deinde, paratâ illic classe petierunt.

[b] *Nomen*] A Solimo enim *Sulmo* deductum nomen.

[c] *Sulmonis*] Affectus maximi plena est hæc repetitio; quæque non parùm ad reditum in patriam impetrandum, si fata sivissent, conferret.

[d] *Scythico*] Ubi exulabat Naso, cùm inchoatum Romæ Fastorum hoc opus perficeret.

Ergo ego? tam longas sed supprime, Musa, querelas:
Non tibi sunt mœstâ sacra canenda lyrâ.
[e] Quò non Livor abit? sunt qui tibi [f] mensis honorem
Eripuisse velint, [g] invideántque, Venus.
Nam, quia Ver aperit [h] tunc omnia, densáque cedit
Frigoris asperitas, [i] fœtáque terra parit;
Aprilem memorant ab aperto tempore dictum:
Quem Venus [k] injectâ vindicat alma manu.
Illa quidem totum [l] dignissima [m] temperat orbem:
Illa tenet nullo regna minora Deo:
Juráque dat cælo, terræ, [n] natalibus undis;
Perque suos initus [o] continet omne genus.
Illa Deos omnes (longum enumerare) creavit:
Illa [p] satis caussas arboribúsque dedit:
Illa rudes animos hominum [q] contraxit in unum;
Et docuit jungi cum pare quemque suâ.
Quid genus omne creat volucrum, nisi blanda [r] voluptas?
[s] Nec coëant pecudes, si levis absit amor.
Cùm mare [t] trux aries cornu decertat: at idem
Frontem dilectæ lædere parcit ovis.

INTERPRETATIO.

Ergo ego? Verùm, Musa, reticeo tam prolixas querimonias: sacra non sunt tibi cantanda lyra tristi. Quò non fertur Invidia? Sunt, Venus, qui cupiant abstulisse tibi gloriam mensis, atque æmulentur. Nam quia Ver tunc recludit omnia, atque sævitia compacta frigoris laxatur, & tellus gravida profert fœtus, dicunt Aprilem appellatum à tempore aperto: quem Venus alma asserit manu immissâ. Illa quidem dignissima moderatur totum mundum: illa potitur regno nullo Deo inferiore: atque dat jura cælo, terræ, fluctibus natalibus, & continet omne genus per suos accessus. Illa (prolixum est recensere) creavit omnes Deos: illa præbuit caussas satis atque arboribus. Illa coëgit in unum animos feros hominum; atque docuit quemque venire cum æquali suâ. Quid gignit omnē speciem avium nisi levis voluptas? Neque pecora jungantur, si levis amor absit. Aries truculentus decernit cornu cum masculo; at idem metuit ferire frontē cara ovis.

NOTÆ.

[e] *Quò*] Latenter increpat invidos, quorum caussâ cunctanter in gratiam redibat.

[f] *Mensis*] Aprilis *scil.*

[g] *Invideant*] Ludit quidem Naso, & caussæ suæ servit: namque, illud nisi esset, tam facilis in Aprilis etymologiâ haud quaquam fuisset, neque à Græco temerè duxisset.

[h] *Tunc*] Mense Aprili.

[i] *Fœta*] Omnis generis seminum gravida.

[k] *Injecta*] Sollenni illorum more qui quod suum est vindicant.

[l] *Dignissima*] Esto: non illud agitur tamen: neque istud nescivit Naso.

[m] *Temperat*] Quia Amoris dea; quo quidem omnia consistunt.

[n] *Natalibus*] Utpote ex quibus orta; ut sæpe dictum.

[o] *Continet*] Amore quippe nisi diversi sexus animalia jungerentur, illorum genus omne interiret.

[p] *Satis*] Quia præest fœcunditati.

[q] *Contraxit*] Concordi jugo copulavit.

[r] *Voluptas*] Venus quam habet in suâ potestate.

[s] *Nec pecud.*] Multò minùs homines.

[t] *Trux*] Quanquam ovilis natura maximè lenis: at hinc sine Amoris Venerisque potestate, quâ & Leones deliniuntur, omnia sæva & truculenta intelligas.

Depositâ

Depositâ taurus sequitur feritate juvencam,
Quem toti saltus, quem nemus omne tremunt.
[u] Vis eadem, lato quodcunque sub æquore vivit,
Servat; & innumeris piscibus implet aquas.
Prima feros habitus homini detraxit: ab illâ
Venerunt cultus mundáque cura sui.
Primus amans carmen vigilatum nocte [x] negatâ
Dicitur ad clausas concinuisse fores.
Eloquiúmque fuit duram exorare puellam:
Proque suâ causâ quisque [y] disertus erat.
Mille per hanc artes motæ; studioque placendi,
Quæ latuêre priùs, multa reperta ferunt.
[z] Hanc quisquam titulo mensis spoliare secundi
Audeat? à nobis sit procul iste furor.
Quid, quod ubique potens, templísque frequentibus aucta,
Urbe tamen nostrâ jus Dea majus habet?
Pro Trojâ, Romane, [a] tuâ Venus [b] arma ferebat;
Cùm gemuit teneram [c] cuspide læsa manum,
[d] Cælestésque duas [e] Trojano judice vicit.
Ah [f] nolim victas hoc meminisse Deas!
[g] Assaracíque [g] nurus dicta est: ut scilicet olim
Magnus [i] Iüleos Cæsar haberet avos.

INTERPRETATIO.

Taurus, quem tota silva, quem omne nemus metuunt, sequitur juvencam, sævitiâ omissâ. Eadem potentia servat quodcumque vivit sub vasto mari; atque replet aquas piscibus innumeris. Prima sustulit truces habitus homini: ornatus & nitida cura sui initium habuerunt ab illâ. Amans dicitur primus cantasse ad januam obseratam versus lucubratos nocte negatâ. Et eloquentia fuit flectere rigidam puellam: & quisque erat facundus pro suâ causâ. Mille artes excitata per hanc; atque dicunt multa, quæ priùs fuerunt recondita esse inventa voto placendi. Aliquis audeat hanc fraudare honore mensis secundi? Ista vesania sit longè à nobis. Quid, quòd Dea ubique valens, atque decora: a multis delubris, habet tamē jus amplius in Urbe nostrâ. Romane, Venus gerebat arma pro tuâ Trojâ, cùm questa est habens manum vulneratam mucrone, atque superavit duas Deas, judice Trojano. Ah nolim Deas superatas hujus recordari! Atque dicta est nurus Assaraci: ut videlicet aliquando ingens Cæsar haberet progenitores Iuleos.

NOTÆ.

[u] *Vis*] Amoris Venerisque.

[x] *Negatâ*] Ab amicâ *scil.*

[y] *Disertus*] Ad amicam intellige.

[z] *Hanc*] Venerem *scil.*

[a] *Tuâ*] Omnino siquidem ex illâ orti Romani.

[b] *Arma*] Cùm Æneas præsertim adversus Diomedem pugnaret, quo certamine vulnus in manu accepit. Sed Troianis faventem Venerem non semel in præcedentibus vidimus.

[c] *Cuspide*] A Diomede impulsâ.

[d] *Cœlestes*] Junonem *scilic.* atque Minervam; quas pulcritudinis laude veneri cedere jussit Paris.

[e] *Troiano*] Paride *scil.*

[f] *Nolim*] Ne Romanis adhuc, sicut olim Troianis, irascerentur.

[g] *Assaraci*] Qui Troïs filius & Capys pater Anchisæ fuit avus: cujus quidem Anchisæ cum Venere concubitu, per Ænean atque Iulum ad Juliam gentem & Cæsares illius deæ sanguis est derivatus.

[h] *Nurus dic.*] Propterea quòd cum Anchisâ nepote conjuncta.

[i] *Iuleos*] Ab Iulo, adeòque à divis procreatos.

Nec Veneri tempus, quàm ver, erat aptius ullum.
  Vere [k] nitent terræ : vere remissus ager.
Nunc herbæ ruptâ tellure cacumina tollunt ;
  Nunc tumido gemmas cortice palmes agit.
Et formosa Venus formoso tempore digna est :
  Utque solet, Marti [l] continuata suo.
Vere monet curvas [m] materna per æquora puppes
  Ire : nec [n] hibernas jam timuisse minas.
Rite Deam Latiæ colitis matrésque nurúsque ;
  Et vos, [o] queîs vittæ longáque vestis abest.
Aurea [p] marmoreo redimicula solvite collo :
  Demite divitias : tota lavanda Dea est.
Aurea siccato redimicula reddite collo :
  Nunc alii flores, nunc nova danda rosa est.
Vos quoque [q] sub viridi myrto jubet illa lavari :
  Caussáque, cur jubeat, (discite) certa subest.
Littore siccabat rorantes nuda capillos.
  Viderunt Satyri turba proterva Deam.
Sensit, & appositâ texit sua corpora myrto.
  Tuta fuit facto : vosque [r] referre jubet.
Discite nunc, quare Fortunæ thura [s] Virili
  Detis eo, calidâ qui locus humet aquâ.

INTERPRETATIO.

Neque ullum tempus erat convenientius Veneri, quàm ver. Vere terra florens, vere campus quietus. Nunc gramina exserunt fastigia solo fisso : nunc palmes protrudit gemmas ex gravido cortice. Atque pulcra Venus digna est pulcro tempore, & juncta suo Marti, ut consuevit. Vere jubet naves cavas currere per maria materna : neque jam reformidasse minas hiemales. Matres & puellæ Latinæ, vosque quibus vitta & promissa vestis non est, celebratis Deam rite. Demite monilia aurea collo marmoreo, tollite divitias, tota Dea est abluenda. Reponite monilia aurea collo siccato : nunc alii flores, nunc recens rosa efferenda est : Illa etiam imperat vos ablui sub viridi myrto ; atque ratio indubitata sese offert, quamobrem imperet, cognoscite. Nuda siccabat in littore comam stillantem : Satyri agmen petulans aspexerunt Deam. Advertit, atque operuit sua corpora myrto. Secura fuit facto : atque imperat vos repetere. Accipite jam, quamobrem efferatis thura fortunæ virili eo loco, qui rigatur aquâ tepidâ.

NOTÆ.

[k] *Nitent*] Adeóque & placent.

[l] *Continuata*] Hoc ideo dictum volunt, quòd sicuti Aries Marti domicilium assignatum est, proximus Taurus Venerem accepit. Quæ quidem astrologorum dogmata si cui licet altiùs rimari, illos adeat qui de iis ex professo egerunt.

[m] *Materna*] Quia è maris spumâ Venus procreata.

[n] *Hibernas*] Propter vim ventorum, qui eâ tempestate desæviunt.

[o] *Queîs vittæ*] Vitta & stola solarum matronarum & virginum honestarum fuerunt. Quare ad impudiculas spectare istud, legendumque mox *abest*, vix dubitem.

[p] *Marmoreo*] Veneris *scil.* ut deterso simulacro redimiculis suis, novísque floribus aptiùs deinde ornaretur.

[q] *Sub vir.*] Myrto, Veneri sacræ arbusculæ, coronatæ mulieres prope templum Fortunæ Virilis Calendis Aprilis lavabantur.

[r] *Referre*] Ad rei memoriam *scil.*

[s] *Virili*] Ut ab aliis distinguatur, quæ plures Romæ templa sua habuerunt. Huic verò à Servio Tullio ad Tiberim positum templum.

Accipit ille locus posito velamine cunctas;
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celétque viros, Fortuna Virilis
Præstat: & [t] hoc parvo thure rogata facit.
Nec pigeat niveo [u] tritum cum lacte papaver
Sumere, & expressis mella liquata favis.
Cùm primum cupido Venus est deducta [x] marito;
[y] Hoc bibit. ex illo tempore nupta fuit.
Supplicibus verbis illam placate: [z] sub illâ
Et forma, & mores, & bona fama manent.
Roma [a] pudicitiâ proavorum tempore lapsa est:
[b] Cumæam, veteres, consuluistis anum.
Templa jubet Veneri fieri: quibus ordine [c] factis,
[d] Inde Venus verso nomina corde tenet.
Semper ad [e] Æneadas placido, pulcerrima, vultu
Respice: totque tuas, Diva, tuêre nurus.
[f] Dum loquor, elatæ metuendus acumine caudæ
Scorpios in virides [g] præcipitatur aquas.

INTERPRETATIO.

Ille locus accipit omnes veste depositâ, atque intuetur omnem mendam nudi corporis. Fortuna Virilis facit ut eam operiat, & subtrahat viris: atque id præstat adorata exiguo thure. Neque molestum sit capere papaver mixtum cum lacte candido, atque mella expressa ex favis liquatis. Cùm Venus primùm perducta fuit ad maritum cupidum, hoc hausit; atque ex eo tempore fuit marita. Conciliate vobis favorem illius vocibus humilibus: Et pulcritudo, & mores, & favens rumor sunt sub illâ. Roma excidit castitate tempore majorum: antiqui consuluistis anum Cumæam. Monet ut ædes ponantur Veneri: quibus rite conditis, corde verso Venus inde habet nomina. Formosissima converte semper faciem propitiam ad Æneadas; atque, Diva, protege tot tuas nurus. Dum loquor, Scorpius formidandus aculeo cauda sublata mergitur aquis glaucis.

NOTÆ.

[t] *Hoc*] Ut viros celet quicquid vitii in muliebri corpore.

[u] *Tritum*] *Cocetum* appellaverunt istud genus potionis; cujusmodi nuptis die ipso nuptiarum à multis exhibebatur.

[x] *Marito*] Vulcano *scil.*

[y] *Hoc*] Cocetum *scil.* seu liquorem ex lacte, melle & papavere intrito, ad res Venereas conferentem.

[z] *Sub illâ*] Ex Veneris pendent numine.

[a] *Pudicitiâ lapsa*] *Quasi defecit, cùm non teneretur* ridiculè exposuit Paulus. Immo illo tempore Acilio Balbo, Porcioque Catone Consulibus, anno ab Urbe 639, tantus libidinis ardor Romanas fœminas invaserat, ut sine ullo pudore in Venerem ruerent: tresque uno tempore Vestales genere nobilissimæ incesti pœnas dederunt.

[b] *Cumæam*] Hoc est Sibyllæ, quæ Cumis in Campaniâ fuisse dicitur, libros, de quibus in præcedentibus.

[c] *Factis*] Hæc extra portam Collinam posita, in viâ Salariâ.

[d] *Inde*] Ex eo tempore & facto quo fœminarum corda ad pudicitiam revocavit, *Verticordia* dicta est. Hæc Græcis est *ἀφροδίτης ἀποστροφία*, hoc est, quæ ab impiis desideriis atque injustis operibus avertat homines.

[e] *Æneadas*] *Romanos*, ex Æneâ ejusque sociis derivatos.

[f] *Dum loq.*] Atque adeò Calend. Aprilis.

[g] *Præcipit.*] *Occidit*, manè quidem, ut & testatur Columella.

[h] NOx ubi transierit, cælúmque [i] rubescere primo
Cœperit, & tactæ [k] rore querentur aves,
Semustámque facem vigilatâ nocte viator
[l] Ponet, & ad solitum rusticus ibit opus;
[m]Pleiades incipiunt humeros [n] relevare paternos:
Quæ septem dici, sex tamen [o] esse solent.
Seu quòd in amplexum sex [p] hinc venêre Deorum:
Nam Steropen [q] Marti concubuisse ferunt:
Neptuno Halcyonen, & te, formosa Celæno:
[r] Maian, & Electran, [t] Taygeténque Jovi:
Septima mortali Merope tibi, [u] Sisyphe, nupsit.
Pœnitet; & facti sola pudore [x] latet.
Sive quòd Electra Trojæ spectare ruinas
[y] Non tulit: ante oculos opposuítque manum.
[z] TEr sine perpetuo cælum versetur in axe;
Ter jungat Titan, terque resolvat equos;
Protinus inflexo [a] Berecynthia tibia cornu
Flabit, & [b] Idææ festa Parentis erunt.

INTERPRETATIO.

POstquam nox præterierit, & cœlum cœperit primò rubescere, & aves tactæ rore querentur, atque viator emittet tædam semiustam nocte vigilatâ, & rusticus proficiscetur ad opus consuetum. Pleiades, incipiunt sublevare numeros paternos. Quæ solent dici septem, esse tamen sex; sive quòd ex iis sex venerunt in amplexus Deorum: nam dicunt Steropen coiisse cum Marte, Halcyonem, atque te, pulcra Celæno, cum Neptuno, Majan, & Electran, atque Taygeten cum Jove: Septima Merope juncta est tibi mortali, Sisyphe. Pœnitet, atque sola absconditur pudore facti. Seu quia Electra non potuit videre excidium Troiæ, atque præfixit manum oculis.

PAtera cœlum ter vertatur in axe continuo, Sol ter jungat equos, terque levet juga, continuò tibia Berecynthia cornu curvo edet sibilos, atque festa Matris Idææ referentur.

NOTÆ.

[h] *Nox ubi*] Quarto adeòque Nonas Pleiadum occasus Heliacus.

[i] *Rubescere*] Solis adventu.

[k] *Rore*] Qui surgente Aurorâ cœlo mittitur.

[l] *Ponet*] Quia potior Solis vel Auroræ etiam quàm facis lumen.

[m] *Pleiades*] Quæ Atlantis filiæ in cœlum translatæ, ut sæpius inculcatum.

[n] *Relevare*] Atque adeò cœlo decedere aut certè videri. Atlas namque cœlum humeris sustentare dicitur, cui minori videantur esse oneri filiæ postquam occiderint.

[o] *Esse*] Quia una latet, ob eam quam mox Poëta proferet rationem.

[p] *Hinc*] Ex Pleiadibus seu Atlantis filiabus.

[q] *Marti*] Ex quo Oenomaum Hippodamiæ patrem peperit.

[r] *Majan*] Ex quâ Mercurius.

[s] *Electran*] Dardani mater fuit.

[t] *Taygeten*] Quæ Lacedæmonem peperit.

[u] *Sisyphe*] Hic furtis & fraude notissimus fuit Æoli filius.

[x] *Latet*] Conspicua non est in cœlo.

[y] *Non tulit*] Quia Dardani, ex quo Troianorum orti reges mater fuit.

[z] *Ter*] Pridie nonas Apriles erãt Megalesia festa Cybeles, magnæ matris Deûm, si qua fides Livio. Naso noster Nonis ipsis adscribit.

[a] *Berecynthia*] Phrygia; à Berecyntho Phrygiæ monte, ubi maximè Cybele culta.

[b] *Idæa*] Idæâ dicitur Cybele quæ Ops est & Terra, ab Idâ Phrygiæ monte.

Ibunt [c] ſemimares, & inania tympana tundent;
Æráque tinnitus [d] ære repulſa dabunt.
Ipſa ſedens [e] molli comitum cervice feretur
Urbis per medias [f] exululata vias.
[g] Scena ſonat, Ludíque vocant. ſpectate, Quirites;
Et Fora Marte ſuo litigioſa [h] vacent.
Quærere multa libet: ſed me ſonus æris acuti
Terret, & horrendo [i] lotos adunca ſono.
Da Dea, quas ſciter, doctas, Cybeleïa, [k] neptes.
Audit; & [l] has curæ juſſit adeſſe meæ.
Pandite [m] mandati memores, [n] Heliconis alumnæ;
Gaudeat aſſiduo cur Dea magna [o] ſono.
Sic ego; ſic [p] Erato (menſis [q] Cythereïus illi
Ceſſit; quod teneri nomen Amoris [r] habet:)
[ſ] Reddita Saturno ſors hæc erat; [t] Optime regum,
A nato ſceptris excutière tuis.
Ille ſuam metuens, ut quæque erat edita, prolem
Devorat; immerſam viſceribúſque tenet.

INTERPRETATIO.

Spadones ambulabunt, atque pulſabunt tympana; & æra percuſſa ære reddent tinnitus. Ipſa ſedens portabitur tenero collo comitum, exululata per medias vias Urbis. Scena perſtrepit, atque Ludi invitant. Quirites ſpectate; atque Fora litigioſa parcant ſuo Marti. Placet multa petere: verùm ſtridor æris acuti, & lotos curva ſono horrendo mihi incutit horrorem. Dea Cybeleïa exhibe doctas neptes, quas interrogem. Audit; atque imperavit has favere conatibus meis. Alumnæ Heliconis non oblitæ juſſi aperite quamobrem Magna Dea lætetur ſono continuo. Ità ego; & *Erato ſic* reſpondit; namque *menſis Cythereïus illi obtigit, quia habet nomen mollis Amoris. Hoc reſponſum datum fuerat Saturno. Optime Regum, Pellêris tuis regnis à filio. Ille reformidans ſuam progeniem, ſimul ac quæque prodierat in lucem, devorat, atque tenet exhauſtam præcordiis.*

NOTÆ.

[c] *Semimares*] Gallos dicit Cybeles miniſtros caſtratos, quorum alii ſtatuam ejus præibant, pars humeris impoſitam ferebant, &c.

[d] *Ære*] Æreo inſtrumento.

[e] *Molli*] Quia evirati Cybeles ſacerdotes.

[f] *Exului.*] Multo ululatu celebrata.

[g] *Scena*] Hinc Terentii nonnullas ludis Megalenſibus actas fabulas inveneris.

[h] *Vacent ſuo*] Lites omittant. Metaphora eſt à bello petita, rei de quâ agitur aptiſſima.

[i] *Lotos*] Tibia ex loto arbore.

[k] *Neptes*] Muſas facit Cybeles neptes, quia illæ Jovis filiæ, hic autem ex matre Ope ſeu Cybele natus.

[l] *Has*] Muſas, doctas neptes.

[m] *Mandati*] Quod dedit Cybele, ut mihi adeſſetis.

[n] *Heliconis*] In eo Bœotiæ monte Muſæ educatæ dicuntur, haud procul à Parnaſſo.

[o] *Sono*] Quo in Cybeles ſacris omnia perſonabant.

[p] *Erato*] Muſa cui ab Amore nomen, quæ adeò ad Venerem quæ ſpectant facilè exponat.

[q] *Cythereïus*] Aprilis Cythereæ Veneri dicatus.

[r] *Habet*] Erato *ſcil.*

[ſ] *Reddita*] Verba ſunt Muſæ, quæ Saturni atque Jovis refert hiſtoriam.

[t] *Optime*] Ad id alludit, quòd regnante Saturno aureum ſæculum fuiſſe dicitur.

Sæpe [u] Rhea questa est toties fœcunda, nec unquam
Mater, & indoluit fertilitate suâ.
Jupiter ortus erat. pro magnâ teste vetustas
Creditur. acceptam parce movere fidem.
Veste latens saxum [x] cælesti viscere sedit.
Sic [y] genitor fatis decipiendus erat.
Ardua jam dudum resonat tinnitibus [z] Ide;
[a] Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes;
Hoc Curêtes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit patrem: priscíque imitamina facti
Æra Deæ [b] comites raucáque [c] terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat [d] Phrygios, ut dedit ante, modos.
Desierat, cœpi: Cur huic genus acre leones
[e] Præbent insolitas ad juga curva jubas?
Desieram, cœpit: Feritas mollita per illam
Creditur. id curru testificata suo est.
At cur turritâ caput est ornata coronâ?
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?
Annuit. Unde venit, dixi, [f] sua membra secandi
Impetus? ut tacui, [g] Pieris orsa loqui:

INTERPRETATIO.

Rhea toties gravida neque unquã Parens sæpe est questa, atque ingemuit suâ fœcunditate. Jupiter erat natus. Antiquitas creditur pro magnâ teste: noli lacessere fidem receptam. Saxum involutum veste immissum est in cœlestia præcordia. Pater sic erat fallendus fatis. Jam dudum Ida excelsa reboat strepitu, ut infans securus vagiat ore puerili. Pars verberat scuta baculis, pars cassides vacuas. Curetes habent hoc negotii, Corybantes habent. Res fuit clam patre, atque comites Deæ tundunt æra atque terga sonantia ad repræsentationem veteris facti. Feriunt cymbala pro cassidibus, tympana pro clypeis: tibia edit modos Phrygios, ut olim edidit. Absolverat, incœpi: Quare leones genus sævum præbent colla non assueta ad curva juga? Absolveram, incepit: Sævitia creditur lenita per illam: fecit indicia ejus rei curru suo. At quamobrem gerit caput decoratum coronâ turritâ? Anne illa apposuit turres urbibus Phrygiis? Nutu affirmavit. Unde, dixi, ortus est furor abscindendi partes suas? Postquam desii, Pieris occœpit ità loqui:

NOTÆ.

[u] *Rhea*] Quæ Ops, Cybele, & magna Deorum mater.

[x] *Cœlesti*] Saturni *scil.* cui quidem saxum pannis involutum pro Jove oblatum est.

[y] *Genitor*] Saturnus *scil.*

[z] *Ide*] Mons Cretæ altus & ascensu difficilis.

[a] *Tutus*] Ne vagientis Jovis infantis sonus ad Saturni aures perveniret, Curetes atque Corybantes magno armorum strepitu prospexerunt.

[b] *Comites*] Cybeles sacerdotes.

[c] *Terga*] Tympana ex tergis seu coriis.

[d] *Phrygios*] Qui flebiles & effœminati.

[e] *Præbent*] Namque Cybeles currum trahunt Leones.

[f] *Sua membra*] Pudenda *scil.*

[g] *Pieris*] Erato Musa, à Pierio monte, aut Pieridibus puellis: ut sæpius dictum.

[h] Phryx puer in silvis facie spectabilis altis
Turrigeram casto vinxit amore Deam.
Hunc sibi servari voluit, sua templa tueri;
Et dixit, Semper fac [i] puer esse velis.
Ille [k] fidem jussis dedit, &, Si mentiar, inquit,
Ultima, quam fallam, sit Venus illa mihi.
Fallit: & in Nympha [l] Sagaritide desinit esse,
[m] Quod fuit. huic pœnas exigit ira Deæ.
Naïda vulneribus succidit [n] in arbore factis.
Illa perit. fatum Naïdos arbor erat.
Hic [o] furit: &, credens thalami procumbere tectum,
Effugit, & cursu [p] Dindyma summa petit.
Et modo, Tolle [q] faces; Remove, modò, verbera, clamat,
Sæpe [r] Palæstinas jurat adesse Deas.
Ille etiam saxo [s] corpus laniavit acuto;
Longáque in immundo pulvere tracta coma est.
Voxque fuit, Merui: meritas dem sanguine pœnas.
Ah pereant partes, quæ nocuêre mihi!
Ah pereant! dicebat adhuc. onus inguinis aufert;
[t] Nulláque sunt subitò signa relicta viri.

INTERPRETATIO.

Puer Phrygius vultu egregius in excelsis silvis corripuit Deam turrigeram caste amore. Voluit hunc sibi servari, custodire sua delubra; atque dixit, Vide ut cures semper esse castus. Ille pollicitus est quæ imperabantur; atque dixit, si impenam, illa sit mihi Venus novissima, quam fallam. Fallit; atque cessat esse quod fuit in Nympha Sagaritide. Ira Deæ repetit pœnas ab istâ. Rescindit Naidem plagis factis in arbore. Illa occidit: sors Naidis erat in arbore. Hic in furorem actus, atque ratus tectum thalami ruere, prorumpit, & percurrit in suprema Dindyma. Atque nunc clamat, Remove tædas, nunc parce flagris; sæpe jurat Deas Palæstinas adesse. Ille etiam discerpsit corpus cautè acutâ, & prolixi capilli sunt tracti in sordido limo. Atque verba fuerunt, Dignus sum: expendam sanguine pœnas meritas. Ah membra pereant, quæ mihi obfuerunt! Ah pereant! aiebat insuper. Avellit pondus inguinis, & statim nulla sunt relicta indicia maris.

NOTÆ.

[h] *Phryx puer*] Atys seu Attis Phrygius à Cybele unicè amatus.
[i] *Puer*] Castus adeòque & purus.
[k] *Fidem dedit*] *Juravit.*
[l] *Sagaritide*] Hanc à Sagari Phrygiæ flumine finxit Naiadem.
[m] *Quod fuit*] Castus *scil.* & purus.
[n] *In arbore*] Hamadryas est; quippe cum arboribus simul & nascuntur & intereunt.
[o] *Furit*] Furore *scil.* à Dea immisso.
[p] *Dindyma*] Phrygiæ montes altus, à quibus & Cybele *Dindymene* dicta.
[q] *Faces*] Quæ furiarum erant *scil.*
[r] *Palæstinas*] Furias intelligendas esse faces & verbera satis indicant. Quamobrem Palæstinæ dicantur non ità apertum: quanquam à Palæste Epiri vico apud Oricum urbem repetit Commentator; qui in eâ regione templum Diris consecratum fuisse contendit.
[s] *Corpus*] Maximè verò denique eam partem quâ deliquerat.
[t] *Nulla*] Neque in cultu; ut ex Luciano liquet.

Venit in exemplum furor hinc, molléſque miniſtri
Cædunt [u] jactatis [x] vilia membra comis.
Talibus [y] Aoniæ facundâ voce Camœnæ
Reddita quæſiti cauſſa furoris erat.
Hoc quoque, [z] dux operis, moneas precor; unde [a] petita
Venerit, an noſtrâ ſemper in Urbe fuit?
[b] Dindymon, & [c] Cybelen, & amœnam fontibus Iden
Semper, & [d] Iliacas Mater amavit opes.
Cum [e] Trojam Æneas Italos portaret in agros;
Eſt Dea [f] ſacriferas pæne ſecuta rates.
Sed nondum fatis Latio ſua numina poſci
Senſerat; aſſuetis ſubſtiterátque locis.
Poſt, ut Roma potens opibus jam ſæcula [g] quinque
Vidit, & [h] edomito ſuſtulit orbe caput;
Carminis [i] Euboïci fatalia verba [k] ſacerdos
Inſpicit. [l] inſpectum tale fuiſſe ferunt:
[m] Mater abeſt; Matrem jubeo, Romane, requiras.
Cùm veniet, [n] caſtâ eſt accipienda manu.

INTERPRETATIO.

Hinc furor venit in exemplum, & effœminati ſacerdotes cadunt turpia membra, capillis concuſſis. Ratio furoris petiti erat aſſignata ſalibus disertâ voce Muſa Aonia. Hoc inſuper, oro, doceas, dux operis, unde petita acceſſerit; an fuerit ſemper in noſtrâ Urbe? Mater dilexit ſemper Dindymon, & Cybelen, & Iden amœnam fontibus, atque divitias Iliacas. Cùm Æneas veheret Trojam in arva Itala, Dea eſt ferè ſequuta naves ſacriferas. Verùm ſciebat ſua numina nondum expeti fatis Latio, atque manſeras in locis ſolitis. Deinde, cùm Roma potens opibus jam vidit quinque ſæcula, atque erexit caput orbe ſubacto, Sacerdos inſpicit ſermones fatales Carminis Euboïci: Aiunt quod inſpectum eſt fuiſſe tale: Mater longè eſt, impero requiras Matrem, Romane. Cùm accedet, accipienda eſt caſtâ manu.

NOTÆ.

[u] *Jactatis*] Capitis jactatio eviratis Gallis peculiare.

[x] *Vilia*] Genitalia.

[y] *Aonia*] Quia in Aoniis ſeu Bœoticis montibus, Helicone putâ, frequens Camœna aut Muſa.

[z] *Dux operis*] Muſam alloquitur, à qua docebatur.

[a] *Petita*] Cybele *ſcil.*

[b] *Dyndimon*] Mons Phrygiæ, in quo templum Cybele habuit.

[c] *Cybelen*] Phrygiæ montem alium, in quo & Dea culta.

[d] *Iliacas*] *Troianas.*

[e] *Troiam*] Deos Penates, & ſi quæ ex incendio ſuperfuerant.

[f] *Sacriferas*] Sacra ferentes.

[g] *Quinque*] Annos inſuper 48.

[h] *Edomito*] *Subacto.*

[i] *Euboici*] Sibyllini. Chalcidenſes enim Euboici Cumas Campaniæ urbem, ubi Sibylla habitavit olim condidère.

[k] *Sacerdos*] Illud erat curæ Decemviris per id tempus, quod priùs ad Duumviros tantùm ſpectabat.

[l] *Inſpectum*] Carmen *ſcil.* ideo quòd ab Annibale Italia vexaretur.

[m] *Mater*] Quæ paſſim, à Græcis præſertim, pro ipsâ Deorum matre, nullâ illorum mentione factâ, ſumitur.

[n] *Caſtâ*] Ad oraculum alludit, quo ab optimo viro excipiendam magnam Matrem cavebatur.

Obſcuræ [o] ſortis Patres [p] ambagibus errant:
Quæve parens abſit, quove petenda loco.
Conſulitur [q] Pæan: Divûmque arceſſite Matrem,
Inquit: in Idæo eſt invenienda jugo.
Mittuntur [r] proceres. Phrygiæ tum ſceptra tenebat
[ſ] Attalus: Auſoniis rem [t] negat ille viris.
[u] Mira canam. longo tremuit cum murmure tellus:
Et ſic ex adytis Diva locuta [x] ſuis:
Ipſa peti volui. ne ſit mora: [y] mitte volentem.
Dignus Roma locus, quò Deus omnis eat.
Ille ſoni terrore pavens, Proficiſcere, dixit;
[z] Noſtra eris. in Phrygios Roma [a] refertur avos.
Protinus innumeræ cædunt pineta ſecures
Illa, quibus fugiens [b] Phryx pius uſus erat.
Mille manus coëunt: & picta coloribus uſtis
Cæleſtum Matrem concava puppis habet.
Illa ſui per aquas fertur tutiſſima [c] nati;
[d] Longáque Phryxêæ ſtagna ſororis adit:

INTERPRETATIO.

Patres errant ambagibus dubii oraculi, quave Mater ſit procul, quove ex loco requirenda. Pæan conſulitur; atque ait, Requirite Matrem Deorum; reperienda eſt in monte Idæo. Primores mittuntur. Attalus tum obtinebat ſceptra Phrygiæ: ille recuſat rem viris Italis. Cantabo mira: cùm Terra concuſſa eſt cum longo murmure; atque Dea ſic eſt loquuta ex ſuis ſacrariis: Ipſa volui requiri: ne ſit cunctatio, mitte cupientem: Roma eſt locus dignus, quò omnis Deus concedat. Ille trepidans horrore vocis, Diſcede, ait, eris noſtra: Roma recenſetur in noſtros majores. Continuò bipennes ſine numero exſcindunt illa pineta, quibus pius Phrygius fugiens uſus erat. Mille manus conveniunt, atque navis curva picta coloribus teſtis tenet Matrem Deorum. Illa vehitur ſecuriſſima per aquas ſui filii, atque ingreditur gurgites ſororis Phryxeæ:

NOTÆ.

[o] *Sortis*] *Oraculi.*

[p] *Ambagibus*] *Obſcuritate.*

[q] *Pæan*] Apollo, ad quem Legatos miſſos de eâ re ſciſcitatum docet Livius: mox ſubjiciet Naſo.

[r] *Proceres*] M. Valerius Levinus *ſcil.* qui bis Conſul fuerat, M. Cæcilius Metellus Prætorius, aliique quos ex Livio meliùs intelliges: atque quidem miſſos antè quàm Apollinem conſulerent, nullus, credo, dubitaveris.

[ſ] *Attalus*] Ille quidem (nam plures in Aſiâ imperium tenuerunt) Romanos qui bello Galatenſi adverſus Philippum juvit. Scilicet ità temporum ratio poſtulat.

[t] *Negat*] Poëtis quantùm liceat hinc colliges: Livius namque de Attalo hæc refert. *Is Legatos comiter acceptos, Peſſinuntem in Phrygiam deduxit; ſacrumque iis lapidem, quem Matrem Deûm eſſe dicebant, tradidit.*

[u] *Mira*] Quæque adeò vatem à vero abduxerunt.

[x] *Suis*] Cybele namque & Tellus eſt.

[y] *Mitte*] Attalum alloquitur.

[z] *Noſtra*] Utcumque diſcedas; ſiquidem ad noſtros, Romanos *ſcil.* ex Phrygibus ortos proficiſcaris.

[a] *Refertur*] Paulò antè iſtud explanatum.

[b] *Phryx*] Æneas *ſcil.*

[c] *Nati*] Neptuni, qui Matri favit *ſcilic.* ſi ſatis poëtæ noſtri ingenium noſti.

[d] *Longa*] Longam & anguſtum Helleſponti fretum.

[e] Rhœtêumque rapax, [f] Sigêaque littora transit ;
Et [g] Tenedon veteres [h] Eëtionis opes.
[i] Cyclades excipiunt, [k] Lesbo post terga relictâ ;
Quaque [l] Caristêis frangitur unda vadis.
Transit & [m] Icarium, lapsas ubi perdidit alas
[n] Icarus, & vastæ nomina fecit aquæ.
Tum lævâ Creten, dextrâ [o] Pelopeïdas undas
Deserit : & Veneri sacra [p] Cythêra petit.
Hinc mare [q] Trinacrium, candens [r] ubi tingere ferrum
[s] Brontes, & Steropes, Acmonidésque solent :
Æquoráque [t] Afra legit, [u] Sardôaque regna sinistris
Prospicit à remis, Ausoniámque tenet.
Ostia contigerat : quà se Tiberinus in altum
Dividit, & campo liberiore natat.
Omnis Eques, mistâque gravis cum Plebe Senatus,
[x] Obvius ad Thusci fluminis ora venit.

INTERPRETATIO.

& præterlabitur Rhœteum rapax, & littora Sigêa, & Tenedon divitias antiquas Eetionis. Cyclades excipiunt, Lesbo omissâ à tergo, & quà fluctus mollitur vadis Caristêis. Superat quoque Icarium, ubi Icarus amisit alas lapsas, & dedit nomen lata aqua. Tum relinquit Cretam sinistrâ, dextrâ fluctus Pelopeios: atque contendit Cythera dicata Veneri. Hinc mare Siculum, ubi Brontes, & Steropes atq; Acmonides consueverunt tingere ferrum candens; atque præterit Afra maria, & prospicit à remis lævis regna Sardôa, & tenet Italiam. Contigerat ostia, quà Tiberinus influit in mare, & nat æquore latiore. Cuncti equites, & Senatus gravis confusus cũ plebe processit obviam ad ora fluvii Thusci.

NOTÆ.

[e] *Rhœtêum*] Quod Troiæ promontorium in faucibus Hellesponti, Græcorum classibus olim Portum præbuit.

[f] *Sigea*] Aliud promontorium à dextrâ, superiori oppositum, quod littoribus suum nomen dedit.

[g] *Tenedon*] Insulam illam celeberrimam è regione Ilii. Cæterùm nullibi cùm legas sub Eetionis ditione fuisse eam ; vix dubitandum quin *Theben* ut suadet clarissimus Heinsius sit legendum : cùm præsertim *Eetioneas Thebas* meminerit Noster in Metam. atque inter Antandrum & Lymessum illam urbem aut saltem cognomina litrora prospicere potuerint, qui Cybelen in Italiam vehebant.

[h] *Eëtionis*] Qui pater Andromaches, quam Hector habuit uxorem.

[i] *Cyclades*] Insulæ Ægæi notissimæ.

[k] *Lesbo*] Quæ Ægæi insula in conspectu ferè Troadis.

[l] *Caristêis*] A Caristo, Eubœæ urbe, Andro insulæ oppositæ, istud nomen datum.

[m] *Icarium*] Mare istud à sinistrâ relictum priusquam ad Caristêa vada pervenirent.

[n] *Icarus*] Dædali insignis fabri filius.

[o] *Pelopeïdas*] Quæ à Pelope dictum Peloponnesum alluunt.

[p] *Cythêra*] Quæ insula inter Cretam & Peloponnesum.

[q] *Trinacrium*] *Siculum.* A tribus enim promontoriis Pachyno, Lilybæo, & Peloro Sicilia *Trinacria* etiam dicta.

[r] *Ubi*] Quia ibi insulæ Vulcaniæ istud dixit.

[s] *Brontes*] Nomina hæc sunt Cyclopum qui Vulcano in emolliendo ferro & fabricandis fulminibus suam præstant operam. Data autem illa suut ex re ipsâ : *Brontes* siquidem Græcè à tonitru ; *Steropes* à fulgure ; *Acmonides*, qui *Pyragmon* Virgilio, dictus ab incude.

[t] *Afra*] Mare Libycum prætemavigavit *scilic.* Romam petens Cybele, quod ad sinistram reliquit.

[u] *Sardoa*] Sardiniæ insulæ magnæ, quam à sinistrâ prospicias in Mediterraneo, Romam ex Siciliâ contendens.

[x] *Obvius*] Ad lapidem illum si diis placet, seu Cybelen magnam Deûm Matrem excipiendam.

Procedunt pariter matres, natæque, nurúsque;
[y] Quæque colunt sanctos virginitate focos.
Sedula fune viri [z] contento brachia lassant.
Vix subit adversas hospita navis aquas.
Sicca diu tellus fuerat: [a] sitis usserat herbas:
Sedit limoso pressa carina vado:
Quisquis adest operi, plùs quàm pro parte laborat;
Adjuvat & fortes voce sonante manus.
[b] Illa velut medio stabilis sedet insula ponto.
Attoniti monstro stántque pavéntque viri.
Claudia Quinta genus Clauso referebat ab [c] alto:
Nec facies impar nobilitate fuit.
Casta quidem; sed non & credita. rumor iniquus
Læserat, & falsi criminis [d] acta rea est.
Cultus, & ornatis variè prodîsse capillis,
[e] Obfuit: ad [f] rigidos promtáque lingua senes.
Conscia mens recti famæ mendacia risit:
Sed nos in vitium [g] credula turba sumus.
Hæc ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram fluminis hausit aquam;
Ter caput irrorat, ter tollit in æthera palmas.
Quicunque adspiciunt, [h] mente carere putant.

INTERPRETATIO.

Concurrunt etiam matres, & filiæ, atque nurus, quæque honorant virginitate sacros ignes. Viri fatigant fune lacertos assiduos. Navis peregrina ægrè init aquas oppositas. Terra fuerat diu arida, sitis torruerat gramina: navis onerata hæsit in vado limoso. Singuli urgent opus, & contendunt plùs quàm pro parte, atque ferunt opem strenuis manibus voce elatâ. Illa stat tanquam insula immota in medio mari: viri stupentes prodigio hærent & trepidant. Claudia quinta stirpem repetebat ab excelso Clauso: neque vultus fuit pejor nobilitate. Pudica quidem fuit, sed non etiam credita. Fama maligna illam *attriverat, & acta est rea ficti criminis. Ornatus, atque exivisse comâ variè comta nocuit; atque lingua expedita ad severos senes. Animus conscius recti contemsit mendacia famæ: sed nos sumus agmen credulum in vitium. Postquam hæc progressa est à cœtu pudicarum matrum, atque sumsit manibus aquam puram fluvii, ter aspergit caput, ter tendit manus ad cœlum. Quotquot vident, arbitrantur* eam *insanire.*

NOTÆ.

[y] *Quæque*] Vestales.

[z] *Contento*] Quippe quo rem tantam traherent.

[a] *Sitis*] Quod siccitati Naso imputat, illud ostii Tiberini vitio Historici tribuunt.

[b] *Illa*] Navis *scil.* seu Carina.

[c] *Alto*] *Antiquo*, & nobili Atta Clausus appellatus qui Patritiæ hujus familiæ princeps à Sabinis, priusquam Appius Claudius diceretur.

[d] *Acta rea*] Falsò stupri arguebatur.

[e] *Obfuit*] Quia ex cultu nimiùm curioso, corruptæ mentis & corporis conjecturas faciebant: quanquam temerè.

[f] *Rigidos*] Qui in corruptas graviter animadverterent.

[g] *Credula*] Quàm verè nimis dixit! Sibi quisque propemodum virtutem videtur ex alieno vitio assuere; ità in alienum omnes ruunt dedecus.

[h] *Mente carere*] Quia, ut videbatur, ista omnia alieno tempore.

Submissóque genu, vultus in imagine Divæ
Figit, & hos edit crine [i] jacente sonos:
Supplicis, alma, tuæ, genetrix fœcunda Deorum,
Accipe sub [k] certâ conditione preces.
Casta negor. si tu damnas; meruisse fatebor.
Morte luam pœnas judice victa Deâ.
Sed, si crimen abest, tu nostræ pignora vitæ
[l] Re dabis: & castas casta sequêre manus.
Dixit: & exiguo funem conamine traxit.
Mira, sed [m] & scenâ testificata loquar.
Mota Dea est; sequitúrque [n] ducem, [o] laudátque sequendo.
Index lætitiæ fertur in astra sonus.
Fluminis ad flexum veniunt: [p] Tiberina priores
Ostia dixerunt, unde [q] sinister abit.
Nox aderat: querno religant à stipite [r] funem:
Dantque levi somno corpora functa cibo.
Lux aderat: querno solvunt à stipite funem:
Antè tamen posito thura dedêre foco.
Antè coronatâ puppi sine labe juvencam
Mactarunt [s] operum conjugiique rudem.
Est locus, in Tiberin quà lubricus influit [t] Almo,
Et nomen magno perdit ab amne minor.

INTERPRETATIO.

Atque genu flexo, convertit faciem in simulacrum Divæ, & emittit has voces capillis neglectis: Alma mater fœcunda Deorum audi preces tuæ supplicis sub certâ conditione. Non habeor pudica: Si tu damnas, agnoscam dignam esse. Expendam pœnas morte, victa Deâ judice. Ast si crimen nullum est, tu exhibebis facto testimonia nostræ vitæ, & pudica cedes manibus pudicis. Absolvit; & duxit funem levi conatu. Dicam mira, sed & comprobata scenâ. Dea est tacta; atque sequitur ducem, & probat sequendo. Vox testis gaudii tollitur ad sidera. Feruntur ad flexum fluvii: antiqui vocaverunt Ostia Tiberina, unde lævus recedit. Nox adventabat: religant funem à trunco querno, & tradunt levi somno corpora refecta epulis. Dies appropinquabat, solvunt funem à trunco querno: priùs tamen immiserunt thura igni apposito. Puppi priùs coronatâ immolarunt bovem sine vitio immunem operum atque conjugii. Est locus, quà fluidus Almo devolvitur in Tiberim, & minor amittit nomen à magno fluvio.

NOTÆ.

[i] *Jacente*] Sparso, furentium more, aut divino numine correptorum.

[k] *Certâ*] Optimè sanè; ut magìs irridere quàm precari Deum videantur qui hodie illum sine conditione venerantur.

[l] *Re*] Signo quopiam manifesto.

[m] *Et scenâ*] *In theatro*: ut vera esse nullus dubitet.

[n] *Ducem*] Claudiam *scil.* pudicam, quæ funem trahebat.

[o] *Laudat*] Id ipsum quod sequebatur laudabat: non enim, ut vidit ille etiam cæcus Evangelii, Deus audit improbos.

[p] *Tiberina*] Tiberini numinis regiam ibi esse voluerunt.

[q] *Sinister ab.*] *Vertitur in sinistram.*

[r] *Funem*] Quo navis retinebatur.

[s] *Operum conj.*] Quæ neque jugum neque taurum passa.

[t] *Almo*] Fluvius parvus est, qui intersectâ viâ Appiâ haud procul à portâ Capenâ in Tiberim defluit.

Illic purpureâ canus cum veste [u] sacerdos
    Almonis [x] Dominam sacráque lavit aquis.
Exululant comites, [y] furiosáque tibia flatur;
    Et feriunt molles [z] taurea terga manus.
Claudia præcedit læto celeberrima vultu;
    Credita [a] vix tandem teste pudica Deâ.
Ipsa sedens plaustro portâ est invecta Capenâ:
    Sparguntur [b] junctæ flore recente boves.
[c] Nasica accepit: templi [d] tunc extitit auctor.
    Augustus nunc est: antè Metellus erat.
Substitit hîc Erato. mora fit, si cætera quætam.
    Dic, inquam, parvâ cur [e] stipe quærat opes?
Contulit æs populus; de quo delubra Metellus
    Fecit, ait. dandæ mos stipis inde manet.
Cur [f] vicibus factis ineant convivia, quæro,
    Tum magis, [g] indictas concelebréntque dapes.
Quòd [h] bene murarit sedem Berecynthia, dixit;
    Captant [i] mutatis sedibus omen idem.

INTERPRETATIO.

Ibi sacerdos canus cũ veste purpureâ abluit Dominam atque sacra aquis Almonis. Comites vociferantur, & tibia furiosa inflatur; & manus effœminata tundunt terga taurea. Claudia celeberrima prait facie alacri, vix tandem credita casta Deâ teste. Ipsa sedens pilento est inducta per portam Capenam: boves alligata curtui sparguntur flore novo. Nasica accepit, fuit tunc auctor delubri: Augustus nunc est; Metellus erat prius. Erato hic finem fecit. Longum est si petam catera; dic, inquam, quare quarat divitias exiguâ monetâ? Plebs, inquit, contulit as, de quo Metellus condidit templa; inde est mos conferenda stipis. Peto, quamobrem veniant in convivia per vices, tum etiam magis frequentent epulas indictas. Quòd, inquit, Berecynthia feliciter mutaverit locum, captant idem præsagium mutatis sedibus.

NOTÆ.

[u] *Sacerdos*] Ἀρχιερεὺς, quem Archigallum dixeris.

[x] *Dominam sacraque*] Hoc est lapidem parvum fusvi atque atri coloris, prominentibus angulis inæqualem, ut refert Arnobius. At enim relligionum stultitiam quis unquam possit satis mirari?

[y] *Furiosa*] Quia à furiosis ministris.

[z] *Taurea*] Quia ex illis tympana, sine quorum incondito strepitu nihil satis bene ordinatum in tam lepidâ pompâ.

[a] *Vix tandem*] Hinc adeòque plebis ingenium disce.

[b] *Juncta*] Ut currum, quo vehebatur Cybele, traherent.

[c] *Nasica*] P. Scipio Nasica, à Senatu vir optimus judicatus; qui, si magis Livium audis, acceptam Deam in ostiis Tiberinis, inde ferendam Matronis dedit.

[d] *Tunc*] Quia primi ex S. C. erexerant illud templum ex fundamentis M. Livius & C. Claudius Censores: quod deinde igne absumtum Augustus aliique instauraverunt.

[e] *Stipe*] *Nummo*: quem quidem vicatim Phrygii generis vir & mulier per eos dies, quibus Diva per Urbem ferebatur, colligebant.

[f] *Vicibus*] Vicissim modò ad hæc, modò ad illa convivia per mutuas sodalitates commeando: quod quidem prisco verbo *mutitare* appellabant. Instituti verò denique tres viri Epulones qui ludicrum illud & epulare sacrificium curarent propter sacrorum multitudinem.

[g] *Indictas*] Ab ipsis sacerdotibus.

[h] *Bene*] Quippe quæ Romam in augustius domicilium concessit.

[i] *Mutatis*] Cùm per diversas sodalitates ex convivio in convivium concedunt.

Institeram, quare [k] primi Megalesia ludi
  Urbe forent nostrâ : cùm Dea (sensit enim :)
[l] Illa Deos, inquit, peperit. [m] cessêre parenti ;
  Principiúmque dati Mater honoris habet.
Cur igitur Gallos, qui se excidêre, vocamus ?
  Cùm tanto Phrygiâ Gallica distet humus ?
Inter, ait, viridem Cybelen altásque [n] Celenas,
  Amnis it [o] insanâ, nomine Gallus, aquâ.
Qui bibit inde, furit. procul hinc discedite, quîs est
  Cura bonæ mentis. qui bibit inde, furit.
Non pudet herbosum, dixi, posuisse [p] moretum
  In Dominæ mensis ? an sua caussa subest ?
Lacte mero veteres usi memorantur, & herbis ;
  Sponte suâ si quas terra ferebat, ait.
Candidus elisæ miscetur caseus herbæ ;
  Cognoscat [q] priscos ut Dea prisca cibos.
[r] POstera cùm cælo [s] motis [t] Pallantias astris
  Fulserit ; & niveos Luna [u] levârit equos ;
Qui dicet, quondam sacrata est [x] colle Quirini
  Hac Fortuna die Publica ; verus erit.

INTERPRETATIO.

Quæsieram intensius, cur Megalesia essent primi ludi in nostrâ Urbe, cùm Dea, (namque advertit) dixit, illa peperit Deos. Cesserunt Matri : atque Parens obtinet principium honoris collati. Quamobrem ergo appellamus Gallos qui se castraverunt ; cùm terra Gallica sit tanto remota à Phrygiâ. Fluvius, inquit, nomine Gallus, fluit aquâ vesanâ inter viridem Cybelen atque excelsas Celenas. Qui ex eo potat insanit. Longè hinc fugite quibus est amor sanæ mentis : qui ex eo potat insanit. Non pudet, inquam, adhibuisse herbosum moretum mensis Dominæ ? an apponitur suâ caussâ ? Antiqui, inquit, dicuntur usi lacte puro atque graminibus, si tellus nonnulla ferebat ultro. Albus caseus miscetur graminibus contusis, ut Dea antiqua cognoscat antiquos cibos.

CUm sequens Aurora illuxerit, sideribus cælo pulsis, atque Luna solverit equos albos, qui dicet, Fortuna publica fuit olim sacrata hâc die in monte Quirini, erit verus.

NOTÆ.

[k] *Primi*] Primo loco & magnâ celebritate frequentati.

[l] *Illa*] Cybele *scil.*

[m] *Cessêre*] Dii *scil.*

[n] *Celenas*] Strabo tumulum facit Asiæ propriè dictæ in quo & urbs ejusdem nominis. Desiit verò illa, civesque in Apamæam, novam urbem haud procul à veteribus Celenis translati.

[o] *Insanâ*] Quia insanos facit de eâ qui bibunt.

[p] *Moretum*] Intritum fuit ex allio, apio, rutâ, coriandro, bulbo, & caseo cum oleo atque aceto.

[q] *Priscos*] In quibus certè caseus.

[r] *Postera cùm*] Octavo Idus Apr. adeòque mensis die sexto.

[s] *Motis*] Quia Auroræ tum Solis adventante majore luce cætera astra obscurantur.

[t] *Pallantias*] Aurora Pallantis ex Titanum genere filia.

[u] *Levârit*] Jugo *scilic.* atque adeò ipsa, surgente Sole, occiderit.

[x] *Colle Quir.*] In monte Quirinali duo fuerunt templa Fortunæ publicæ consecrata, alterum quidem illi quam insuper *Primigeniam* appellarunt de quo mense sequenti sermo futurus est ; alterum huic de quâ nunc agitur, quæ *Publica* simpliciter.

[y] Tertia lux (memini) [z] Ludis erat. at mihi quidam
Spectanti [a] senior, contiguúsque loco,
Hæc, ait, illa [b] dies, [c] Libycis quâ Cæsar in oris
Perfida magnanimi [d] contudit arma Jubæ.
Dux [e] mihi Cæsar erat, sub quo meruisse Tribunus
Glorior. officio præfuit ille meo.
[f] Hanc ego militiâ sedem, tu [g] pace parasti,
Inter bis quinos usus honore Viros.
Plura locuturi subito seducimur imbre.
Pendula cælestes [h] Libra movebat aquas.
Antè tamen, quàm summa dies spectacula sistat,
Ensifer [i] Orion æquore mersus erit.
[k] Proxima victricem cùm Romam inspexerit [l] Eos,
Et dederit Phœbo stella [m] fugata locum;

INTERPRETATIO.

Tertia dies, recordor, erat Ludis: at quidam senior, & proximus loco, dixit mihi spectanti, Hac illa dies, quâ Cæsar fregit arma perfida fortis Juba in oris Libycis. Cæsar erat mihi Imperator, sub quo glorior militasse Tribunus. Ille præfuit meo muneri. Ego meam feci hanc sedem bello, tu pace, usus honore inter Decemviros. Plura dicturi divellimur repentino nimbo. Libra pendula ciebat aquas cælestes. Prinsquam tamen ultima dies finem faciat spectaculis Orion ensifer erit mersus mari.

Cum sequens Aurora viderit Romam victricem, atque astra depulsa fecerint locum Apollini,

NOTÆ.

[y] *Tertia lux*] Post festum publicæ Fortunæ, eo tamen comprehenso die 6 Idus.

[z] *Ludis*] Qui ad Julianæ victoriæ memoriam videntur certè instituti; ut ex sequentibus patebit.

[a] *Senior*] Quique adeò continuatos Julii Cæsaris triumphos suis oculis viderat.

[b] *Dies*] Quintilis antiqui fuit 26, anni ab V.C. 707: quo quidem Cæsar Fastos correxit, annumque ad Solis cursum, ut in Ægypto didicerat, magnâ laude, accommodavit.

[c] *Libycis*] In Africâ; ubi adversus Jubam Mauritaniæ regem, Catonem, Scipionem, partiumque naufragarum reliquias, atrociùs multò quàm in Pharsaliâ Cæsar certavit.

[d] *Contudit*] Strages verò ab illo rege cœpit; qui fusis fugatisque suis, postquam sese recepisset in regiam, magnificè epulatus, super mensas & pocula Petreio fugæ comiti sese jugulandum præbuit. Observa autem quàm prudenter de civibus victoriam dissimulet Poëta.

[e] *Mihi*] Senioris verba sunt, qui sub Cæsare militasse in Africâ gloriatur.

[f] *Hanc*] In Magistratuum subselliis ad ludos spectandos.

[g] *Pace*] Quia Decemvir Naso litibus judicandis; ut non obscurè etiam ex locis quibusdam Tristium colligitur, quibus & fortunam reorum, & privatas res sine crimine à se constitutas fuisse testatur.

[h] *Libra*] Quæ 6 Idus occasu suo imbres movet.

[i] *Orion*] Hic insignis fuit Venator, de quo Poëtæ plurima atque diversa. In cœlum translatus lucidissimum sidus, nimbosum tamen, ortu atque occasu suo, constituit. De occasu autem Heliaco hîc agitur, quem non temerè ad 5 aut 4 Idus pro sideris magnitudine retuleris. Quin & sequentium dierum si accuratam rationem ex Nasonis mente habueris ad 3 Idus Orionis occasum protuleris.

[k] *Proxima*] Pridie Idus, ut ex sequentis diei enarratione patebit.

[l] *Eos*] *Aurora.*

[m] *Fugata*] Quia Solis splendore absorbentur alia astra.

[n] Circus erit pompâ celeber numeróque [o] Deorum;
Primáque [p] ventosis [q] palma petetur equis.
[r] Hi Cereris Ludi: non est opus indice causfâ.
[s] Sponte Deæ munus promeritúmque patent.
Messis erant primis virides mortalibus herbæ;
Quas tellus nullo sollicitante dabat.
Et modò carpebant vivaci cespite gramen;
Nunc epulæ tenerâ fronde cacumen erant.
Postmodo glans nata est. bene erat jam glande repertâ:
Duráque [t] magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coëgit:
Tum primùm soles eruta vidit humus.
[u] Æs erat in pretio: chalybeïa massa latebat.
Heu quàm perpetuò [x] debuit illa tegi!
Pace Ceres [y] læta est. at vos optate, coloni,
Perpetuam Pacem, [z] perpetuúmque Ducem.
Farra Deæ, micæque [a] licet [b] salientis honorem
Detis, & in veteres thurea grana focos.

INTERPRETATIO.

Circus erit celeber pompâ atque numero Deorum; primáque palma petetur equis velocibus. Hi Ludi Cereris: non est opus causfâ indice. Donum atque meritum Dea ultro se prodant. Gramina virentia, qua terra preferebat nullo cogente, erant messis primis hominibus. Et nunc vellebant herbas ex glebâ vivaci, nunc dapes erant fastigium foliis teneris. Post paulò glans inventa est: bene jam erat glande inventâ: atque quercus habebat amplas divitias. Prima Ceres mutavit glandes alimento meliore, homine vocato ad cibos jucundiores. Illa coëgit boves submittere cervices jugo: tum primùm terra inversa aspexit Solem. Æs magni pendebatur, massa chalybeia defossa erat. Heu quàm illa debuit semper latere! Ceres gaudet Pace. At vos, agricolæ, expetite votis Pacem immortalem, & Ducem immortalem. Potestis offerre Deæ frumenta, atque honorem micæ salientis, atque grana thurea in antiquas aras.

NOTÆ.

[n] *Circus*] Maximus *scil.* quem Tarquinius Priscus inter Aventinum & Palatium extruxit; de cujus pompis & ludis plurima in superioribus vidimus.

[o] *Deorum*] Quorum imagines transvehi solitas ludis Circensibus jam quoque sæpe dictum.

[p] *Ventosis*] Levitate ventis comparandis.

[q] *Palma*] Cujus arboris ramus victori datur.

[r] *Hi*] Qui quidem à duodecimâ Aprilis die incipiunt.

[s] *Sponte*] Siquidem quotidie muneribus ejus fruimur.

[t] *Magnificas*] Modò quis suillam naturam induerit.

[u] *Æs*] Propter usus rusticos.

[x] *Debuit*] Ut nulla bellorum & necis instrumenta essent.

[y] *Læta*] Quia per pacem agri exercentur.

[z] *Perpetuum*) Tiberii in gratiam hæc dicta, quasi pacis vindex certissimus fuerit.

[a] *Licet*) Atque adeò exiguis donis contenta est.

[b] *Salientis*) Sal namque in igne crepitat & salit.

Et,

Et, si thura aberunt, unctas accendite tædas.
Parva bonæ Cereri, sint modò [c] casta, placent.
A bove succincti cultros removere ministri.
Bos aret: [d] ignavam sacrificare suem.
Apta jugo cervix non est ferienda securi.
Vivat, & in durâ sæpe laboret humo.
[e] Exigit ipse locus, raptus ut [f] virginis edam.
Plura [g] recognosces: pauca docendus eris.
[h] Terra tribus scopulis vastum procurrit in æquor
[i] Trinacris; à positu nomen adepta loci.
[k] Grata domus Cereri. multas ibi possidet urbes;
In quibus est culto fertilis [l] Henna solo.
Frigida [m] cælestum matres [n] Arethûsa vocarat.
Venerat ad sacras & [o] Dea flava dapes.
[p] Filia, consuetis ut erat comitata puellis,
Errabat nudo per sua prata pede.
Valle sub umbrosâ [q] locus est, adspergine multâ
Uvidus ex alto desilientis aquæ.

INTERPRETATIO.

Et si thura deerunt, accendite faces unctas. Exigua grata sunt bona Cereri; modò sint sincera. Sacerdotes succincti tollite cultros à bove. Bos colat terram, mactate segnem porcam. Collum idoneum jugo non est mactandum bipenni. Vitâ fruatur, & sæpe laboret in durâ terrâ. Ipse locus requirit, ut dicam raptus puellæ. Plura recognosces, pauca eris monendus. Terra Sicula porrigitur in mare latum tribus promontoriis; habuit nomen à forma loci. Sedes accepta Cereri: ibi habet multas urbes, inter quas Henna ferax est, solo exculto. Frigida Arethusa invitaverat matres Deorum. Dea flava venerat quoque ad sacras epulas. Filia, stipata sicuti erat puellis solitis vagabatur per prata pede nudo. Locus est sub valle opacâ, humidus multâ aspergine aquæ cadentis ex sublimi.

NOTÆ.

[c] *Casta*) Piâ & castâ mente oblata.

[d] *Ignavam*] Ex illâ enim vivâ præter grunnitum & lutum nihil percipitur.

[e] *Exigit*) Quoniam de Cereris sacris agitur.

[f] *Virginis*) Proserpinæ *scil.* filiæ Cereris à Plutone raptæ.

[g] *Recognosces*] Tibi nota intelliges.

[h] *Terra*] Fabulam narrare occipit.

[i] *Trinacris*] Sicilia eo nomine à tribus promontoriis Lilybæo, Pachino, & Peloro, in mare excurrentibus, adeòque positu, situ, & formâ triangulari, dicta.

[k] *Grata*] Cùm ob frumentationem, tum ob cultum, atque inclytam virorum religionem.

[l] *Henna*] In mediâ Siciliâ ea urbs, cujus campus in floribus semper, & omni vernus die. Ibi verò fanum habuit Ceres binaque in eo simulacra marmoreum alterum, alterum æreum modicum cum facibus, sed excellens & perantiquum, ut testatur Cicero.

[m] *Cælest.mat.*] Deas Deórum genitrices.

[n] *Arethúsa*] Nympha Syracusani fontis frigidissimi, quam ideo Cererem ad convivium vocasse Poëtæ finxerunt, ut Plutoni rapiendæ Proserpinæ, matris custodiâ remotâ, occasio daretur.

[o] *Dea flava*] Ceres *scil.* quæ eo colore & vultu propter flavescentes spicas fingitur.

[p] *Filia*] Cereris *scil.* Proserpina.

[q] *Locus*] Præter prata & flores, humi demersum fuit foramen, & specus illa celebris, qua Ditem seu Orcum aut Plutonem ad Proserpinæ raptum produisse fama à Poëtis emanavit.

Tot fuerant illic, quot habet natura, colores:
Pictáque dissimili flore nitebat humus.
Quam simul adspexit; Comites accedite, dixit;
Et mecum vestros flore replete sinus.
Præda puellares animos prolectat [r] inanis;
Et non sentitur [s] sedulitate labor.
Hæc implet lento calathos è vimine textos:
Hæc gremium, laxos degravat illa sinus.
Illa legit [t] calthas: huic sunt violaria curæ:
Illa papavereas subsecat ungue comas.
Has, Hyacinthe, tenes: illas, Amaranthe, moraris:
Pars thyma, pars [u] casiam, pars meliloton amant.
Plurima lecta rosa est, & sunt sine nomine flores.
[x] Ipsa crocos tenues, liliáque alba legit.
Carpendi studio paulatim longius itur;
Et dominam [y] casu nulla secuta comes.
Hanc videt, & visam [z] patruus velociter aufert;
Regnáque [a] cæruleis in [b] sua portat equis.
Illa quidem clamabat, Io, carissima mater,
Auferor. ipsa suos absciderátque sinus.
[c] Panditur interea Diti via: jamque diurnum
Lumen inassueti vix patiuntur equi.
At chorus [d] æqualis cumulatis flore canistris,
Persephone, clamant, ad tua dona veni.

INTERPRETATIO.

Tot erant illic colores, quot natura habet; atque terra splendebat picta flore dissimili. Quam statim atque vidit, Comites, inquit, adeste, & cumulate mecum sinus vestros floribus. Præda levis trahit mentes puellares, neque labor sentitur aviditate. Hæc cumulat quasillos factos ex flexili vimine. Hæc implet gremium, illa sinus solutos. Illa colligit calthas: violaria placent huic: illa revellit ungue culmina papaverea. Hyacinthe, moraris has; Amarante detines illas: pars diligunt thymum, pars casiam, pars meliloton. Multa rosa collecta est; atque sunt flores sine nomine. Ipsa colligit parvos crocos, & lilia candida. Longius itur paulatim desiderio colligendi: & fortè nulla comes sequuta dominam. Patruus hanc aspicit, & celeriter abripit visam; atque vehit in sua regna equis fuscis. Illa quidem vociferabatur, Io, mater dilectissima, abripior; atque ipsa laceraverat suos sinus. Interea via aperitur Diti: jamque vix equi insoliti tolerant lucem diurnam. At turba comitum, quasillis repletis floribus clamant, Persephone, accede ad tua munera.

NOTÆ.

[r] *Inanis*] Quia citò marcescunt flores.

[s] *Sedulitate*] Florum legendorum studio.

[t] *Calthas*] *Des Soucis.*

[u] *Casiam*] Rosmarinus est fortè. *Rores* enim in multis etiam Manusc. reperitur; neque aliter ex Dalechampio credideris.

[x] *Ipsa*] Proserpina *scil.*

[y] *Casu*] Quia omnes *scil.* legendis floribus intentæ.

[z] *Patruus*] Pluto, qui Cereris frater; si fabulam sequeris; Orcus Rex Molossorum, si Eusebium audis.

[a] *Cæruleis*] Fuscis & subnigris; quales regis Inferorum decet esse.

[b] *Sua regna*] Erebum *scil.*

[c] *Panditur*] Antrum suprà memoravimus, quà ad sua regna descendit Pluto.

[d] *Æqualis*] Quia ejusdem ferme ætatis comites habuit Proserpina seu Persephone.

Ut clamata silet, montes ululatibus [e] implent ;
Et feriunt mœstæ pectora nuda manus.
Attonita est plangore Ceres ; modò venerat Hennam :
Nec mora, Me miseram, filia, dixit, ubi es ?
Mentis inops rapitur. quales audire solemus
Threïcias passis [f] Mænadas ire comis.
Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto,
Et quærit fœtus per nemus omne suos ;
Sic Dea, nec retinet gemitus, & concita cursu
Fertur ; & è campis incipit, Henna, tuis.
Inde puellaris nacta est vestigia plantæ,
Et pressam noto pondere vidit humum.
Forsitan [g] illa dies errori summa fuisset,
Si non [h] turbassent signa reperta sues.
Jamque [i] Leontinos [k] Amenanáque flumina cursu
Præterit, & ripas, herbifer [l] Aci, tuas :
Præterit & [m] Cyanen, & fontem lenis [n] Anapi ;
Et te, vorticibus non adeunde [o] Gela.
Liquerat [p] Ortygien, [q] Megarêaque, [r] Pantagienque,
Quàque [s] Simethêas accipit æquor aquas,

INTERPRETATIO.

Postquam vocata tacet, implent colles clamoribus ; atque manus tristes plangunt pectora aperta. Ceres obstupuit plangore ; modò redierat Hennam ; & sine cunctatione, Me infelicem, ait, ubinam es filia ? Amens aufertur ; quales consuevimus audire Mænadas Threïcias incedere capillis effusis. Quemadmodum mater sua mugit, vitulo detracto ab ubere, atque quærit partus suos per omnem silvam, ità Dea atque concita cursu rapitur, neque reprimit gemitus : & incipit ex tuis arvis, Henna. Inde invenit signa pedis puellaris, & advertit terram notatam onere cognito. Fortè illa dies fuisset ultima discursibus, nisi porci invertissent vestigia inventa. Jamque prætergressa est cursu Leontinos & flumina Amenana, atque ripas tuas, Aci herbose. Præterit quoque Cyanen, & fontem lenis Anapi ; & te Gela, non adeunde propter voragines. Prætererat Ortygien, Megarêaque, Pantagienque, & quà mare excipit aquas Simethêas.

NOTÆ.

[e] *Implent*] Quia magno gemitu ac ululatu amissam dominam requirebant.

[f] *Mænadas*] Bacchas Thracias dicit, quibus ab immisso Bacchi furore & insania Græcè illud datum nomen.

[g] *Illa*] Quâ cœpit quærere.

[h] *Turbassent*] Rostro pedibusque terram atque adeò Proserpinæ vestigia invertendo.

[i] *Leontinos*] *Leontini* urbs inter Catanam & Hyblam, versus mare Siculum.

[k] *Amenana*] Amenani fluvii ad Æthnam montem.

[l] *Aci*] Fluvius est, seu fons potius Æthnæ montis, in quem mutatus Galateæ dilectissimus ille Acis, quem Polyphemus saxo illiserat.

[m] *Cyanen*] Syracusani agri fontem.

[n] *Anapi*] Fluvius est cui Cyane commiscetur.

[o] *Gela*] Hic vastis fertur vorticibus in mare inter Agrigentum & Syracusas : diciturque hodie *Fiume di Terranova*.

[p] *Ortygien*] Quæ ponte olim Syracusis annexa insula.

[q] *Megarea*] Quæ ad Megaram urbem, haud procul à Catanâ spectabant.

[r] *Pantagien*] Pantagias seu Pantagies parvus sed rapidissimus fluvius, murmure magno per saxa in mare, non longè a Catanâ decurrens.

[s] *Simetheas*] Simethi fluvii prope Catanam & Cyclopum scopulos.

[t] Antraque Cyclopum positis exusta caminis,
Quique [u] locus curvæ nomina falcis habet:
[x] Himeráque, & [y] Didymen, [z] Acragantáque [a] Tauromenonque
[b] Sacrorúmque [c] Melan pascua læta boum.
Hinc [d] Camerinan adit, [e] Thapsonque & [f] Heloria [g] tempe;
Quàque patet Zephyro semper apertus [h] Eryx.
Jamque [i] Peloriaden, [k] Lilybêaque, jamque [l] Pachynon
Lustrarat, terræ [m] cornua prima suæ.
Quacunque ingreditur, miseris loca cuncta querelis
Implet. ut amissum cum gemit [n] ales [o] Ityn.
Perque vices modò, Persephone, modò, Filia, clamat.
Clamat, & alternis nomen utrumque ciet.
Sed neque Persephone Cererem, neque filia matrem
Audit: & alternis nomen utrumque perit.

INTERPRETATIO.

atque speluncas Cyclopum incensas caminis appositis, & locum, qui obtinet nomina curvæ falcis; Himeraque, & Didymen, Acragantaque, Tauromenonque, & Melan pascua pinguia boum sacrorum. Hinc accedit Camerinam, Thapsonque, & Heloria tempe, & quà vastus Eryx semper apertus est Zephiro. Jamque pererraverat Peloriaden, Lilybæum-que, atque Pachynum prima cornua terræ suæ. Quàcumque incedit, implet omnia loca luctuosis questibus: ut cùm avis luget Ityn sublatum. Et clamat per vices nunc Persephone, nunc filia, & frequentat utrumque nomen alternis vicibus. Sed neque Persephone audit Cererem, neque filia matrem; & nomen utrumque perit per vices.

NOTA.

[t] *Antra*] Æthnæ monte, ubi Cyclopes Vulcani ministri ferrariam exercere etiam dicuntur.

[u] *Locus*] A falce Drepano etiam nomen: Verùm Messanam intelligendam esse ex chorographiâ & ex eo quòd multò post Erycem nominet Poëta, ad cujus radices sita civitas Drepanitana, non dubitat illustriss. Neapolis.

[x] *Himera*] Fluvium magnum, urbemque eo nomine habet Sicilia.

[y] *Didimen*] Ex insulis Liparæorum, quæ & *Æolia* seu *Vulcania* dicuntur. Siciliæ adjacentibus est una. Sed insulæ hujus urbem hanc potiùs fuisse crediderim.

[z] *Acraganta*] Siciliæ oppidum inter Pachynum & Lilybæum promontoria; quod Latini Agrigentum dixerunt.

[a] *Tauromenum*] Urbs quoque Siciliæ inter Pachynum & Pelorum.

[b] *Sacrorum*] Sacris destinatorum.

[c] *Melan*] Fluvium facit Siciliæ, ut vides, quo nomi[illegible] p[illegible] alibi reperiuntur.

[d] *Camerinam*] Siciliæ oppidum.

[e] *Thapson*] Insula est parva juxta Syracusas, quam Servius pæne fluctui parem facit.

[f] *Heloria*] Quæ ad Helorum fluvium, non longè à Pachyno, Thessalicis similia.

[g] *Tempe*] Locum Thessaliæ amœnissimum sæpius vidimus in superioribus.

[h] *Eryx*] Mons Siciliæ inter Drepanum & Panormum urbes, ubi Veneris templum illud ornatissimum, à quo Erycina dicta est.

[i] *Peloriaden*] Promontorium illud dicit quod extremam Italiam spectat, à Peloro Annibalis gubernatore ibi interfecto denominatum.

[k] *Lilyb.*] Aliud Siciliæ promontorium spectans Sardiniam.

[l] *Pachynon*] Tertium Siciliæ promontorium.

[m] *Cornua*] Promontoria cornua appellat, quia prima in mare incurrunt, totamque insulam videntur tueri.

[n] *Ales*] Prognes & Philomelæ fabulam habes in M[illegible]m. quæ tibi si minùs nota, eò ne pigeat redire.

[o] *Ityn*] Terei fuit filius, à matre Progne jugulatus, cujus tamen transmutata doleq vices.

Unáque, paſtorem vidiſſet, an arva colentem,
Vox erat, Hac greſſus ecqua puella tulit?
Jam color [p] unus ineſt rebus, tenebríſque teguntur
Omnia: jam vigiles conticuere canes.
Alta jacet vaſti ſuper ora [q] Typhoëos Ætne,
[r] Cujus anhelatis ignibus ardet [ſ] humus.
Illic accendit geminas pro lampade [t] pinus:
Hinc Cereris ſacris nunc quoque tæda datur.
Eſt ſpecus exeſi ſtructurâ pumicis aſper;
Non homini regio, non adeunda feræ:
Quò ſimul ac venit, frænatos curribus [u] angues
Jungit, & æquoreas ſicca pererrat aquas.
Effugit & [x] Syrtes, & te, [y] Zanclæa Charybdi;
Et vos, [z] Niſæi naufraga monſtra canes;
[a] Hadriacúmque patens latè, [b] bimarémque Corinthon.
Sic venit ad portus, Attica terra, tuos.
Hic primùm ſedit gelido mœſtiſſima ſaxo.
Illud [c] Cecropidæ nunc quoque [d] triſte vocant.

INTERPRETATIO.

Atque, ſeu vidiſſet paſtorem, an agricolam, una vox erat, ecqua puella hâc præteriit? Jam color unus eſt rebus, atque omnia abſconduntur tenebris: jam canes vigiles ſiluerunt. Æthna excelſa impoſita eſt ſuper ora ingentis Typhœi, cujus ignibus efflatis terra incenſa eſt. Accendit ibi duas pinus pro lampade: hinc fax etiam adhibetur ſacris Cereris. Eſt antrum horridum ſtructurâ pumicis eroſi, locus non adeundus homini neque feræ: quò ſtatim atque pervenit alligat ſerpentes frænatos curribus, & ſicca perambulat aquas marinas. Vitavit & Syrtes, & te, Charybdi Zanclæa, & vos, canes Niſæi, monſtra naufraga, & vaſtum Hadriacum, & Corinthum bimarem. Ità venit ad tuos portus, terra Attica. Hic primùm triſtiſſima requievit in rupe frigidâ. Cecropidæ appellant eam nunc etiam Mœſtam.

NOTÆ.

p *Unus*] Opacus *ſcil.* aut niger.

q *Typhœos*] Quem gigantem a Jove Æthnæ Siciliæ monti aut certè toti inſulæ ſuppoſitum non ſemel habuimus.

r *Cujus*] Typhœi *ſcil.* qui Ætnæas flammas ore illo eructare dicitur.

ſ *Humus*] Ætnæa *ſcil.* quæque illi adjacet.

t *Pinus*] Quæ lucem noctu quærenti præberent.

u *Angues*] Qui Cereris currum trahere finguntur.

x *Syrtes*] Quæ loca vadoſa maris Libyci dicuntur propriè, hoc in loco pro Scyllâ & Charybdi Siculi freti voraginibus proximis locis ſumuntur.

y *Zanclæa*] A Zancle, quæ deinde Meſſana dicta eſt, proxima vorago charybdis nomen ſortita.

z *Niſæi*] Scyllæ Phorci filiæ, quam & alibi cum altera Niſi confundit Poëta, metamorphoſim in famoſum illud monſtrum ſeu ſcopulum de quo nunc agitur, jam ſæpe retulimus.

a *Hadriac.*] Mare *ſcilicet*, quod & *ſupernum* dicitur, partes Italiæ Septemtrionales alluens.

b *Bimar.*] Quia Ægæum ſimul & Ionium proſpicit.

c *Cecropidæ*] Athenienſes, qui à Cecrope rege ſic dicti.

d *Triſte*] Ἀγέλαστον πέτραν prope puteum Καλλίχορον dixerunt Græci, ubi primùm aliquid in Cereris honorem celebratum.

[e] Sub Jove duravit multis immota diebus,
Et Lunæ patiens, & pluvialis aquæ.
[f] Fors sua cuique loco est. quo nunc Cerealis [g] Eleusin,
Dicitur hoc [h] Celei rura fuisse senis.
Ille domum glandes excussáque mora rubetis
Portat, & arsuris arida ligna focis.
[i] Filia parva duas redigebat rupe capellas;
Et tener in cunis filius æger erat.
Mater, ait [k] virgo, (mota est Dea nomine matris)
Quid facis in solis incomitata jugis?
Restitit & senior, quamvis onus urget: & orat
Tecta suæ subeat quantulacunque casæ.
Illa negat: simularat anum, mitrâque capillos
Presserat. instanti talia dicta refert:
Sospes eas, sempérque parens: mihi filia rapta est.
Heu melior quantò sors tua sorte meâ!
Dixit: &, ut lacrymæ (neque enim lacrymare Deorum est)
Decidit in tepidos lucida gutta sinus.
Flent pariter, molles animi virgóque senexque.
E quibus hæc justi verba fuêre senis:
Sic tibi, quam raptam quereris, sit filia sospes;
Surge: nec exiguæ despice tecta casæ.
Cui Dea, Duc, inquit: scisti, quà cogere posses.
Seque levat saxo, subsequitúrque senem.
Dux comiti narrat, quàm sit sibi filius æger;
Nec capiat somnos, invigilétque malis.

INTERPRETATIO.

Mansit immotus sub dio multis diebus, patiens & Lunæ & aquæ pluvialis. Sors sua est cuique loco. Aiunt eo quo nunc Eleusin Cerealis, fuisse arva senis Celei. Ille fert domum glandes, & mora decerpta rubetis, atque ligna sicca focis arsuris. Parva filia reducebat montibus duas capellas; atque tener filius morbidus erat in cunis. Parens, inquit puella, (Dea tacta est nomine Parentis) quid agis sola in collibus desertis? Senex etiam constitit, quamvis onus gravat, atque precatur, ut ingrediatur tecta quantulacumque sui tugurii. Illa recusat; fermum induerat anus, atque texerat comam mitrâ. Reddit hujusmodi verba urgenti: Discedas incolumis & semper Pater mihi filia sublata est. Heu quàm tua conditio est potior conditione meâ! Absolvit, atque splendida gutta quasi lacryma (neque enim est Deorum lacrymas emittere) fluxit in tepidos sinus. Puella atque senex levis animi lacrymantur similiter; è quibus hæ fuerunt voces æqui senis: Ità filia, quam sublatam doles, sit tibi incolumis, surge, neque contemne tecta tenuis tugurii. Ad quem Dea, Præeas, ait: intellexisti quomodo posses persuadere: atque surgit ex tristi rupe, & subsequitur senem. Dux refert comiti, quàm malè sanus sit sibi filius, neque dormiat, & sit experrectus in dolores.

NOTÆ.

[e] *Sub Jove*] Sub dio.
[f] *Fors est*] Ut modò patebit.
[g] *Eleusin*] Quæ urbs Atticæ ad mare, Cereris sacris notissima.
[h] *Celei*] Quem tamen nonnulli regem fecerunt, qui Eleusinæ imperium tenuit.
[i] *Filia*] Celei *scil.*
[k] *Virgo*] Celei filia.

Illa soporiferum, parvos initura penates,
 Colligit agresti [l] lene papaver humo.
Dum legit; [m] oblito fertur gustasse palato,
 Longámque imprudens exsolvisse famem.
Quæ quia principio posuit jejunia noctis;
 Tempus habent [n] Mystæ sidera visa cibi.
Limen ut intravit, luctûs videt omnia plena.
 Jam spes in puero nulla salutis erat.
Matre salutatâ (mater Metanira vocatur)
 Tangere dignata est os puerile suo.
Pallor abit, subitásque vident in corpore vires.
 Tantus cælesti venit ab ore vigor.
Tota domus læta est. hoc est, matérque patérque
 Natáque: tres illi tota fuêre domus.
Mox epulas ponunt, [o] liquefacta coagula lacte,
 Pomáque, & in teneris [p] aurea mella favis.
[q] Abstinet alma Ceres, somníque papavera caussas
 Dat tibi cum tepido lacte bibenda, puer.
Noctis erat medium, placidíque silentia somni;
 [r] Triptolemum gremio sustulit illa suo:
Terque manu permulsit eum: tria carmina dixit:
 Carmina mortali non referenda sono.
Inque foco pueri corpus vivente favillâ
 Obruit, humanum purget ut ignis onus.
Excutitur somno stultè pia mater: & amens,
 Quid facis? exclamat: membráque ab igne rapit.

INTERPRETATIO.

Illa ingressura tenuem domum legit terrâ asperâ mite papaver. Dum legit, dicitur attigisse palato immemori, atque incogitanter fregisse longam famem. Quia, quia incunte nocte solvit inediam, sacerdotes sumunt ad tempus edendi astra conspecta. Cum limen tetigit, aspicit omnia plena fletus. Jam nulla erat spes salutis in infanti. Matre salutatâ (mater appellatur Metanira) dignata est tangere os puerile suo. Pallor excutitur, atque advertunt vires repentinas in corpore. Tantus vigor accessit ab ore cœlesti. Tota domus gaudet, hoc est genitrix, & genitor, atque filia: illi tres fuerunt tota domus. Mox admovet cibos, coagula liquefacta lacte, atque poma, & mella flava in teneris favis, Ceres alma nihil tangit, atque præbet tibi, infans, papavera potanda cum lacte calido; caussas soporis. Erat nox media, atque silentia lenis soporis, illa recepit Triptolemum in suum sinum: atque ter perlinivit eum manu: tres versus protulit, versus non memorandos voce mortali. Atque tegit in foco corpus infantis favillâ ardente, ut ignis abstergat sarcinam mortalem. Genitrix ineptè pia excitatur sopore, atque exterrita, Quid agis? exclamat: & aufert artus ex igne.

NOTÆ.

[l] *Lene*] Quod lenem somnum inducit.
[m] *Oblito*] Quia propositi sui oblita ipsa Ceres, quæ antè quàm suam Persephonen invenisset nihil-quicquam comesse decreverat.
[n] *Mystæ*] Sacerdotes Cereris propriè seu Epoptæ, quibus ad misteria aditus.
[o] *Liquef.*] *Lac coagulatum.*
[p] *Aurea*] Aureo colore.
[q] *Abstinet*] Ab omni cibo apposito.
[r] *Triptolem.*] Qui Celei filius.

Cui Dea, Dum non es, dixit, scelerata fuisti;
[f] Irrita materno sunt mea dona metu.
Iste quidem mortalis erit: sed primus arabit,
Et feret, & cultâ præmia tollet humo.
Dixit: & egrediens [t] nubem trahit, inque dracones
Transit, & aligero tollitur [u] axe Ceres.
[x] Sunion expositum, [y] Piræáque tuta recessu
Linquit, & [z] in dextrum quæ jacet ora latus.
Hinc init Ægæum; quò [a] Cycladas adspicit omnes;
Ioniúmque [b] rapax, Icariúmque legit.
Perque urbes Asiæ longum petit Hellespontum,
Diversúmque locis [c] alta pererrat iter.
Nam modò thurilegos Arabas, modò despicit Indos:
Hinc [d] Libys, hinc [e] Meroë, [f] siccáque terra subest.
Nunc adit [g] Hesperios Rhenum Rhodanúmque [h] Padúmque
Teque future-parens, Tibri, [i] potentis aquæ.
Quò feror? immensum est erratas dicere terras:
Præteritus Cereri nullus in orbe locus.

INTERPRETATIO.

Ad quam Dea, Dum non es scelesta, ait, fuisti: mea munera sunt frustrà timore materno. Iste quidem erit morti obnoxius; sed primus subiget terram aratro, & sparget semina, & capiet mercedem ex terrâ subactâ. Absolvit Ceres, atque prodiens ducit nubem, & ascendit in dracones, & aufertur curru alato. Præterit Sunium procurrens in mare, *atque Piræa secura recessu, & regionem quæ porrigitur in dextrum latus. Hinc transit in Ægæum, in quo videt cunctas Cycladas, & præterlabitur Ionium verticosum, atque Icarium. Et contendit in longum Hellespontum per urbes Asiæ, atque excelsa percurrit iter diversum locis. Namque nunc ex alto videt Arabas thurilegos, nunc Indos: Hinc Libys, hinc Meroë, & tellus arida subest. Modò accedit ad Hesperios Rhenum, Rhodanumque, Padumque, teque, Tibri, future parens aquæ potentis. Quò abeo? Infinitum est referre terras lustratas: nullus locus in orbe omissus à Cerere.*

NOTÆ.

[f] *Irrita*] Velle namque hominis seu fides ad divini operis in eo perfectionem requiritur. Verùm in hoc strenuè disputare malunt nostri plerique, ne quicquam denique in salutem suam incipere ratione suâ quasi cogantur: usque adeo in figmentis & nequitia suâ desipuerunt.

[t] *Nubem*] Quam, ne videantur, trahunt Dii.

[u] *Axe*] Pro curru. Synecdoche est.

[x] *Sunion*] Atticæ promontorium.

[y] *Piræa*] Atheniensium portus tutissimus, catenis claudi solitus.

[z] *In dextrum*] Adeòque Atticam totam, quam è Sunio proficiscens Ceres ad dextram reliquit.

[a] *Cycladas*] Has Ægæi insulas centies jam vidimus.

[b] *Rapax*] Quia naufragum.

[c] *Alta*] Quippe per aërem vecta.

[d] *Libys*] Libyæ populus.

[e] *Meroë*] Quæ urbs in Nili est Insulâ eodem nomine.

[f] *Sicca*] Æthiopia est.

[g] *Hesperios*] Eos qui ad occasum sunt porrecti, Hispanos putà & Italos.

[h] *Padum*] Qui per Cisalpinam Galliam labitur. *Le Pau.*

[i] *Potentis*] Propter Romam Urbium reginam.

Errat

Errat & in cælo: liquidíque immunia ponti
Alloquitur gelido proxima [k] signa polo.
Parrhasides stellæ (namque omnia nosse potestis,
Æquoreas nunquam cùm subeatis aquas),
Persephonen natam miseræ monstrate parenti.
Dixerat. huic [l] Helice talia verba refert:
Crimine [m] nox vacua est. Solem de virgine raptâ
Consule; qui latè facta diurna videt.
Sol aditus, Quam quæris, ait, ne vana labores,
Nupta Jovis [n] fratri [o] tertia regna tenet.
Questa diu secum sic est affata [p] Tonantem:
(Maximáque in vultu signa dolentis erant)
Si memor es, [q] de quo mihi sit Proserpina nata;
Dimidium curæ debet habere tuæ.
Orbe pererrato, sola est injuria facti.
Cognita: commissi præmia raptor habet.
At neque Persephone digna est prædone marito,
Nec gener [r] hoc nobis more parandus erat.
Quid gravius victore [s] Gyge captiva tulissem;
Quàm nunc te cæli sceptra tenente tuli?
Verùm impune ferat: nos hæc patiamur inultæ.
Reddat, & emendet facta priora [t] novis.

INTERPRETATIO.

Vagatur quoque in cœlo, atque compellat sidera juncta axi frigido, intacta mari fluido. Stellæ Parrhasides, ostendite infœlici matri filiam Proserpinam, namque licet vobis omnia nosse, cùm nunquam descendatis in aquas marinas. Absolverat. Helice huic reddit hujusmodi voces: Nox est insons. Consule de puellâ ablatâ Solem, qui latè conspicit facta diurna. Sol consultus: Quam quæris, inquit, nupta fratri Jovis possidet tertia regna: ne fatigeris frustrà. Postquam diu apud se indoluisset sic est alloquuta Tonantem: atque maxima indicia luctus erant in facie: Si recordaris de quo sit mihi filia Proserpina, debet habere dimidium curæ tuæ. Mundo perlustrato, sola contumelia facinoris est perspecta, prædo fruitur mercede facti. At neque Proserpina merita est virum raptorem; neque gener erat nobis conciliandus hoc modo. Captiva, Gyge superiore, quid passa essem molestius, quàm nunc passa sum, te obtinente sceptra cœli? At enim inultus discedat: nos feramus ista sine vindictâ. Restituat, atque compenset facta priora sequentibus.

NOTÆ.

[k] *Signa*] Ursam *scilic.* quæ ex Parrhasiâ seu Arcadiâ cùm Calisto esset, orta; in cœlum verò translata, quia prope polum, æquore nunquam mergi videtur.

[l] *Helice*] Quæ Ursa major, de quâ toties.

[m] *Nox*] Cujus tempore Proserpina rapta à Plutone non fuit, ut Ceres suspicabatur.

[n] *Fratri*] Diti *scil.* seu Plutoni.

[o] *Tertia*] Nam prima Jupiter, altera Neptunus.

[p] *Tenantem*] Jovem.

[q] *De quo*] Jove *scil.*

[r] *Hoc*] Per vim *scil.*

[s] *Gyge*] Hunc centimanum Briarei fratrem, qui Diis bella inferre non veritus jam suprà quoque vidimus.

[t] *Novis*] Reddendo raptam.

Jupiter hanc lenit, factúmque excusat amore;
Nec gener est nobis ille pudendus, ait.
Non ego nobilior. posita est mihi regia cælo.
Possidet alter aquas: alter [u] inane Chaos.
Sed si fortè tibi non est mutabile pectus;
Statque semel juncti rumpere vincla tori;
[x] Hoc quoque tentemus, siquidem jejuna remansit:
Sin minùs; inferni conjugis uxor erit.
[y] Tartara jussus adit sumtis [z] Caducifer alis:
Speque redit citiùs, visáque certa refert.
Rapta tribus, dixit, solvit jejunia granis,
[a] Punica quæ lento cortice poma tegunt.
Haud secus indoluit, quàm si modò rapta fuisset,
Mœsta parens, longâ vixque refecta morâ est.
Atque ita, Nec nobis cælum est habitabile, dixit:
[b] Tænariâ recipi me quoque valle jube.
Et factura fuit: pactus nisi Jupiter esset,
[c] Bis tribus ut cælo mensibus illa foret.
Tum demum vultúsque Ceres animúmque recepit;
Imposuitque suæ [d] spicea serta comæ.
Largáque provenit [e] cessatis messis in arvis;
Et vix congestas area cepit opes.

INTERPRETATIO.

Jupiter hanc mulcet, & excusat factum amore, Neque, inquit ille gener est nobis erubescendus. Ego non sum generosior. Regia est mihi assignata in cælo: alter obtinet aquas: alter Chaos vacuum. Verùm, si fortè cor non est tibi flectendum, atque constituisti solvere nodos lecti socii, experiamur hoc etiam. siquidem remansit jejuna: sin minùs erit conjux mariti inferni. Caducifer monitus subit inferos, alis captis; atque revertitur citiùs expectatione, & narrat conspecta indubitata. Rapta, inquit, solvit famem tribus granis quæ poma Punica continent molli cortice. Tristis mater non aliter ingemuit, quàm si nunc sublata fuisset; atque ægrè restituta est longo tempore. Atque ità inquit, Neque cælum est nobis colendum: impera me etiam recipi valle Tanariâ. Atque factura fuit, nisi Jupiter pollicitus esset, illam fore sex mensibus in cælo. Tum denique Ceres restituta est mente atque facie, atque imposuit coronam spiceam suis capillis. Atque messis ampla crevit in agris requietis, atque vix area continuit divitias coacervatas.

NOTÆ.

[u] *Inane Chaos*] Vacua Erebi regna.

[x] *Hoc quoque*] Rumpere vincla tori.

[y] *Tartara*] Qui locus inferorum ultimus.

[z] *Caducifer*] Mercurius *scil.* cujus virga serpentibus nexa, quam *Caduceum* dicunt, fuit gestamen.

[a] *Punica*] *Grenade* Gall.

[b] *Tanariâ*] *Tartareâ*, *Inferis*: quia in Tænaro Laconiæ promontorio spiraculum Diris, aditusque ad Inferos.

[c] *Bis tribus*) Senis apud superos, totidemque mensibus apud inferos ideo commorari dicta Proserpina, vel propter Lunæ diversos status, vel ratione tritici seminis habitâ, quod alterâ anni parte quasi obrutum terrâ videtur, alterâ proserpendo seu progerminando ad Superos redit.

[d] *Spicea*) Quibus quidem solet coronari.

[e] *Cessatis*] Ad illud alludit quod in Metam. finxit de mœstâ & iratâ Cerere,

Terras increpat omnes,
Ingratásque vocat, nec frugum munere dignas.

Alba decent Cererem : vestes Cerealibus albas
Sumite. nunc pulli velleris usus abest.
Occupat Apriles Idus cognomine [f] Victor
Jupiter : hac illi sunt data templa die.
Hac quoque, ni fallor, populo dignissima nostro
[g] Atria Libertas cœpit habere sua.
Luce secuturâ [h] tutos pete, navita, portus :
Ventus ab occasu grandine mistus erit.
Scilicet ut fuerit ; tamen hac [i] Mutinensia Cæsar
[k] Grandine militiâ contudit arma suâ.
[l] Tertia post [m] Veneris cùm lux surrexerit Idus ;
Pontifices [n] fordâ [o] sacra litate bove.
Forda ferens bos est fœcundáque, dicta [p] ferendo :
Hinc etiam fetus nomen habere putant.
Nunc gravidum pecus est : gravidæ nunc semine terræ.
Telluri plenæ victima plena datur.
[q] Pars cadit arce Jovis : [r] ter denas Curia vaccas
Accipit ; & largo sparsa cruore madet.
Ast ubi visceribus vitulos rapuêre ministri,
Sectáque fumosis exta dedêre focis ;

INTERPRETATIO.

Candida conveniunt Cerori : induite candida velamina Cerealibus. Jam nullus est usus lana atra.

Jupiter cognomine Victor obtinet Idus Apriles : delubra sunt illi dicata hâc die. Hâc etiam, opinor, Libertas dignissima populo nostro cœpit obtinere sua.

Die venturâ, nauta, occupa portus securos : ventus ab Occidente erit junctus grandini. Scilicet, quanquã fuerit, tamen hâc die grandinosá Cæsar oppressit arma Mutinensia.

Cum dies tertia post Idus Veneris illuxerit, Sacerdotes adolete sacra vaccâ gravidâ. Forda est vacca ferens & fecunda, appellata à ferendo: hinc etiam credunt fetus ducere nomen. Nunc pecus est plenum ; nunc terra plenæ semine. Victima gravida offertur terra gravida. Pars mactatur in arce Jovis: Curia accipit boves triginta, atque irrigatur sparsa multo sanguine. At postquam sacerdotes excusserunt vitulos pracordiis, & obtulerunt viscera discerpta altaribus fumidis ;

NOTÆ.

[f] *Victor*] Huic ædem voverat Q. Fabius Maximus Rullianus Consul contra Samnites, anno Urbis conditæ 458.

[g] *Atria*] Hæc Tiberius Gracchus primus erexit, restauravit postea nobilis ille Senator Asinius Pollio ; qui & illi bibliothecam addidit, quæ omnibus pateret.

[h] *Tutos*] Ob futuram tempestatem.

[i] *Mutinensia*] Apud Mutinam Galliæ Cisalpinæ urbem ; ubi Antonius ab Augusto castris exutus.

[k] *Grandine*] Pro tempore grandinoso.

[l] *Tertia*] 17 Cal, seu 15 die Aprilis fordicidia erant.

[m] *Veneris*] Apriles ergo ; Veneri namque sacer hic mensis.

[n] *Fordâ*] *Gravidâ.*

[o] *Sacra lit.*] *Sacrificate.*

[p] *Ferendo*] Atque adeò e simplici sine o scribi debet fetus : quanquam alii ab obsoleto *feo* magis deducunt. Fœtum verò per œ si scripseris à *fovendo* desumseris.

[q] *Pars*] Victimarum *scil.*

[r] *Ter denas*] Quia totidem Curiæ *scil.* in quarum singulis vacca una mactabatur.

Igne cremat vitulos, quæ natu maxima [f] virgo;
Luce Palis populos purget ut ille cinis.
[u] Rege Numâ, fructu non respondente labori,
Irrita decepti vota colentis erant.
Nam modò siccus erat gelidis Aquilonibus annus;
Nunc ager assiduâ [x] luxuriabat aquâ.
Sæpe [y] Ceres [z] primis dominum fallebat in herbis;
Et [a] levis [b] obsesso stabat avena solo:
Et pecus ante diem partus edebat acerbos:
Agnáque nascendo sæpe necabat ovem.
Silva vetus nullâque diu violata securi
Stabat, [c] Mænalio sacta relicta Deo.
Ille dabat tacitis animo responsa quieto
Noctibus. hîc geminas rex Numa mactat oves.
Prima cadit Fauno, leni cadit altera [d] Somno.
Sternitur in duro [e] vellus utrumque solo.
Bis caput intonsum fontanâ spargitur undâ;
Bis sua fagineâ tempora fronde premit.
Usus [f] abest Veneris: nec fas animalia mensis
Ponere: [g] nec digitis anulus ullus inest.
Veste rudi tectum supra [h] nova velleta corpus
Ponit, adorato per sua verba Deo.

INTERPRETATIO.

Virgo, quæ vetustissima, torret igne vitulos; ut ille cinis lustret populos die Palis. Numâ regnante, vota agricolæ illusi erant inania, fructu non sequente operam. Nam modò annus erat aridus per frigidos Aquilones; nunc arva luxuriabant pluviâ continuâ. Ceres frequenter decipiebat dominum in primis herbis; & avena fatua occupabat terram obsessam. Atque pecus emittebat fœtus immaturos ante tempus, & sæpe agna occidebat ovem nascendo. Lucus erat antiquus atque à longo tempore intactus bipenni, relictus sacer Deo Arcadico. Ille reddebat oracula animo tranquillo per noctis silentia. Numa hic immolat duas bidentes. Prima mactatur Fauno, altera offertur miti Somno. Pellis utriusque explicatur in terrâ rigidâ. Caput intonsum bis irroratur aquâ fontanâ; bis tegit sua tempora foliis fagineis. Abstinet à Venere; neque fas adhibere animalia mensis: neque annulus ullus est in digitis. Demittit corpus velatum amictu aspero super recens detractas pelles, Deo culto per suos sermones.

NOTÆ.

[f] *Virgo*] Vestalis *scilicet.*
[t] *Palis*] Hæc Pastorum Dea, quam etiam Vestam & Tellurem esse voluerunt.
[u] *Rege Numâ*] Mactandarum boum unde orta sit caussa enarrat Naso.
[x] *Luxuriabat*] Totus in herbam sine fructu absumebatur.
[y] *Ceres*] Pro segete.
[z] *Primis*] Ita ut tenellæ adhuc perirent herbæ.
[a] *Levis*] Sterilis.
[b] *Obsesso*] Ab ipsâ avenâ sterili, quæ tritico locum non faciebat.
[c] *Mænalio*] *Arcadico*, Pani *scilicet*, seu Fauno cujus jam non semel recensuimus fabulas.
[d] *Somno*] Quem etiam in Metam. Deum esse vidimus, ex somniis *scil.* Ethnicorum.
[e] *Vellus*] Utriusque ovis pellis.
[f] *Abest*] Idem dictum suprà de Hercule rem divinam facturo.
[g] *Nec dig.*] Nihil ornatus supplicem maximè decet.
[h] *Nova*] Recens ovibus detractæ.

Interea placidam redimita [i] papavere frontem
Nox venit, & secum somnia nigra trahit.
Faunus adest; oviúmque premens pede vellera duro,
Edidit [k] à dextro talia dicta toro:
Morte boum tibi, Rex, [l] Tellus placanda duarum:
Det sacris animas una necata duas.
Excutitur terrore quies; Numa visa revolvit;
Et secum [m] ambages cæcáque jussa refert.
Expedit errantem nemori gratissima [n] conjux;
Et dixit, [o] Gravidæ posceris exta bovis.
Exta bovis dantur gravidæ: felicior annus
Provenit, & fructum terra pecúsque ferunt.
Hanc quondam [p] Cytherêa diem properantiùs ire
Jussit, & æthereos præcipitavit equos;
Ut titulum imperii quàm primùm luce [q] sequenti
Augusto juveni prospera bella darent.
SEd jam præteritas [r] quartus tibi Lucifer Idus
Respicit. hac Hyades [s] Dorida nocte petunt.
[t] TErtia post Hyadas cum lux erit orta remotas;
[u] Carcere [x] partitos Circus habebit equos.

INTERPRETATIO.

Interea Nox adest habens caput lene coronatum papavere, atque ducit secum atra somnia. Faunus venit; atque insistens pellibus pede rigido, emisit talia verba à dextrâ lecti: Rex, Terra est tibi pianda nece duarum vaccarum: una anima interfecta exhibeat sacris duas animas. Somnus fugatur terrore; Numa recolit animo somnia; atque revolvit secum ambages & obscura mandata. Uxor gratissima [e]xtricat hæsitantem nemori atque dixit, Petuntur à te viscera vaccæ pragnantis. Viscera vaccæ pragnantis offeruntur: annus uberior ortus est, & Tellus atque pecus emittunt suos fœtus. Cytherea imperavit olim hanc diem celeriùs currere, atque egit præcipites equos cœlestes, ut bella felicia citissimè præberent Augusto adolescenti titulum imperii.

VErùm quartus Lucifer jam respicit Idus sibi elapsas. Hâc nocte Hyades concedunt ad Doridem.

CUm dies tertia post Hyadas depulsas illuxerit, Circus habebit in repagulis equos divisos.

NOTÆ.

[l] *Papavere*] Quia inducit somnos.

[k] *A dextro*] Bono adeòque omine.

[l] *Tellus*] Quæ Dea *scil.*

[m] *Ambages*] Obscura oracula.

[n] *Conjux*] Egeria *scil.* in nemore Aricino habitans.

[o] *Gravida*] Quâ solâ mactatâ duæ animæ necantur.

[p] *Citherêa*] Venus, cui mensis Aprilis sacer, gentisque suæ Juliæ seu Augustæ cura maxima.

[q] *Sequenti*] 16 Kal. Maias decimo que sexto die mensis Aprilis, Augusto V Consule, anno ab Urbe 724, quo quidem triplici triumpho ille Urbem ingressus est rediit cultus agris, sacris honos, securitas hominibus, certa cuique suarum rerum possessio, idem Imperator peculiari quodam jure sibi atque posteris Imperatoris nomen vindicavit.

[r] *Quartus tibi*] 15 Aprilis ergo Hyades seu Suculæ stellæ in fronte Tauri, quæ olim Atlantis filiæ, occidunt.

[s] *Dorida*] Pro mari hanc Oceani & Tethyos filiam frequenter sumunt Poëtæ.

[t] *Tertia post*] 13 Calend. ludi iterum in Circo, quibus à Cerealibus in hunc usque diem nulla Romæ fuit pausa; ut observat illustriss. Neapolis.

[u] *Carcere*] In ipsis repagulis, unde ad cursum mittebantur.

[x] *Partitos*] In diversas factiones *scil.* diversis coloribus distinctas dividebantur aurigantes.

Cur igitur [y] missæ vinctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, caussa docenda mihi.
Frigida [z] Carseoli nec olivis apta ferendis
Terra. sed ad segetes ingeniosus ager.
Hac ego Pelignos natalia rura petebam;
Parva, sed assiduis uvida semper aquis.
Hospitis antiqui solitas intravimus ædes.
[a] Demserat emeritis jam juga Phœbus equis.
Is mihi multa quidem, sed & hæc, narrare solebat,
Unde meum [b] præsens instrueretur opus:
Hoc, ait, in campo (campúmque ostendit) habebat
Rus breve cum duro parca colona viro.
Ille suam [c] peragebat humum: sive usus aratri,
Sive cavæ falcis, sive bidentis erat.
Hæc modò verrebat stantem [d] tibicine villam;
Nunc matris plumis ova fovenda dabat.
Aut virides malvas, aut fungos colligit albos;
Aut humilem grato calfacit igne focum.
Et tamen assiduis exercet brachia telis;
Adversúmque minas frigoris arma parat.
Filius hujus erat primo lascivus in ævo:
Addiderátque annos ad duo lustra duos.
Is capit extremi vulpem sub valle salicti:
Abstulerat multas illa cohortis aves.
Captivam stipulâ fœnóque involvit, & ignes
Admovet. urentes effugit illa manus.

INTERPRETATIO.

Ratio igitur à me dicenda, quamobrem vulpes impulsæ habeant terga incensa facibus alligatis. Carseoli est terra gelida, neque idonea olivis producendis, sed solum fœcundum tritico. Ego hàc concedebam in Pelignos agros natales, exiguos, sed indesinenter humidos aquis jugibus. Ingressi sumus domum consuetam veteris hospitis. Jam Phœbus levaverat jugo equos officio functos. Ille quidem consueverat mihi referre multa, verùm hæc etiam, quibus præsens opus augeretur. In hoc agro, inquit, atque monstrat agrum, Colona frugi cum aspero marito potiebatur tenui arvo. Ille excolebat suam terram; sive opus aratro esset, sive curvâ falce, seu ligone. Hæc nunc purgabat villam impositam fulcro: nunc supponebat ova incubanda plumis matris. Vel legit malvas virides, vel fungos albos: vel accendit igne tenuem focum. Et nihilominus negotium facessit brachiis telis continuis; atque adornat præsidia adversus minas frigoris. Filius hujus erat protervus primâ ætate, & adjecerat duos annos duobus lustris. Is corripit vulpem sub vallo ultimi salicti: illa rapuerat multas aves ex cohorte. Integit captivam culmis & fœno, atque incendit. Illa elabitur manibus urentibus.

NOTÆ.

[y] *Missæ*] Per ludorum tempus in Circo.

[z] *Carseolis*] Fuerunt in Æquis Carseoli, atque una ex claris eorum urbibus.

[a] *Demserat*] Nox adventabat.

[b] *Præsens*] Fastorum *scil.*

[c] *Peragebat*] *Colebat.*

[d] *Tibicine*] Structuras dicit seu fulcra, quibus domus sustinebatur.

[e] Quà fugit, incendit vestitos messibus agros;
Damnosis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit; monumenta manent. nam vivere captam
Nunc quoque lex vulpem Carseolana vetat.
Utque luat pœnas gens hæc, Cerealibus ardet;
Quoque modo segetes perdidit, ipsa perit.
POstera cum veniet terras visura patentes
[f] Memnonis in roseis lutea mater equis;
[g] E duce lanigeri pecoris, qui [h] prodidit Hellen,
Sol abit; egresso [i] victima major adest.
Vacca sit an taurus, [k] non est cognoscere promptum;
Pars prior apparet: posteriora latent.
Seu tamen est taurus, sive est hoc fœmina signum;
Junone [l] invitâ munus [m] amoris habet.
NOx abiit, oritúrque Aurora. [n] Palilia poscor.
Non poscor frustra; si favet alma Pales.
Alma Pales, faveas pastoria sacra canenti;
Prosequor officio si tua festa pio.
Certè ego de [o] vitulo cinerem stipulásque fabales
Sæpe tuli plenâ [p] februa casta manu.

INTERPRETATIO.

Quà transit, immittit ignes campa decoratu segetibus: ventus augebat vires flamma nocentis. Factum præteriit, monumenta supersunt: nam lex Carseolana prohibet nunc etiam vulpem captam vivere. Atque, ut istud genus persolvat pœnas, incenditur Cerealibus; & ipsa perit quo more perdidit segetes.

CUm sequens Aurora, rubicunda aderit in equis roseo aspectura campos apertos, Sol deserit ducem pecoru lanigeri, qui prodidit Hellen. Grandior victima adest egresso. Non est facile cognoscere sitne juvenca an juvencus: pars anterior est conspicua, posterior obscuratur. Sive tamen hoc sidus est juvencus, sive est fœmina, obtinet mercedem amoris, Junone nolente.

NOx recessit, atque Aurora exsurgit, Palilia petuntur à me. Non petuntur in cassum, si alma Pales est propitia. Alma Pales faveas cantanti sacra pastoritia, si colo tua festa pio efficio. Certè ego sæpe tuli cinerem de vitulo, & stipulas fabales, februa pura, plenâ manu.

NOTÆ.

[e] *Quà*] Dubium mihi non est, quin ex Samsonis historiâ quæ Judicum 15 refertur, detorta sit hæc fabula.

[f] *Memnonis mat.*] Aurora *scil.*

[g] *E duce*] Arietem Sol relinquit, ut Taurum ineat.

[h] *Prodidit*] Helles fabulam sæpius jam vidimus.

[i] *Victima*] Taurus *scil.* in quem Sol XII Cal. Maias transit.

[k] *Non est cogn.*] Quia semiss ctus & parte tantùm anteriore pingitur Taurus.

[l] *Invitâ*] Quia neque Jovis, Europæ, Tauri formâ illudentis amores, neque Ius vaccæ metamorphosim Juno probavit.

[m] *Amoris*] Taurus quippe amoribus Jovis erga Europam favit: vacca ad celanda ejusdem furta cum Io præstò fuit.

[n] *Palilia*] Hæc festa sibi vindicabat Pales Dea pastorum; quæ quidem jam sibi exponenda dicit Naso.

[o] *Vitulo*] De quo suprà in fordicidiis.

[p] *Februa*] Quo nomine quævis dicta purgamina, uti ab ipso Nasone prolixè inculcatum in Februario.

Certè ego [q] transilui positas ter in ordine flammas;
Virgáque roratas laurea misit aquas.
Mota Dea est; operíque favet: [r] navalibus exi,
Puppis: habent ventos jam tua vela suos.
I, pete virgineâ, populus, [s] suffimen ab arâ:
[t] Vestà dabit. Vestæ munere purus eris.
Sanguis equi suffimen erit, [u] vitulíque favilla.
Tertia res, duræ culmen inane fabæ.
Pastor, oves saturas ad prima [x] crepuscula lustra.
Uda priùs spargat, virgáque verrat humum.
Frondibus, & fixis decorentur ovilia ramis;
Et tegat ornatas longa corona fores.
Cærulei fiant vivo de sulfure fumi;
Tactáque [y] fumanti sulfure balet ovis.
Ure mares oleas, tædámque, herbásque Sabinas;
Et crepet in mediis laurus adusta focis.
Libáque de milio milii [z] fiscella sequatur:
[a] Rustica præcipuè quo Dea læta cibo est.
Adde [b] dapes [c] mulctrámque suas: dapibúsque [d] resectis.
Silvicolam tepido lacte precare Palen.
Consule, [e] dic, pecori pariter, pecorísque magistris:
Effugiat stabulis noxa repulsa meis.

INTERPRETATIO.

Certè ego ter traјeci corpus per ignes ordine constitutes; & virga laurea misit aquas roratas. Dea tacta est; atque favet labori. Solve à navalibus, navis: tua vela jam fruuntur aurâ suâ. Ite, plebs, pete suffitum ex altari virgineo, Vesta dabit: eris purgatus dono Vestæ. Sanguis equi, & cinis vituli erit suffitus. Tertia res culmen vacuum duræ fabæ. Opilio, purga oves saturas ad prima crepuscula. Humida priùs spargat, atque virga verrat terram. Præsepia ornentur foliis, & ramis affixis; atque multa serta velent januas decoratas. Fumi cærulei excitentur de vivo sulfure; atque ovis tacta sulfure fumanti balet. Adole mares oleas, tædamque, atque herbas Sabinas; & laurus tosta crepitet in mediis ignibus. Atque quasillus milii jungatur libo de milio; quo cibo Dea rustica inprimis gaudet. Adjice epulas suas atque mulctrale: & epulis divisis adora Palen silvestrem lacte calido. Dic, Prospice æqualiter pecori, & magistris pecoris: damnum propulsum recedat à meis præsepibus.

NOTÆ.

[q] *Transilui*] De isto more audies postea ipsum Poëtam.

[r] *Navalibus*] Aggredior opus. Metaphoricè locutus est.

[s] *Suffimen*] Quo se purgari etiam stultè arbitrabantur.

[t] *Vesta*] Aut eius virgines.

[u] *Vitulique*] Illius *scil.* qui in fordicidiis unà cum matre mactatus.

[x] *Crep. scul.*] Post Solis occasum.

[y] *Fumanti sulf.*] Sulfuris fumo.

[z] *Fiscella*] *Calathus.* Un Panier.

[a] *Rustica*] Pales *scil.* pastorum dea rustica est.

[b] *Dapes*] Lac *scil.* & caseum.

[c] *Mulctram*] Vas illud dicit quo lac excipitur, cùm mulgetur.

[d] *Resectis*] *Comminutis*; siquidem tamen vera ea lectio: alii namque *refectus, paratis, relictis* exhibent.

[e] *Dic*] Pastorem alloquitur, cui precandi formulam præscribit.

Sive

Sive [f] sacro pavi, sedíve sub arbore sacrâ;
Pabuláque è [g] bustis inscia carpsit ovis:
Seu nemus intravi vetitum, nostrisve fugatæ
Sunt oculis Nymphæ, [h] semicapérve Deus:
Seu mea falx ramo lucum spoliavit opaco,
Unde data est ægrè [i] fiscina frondis ovi:
Da veniam culpæ: nec, dum [k] degrandinat, obsit
Agresti fano supposuisse pecus.
Nec noceat turbasse lacus, ignoscite, Nymphæ;
Lota quòd obscuras ungula fecit aquas.
Tu, Dea, pro nobis Fontes fontanáque placa
Numina; tu sparsos per nemus omne Deos.
Nec [l] Dryadas, nec nos videamus [m] labra Dianæ;
Nec Faunum, medio cùm premit arva die.
Pelle procul morbos. valeant hominésque gregésque;
Et valeant vigiles provida turba canes.
Neve minùs multos redigam, quàm mane fuerunt;
Neve gemam referens vellera rapta lupo.
Absit iniqua fames. herbæ frondésque supersint:
Quæque lavent artus, quæque bibantur, aquæ.
Ubera plena premam. referat mihi caseus [n] æra;
[o] Dentque viam liquido vimina rara sero.
Sitque [p] salax aries; conceptáque semina conjux
Reddat; & in stabulo multa sit agna meo.

INTERPRETATIO.

Seu egi pecus in sacra, vel requievi sub arbore sacrâ, aut ovis ignara vellit pabula ex sepulcris, seu ingressus sum lucum interdictum, vel Nymphæ, aut Deus semicaper est versus in fugam nostris oculis; seu mea falx deripuit luco ramum facientem umbram, ex quo exhibita est corbis foliorum pecudi morbida, ignosce, neque sit damno subegisse pecus Fauno rustico, dum desævit grando. Neque sit fraudi turbasse stagna; Nymphæ parcite, quòd ungula lota reddidit latices turbatos. Tu, Dea, flecte pro nobis fontes, & numina fontana, tu placa Deos sparsos per omnem silvam. Neque nos intueamur Dryadas, neque balnea Dianæ, neque Faunum, cùm insistit campis medio die. Fuga longè morbos: homines atque greges bene se habeant; atque canes agmen experrectum valeant. Neve cogam minùs multos, quàm fuerunt manè; neve lugeam, reportans pelles ablatas à lupo. Fames aspera sit procul. Gramina atque folia sint residua: tum lympha quæ abluant membra, quæque potentur. Traham mammas uberes: caseus mihi pariet nummos; atque vimina rara faciant viam liquido sero. Atque aries sit lascivus; & fœmina reponat semina concepta; atque plurima agna sit in ovili meo.

NOTÆ.

[f] *Sacro*] Loco *scil.*
[g] *Bustis*] Ubi quispiam sepultus.
[h] *Semicaper*] Pan seu Faunus.
[i] *Fiscina*] *Un panier de fueilles.*
[k] *Degrandinat*] *Desævit grando. Desinit grandinare.*
[l] *Dryades*] Nemorum Nymphas.
[m] *Labra D.* Lacus ubi lavatur. Ad Actæonis alludit fabulam.
[n] *Æra*] *Nummos.*
[o] *Dentque*] Ut bene fingatur caseus.
[p] *Salax*] Ad procreandam sobolem.

Lanáque proveniat [q] nullas læſura puellas,
Mollis, & ad teneras quamlibet apta manus.
Quæ precor, eveniant: & nos faciamus ad annum
Paſtorum dominæ grandia liba Pali.
His Dea placanda eſt: hæc tu converſus ad ortus
Dic ter, & in vivo prolue rore manus.
Tum licet, appoſitâ veluti cratere [r] camellâ,
Lac niveum potes, purpureámque [f] ſapam.
Moxque per ardentes ſtipulæ crepitantis acervos
[t] Trajicias [u] celeri ſtrenua membra pede.
Expoſitus mos eſt. moris mihi reſtat origo.
[x] Turba facit dubium; [y] cœptáque noſtra tenet.
[z] Omnia purgat edax ignis, vitiúmque metallis
Excoquit. [a] idcirco cum [b] duce purgat oves.
An, quia cunctarum contraria [c] ſemina rerum
Sunt duo, diſcordes ignis & unda Dei;
Junxerunt elementa [d] Patres: aptúmque putarunt
Ignibus & ſparsâ tangere corpus aquâ?
An, quòd in his vitæ cauſſa eſt; [e] hæc perdidit exul:
His [f] nova fit conjux: hæc duo magna putant?

INTERPRETATIO.

Lanáque tenuis creſcat nullas puellas læſura, atque idonea ad manus quantumvis molles. Quæ oro fiant; atque nos fingamus recurrente anno vaſta liba Pali dominæ Paſtorum. Dea eſt pianda his: ter iſta repete ſpectans ortum, atque lava manus in aquâ vivâ. Tum fas eſt bibas lac niveum, & ſapam purpuream camellâ admotâ tanquam cratere. Moxque tranſmittas veloci pede validos artus per cumulos ſtipulæ ſtridentis. Ritus declaratus eſt. Origo ejus mihiupereſt dicenda. *Numerus me facit incertum, atque moratur noſtrum inſtitutum. Ignis vorax expurgat omnia, atque percoquit vitium metallis: ideo purgat oves cum duce. An quia Ignis & Aqua Dii duo diſſidentes ſunt ſemina repugnantia omnium rerum, majores junxerunt elementa; atque arbitrati ſunt conveniens eſſe tangere corpus ignibus & aquâ injectâ? An, quia cauſſa vitæ eſt in iſtis; exul excidit his; nova nupta fit his; credunt hæc duo magna?*

NOTÆ.

[q] *Nullas laſ.*] Atque adeò tenuis.

[r] *Camellâ*] Vas fuit quoddam ligneum.

[f] *Sapam*] Muſtum ad mediam partem decoctum.

[t] *Trajicias*] Intelligis jam quid ſibi voluerit Naſo, cùm ſe flammas dixit tranſiluiſſe.

[u] *Celeri*] Tutum namque hîc non foret lento pede ambulare.

[x] *Turba*] Cauſſarum multitudo.

[y] *Cœpta*] Cauſſam reddere moris.

[z] *Omnia*] Ex Judaica quidem & Græcanicâ opinione, quæ & Chriſtianos invaſerat. Verùm Dei gratiâ apud ſaniæ mentis viros nullæ jam ſunt hujuſcemodi ineptiæ.

[a] *Idcirco*] Annon hæc præclara argumentatio?

[b] *Duce*] Paſtore *ſcil.* Quanquam & Dux gregis aries.

[c] *Semina*] Quia ex Calore in Aquâ omnia generantur.

[d] *Patres*] Majores.

[e] *Hæc*] Aquâ & igni interdicti quippe exules.

[f] *Nova*] Veneris adeò jue comites aquæ & ignis, ut docet Varro, quibus adhibitis juſtos fieri viros e de Arte noſter ſcripſit.

Vix equidem credo; sunt qui [g] Phaëthonta referri
Credant, & nimias [h] Deucalionis aquas.
Pars quoque, cum saxis pastores saxa terebant,
Scintillam subitò prosiluisse ferunt.
Prima quidem periit: stipulis excepta secunda est.
Hoc argumenti flamma [i] Palilis habet.
An magis hunc morem pietas Æneïa fecit,
Innocuum victo cui [k] dedit ignis iter?
Num tamen est vero propius; [l] cùm condita Roma est,
Transferri jussos in [m] nova tecta Lares?
Mutantésque domum tectis agrestibus ignem,
Et cessaturæ supposuisse casæ?
Per flammas saluisse pecus, saluisse colonos?
Quod fit [n] natali nunc quoque, Roma, tuo.
Ipse locus [o] causas vati facit. Urbis origo
Venit. ades festis, magne Quirine, tuis.
Jam luerat pœnas [p] frater Numitoris, & omne
Pastorum [q] gemino sub duce vulgus erat.
Contrahere agrestes, & mœnia ponere utrique
Convenit. Ambigitur [r] nomina ponat uter.
Nil opus est, dixit, certamine, Romulus, ullo.
[s] Magna fides avium est: experiamur aves.

INTERPRETATIO.

Ægrè equidem fidem adhibeo; sunt qui arbitrentur Phaëthontem, & nimias aquas Deucalionis memorari. Nonnulli etiam dicunt scintillam repentè emicuisse, cùm pastores concuterent silices silicibus. Prima quidem extincta est: secunda est excepta stipulis. Flamma Palilis habet hoc indicii. An potiùs pietas Ænea, cui victo flamma fecit viam facilem, induxit hunc ritum? Num tamen est verisimilius, cùm Roma est constructa, Lares jussos transportari in novas domos? Atque migrantes sedibus submisisse ignem domibus rusticis, & tuguriis inutilibus? Pecus saluisse per ignes, colones saluisse? Quod fit nunc etiam tuo natali, Roma. Ipse locus prabet caussas Poëta. Origo Urbis venit: magne Quirine veni ad festa tua. Frater Numitoris jam penderat pœnas, & omne vulgus erat sub duce gemello. Uterque coëunt, ut in unum cogant rusticos, & statuant muros: in dubio est uter statuat muros. Nihil opus est ulla contentione, inquit Romulus. Magna est fides alitum: faciamus periculum alitum.

NOTÆ.

[g] *Phaëtonta*] Cujus filii Solis fabulam prolixè habes in Metam.

[h] *Deucalionis*] Diluvium quoque, quod hujus tempore evenisse dicitur, non semel vidimus in superioribus.

[i] *Palilis*] Quæ Palilibus excitatur.

[k] *Dedit*] Hinc ipse Æneas apud Maronem,

flammam inter & hostes
Expedior, dant tela locum flammaque recedunt.

[l] *Cùm condita*] Atque adeò in Palilibus ignes transiliendi non fuit antiquius initium, Urbis natali: quod & Tibullus, & Plutarchus pariter tradiderunt.

[m] *Nova*] Novæ Urbis *scil.*

[n] *Natali*] Qui in 11 Calendas incidebat.

[o] *Causas*] Ut multa narret.

[p] *Frater Numit.*] Amulius *scilic.* cujus supra vidimus feritatem, necem &c.

[q] *Gemino*] Romulo atque Remo *scil.*

[r] *Nomina*] Uter Urbi nomen imponat, auspicetur & regat.

[s] *Magna*] Ad auspicia ergo uterque digressi sunt.

Res placet. [t] alter init nemorosi saxa Palatî:
  Alter Aventinum mane cacumen adit.
[u] Sex Remus, hic volucres bis sex videt ordine. [x] pacto
  Statur: & arbitrium Romulus Urbis habet.
Apta dies legitur, quâ mœnia [y] signet aratro.
  Sacra Palis suberant: [z] inde movetur opus.
Fossa fit [a] ad solidum: fruges [b] jaciuntur in imâ,
  Et [c] de vicino terra petita solo.
Fossa repletur humo, plenæque imponitur ara;
  Et novus accenso [d] finditur igne locus.
Inde premens stivam designat mœnia sulco:
  Alba jugum niveo cum bove vacca tulit.
Vox fuit hæc Regis, Condenti Jupiter Urbem,
  Et genitor Mavors, Vestáque mater ades:
Quosque pium est adhibere Deos, advertite cuncti:
  Auspicibus vobis hoc mihi surgat opus.
Longa sit huic ætas, dominæque potentia terræ.
  Sitque sub hac oriens occiduúsque dies.
Ille precabatur. tonitru dedit omina lævo
  Jupiter: & [e] lævo fulmina missa polo.
Augurio læti jaciunt fundamina cives;
  Et novus exiguo tempore murus erat.

INTERPRETATIO.

Res probatur. Alter concedit in rupes Palatii nemorosi: alter contendit manè in verticem Aventini montis. Remus aspicit sex aves, hic duodecim ordine: statur pacto; & Romulus habet auspicium Urbis. Dies idonea legitur, quâ perscribat mœnia aratro. Sacra Palis aderant: inde opus incipitur. Fit fossa de more: fruges mittuntur in fundum, itemque terra desumta ex proximo solo. Fossa cumulatur terrâ, atque altare imponitur plena: & locus novus dividitur igne incenso. Mox tenens burim describit mœnia sulco: Junix candida cum tauro albo tulit jugum. Hæc fuerunt dicta Regis, Jupiter, atque Mars pater, & Vesta mater adjuva statuentem Urbem: Vosque Dii omnes, quos sanctum est invocare, adeste, hoc opus mihi crescat vobis faventibus. Longum sit ævum atque robur huic terræ dominæ & dies nascens atque occidens huic subjiciatur. Ille fundebat preces; Jupiter facit omina tonitru sinistro; atque fulmina missa axe sinistro. Cives alacres omine ponunt fundamenta, atque nova mœnia surrexerant parvâ morâ.

NOTÆ.

[t] *Alter*] Romulus *scil.*

[u] *Sex Remus*] Prior quidem sex vultures Remus; Romulus postea, sed duodecim vidit.

[x] *Pacto*] Ut per auspicia lis dirimeretur.

[y] *Signet*] Ducat sulcum, quâ, de more, atque ut ex ritualibus libris acceperat Romulus, jacturus sit fundamenta

[z] *Inde*] Eo die 1. horâ post secundam, ante tertiam plenam, ut ex Tarrutio Mathematico insigni scripsit Julius Solinus, anno ante Christum natum 750, ut vulgo numeratur, post Ilium captum 432.

[a] *Ad solidum*] Usque ad duram & firmam terram, quæ pondere ne subsideret.

[b] *Jaciuntur*] In omen fœcunditatis.

[c] *De vicino*] Ut agri atque imperii propagandi quasi pignus esset.

[d] *Finditur*] Quia in medio foco positus ignis.

[e] *Lævo*] Quod felix creditum. siquidem, ut docet Plinius, dextrum sit ejus qui postulata largitur.

Hoc Celer urget opus, quem Romulus ipse vocarat;
Sintque, Celer, curæ, dixerat, ista tuæ.
Neve quis aut muros, aut versam vomere terram
Transeat, audentem talia dede neci.
Quod Remus ignorans, humiles contemnere muros
Cœpit: &, [f] His populus, dicere, tutus erit?
Nec mora, transiluit. rutro [g] Celer occupat ausum.
Ille premit duram sanguinolentus humum.
Hæc ubi Rex didicit; lacrymas introrsus obortas
Devorat, & clausum pectore vulnus habet.
Flere palàm non vult, exempláque fortia servat:
[h] Sicque meos muros transeat hostis, ait.
Dat tamen exsequias: nec jam suspendere fletum
Sustinet, & pietas dissimulata patet.
Osculáque applicuit posito suprema [i] feretro:
Atque ait, [k] Invito frater ademte, vale.
Arsuró sque artus unxit: fecêre, quod ille,
[l] Faustulus, & mœstas [m] Acca soluta comas.
Tum juvenem [n] nondum facti flevêre Quirites.
Ultima plorato subdita flamma rogo.
Urbs oritur (quis [o] tunc hoc ulli credere posset?).
Victorem terris impositura pedem.

INTERPRETATIO.

Celer procurat hoc opus, quem ipse Romulus arcessiverat, atque dixerat, sint ista cura tua. Neve quisquam transiliat aut muros, aut terram inversam vomere: oppone morti conantem talia. Quod Remus nesciens, cœpit spernere exiguos muros, atque dicere, Plebs erit secura istis? Atque continuò transiluit. Celer pone appetit ausum. Ille cruentatus urget rigidam terram. Postquam Rex ista cognovit, absorbet lacrymas introrsum motas, atque habet vulnus clausum pectore. Non vult lugere coram, atque servat exempla generosa: & dicit, Hostis ità transiliat mea mœnia. Procurat tamen funus, neque jam potest cohibere lacrymas; atque pietas tecta retegitur. Tum junxit ultima oscula, feretro admoto, atque inquit, Germane rapte nolenti, Ave. Atque unxit membra flagratura; Faustulus, & Acca habens capillos tristes passos præstiterunt quod ille. Tum Quirites nondum creati fleverunt juvenem: novissimus ignis suppositus rogo plorato. Urbs surgit (quis tunc posset istud credere unquam?) impositura pedem victorem terris.

NOTÆ.

[f] *His*] Per contemtum loquutus.

[g] *Celer*] Alii à Fabio Romuli duce, rutro quidem pastorali, interfectum volunt Remum; alii ab ipso Romulo; alii aliter.

[h] *Sic*] Malè adeòque pereat. Sunt quoque illa verba Livii; qui ab irato Romulo interfectum fratrem dicit.

[i] *Feretro*] Quo mortui ad funus efferebantur.

[k] *Invito*] Credis, invito! quem ipse mactavit.

[l] *Faustulus*] Gemellorum nutritius; quem quidem alii per eam contentionem volunt cecidisse. Sed Poëtis, modò ad rem nec imperitè, quidvis fingendi datur licentia.

[m] *Acca*] Faustuli conjux; nutrix geminorum.

[n] *Nondum facti*] Romani quippe *Quirites* post factam cum Tatio pacem tantùm appellati.

[o] *Tunc*] Quia tam vilis, & ab ineptis pastoribus posita.

Cuncta regas: & sis magno sub Cæsare semper:
    Sæpe etiam plures nominis hujus habe.
Et quoties steteris domito sublimis in orbe;
    Omnia sint humeris inferiora tuis.

DIcta Pales nobis. idem [p] Vinalia dicam.
    Una tamen media est inter utramque dies.
Numina [q] vulgares Veneris celebrate puellæ.
    [r] Multa professarum quæstibus apta Venus.
Poscite thure dato formam, populique favorem:
    Poscite blandirias, dignáque verba [s] joco.
Cumque [t] sua dominæ date grata [u] sisymbria mirto,
    [x] Textáque compositâ juncea vincla rosâ.
[y] Templa frequentari Collinæ proxima portæ
    Nunc decet: à [z] Siculo nomina colle tenent.
Utque [a] Syracusas [b] Arethusidas abstulit armis
    [c] Claudins, & bello te quoque cepit, Eryx;
[d] Carmine vivacis Venus est translata Sibyllæ;
    Inque [e] suæ stirpis maluit urbe coli.

INTERPRETATIO.

Imperes omnibus; atque sis semper sub ingenti Cæsare: Habeas etiam multos hujus nominis. Et quoties steteris excelsus in orbe subacto, omnia fiat minora tuis humeris.

PAles cantata à nobis: idem referam Vinalia. Una tamen dies est inter utramque. Puellæ prostitutæ adorate numina Veneris. Venus est multùm idonea quæstibus professarum. Orate pulcritudinem atque favorem plebis thure exhibito: petite blanditias, atque dicta digna joco. Atque offerte sisymbria grata dominæ cum suâ myrto, & vincula juncea inserta cum rosâ. Nunc decet delubra juncta portæ Collinæ celebrari; habeat nomina à monte Siculo. Utque Claudius armis superavit Syracusas Arethusidas, atque te etiam potitus est bello, Eryx; Venus est transportata carmine Sibyllæ longævæ, & maluit celebrari in urbe suæ prolis.

NOTÆ.

[p] *Vinalia*] Quæ 9 Calendas Maias celebrabantur alii Veneri, è cujus templo eo die multùm vini effundebatur, alii Jovi sacra crediderunt. Volunt tamen viri docti hæc Veneris, alia verò quæ mense Sextili 14 Calendas Septembres, Jovis esse. Nasonis insuper sententiam ipse videbis.

[q] *Vulgares*] Hoc festo meretriculæ Veneris Erycinæ templa adibant; oblatisque floreis munusculis, cuncta expetebant quibus populo placerent.

[r] *Multa*] Pro *multùm. Venus est multùm apta.*

[s] *Joco*] Venereo *scil.* vel eò spectante.

[t] *Sua*] Veneri quippe sacra myrtus.

[u] *Sisymbria*] Nasturtio similem faciunt, ex cujus foliis coronæ etiam nectebantur.

[x] *Texta*] Id est Coronas ex rosis, juncis intextas.

[y] *Templa*] Veneri Erycinæ ad eam portam dicatum fuisse testis est Livius.

[z] *Siculo*] Eryce *scil.* ubi priùs Venus culta.

[a] *Syracusas*] Quæ Urbs fuit Siciliæ amplissima.

[b] *Arethusidas*] Ab Arethusâ illâ Syracusii fontis nymphâ.

[c] *Claudius*] Hic Claudius Marcellus vir fortissimus qui Syracusas scalis expugnavit, & bene adversus Hannibalem pugnavit, per hujus denique insidias cecidit.

[d] *Carmine*] Pace tuâ dicam, mi Ovidi, hallucinaris: nam hæc Veneris ædes prope portam Collinam, non dedicata monitu carminis Sibyllini, sed vovit sponte L. Porcius Ligustino bello, dedicavit Porcius L. F. Licinius, ut ex Livio vidimus, anno 572. Fateor aliam eidē Veneri vovisse Q. Fabium Maximum jussu libri fatalis, sed ante hanc positā annis 34. Verba hæc sunt illustriss. Neapolis.

[e] *Suæ stirp.*] Quia Roma ab Æneæ pronepotibus condita, qui quidem Æneas Veneris filius.

Cur igitur Veneris festum Vinalia dicant,
Quæritis; & quare sit Jovis ista dies?
[f] Turnus, an Æneas Lariæ gener esset [g] Amatæ,
[h] Bellum erat. Hetruscas Turnus adoptat opes.
Clarus erat, sumtísque ferox [i] Mezentius armis:
Et vel equo magnus, vel pede major erat.
Quem Rutuli Turnúsque suis adsciscere tentant
Partibus. hæc contra dux ita Tuscus ait:
Stat mihi non parvo virtus mea. vulnera testes;
Armáque, quæ sparsi sanguine sæpe meo.
Qui petis auxilium, non grandia divide mecum
Præmia, de [k] lacubus [l] proxima musta tuis.
Nulla mora est operæ. vestrum dare; vincere nostrum est.
Quàm velit Æneas ista [m] negata mihi!
[n] Annuerant Rutuli. Mezentius induit arma:
Induit Æneas; alloquitúrque Jovem.
[o] Hostica [p] Tyrrheno vota est vindemia Regi,
Jupiter: è Latio palmite musta feras.
Vota valent [q] meliora: [r] cadit Mezentius ingens,
Atque indignanti pectore plangit humum.
Venerat Autumnus calcatis sordidus uvis:
Redduntur merito debita vina Jovi.

INTERPRETATIO.

Petitis quamobrem ergo vocent festa Veneris Vinalia. & quare ista dies sit Jovis? Lis erat. Turnusne an Æneas esset gener Amatæ Latinæ. Turnus suas facit copias Hetruscas. Mezentius erat illustris, & asper armis captis: atque vel clarus erat equo, vel clarior pede. Quem Rutuli atque Turnus nituntur adjungere suis partibus. Dux Tuscus sic contrà fatur: Virtus mea non parvo mihi stat: plagæ testes, atque arma, quæ sæpe infeci cruore meo. Tu qui poscis opem divide mecum mercedem non magnam, musta proxima de cupis tuis. Nulla est dilatio auxilii. Vestrum est præbere, nostrum vincere. Quàm cupiat Æneas ista mihi non concessa! Rutuli approbaverant. Mezentius capit arma: Æneas capit; atque affatur Jovem. Jupiter, vindemia hostilis est promissa regi Tyrrheno: habeas musta è palmite Latino. Vota potiora præstant: vastus Mezentius procumbit, atque verberat terram pectore furenti. Autumnus squalidus racemis pressis aderat: vina debita exhibentur Jovi merito.

NOTÆ.

[f] *Turnus*] Rex Rutulorum.

[g] *Amata*] Quæ Latini uxor Laviniam filiam Turno potiùs quàm Æneæ collocare maluisset.

[h] *Bellum*] Quod fusè descripsit Maro.

[i] *Mezentius*] Qui crudelissimus & summè impius Rex Etruscorum.

[k] *Lacubus*] Quæ majora sunt vasa mustis continendis.

[l] *Proxima*] Quæ proximis vindemiis capientur.

[m] *Negata*] Ne acceptis mustis à vestris stem partibus.

[n] *Annuerant*] Musta præbere sunt polliciti.

[o] *Hostica*] Hostium meorum Rutulorum.

[p] *Tyrrheno*] Mezentio *scilic.* Tuscorum seu Tyrrhenorum Regi.

[q] *Meliora*] Æneæ *scil.* qui Jovi voverat.

[r] *Cadit*] Ab ipso Æneâ peremtus.

Dicta dies hinc est Vinalia. Jupiter illam
Vindicat, & festis gaudet inesse suis.
[f] Sex ubi, quæ restant, luces Aprilis habebit;
In medio cursu tempora veris erunt.
Et frustra [t] pecudem quæres [u] Athamantidos Helles:
Signáque dant imbres: [x] exoritúrque Canis.
Hac mihi [y] Nomento Romam cum luce redirem,
Obstitit in mediâ [z] candida pompa viâ.
Flamen in antiquæ lucum [a] Robiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.
Protinus accessi; ritûs ne nescius essem.
Edidit hæc Flamen verba, Quirine, tuus:
Aspera Robigo, parcas [b] Cerealibus herbis;
Et tremat in summâ [c] læve cacumen humo.
Tu sata sideribus cæli nutrita secundis
Crescere, dum fiant falcibus apta, sinas.
Vis tua non levis est. quæ tu frumenta notasti;
Mœstus in amissis illa colonus habet.

INTERPRETATIO.

Inde dies appellata est Vinalia. Jupiter illam asserit, atque lætatur adesse suis festis. Cum Aprilis habebit sex dies qui superstites, tempora veris erunt in medio cursu. Et nequicquam requires ovem Helles Athamantidos: atque pluviæ faciunt indicia: & Canis exoritur. Cùm reverterer Romam Nomento eo die, pompa alba mihi obstitit in mediâ viâ. Flamen contendebat in lucum veteris Robiginis, missurus in focos viscera Canis, atque viscera ovis. Continuò accessi, ne essem ignarus moris. Quirine, flamen tuus pretulit hæc dicta. Robigo scabra, parcas herbis Cerealibus; atque fastigium læve tremat in ultimâ terrâ. Tu patiaris, segetes nutritas astris faventibus augeri, donec fiant idoneæ falcibus. Potentia tua non est parva: agricola tristis ducit in perditis illa tritica quæ tu tetigisti.

NOTÆ.

[f] *Sex*] Septimo Calendas, ut & ex aliis liquet: quanquam ad ipsum Palilium diem ver medium assignavit Columella.

[t] *Pecudem*] Arietem qui acronicè occiderit.

[u] *Athamantides*] Athamantis filiæ, quæ in mare decidit, illo ariete vecta, qui postea in cœlum translatus est.

[x] *Exoritur*] Mira & nova fateor. Nunquam audivi à natâ Astrologiâ post Arietis occasum, imo post Tauri ortum, Canem exoriri. Quidam mallet *exoriturque Capra*. Sed ad quid? sequuntur Robigalia, quæ ad occasum Canis instituta, & celebrata. Vide Plin. lib. 18. cap. 29. Suspicio hinc mihi de mendâ venit; & adlubet scribere:

Signa dabunt imbres, effugietque Canis.

Hic enim moto Tauro statim cedit navi Argoæ. Virgil. primo Georg.

Taurus, & averso cedens Canis occidit astro.

Firmat etiam nostram emendationem, quòd ille in occasu vehemens, gelidus, pluvius. Neapolis illustriis sunt ista.

[y] *Nomento*] Sabinorum oppido propè suburbano.

[z] *Candida*] Flaminis aliorúmque ad placandam Robiginem in albis vestibus, de more, properantium.

[a] *Robiginis*] Robigum Deum fecerunt Varro atque Festus: sed enim pudet me in his quisquiliis immorari.

[b] *Cerealibus*] Tritici, quod invenit Ceres.

[c] *Læve*] Minus adeòque rubigine adultum, atque hinc asperum.

Nec

Nec venti tantùm Cereri nocuêre, nec imbres;
 Nec sic marmoreo pallet adusta gelu:
Quantùm, [d] si culmos Titan incalfacit udos,
 Tum locus est iræ, Diva timenda, tuæ.
Parce, precor, [e] scabrásque manus à messibus aufer;
 Neve noce cultis: posse nocere sat est.
Nec teneras segetes, sed durum amplectere ferrum;
 Quodque potest alios perdere, perde prior.
Utiliùs gladios & tela nocentia carpes.
 Nil opus est illis: otia mundus agit.
Sarcula nunc, durúsque bidens, & vomer aduncus,
 Ruris opes niteant: [f] inquinet arma situs.
Conatúsque aliquis vaginâ ducere ferrum;
 Adstrictum longâ sentiat esse [g] morâ.
At tu ne viola Cererem: sempérque colonus
 Absenti possit solvere vota tibi.
Dixerat. à dextrâ villis [h] mantele solutis
 Cumque meri paterâ thuris acerra fuit.
Thura focis vinúmque dedit, fibrásque bidentis;
 Turpiáque obscœnæ (vidimus) exta canis.
Tum mihi, Cur detur sacris nova victima, quæris?
 (Quæsieram) caussam percipe, Flamen ait:

INTERPRETATIO.

Neque venti tantùm obfuêrunt Cereri, neque pluvia; neque adusta gelu rigido ità pallet, quantùm si Titan urget radiis culmos humidos. Tum locus est ira tua, Dea metuenda. Parce, oro, atque tolle manus asperas à segetibus; neve obsis cultis: satìs est posse obesse. Neque corripias mollia sata, sed ferrum rigidum; atque absume prior quod potest absumere alios. Corrodes meliùs enses & tela lædentia. Nihil est opus illis: orbis agitat pacem. Nunc sarcula, & rigidus bidens, atque vomer curvus divitiæ ruris splendeant: situs maculet arma. Atque aliquis tentans stringere ensem, intelligat esse vinctum longo tempore. At tu ne lædas Cererem: & agricola possit semper tibi expendere vota. Absolverat. Mantele villis solutis, atque acerra thuris cum paterâ vini fuit à dextrâ. Imposuit aræ vinum, atque exta ovis, & turpia viscera impura canis; hoc *vidimus. Tum mihi* dixit, *petis quamobrem nova victima adhibeatur sacris? Petiveram: percipe rationem, inquit Flamen:*

NOTÆ.

[d] *Si culmos*] Ea verò tunc rubigo sævit maximè cùm in madidos culmos Sol nimius radios suos jaculatur.

[e] *Scabras*] Quia ex rubigine scabra messis.

[f] *Inquinet*] Ferrugine arroditur ferrum ex situ.

[g] *Morâ*] Ex quâ ferrugo oritur.

[h] *Mantele*] Linteum tegendæ mensæ, ad cujus extrema subtemen de industriâ relictum, ut censuit vir doctus; quanquam alii per omnia insurgentes villos malunt statuere.

Est [i] Canis [k] (Icarium dicunt) quo sidere [l] moto
[m] Tosta sitit tellus, præcipitúrque seges.
Pro cane sidereo canis hic imponitur aræ;
Et, quare pereat, nil [n] nisi nomen habet.
[o] Cum Phrygis [p] Assaraci Tithonia [q] fratre relicto
Sustulit immenso ter jubar orbe suum;
Mille venit variis florum Dea nexa coronis:
[r] Scena joci morem liberioris habet.
Exit & in Majas sacrum Florale Kalendas.
Tunc repetam: nunc me grandius urget opus.
Aufert, [s] Vesta, diem; [t] cognato, Vesta, recepta est
Limine. [u] sic justi constituere patres.
Phœbus habet partem; Vestæ pars altera cessit:
Quod superest illis, tertius [x] ipse tenet.
State Palatinæ laurus, prætextáque [y] quercu
Stet domus. æternos tres habet una Deos.

INTERPRETATIO.

Est Canis (vocant Icarium) quo sidere exerto, terra usta siti laborat, & seges præripitur. Hic canis admovetur altari pro cane sidereo: & nihil habet cur mactetur præter nomen.

Postquam Tithonia omisso fratre Phrygis Assaraci ter elevavit suum lumen super orbem immensum, Dea florum coronata mille variis sertis venit: Scena habet morem joci liberioris. Sacrum Florale porrigitur quoque in Calendas Maias. Tunc repetam: nunc majus opus me premit. Vesta præripit diem; Vesta admissa est in domum cognatam: ita sanxistis justi Patres. Phœbus habet partem; pars altera data est Vestæ, ipse tertius tenet quod illis est superfluum. State laurus Palatinæ; stetque domus coronata quercu: una domus habet tres Deos.

NOTÆ.

[i] *Canis*] Stella in cœlo *scil.*

[k] *Icarium*] Ab Icaro patre Erigones, quæ hujus canis ductu, interfecti patris cadaver invenit.

[l] *Moto*] *Exerto*; si tamen Nasonem audis, aut receptam suprà scripturam retines, & ad sensum ejus spectas. Nam moveri sidus propriè dicitur, quod ἀπὸ τ͂ ἀφανοῦς εἰς τὸ φανερὸν procedit; & è contra quod ἀπὸ τ͂ φανεροῦ εἰς τὸ ἀφανές.

[m] *Tosta*] Calore, qui à Cane intendi creditur.

[n] *Nisi nomen*] Quia Canis appellatur Cani mactatur.

[o] *Cùm Phrygis*] 4 Calendas Maias Floralia incipiebant.

[p] *Assaraci*] Troïs fuit filius, atque proavus Laomedontis ex quo quidem Laomedonte Priamus & Tithonus.

[q] *Fratre*] Tithono *scil.* Auroræ marito. Verùm Assaracum qui in majoribus fuit Priami & Tithoni pro Priamo ipso Poëticâ licentiâ posuit.

[r] *Scena*] Theatrum in quo Scena.

[s] *Vesta*] Quia ne Augustus Pontifex Maximus designatus qui Palatium incolebat longè à Vestâ contra morem habitaret, ejus Deæ atque sacri ignis in domum Palatinam facta translatio. Atque ideo festum *scil.*

[t] *Cognato*] Augusti cognati, ut superiori libro ostendimus.

[u] *Sic*] Senatus ergo auctoritate translata Vesta.

[x] *Ipse*] Augustus *scil.*

[y] *Quercu*] Quam in Metam, videris, si tanti est.

FASTORUM
LIBER V.

QUæritis, unde putem Maio data nomina mensi?
  Non satis est liquidò cognita caussa mihi.
Ut stat & incertus quà sit sibi nescit eundum,
  Cùm videt ex omni parte viator iter:
Sic, quia posse datur diversas reddere caussas,
  Quà ferar ignoro: copiáque ipsa nocet.
Dicite,[a] quæ fontes[b] Aganippidos Hippocrenes
  Grata[c] Medusæi signa tenetis equi.
Dissensere[d] deæ. quarum[e] Polyhymnia cœpit
  Prima. silent aliæ; dictáque mente[f] notant.
Post chaos, ut primùm data sunt[g] tria corpora mundo,
  Inque novas species omne recessit opus;
Pondere terra suo subsedit, & æquora traxit;
  At cælum levitas in loca summa tulit.

INTERPRETATIO.

Petitis unde credam nomina imposita mensi Majo? Ratio non est satis apertè mihi manifesta. Quemadmodum viator, quando cernit viam ex omni latere, resistit, & dubius nescit quà sit sibi incedendum: sic, quia licet posse dare varias rationes, nescio quà pergam, atque ipsa abundantia obest. Aperite, vos, qua possidetis fontes Aganippidos Hippocrenes jucunda vestigia equi Medusæi. Deæ in partes varias abiêrunt: quarum Polyhymnia cœpit prima: aliæ tacent, & observant verba animo. Post Chaos, ut primùm tria corpora data sunt mundo, & omne opus abiit in novas species, tellus subsedit suâ mole, atque rapuit maria: at levitas tulit cœlum in loca suprema.

NOTÆ.

[a] *Quæ fontes*] Musas dicit.
[b] *Aganippidos*] *Aganippe* fons Bœotiæ Musis sacer, qui & *Hippocrene* dicitur; quanquam Pausanias diversos, in eodem tamen Helicone monte scribit. Posterior *Aganippis* per Pleonasmi quandam speciem à Poëta appellatur.
[c] *Medusæi*] Pegasi *scilic.* alati equi, ex Medusæ sanguine orti, ungulâ, apertos illos fontes fabulati sunt Græci: ut sæpe dictum.
[d] *Deæ*] Musæ *scil.* ut hinc magis rei difficultas appareat.
[e] *Polyhymnia*] Quæ Musa, ut nominis ratio indicat; laudibus & cantus copiæ præesse dicitur.
[f] *Notant*] Namque reconditissima neque alibi reperienda prædicat. Arrige modò aures quisquis longè petitarum altiusque cumulatarum nugarum es avidus.
[g] *Tria*] Terram *scil.* Aquam & Aërem, quasi Ignis non sit corpus à cæteris distinctum, sed per omnia diffusum: quanquam aliter non semel Naso.

Sol quoque cum stellis nullâ gravitate retentus,
Et vos Lunares exsiluistis equi.
Sed neque terra diu cælo, nec cætera Phœbo
Sidera cedebant: par erat omnis honos.
Sæpe aliquis solio, quod tu, [h] Saturne, tenebas,
Ausus de mediâ plebe sedere Deus.
Et latus [i] Oceano quisquam Deus [k] advena junxit:
[l] Tethys & [m] extremo sæpe recepta loco est.
Donec Honor, [n] placidóque decens Reverentia vultu
[o] Corpora [p] legitimis imposuêre toris.
Hinc sata Majestas; hos est Dea censa parentes:
[q] Quaque die partu est edita, magna fuit.
Nec mora: consedit [r] medio sublimis Olympo,
Aurea, purpureo conspicienda sinu.
Consedere simul [s] Pudor & Metus. omne videres
Numen ad hanc cultus composuisse suos.

INTERPRETATIO.

Sol etiam nullo pondere repressus, atque stella, & vos equi Lunares in altum sublati estis. Verùm longo tempore neque tellus decedebat cælo, neque reliqua astra Soli: omnis honos erat æqualis. Sæpe aliquis Deus de vulgari turbâ ausus sedere in solio, quod tu obtinebas, Saturne. Atque aliquis Deus peregrinus commisit latus Oceano: Tethys etiam recepta est sæpe sede ultimâ. Donec Honor, atque Reverentia decens facie lenè collocaverunt corpora in lectis legitimis. Hinc orta Majestas; Dea agnovit hos parentes; & quo die in lucem prodiit fuit magna. Et statim magnifica, splendida veste purpureâ sedit excelsa in medio cælo. Verecundia & Metus unà consederunt. Cerneres singulos Deos finxisse suos habitus ad hanc.

NOTÆ.

[h] *Saturne*] Qui tamen deorum primus imperium obtinuisti.

[i] *Oceano*] Quem ex Orphei atque Homeri sententiâ Maro *Rerum patrem* appellat. Audierant *scilic.* Ex aquis omnia fuisse extracta.

[k] *Advena*] Advenam istum deum Oceano latus conserentem non vides? Miror simul ego ingenium Poëtæ.

[l] *Tethys*] Uxor tamen Oceani, omniumque Deorum etiam nutrix.

[m] *Extremo*] Cùm nullus illam revereretur, aut illi decederet.

[n] *Placidóque*] Resarcit elegans ista Reverentiæ descriptio, quod in præcedentibus nugis contrivimus.

[o] *Corpora*] Deorum ipsorum *scil.*

[p] *Legitimis*] Fundamentum adeòque honoris in ipsâ est dignitate & meritis illius cui tribuitur. Ast enim placidam Reverentiam ut decet de suo largiri, aliosque innatâ gloriâ illustrare? Omnes ô utinam de ejus in benefaciendo voluptate aliquid delibassent!

[q] *Quaque*] Optimè dixit; namque is verè magnus & Majestatem habet qui ex se est, semperque unus & idem.

[r] *Medio*] Ut cæteris omnibus rebus emineret.

[s] *Pudor & Met.*] Majestatis individui comites, qui omnis turpitudinis notam procul à Majestate avertunt.

Protinus intravit mentes [t] suspectus honorum.
Fit pretium dignis; [u] nec sibi quisque placet.
Hic status in cælo multos permansit in annos;
Dum [x] senior fatis excidit arce Deus.
Terra feros [y] partus immania monstra Gigantas
Edidit, ausuros in Jovis ire domum.
[z] Mille manus illis dedit, & pro cruribus angues:
Atque ait, In magnos arma movete Deos.
Exstruere hi [a] montes ad sidera summa parabant,
Et magnum bello sollicitare Jovem.
Fulmina de cæli jaculatus Jupiter arce
Vertit in auctores [b] pondera vasta suos.
[c] His bene Majestas armis defensa Deorum
Restat: & ex illo tempore firma manet.
Assidet illa Jovi: Jovis est fidissima custos:
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.
Venit & in terras: coluerunt Romulus illam
Et Numa: mox alii, tempore quisque suo.
Illa patres in honore pio matrésque tuetur:
Illa comes [d] pueris virginibúsque venit.

INTERPRETATIO.

Continuò cultus & admiratio honorum subiit animos: Digni habentur in pretio, neque quisque sibi plaudit. Hic status perstitit in cœlo per multos annos, donec Deus senior excussus est cœlo fatis. Tellus protulit crudelem sobolem Gigantes monstra ingentia, qui non metuerunt appetere sedes Jovis. Dedit illis mille manus, atque serpentes pro pedibus; atque inquit, Sumite arma adversus magnos Deos. Hi intenderant extruere montes ad suprema astra, & inquietare magnum Jovem bello. Jupiter jaculatus fulmina ex sublimi cœlo vertit ingentes moles in auctores suos. Majestas Deorum bene tecta his armis superest: atque stat inconcussa ex illo tempore. Illa adhæret Jovi; est certissima custos Jovis; & servat Jovi sine vi sceptra metuenda. Descendit quoque in terras: Romulus & Numa coluerunt illam; deinde alii, quisque suo tempore. Illa servat patres atque matres in honore pio: illa fit comes pueris atque virginibus.

NOTÆ.

[t] *Suspectus*] Cultus & admiratio digniorum.

[u] *Nec sibi*] Dignioribus quod eorum est tribuit.

[x] *Senior*] Saturnus *scil.* fatorum deindè necessitudine à Jove filio regno pulsus.

[y] *Partus*] Gigantes ipsos *scil.* qui montibus extructis bellum ipsis quoque diis inferre non sunt veriti.

[z] *Mille manus*] Numeros Ovidianos nonde nihilò desideravit hîc clariss. Heins. Cæterùm mille manus quòd refertur, ad Briareum aliosque centimanos alluditur.

[a] *Montes*] Pelion, Ossam, Olympum, quos jam toties vidimus.

[b] *Pondera*] Montes *scil.*

[c] *His*] Fulminibus.

[d] *Pueris*] Si qui sint indolis præstantioris.

Illa datos [e] fasces commendat, [f] ebúrque curule;
Illa [g] coronatis alta triumphat equis.
Finierat voces Polyhymnia. dicta probarunt
[h] Clióque, & curvæ [i] scita Thalia lyræ.
Excipit [k] Uranie: fecere silentia cunctæ;
Et vox audiri nulla, nisi illa, potest.
[l] Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
[m] Martis opus juvenes animosáque bella gerebant;
Et pro Dîs aderant in statione suis.
Viribus [n] illa minor, nec habendis utilis armis,
Consilio patriæ sæpe ferebat opem.
[o] Nec nisi post annos patuit nunc Curia seros;
Nomen & ætatis mite Senatus erat.

INTERPRETATIO.

Illa commendat fasces concessos atque ebur curule; illa sublimis triumphat equis coronatis. Polyhymnia absolverat dicta. Atque Clio & Thalia perita curvæ lyræ laudaverunt ejus *verba. Urania prosequitur: omnes conticuerunt; neque sonus ullus, præter illum potest audiri. Magna fuit olim reverentia capilli albi, & ruga senilis erat in suo pretio. Juvenes exercebant bella fortia Martis opus; atque manebant in statione pro Diis suis. Illa ætas impar viribus, atque inutilis armis tractandis sæpe auxilium ferebat patriæ consilio. Neque tunc Senatus apertus est nisi post annos tardos: atque nomen Senatus erat lene ætatis.*

NOTÆ.

[e] *Fasces*] Dignitatem Consularem, Prætoriam, aliasque insuper.

[f] *Ebur*] Pro sellâ curuli posuit metonymicè.

[g] *Coronatis*] Imperatorum *scil.* qui triumphant.

[h] *Clio*] Musarum una à gloriâ Græcè sic dicta.

[i] *Scita lyræ*] Quia lyricos vates dicitur movere hæc Musa.

[k] *Uranie*] Musa, quæ à cœlo, in quod etiam viros sapientes tollit, nomen accepit.

[l] *Magna*] Atque adeò grande nefas Seniori non assurgere crediderunt: neque temerè. Is namque honorem & reverentiam qui majoribus debitam negligit, omnem boni sensum videtur exuisse. Verùm passim oberrantibus nebulonibus qui hodie terram scalpunt quis aliquem reddiderit?

[m] *Martis opus*] Bellum, quod ipse subjicit Naso.

[n] *Illa*] Senilis. Statum describit Reipublicæ prout à Romulo fuit constituta.

[o] *Nec nisi*] *Hunc rex sapientissimus*, inquit Florus de Romulo, *statum Reipublicæ imposuit; juventus divisa per tribus, in equis & in armis ad subita belli excubaret: consilium Reipublicæ penes senes esset, qui ex auctoritate* Patres, *ob ætatem* Senatus *vocabantur.* Parata lex Julia deinde aliæque Annales, quibus juvenum in petendis Magistratibus impetus coërceretur.

Iura dabat populo ſenior ; finitáque [p] certis
 Legibus eſt ætas , unde petatur honos.
Et [q] medius juvenum, non indignantibus ipſis ,
 Ibat : & [r] interior , ſi comes unus erat.
Verba quis auderet coram ſene digna rubore
 Dicere ? [ſ] cenſuram longa ſenecta dabat.
Romulus hoc vidit : ſelectáque pectora Patres
 Dixit. ad hos Urbis ſumma relata novæ.
Hinc ſua majores poſuiſſe vocabula Majo
 [t] Tangor , & ætati [u] conſuluiſſe ſuæ.
Et [x] Numitor dixiſſe poteſt , Da, Romule, menſem
 Hunc ſenibus ; [y] nec avum ſuſtinuiſſe nepos.
[z] Nec leve præpoſiti pignus ſucceſſor honoris
 Junius à juvenum nomine dictus habet.
Tum ſic , [a] neglectos [b] hederâ redimita capillos ,
 Prima ſui cœpit Calliopêa chori :
Duxerat Oceanus quondam [c] Titanida Tethyn ,
 Qui terram liquidis, quà patet , ambit aquis.

INTERPRETATIO.

Ætate provectior dicebat jus ; atque ætas, unde honor petatur est definita certis legibus. Atque ille ambulabat medius juvenum , ipſis non repugnantibus ; & interior , ſi unus comes erat. Quis auderet proferre voces erubeſcendas coram ſene : longa ſenecta dabat cenſuram. Romulus hoc vidit ; atque appellavit Patres corpora ſelecta : ſumma Urbis nova ad hos relata. Hinc credam Majores dediſſe nomina Majo , & proſpexiſſe ſuæ ætati. Numitor poteſt etiam dixiſſe, Romule concede hunc menſem ſenibus ; nec nepos reſtitiſſe avo. Neque Junius ſucceſſor appellatus à nomine juvenum habet parvum pignus honoris præmiſſi. Tum Calliope prima ſua turba habens comam neglectam vinctam hederâ ſic orſa eſt : Oceanus qui cingit aquis fluidis terram quà porrigitur , duxerat olim Tethyn Titanida.

NOTÆ.

[p] *Certis*] Bene dixit certis ; namque longum fuiſſet atque ineptum ſingula ad hanc rem referre. Quæſturam ante 25 annum non licebat appetere. Prætura ad trigeſimum extendebatur. Conſulatus per leges ante 42 non obtinebatur, &c.

[q] *Medius*] Loco apud Romanos digniori : neque imperitè , modò ne aliqua ratio eum ordinem mutet.

[r] *Interior*] Ità ut ſenioris latus junior tegeret , ſi quæ pondera aut obſtacula per vicos invenirentur.

[ſ] *Cenſuram*] Ætate ſuâ , quaſi jure quodam naturali , ſenes morum cenſores erant.

[t] *Tangor*] *Moveor ut credam.*

[u] *Conſuluiſſe*] Ut ſibi honos , ex menſis appellatione ſervaretur.

[x] *Numitor*] Maternus avus Romuli.

[y] *Nec avum*] Immò quod poſtulabat avo conceſſiſſe , atque adeò à Senibus ſeu Majoribus Maium appellaſſe.

[z] *Nec leve*] Additum iſtud ad ſuperioris etymologiæ confirmationem ; ut ſicut à junioribus *Junius*, à Majoribus *Maius* appelletur.

[a] *Neglectos*] Ut Muſarum reginam , cuique majora curæ, decet.

[b] *Hederâ*] Quæ ſemper virens Baccho Nympharum doctori ſacra.

[c] *Titanida*] Titanis filiam.

[d] Hinc sata Pleïone cum cælifero Atlante
[e] Jungitur, ut fama est; [f] Pleïadásque parit.
Quarum Maja suas formâ superasse sorores
Traditur, & summo concubuisse Jovi.
Hæc enixa jugo cupressiferæ [g] Cyllenes
[h] Ætherium volucri qui pede carpit iter.
Arcades hunc, [i] Ladonque rapax, & [k] Mænalos ingens
Rite colunt, Lunâ credita terra [l] prior.
Exsul ab Arcadiis Larios Evander in agros
Venerat: impositos attulerátque Deos.
Hîc, ubi nunc Roma est orbis caput, arbor & herbæ,
Et paucæ pecudes, & casa rara fuit.
Quò postquam ventum; Consistite, præscia [m] mater,
Nam locus imperii rus erit istud, ait.
Et [n] matri & vati paret [o] Nonacrius heros;
Inque peregrinâ constitit hospes humo.
Sacráque multa quidem, sed Fauni [p] prima bicornis
Has docuit gentes, [q] alipedísque Dei.

INTERPRETATIO.

Hinc orta Pleïone copulatur, cum Atlante cœlifero, ut aiunt; atque in lucem edit Pleïadas. Quarum Maja dicitur vicisse sorores suas pulcritudine, atque concubuisse supremo Jovi. Hæc peperit in cacumine Cyllenes cupressifera illum, qui calcat viam cœlestem pede alato. Arcades, & Ladon rapax, & Mænalus ingens tellus credita antiquior Lunâ colunt hunc ritè. Evander profugus venerat in campos Latinos ex Arcadicis; atque apportaverat Deos impositos. Silva, & gramina, & rara pecudes, & aliquot tuguria hic erant, ubi nunc Roma est caput orbis. Quò postquam ventum. Mater vates inquit, subsistite, nam iste ager erit locus imperii: Heros Nonacrius obtemperat matri atque vati, & advena mansit in terrâ peregrinâ. Atque docuit quidem multa sacra has nationes, verùm præsertim Fauni bicornis, & Dei alipedis.

NOTÆ.

[d] *Hinc*] Ex Oceano *scilicet* atque Tethy.

[e] *Jungitur*] Matrimonio *scil.*

[f] *Pleiadas*] Quæ Atlantis filiæ cœlo denique receptæ.

[g] *Cyllenes*] Montis Arcadici, ex quo etiam Mercurius *Cyllenius*.

[h] *Ætherium*] Mercurium *scil.* cui talaria seu alati calcei à Poëtis affixi.

[i] *Ladon*] Arcadiæ fluvius, qui pro ipsis accolis positus; Metonymicè.

[k] *Mænalos*] Hæc urbs est ejusdem regionis.

[l] *Prior*] Hanc & sequentem fabulam suprà licet repetas, ex Poëta ipso.

[m] *Mater*] Carmentis fatidica.

[n] *Matri & vati*] Duplici adeòque ratione.

[o] *Nonacrius*] Evander ab Arcadiæ monte Nonacri sic dictus.

[p] *Prima*] Utpote magis horrenda.

[q] *Alipedis*] Mercurii *scil.*

Semicaper,

[r] Semicaper, coleris [s] cinctutis, Faune, Lupercis;
Cùm lustrant celebres [t] vellera secta vias.
At tu [u] materno donasti nomine mensem,
Inventor curvæ, furibus [x] apte, fidis.
Nec pietas [y] hæc prima tua est: septena putaris
[z] Pleïadum numerum fila dedisse lyræ.
[a] Hæc quoque desierat, laudatáque voce sororum est,
Quid faciam? turbæ pars habet omnis [b] idem.
Gratia Piëridum nobis æqualiter adsit;
Nulláque laudetur plusve minúsve mihi.
AB [c] Jove surgat opus. [d] primâ mihi nocte videnda
Stella est in cunas officiosa Jovis.
Nascitur [e] Oleniæ signum pluviale Capellæ:
Illa [f] dati cælum præmia lactis habet.
Naïs Amalthêa [g] Cretæâ nobilis Idâ
Dicitur in silvis [h] occuluisse Jovem.
Huic fuit hædorum mater formosa duorum
Inter [i] Dictæos conspicienda greges;

INTERPRETATIO.

Faune semicaper celebraris à Lupercis cinctutis, cum pelles dissecta purgant vias celebres. At tu reperter curva lyra, & favens furibus imposuisti mensi nomen matris. Neque hac est prima tua pietas: diceris attribuisse lyra septem chordas numerum Pleïadum. Hac etiam absolverat, & laudata est voce sororum: Quid agam? omnis pars chori habet idem. Gratia Pieridum nobis faveat aqualiter; nullaque plùs aut minùs prebetur à me.

OPus initium sumat à Jove. Primâ nocte stella officiosa in cunabula Jovis est mihi aspicienda. Sidus imbriferum Capella Olenia oritur: illa habet cœlum mercedem lactis oblati. Naïs Amalthea celebris in Idâ Cretensi dicitur abdidisse Jovem silvis. Illa habuit pulcram matrem duorum hœdorum insignem inter greges Dictaes,

NOTÆ.

[r] *Semicaper*] Cui cornua & pedes Capri.

[s] *Cinctutis*] Qui nudi, subligaculis tamen circa pudenda alligatis, per omnia discurrebant, ut dictum in superioribus.

[t] *Vellera secta*] Pelles sectas quibus obvias fœminas verberarent Luperci vidimus etiam suprà.

[u] *Materno*] Ut à Maiâ Majus mensis diceretur.

[x] *Apte*] Namque idem Mercurius & lyræ, & furibus favet.

[y] *Hac*] Cùm mensem à matre denominasti.

[z] *Pleïadum*] Quæ septem fuisse memorantur. Quanquam illum, qui chordas lyræ aptaverit, potius est ex vocum numero aptasse ut credas.

[a] *Hac*] Calliope Musa *scil.*

[b] *Idem*] Omnes quippe Musæ, Deæ, &c.

[c] *Jove*] Cujus causâ capellæ meminit Amaltheæ, Jovis nutricis.

[d] *Primâ*] Calendis etiam Maiis Columellæ oritur Capella heliacè: post hasce Ptolomæo.

[e] *Olenia*] Oleni quæ ad filias spectabat Ægan & Ælicen, quæ Jovis fuerunt nutrices: ut docet Hyginus. Quanquam alii ab Oleno Bœotiæ oppido istud illi capræ nomen affinxerunt.

[f] *Dati*] Jovi exhibiti.

[g] *Cretæâ*] Nam alius mons fuit Ida in Phrygiâ.

[h] *Occubuisse*] Ne à Saturno patre devoraretur.

[i] *Dictaes*] Dictæi montis in Cretâ.

Cornibus [k] aëriis, atque in sua terga recurvis;
Ubere, [l] quod nutrix posset habere Jovis.
Lac dabat illa Deo. sed fregit in arbore cornu;
Truncáque dimidiâ parte decoris erat.
Sustulit hoc [m] Nymphe; cinctúmque recentibus herbis,
Et plenum pomis ad Jovis ora tulit.
Ille, ubi res cœli [n] tenuit, solióque paterno
Sedit, & invicto nil Jove majus erat,
[o] Sidera nutricem, nutricis [p] fertile cornu
Fecit; quod dominæ nunc quoque nomen habet,
[q] Præstitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ
Aram constitui, [r] signáque parva Deûm.
Voverat illa quidem [s] Curius: sed multa vetustas
Destruit, & saxo longa senecta nocet.
Caussa tamen positi fuerat cognominis illis,
Quod præstant oculis omnia tuta suis.
Stant quoque pro nobis, & præsunt mœnibus Urbis;
Et sunt præsentes, auxiliúmque ferunt.
At canis ante [t] pedes saxo fabricatus eodem
Stabat. quæ standi cum Lare caussa fuit?
Servat uterque domum domino quoque fidus uterque.
Compita grata Deo: compita [u] grata cani.

INTERPRETATIO.

cornibus elatis, atque reflexit in sua terga, mammâ quam nutrix Jovis posset habere. Illa prabebat lac Deo: verùm rupit cornu in arbore; atque erat spoliata altera parte decoris. Nymphe illud sustulit, atque pertavit vinctum novis herbis & plenum pomis ad ora Jovis. Postquam ille obtinuit res cœli, & sedit in solio paterno, nihilque erat majus Jove invicto, mutavit nutricem in sidus, jussit cornu nutricis fœcundum esse, quod nunc etiam obtinet nomen domina. Calenda Maja viderunt altare & parva simulacra Deorum poni Laribus Prastitibus. Curius voverat quidem illa: sed tempus multa evertit; atque producta vetustas rodit rupem. Ratio tamen cognominis illis impositi fuerat, quòd prastant omnia secura suis oculis. Stant etiam pro nobis, atque prasunt muris Urbis, suntque prasentes, & ferunt opem. At Canis sculptus in eodem saxo erat ad pedes: qua fuit ratio quamobrem esset cum Lare? Uterque tuetur domum, uterque etiam fidelis domino. Trivia placent Deo, trivia placent cani.

NOTÆ.

k *Aëriis*] In altum primò porrectis.

l *Quod nutrix*] Amplo adeòque atque formoso.

m *Nymphe*] Amalthæa *scil.*

n *Tenuit*] Atque adeò Olympi moderator factus est.

o *Sydera nut.*] Capram in sidus mutavit.

p *Fertile*] Dicitur namque Amalthææ cornu, *Cornu copia*, ex quo quicquid optari posset continuò prodiret.

q *Prastitibus*] Qui domestici Dii nostra omnia præstant tuta, & pro mœnibus stant.

r *Signa*] Larium simulacra.

s *Curius*] Vir fuit strenuus exactissimæ frugalitatis, qui *pauper, reges cùm vinceret armis.*

t *Pedes*] In Larium simulacris.

u *Grata*] Illa namque servabant, atque in iisdem ipsis sacra peragebantur: quare & *Compitales* dicti.

Exagitant & Lar & [x] turba Diania fures ;
Pervigilántque Lares ; pervigilantque canes.
Bina [y] gemellorum quærebam signa Deorum
Viribus annosæ facta caduca moræ :
[z] Mille Lares Geniúmque [a] Ducis, qui [b] tradidit illos ,
Urbs habet ; & vici numina [c] trina colunt.
[d] Quò feror ? Augustus mensis mihi carminis [e] hujus
Jus dabit. interea Diva canenda [f] Bona est.
[g] Est moles nativa : loco res nomina fecit.
Appellant saxum : pars bona montis ea est.
Huic Remus institerat [h] frustrà, quo tempore fratri
[i] Prima Palatinæ signa dedistis aves.
Templa Patres illic oculos [k] exosa viriles
Leniter acclivi constituêre jugo.
Dedicat hæc veteris Clausorum nominis [l] hæres
Virgineo nullum corpore passa virum.
Livia restituit ; ne non imitata [m] maritum
Esset, & ex omni parte secuta virum.

INTERPRETATIO.

Et Lar, & agmen Dianium fugant fures : & Lares pervigilant, & canes pervigilant. Quærebam duo simulacra Deorum gemellorum, sublata viribus longi temporis : Urbs habet mille Lares; atque vici colunt trina numina. Quò abeo ? Mensis Augustus dabit mihi jus hujus carminis. Interea Bona Diva est celebrãda. Est moles nativa: res dedit nomen loco. Vocant saxum : ea est pars multa montis. Remus nequicquam hæserat in eo, quo tempore volucres Palatina fecistis potiora omina fratri. Patres posuerunt ibi in colle leniter acclivi delubra aversantia oculos viriles. Hæres antiqui nominis Clausorum , nullum passa virum corpore virgineo dedicat hæc. Livia refecit, ne non esset imitata virum, & sequuta maritum ex omni parte.

NOTÆ.

[x] *Turba Dian.*] Canes Dianæ venatrici addicti.

[y] *Gemellorum*] Geminos namque pepetisse Laram suprà docuit Naso.

[z] *Mille*] Ut pro veteribus duobus tempore detritis , quæ Naso quærebat, mille in Urbe inveniantur. Atque hæc in Augusti laudem.

[a] *Ducis*] Commentatorem miror , quem nihil puduit hoc in loco, ut neque alibi, inter se pugnantia sine omni judicio congerere. Cavesis illum in Mercurii gratiam nunc audias. Dux intelligendus Augustus , cujus Genium in quovis larario domestico, in quovis compito cum geminis Laribus coluerunt.

[b] *Tradidit*] Quia de illorum cultu fuit sollicitus , quos ornare bis anno instituit vernis floribus & æstivis ; ut habet Tranquillus.

[c] *Trina*] Geminorum Larium *scil.* atque Augusti.

[d] *Quò feror*] Dicit istud , quia ad mensem Augustum referenda Larium Compitalia.

[e] *Hujus*] Quo de Laribus agetur.

[f] *Bona*] Quæ Ops Fauna, Fatua, multis præterea aliis nominibus appellata Calendis Maiis colebatur.

[g] *Est moles*] Rupes. Locum describit in Aventino ubi templum bonæ Deæ.

[h] *Frustrà*] Quia augurio victus à Romulo, qui duodecim vultures ex Palatino observavit , cùm Remus ex Aventino sex tantùm vidisset.

[i] *Prima*] Potiora, ex majori avium numero.

[k] *Exosa*] Quia bonæ Deæ templa viris non licebat ingredi.

[l] *Hæres*] Hæc Appia illa Claudia probatæ pudicitiæ fœmina, de quâ suprà.

[m] *Maritum*] Augustum *scil.* templorum restitutorem.

[n] POstera cùm roseam [o] pulsis [p] Hyperionis astris
In matutinis lampada tollit equis;
Frigidus [q] Argestes summas mulcebit aristas,
Candidáque à [r] Calabris vela dabuntur aquis.
At [s] simul inducunt obscura crepuscula noctem;
Pars Hyadum toto de grege nulla latet.
[t] Ora micant Tauri septem radiantia flammis,
Navita quas Hyadas Grajus ab [u] imbre vocat.
Pars Bacchum nutrîsse putant: pars credidit esse
Tethyos has [x] neptes, Oceanique senis.
Nondum stabat Atlas humeros oneratus Olympo;
Cùm satus est formâ conspiciendus [z] Hyas.
Hunc [a] stirps Oceani maturis [b] nisibus Æthra
Edidit, & Nymphas: sed prior ortus Hyas.
[c] Dum nova lanugo; pavidos [d] formidine cervos
Terret: & est illi præda benigna lepus.
At postquam virtus annis adolevit; in apros
Audet, & hirsutas cominus ire leas.
Dumque petit latebras fœtæ catulósque leænæ;
Ipse fuit Libycæ præda cruenta feræ.

INTERPRETATIO.

CUm proles Hyperionis tollit facem roseam in equis matutinis, stellis fugatis, frigidus Argestes mulcebit supremas aristas; & vela candida tradentur ab aquis Calabris. At cùm primùm subnigra crepuscula adducunt noctem, nulla pars de toto agmine Hyadum occultatur. Frons Tauri fulget, splendens septem ignibus, quos nauta Græcus appellat Hyades à pluviâ. Nonnulli arbitrantur educasse Bacchum: alii existimant has esse neptes Tethyes & senis Oceani. Atlas nondum rigebat habens humeros pressos cælo, cùm Hyas natus est spectabilis suo decore. Æthra filia Oceani peperit tempestivo partu, hunc atque puellas; verùm Hyas natus est prior. Dum prima lanugo, concitat timidos cervos formidine atque lepus est illi ampla præda. At postquam vires auctæ sunt tempore, non formidat aggredi cominus apros & leænas hispidas. Et dum petit speluncas leæ fœcundæ, atque ejus catulos, ipse fuit præda sanguinolenta feræ Libycæ.

NOTÆ.

[n] *Postera Hyper.*] Aurora est ex sententiâ Hesiodi.

[o] *Pulsis*] Quia majore Auroræ luce exortâ, minor stellarum [illegible].

[p] *Hyperionis*] Q[illegible] Hygino Ætheris filius.

[q] *Argestes*] Ventus ab occasu solstitiali, qui & Japyx dictus.

[r] *Calabris*] Quæ in extremâ Italiâ. Brundusium *scil.* Calabriæ urb. [s]olvebant ut plurimùm, qui in Orientem navi contendebant.

[s] *Simul*] Ne tam quidem: Hinc namque Hyades, matutino tempore cum oriuntur, paulò ante Solis exortum: non possunt emergere statim a crepusculo.

[t] *Ora*] Quia in Tauri fronte illæ stellæ Hyades positæ, ut sæpe dictum.

[u] *Imbre*] ὕειν enim est *pluere*.

[x] *Neptes*] Quia Æthræ nymphæ filiæ, quam Tethys peperit ex Oceano.

[y] *Stabat*] In montem versus, qui Olympum [illegible] cœlum humeris suis sustineret.

[z] *Hyas*] Atlantis quoque filium facit Hyginus; qui Fabularum capite 192. hæc & alia plura refert.

[a] *Stirps*] Quippe filia.

[b] *Nisibus*] Partu.

[c] *Dum nova*] Cùm adolescens. Lanugo enim [illegible] mentum v. [illegible].

[d] *Formidine*] Lineas diximus jam in præcedentibus, [illegible] pennis [illegible].

Mater Hyan, & Hyan mœstæ flevere sorores;
Cervicémque polo suppositurus Atlas.
Victus uterque parens tamen est pietate sororum.
[e] Illa dedit cælum: nomina [f] fecit Hyas.
[g] Mater, ades, florum, ludis celebranda [h] jocosis:
Distuleram partes mense priore tuas.
Incipis Aprili: transis in tempora Maii.
Alter te [i] fugiens, cùm venit alter, habet.
Cùm tua sint, cedántque tibi confinia mensum;
Convenit in laudes ille vel iste tuas.
[k] Circus in [l] hunc exit, [m] clamatáque palma Theatris:
Hoc quoque cum Circi [n] munere carmen eat.
Ipsa doce quæ sis. hominum sententia [o] fallax.
Optima tu proprii nominis auctor eris.
Sic ego, sic nostris respondit Diva rogatis:
Dum loquitur, vernas efflat ab ore rosas.
Chloris eram, quæ Flora vocor. [p] corrupta Latino
Nominis est nostri littera Græca sono.
Chloris eram Nymphe [q] campi felicis, ubi audis
Rem [r] fortunatis ante fuisse viris.

INTERPRETATIO.

Genitrix & tristes sorores, atque Atlas submissurus collum cœlo deploraverunt Hyan. Attamen uterque parens superatus est pietate sororum: illa præbuit cœlum; Hyas imposuit nomen. Parens florum, colenda ludis jocosis accedite: pretuleram partes tuas mense superiore. Initium facis Aprili; transis in tempora Maij. Alter recedens habet te, alter cùm incipit. Siquidem concursus mensium ad te spectent, & tibi contingant; ille vel iste aptus est tuis præconiis. Circus & palma citata in theatris huic obtigit: istud etiam carmen procedat cum munere Circi. Tu ipsa indica quæ sis. Sententia hominum incerta. Tu eris aptissima index proprii nominis. Ità ego, Dea hoc modo respondit nostris petitis: dum verba facit emittit rosas vernas ab ore. Ego *quæ dicor Flora, eram Chloris: littera Græca nominis nostri est deformata sono Latino.* Ego *Chloris eram nympha agri fœcundi, ubi audis rem antè fuisse viris beatis.*

NOTÆ.

[e] *Illa*] Pietas dedit cœlum Hyadibus.

[f] *Fecit*] Ab Hyante fratre *Hyades* dictæ.

[g] *Mater*] Flora est, insignis olim meretrix, quæ per dedecus summum malè partas opes P. Romano testamento reliquit: quare editione ludorum, aliò tamen detortâ fabulâ, cùm res ipsa flagitiosa videretur, natales ejus celebrat.

[h] *Jocosis*] Imò flagitiosissimis; quibus non nudati modò publicè impurissimas meretrices, sed lasciviæ genus omne exercere mos fuit.

[i] *Fugiens*] Ultimo quippe die.

[k] *Circus*] Qui scil. huic impudicæ proprius in regione sextâ: nam plures fuerunt Romæ.

[l] *Hunc*] Mensem Majum scil. in quem translati ludi, qui in Circo celebrabantur.

[m] *Clamata*] Quia ejus consequendæ gratiâ multùm contendebatur.

[n] *Munere*] Ludis *scil.* qui mensis Maii initio, in Floræ honorem celebrabantur.

[o] *Fallax*] Quot & quibus modis, quibusve de causis quis dixerit? Ad fallacia & inania rerum videtur unicè comparatus homo. Ipse ut certiùs fallat, fallaciam cautè velle vitare simulat Naso.

[p] *Corrupta*] Quia pro χλωρὶς *Flora* dicta; quanquam & *Chloris* Latinis recepta.

[q] *Campi fel.*] Horti *scil.*

[r] *Fortunatis*] D. loco quempiam peculiari significem meritus Flora, ... lium quidem fortunatis insulis contra Mauritaniam, aut Alcinoi hortis in Corcyrâ insulâ, commodiorem video.

Quæ fuerit mihi forma, grave est narrare modestæ:
  Sed generum matri [f] repperit illa [t] Deum.
Ver erat; errabam. Zephyrus conspexit; abibam.
  Insequitur; fugio. [u] fortior ille fuit.
Et dederat [x] fratri Boreas [y] jus omne rapinæ,
  Ausus [z] Erechtheâ præmia ferre domo.
Vim tamen emendat dando mihi nomina nuptæ:
  Inque meo non est ulla querela toro.
Vere fruor [a] semper: veri nitidissimus annus.
  Arbor habet frondes, pabula semper humus.
Est mihi fœcundus dotalibus hortus in agris.
  Aura fovet; liquidæ fonte rigatur aquæ.
Hunc meus implevit generoso flore maritus:
  Atque ait, [b] Arbitrium tu, Dea, floris habe.
Sæpe ego digestos volui numerare colores;
  Nec potui. numero copia major erat.
Roscida cùm primùm foliis excussa pruina est,
  Et [c] variæ radiis intepuêre comæ;
Conveniunt pictis incinctæ vestibus [d] Horæ,
  Inque leves calathos munera nostra legunt.
Protinus arripiunt [e] Charites; nectúntque coronas,
  Sertáque cælestes implicitura comas.

INTERPRETATIO.

Molestum est modestæ dicere quæ fuerit mea pulcritudo; verùm illa invenit Deum generum matri meæ. Ver erat; vagabar. Zephyrus me vidit; discedebam. Insequitur; fugio. Ille fuit superior. Atque Aquilo ausus rapere præmia domo Erechtheâ dederat fratri omne jus rapinæ. Corrigit tamen violentiam conferendo mihi nomina conjugis; neque ulla est querimonia in meo lecto. Fruor semper vere: annus est formosissimus vere. Arbor est semper vestita foliis, terra graminibus. Est mihi hortus fertilis in campis dotalibus. Aura recreat, aspergitur fonte aqua pura. Vir meus hunc implevit flore haud vulgari, atque dixit, Tu Dea esto domina floris. Sæpe ego cupivi recensere colores ordinatos, neque potui: abundantia erat major numero. Cùm primùm pruina roscida dejecta est ex foliis, & frondes versicolores intepuerunt radiis Solis, Horæ incinctæ vestibus pictis conveniunt, atque colligunt nostra dona in leves quasillos. Continuò Charites accipiunt, atque implicant coronas & serta ornatura capillos cælestes.

NOTÆ.

[f] *Repperit*] Modestissimè quidem de stupro sibi illato loquitur.

[t] *Deum*] Zephyrum *scil.* ventum ab occasu.

[u] *Fortior*] Lenes tamen Zephyri dicuntur. At enim apud puellas fortiores qui leniores.

[x] *Fratri*] Boreæ *scilic.* frater Zephyrus, siquidem uterque venti.

[y] *Jus*] Quod violentissimi Boreæ proprium videtur. Verùm ad Floram aut flores non foret ille idoneus.

[z] *Erechtheâ*] Erechthei Athenarum regis, cujus filiam Orythiam Boreas rex Thraciæ, magìs quàm Ventus, rapuit.

[a] *Semper*] Quia Ver æternum ubi illa fuit.

[b] *Arbitr.*] Hinc adeòque Dea florum.

[c] *Variæ*] Florum diversi coloris.

[d] *Horæ*] Appositè siquidem in horas diversi flores explicantur. Videlicet triumphat Naso, ubi hujuscemodi occurrit argumentum.

[e] *Charites*] *Gratiæ* dicuntur Latinè tres Jovis & Eunomiæ filiæ *Aglaia*, *Thalia*, atque *Euphrosine*: de quibus aliter alii.

Prima per immensas sparsi nova semina gentes.
Unius tellus ante coloris erat.
Prima [d] Therapnæo feci de sanguine florem:
Et manet in folio scripta [e] querela suo.
Tu quoque nomen habes cultos, Narcisse, per hortos:
Infelix, quòd non [f] alter & alter eras!
Quid Crocon, aut [g] Attyn referam, [h] Cinyrâque creatum;
De quorum per me vulnere surgit [i] honor?
Mars quoque, si nescis, per [k] nostras editus artes.
Jupiter hoc ut adhuc [l] nesciat, usque precor.
Sancta Jovem Juno, natâ [m] sine matre Minervâ,
Officio doluit non eguisse suo.
Ibat, ut Oceano quereretur furta mariti:
Restitit ad nostras fessa labore fores.
Quam simul adspexi; Quid te, [n] Saturnia, dixi,
Attulit? exponit, quem petat, illa locum.
Addidit & caussam. verbis solabar amicis.
Non, inquit, verbis cura levanda mea est.
Si pater est factus neglecto conjugis usu
Jupiter, & solus nomen [o] utrumque tenet;
Cur ego desperem fieri sine conjuge mater:
Et parere intacto, [p] dummodo casta, viro?

INTERPRETATIO.

Prima sevi nova semina per vastas nationes: terra erat priùs unius coloris. Prima feci florem de cruore Therapnæo: & querimonia superest scripta in folio suo. Tu etiam Narcisse, obtines famam per pulcros hortos: miser quòd non eras alter & alter! Quamobrem recenseam Crocon, aut Attyn, atque ortum ex Cinyrâ, de quorum plagâ honor nascitur per me? Mars etiam, si te latet procreatus est per nostras artes. Precor semper adhuc ut Jupiter istud ignoret. Sancta Juno, Minervâ editâ sine matre, doluit Jovem non habuisse opus auxilio suo. Ibat ut quereretur Oceano furta viri sui: confecta labore requievit ad nostram januam. Quam olim primùm vidi, quæ caussa, inquam, te adduxit? Illa narrat quò eat; atque adjecit rationem. Consolabar sermonibus amicis. Non, ait, dolor meus est minuendus sermonibus. Si Jupiter est factus genitor sine officio uxoris, & solus habet utrumque nomen, quamobrem ego desperem fieri genitrix sine marito, atque parere marito intacto, dummodo pudica?

NOTÆ.

[d] *Therapnæo*] Therapne Laconiæ vico oriundo. De Hyacintho autem, Apollini dilectissimo puero, sermo est: cujus fabulam non semel in præcedentibus.

[e] *Querela*] Ai ai enim, lugentibus vocis usitatæ, vestigia quædam in Hyacinthi, seu Gladioli, foliis apparent.

[f] *Alter & alter*] Ut alter alterius, non sui amore Narcissus tabesceret. Fabulam ejus videsis in Metam

[g] *Attyn*] Cujus cruorem in violam mutatum scripsit Arnoblus.

[h] *Cinyrâ*] Adonis est Cinyræ ex Myrrhâ filiâ natus, cujus fabulam habes in Metam.

[i] *Honor*] Quia post fata reviviscunt, atque festis & coronamentis adhibentur.

[k] *Nostras*] Flora nempe Junoni, ob natam sine ipsius ope Minervam, multùm tristi, floris cujusdam index fuit, quo tacto, sine viro fœcunda, Martem peperit.

[l] *Nesciat*] Ne ideo infensus *scil.*

[m] *Sine matre*] Namque ex Jovis cerebro, aut capite armata prosiliit.

[n] *Saturnia*] Saturni filia Juno.

[o] *Utrumque*] Patris & matris.

[p] *Dummodo*] Illud verò maximè curæ.

Omnia tentabo latis medicamina terris;
Et freta, Tartareos excutiámque sinus.
Vox erat in cursu: vultum [q] dubitantis habebam.
Nescio quid, Nymphe, posse vidêris, ait.
Ter volui promittere opem, ter lingua retenta est:
Ira Jovis magni caussa timoris erat.
Fer, precor, auxilium, dixit; celabitur auctor:
Et [r] Stygiæ numen testificatur aquæ.
Quod petis, [s] Oleniis, inquam, mihi missus ab arvis
Flos dabit. est hortis unicus ille meis.
[t] Qui dabat, Hoc, dixit, sterilem quoque tange juvencam;
Mater erit. tetigi. nec mora; mater erat.
Protinus hærentem decerpsi pollice florem.
[u] Tangitur; & tacto concipit illa sinu.
Jamque gravis Thracen, & [x] læva Propontidos intrat:
Fitque potens voti; Marsque creatus erat.
Qui memor accepti per me natalis, Habeto
Tu quoque Romuleâ, [y] dixit, in Urbe locum.
Forsitan in teneris tantum mea regna coronis
Esse putes. tangunt numen & arva meum.
Si bene floruerint segetes; erit area dives.
Si bene floruerit vinea; Bacchus erit.
Si bene floruerint oleæ; [z] nitidissimus annus.
Pomáque proventum temporis [a] hujus habent.

INTERPRETATIO.

Faciam periculum omnium medicaminum quæ sunt in vastis terris; atque exquiram per maria & per latebras infernas. Vox erat in cursu, habebam faciem hesitantis. Nympha, inquit, vidêris quid posse. Ter volui polliceri auxilium, ter lingua repressa est: Ira excelsi Jovis erat caussa metus. Adjuva, quæso, inquit, auctor tacebitur; atque testem facit numen aqua Stygia. Flos, dixi, mihi missus ab agris Oleniis præbebit quod quæris: ille est solus in hortis meis. Qui obtulit, mihi dixit, tange etiam vaccam sterilem hoc, fiet mater. Tetigi, & sine cunctatione, erat mater. Continuò revelli pollice florem stantem. Tangitur, atque illa concipit gremio tacto. Jamq; gravida ingreditur Thraciam, & sinistra Propontidos, atque fit compos voti: & Mars erat genitus. Qui memor natalis accepti per me, Tu etiam, inquit, obtineas sedes in Urbe Romuleâ. Fortè credas mea jura esse tantùm in mollibus sertis. Campi etiam spectant ad meum numen. Si segetes bene floruerint, area erit opulenta. Si vinea bene floruerit, Bacchus erit. Si oleæ bene floruerint, annus erit splendidissimus; atque poma habent fructum hujus tempestatis.

NOTÆ.

[q] *Dubitantis*] Quæ aliquid haberet, & cunctanter proferret.

[r] *Stygiæ*] *Dii cujus jurare timent & fallere numen.*

[s] *Oleniis*] Ad Olenum, Achaiæ, seu Ætoliæ, urbem spectantibus.

[t] *Qui dabat*] Zephyrum credideris.

[u] *Tangitur*] Juno *scil.*

[x] *Leva Prop.*] Ibi verò Thracia, in quâ Mars natus; neque temerè, siquidem ad virorum spectas ferociam.

[y] *Dixit*] Martis *scil.* operâ instituta Floralia.

[z] *Nitidissimus*] Nitent quippe oleo quæ sunt p[illegible].

[a] *Hujus*] Nisi enim floruerint nulla sunt.

Flore

Flore ſemel læſo pereunt viciæque fabæque.
Et pereunt lentes, [b] advena Nile, tuæ.
Vina quoque in magnis operoſe condita cellis
Florent ; & [c] nebulæ dolia ſumma tegunt.
Mella meum munus. [d] volucres ego mella daturas
Ad violam, & [e] cythiſos, & thyma cana voco.
Nos quoque idem [f] facimus : tunc cùm juvenilibus annis
Luxuriant animi, corporáque ipſa vigent.
Talia dicentem tacitus mirabar. at illa,
Jus tibi diſcendi, ſiqua requiris, ait.
Dic, Dea, ludorum, reſpondi, quæ ſit origo.
Vix bene deſieram ; retulit illa mihi.
Cætera luxuriæ nondum [g] inſtrumenta vigebant ;
Aut pecus, aut latam dives habebat humum.
Hinc etiam [h] locuples, hinc ipſa [i] pecunia dicta eſt.
Sed jam de vetito quiſque parabat opes.
Venerat in morem [k] populi depaſcere ſaltus ;
Idque diu licuit, pœnáque nulla fuit.
Vindice ſervabant nullo ſua publica vulgus ;
Jamque in privato paſcere [l] inertis erat.

INTERPRETATIO.

Vicia atque faba pereunt flore ſemel læſo : lentes etiam tuæ intercidunt, Nile peregrine. Vina etiam ſervata curioſè in vaſtis cellis florent, & nebula operiant ſuprema dolia. Mella ſunt meum donum. Ego cieo ad violam & cythiſos, & thyma alba alites præbituras mella. Nos etiam idem facimus, tunc cùm mentes luxuriant, atque ipſa corpora virent annis juvenilibus. Mirabar ſilens proferentem talia : at illa inquit, jus tibi diſcendi, ſi qua petis. Aperi, dixi, Dea, quæ ſit origo ludorum. Vix ſatis finieram, illa mihi reſpondit. Nondum reliqua inſtrumenta luxuriæ inceſſerant ; potens habebat aut pecus, aut vaſtos agros. Hinc quoque locuples, hinc ipſa pecunia appellata eſt. Verùm jam ſinguli faciebant rem de interdicto. Venerat in conſuetudinem populari ſaltus populi : atque id diu licuit, nullaque fuit mulcta. Plebs nullo vindice cuſtodiebat ſua publica : jamque erat ignavi agere pecus in propria paſcua.

NOTÆ.

[b] *Advena*] Quia ex regionibus remotis in Ægypti campos exundat.

[c] *Nebula*] Supernatantem florem in dolio ità appellavit.

[d] *Volucres*] Apes *ſcil.*

[e] *Cythiſos*] Fruticis hujus diverſiſſimæ exhibentur à diverſis deſcriptiones ; de cujus etiam flore, contrà quàm ſenſit Flora, nunquam delibare apes nonnulli ſcripſerunt.

[f] *Facimus*] Floremus *ſcil.*

[g] *Inſtrumenta*] Aurum, Argentum, &c.

[h] *Locuples*] A loco, ſeu lati & vaſti agri poſſeſſione, aut locorum copiâ & plenitudine locupletem dictum, atque equidem verè, affirmat.

[i] *Pecunia*] Pecunia verò à pecu dicta : cujus rei rationem prolixè, nec minùs eruditè, tradidit clariſſ. Voſſius.

[k] *Populi ſaltus*] Scripturarios agros dicit, ex quibus vectigal ad publicos uſus capiebatur.

[l] *Inertis*] Ad illa quidem jam rediimus tempora : namque ex alieno qui neſcit ſuum commodum facere hebes apud pleroſque creditur.

Plebis ad Ædiles delata licentia talis
[m] Publicios: animus [n] defuit ante viris.
[o] Rem populus recipit: mulctam subiêre nocentes.
Vindicibus laudi publica cura fuit.
Mulcta data est ex parte mihi: magnóque favore
[p] Victores Ludos instituêre [q] novos.
Parte [r] locant clivum, qui tunc erat ardua rupes.
Utile nunc iter est; Publiciúmque vocant.
Annua credideram spectacula facta; [ſ] negavit:
Addidit & dictis [t] altera verba suis.
Nos quoque tangit honos. festis gaudemus, & aris:
Turbáque cælestes [u] ambitiosa sumus.
Sæpe Deos aliquis peccando fecit iniquos:
Et pro delictis hostia [x] blanda fuit.
Sæpe Jovem vidi, cùm jam sua mittere vellet
Fulmina, thure dato sustinuisse manum.
At si negligimur; magnis injuria pœnis
Solvitur & justum præterit ira modum.
Respice [y] Thestiaden: flammis [z] absentibus arsit.
Caussa est; quòd [a] Phœbes ara sine igne fuit.

INTERPRETATIO.

Licentia talis populi delata ad Ædiles Publicios: animus prius defuit viris. Plebs recipit rem: delinquentes persolverunt pœnam. Cura publica fuit laudi vindicibus. Mulcta oblata est mihi ex parte; atque compotes voti instituerunt mihi novos Ludos magno favore. Locant parte collem, qui tunc erat rupes ascensu difficilis; nunc est via commoda, atque appellant Publiciam. Arbitrata eram spectacula esse annua; negavit: atque adjecit altera verba dictis suis. Honos movet nos etiam: lætamur festis & altaribus; nosque dii sumus agmen ambitiosum. Sæpe aliquis reddidit Deos infestos peccando, atque victima fuit grata pro peccatis. Sæpe vidi Jovem, cùm jam vellet jacere sua fulmina, repressisse dextram thure oblato. Verùm si contemnimur, noxa rependitur gravibus suppliciis, atque ira excedit justum modum. Vide Thestiaden; flagravit ignibus remotis. Caussa est, quòd altare Dianæ fuit sine igne.

NOTÆ.

[m] *Publicios*] Qui publica procurabant.

[n] *Defuit*] Quia nocentibus irrogare mulctam non audebant.

[o] *Rem*] Ut nocentes multarentur.

[p] *Victores*] Qui mulctas nocentibus irrogare consecuti sunt.

[q] *Novos*] Floræ *scil.* cui antea nulli proprii ludi.

[r] *Locant*] Conducentibus rupem præscribunt secundum. quà deinde iter esset.

[ſ] *Negavit*] Per 66 annos iterum Floralia sua, diuturnâ sanè pausâ, non vidit.

[t] *Altera*] Quæ plura, quàm expetivisset Naso, aperirent.

[u] *Ambitiosa*] Honoris cupida.

[x] *Blanda*] Quæ Deos lenivit.

[y] *Thestiadea*] Meleagrum dicit, Thestii ex Althæâ matre nepotem.

[z] *Absentibus*] Quia stipite absenti, quem in focum conjecit illius mater, Meleagri fata continebantur. Fabulam repetitam habes in superioribus.

[a] *Phœbes*] Dianæ, quæ eadem Luna est, cujus quidem Aras Oeneus Meleagri pater neglexerat.

Respice [b] Tantaliden : eadem Dea vela tenebat.
[c] Virgo est ; & spretos bis tamen ulta focos.
Hippolyte infelix, velles coluisse [d] Dionen,
Cùm consternatis [e] diriperêris equis.
Longa referre mora est collata [f] oblivia [g] damnis.
Me quoque Romani prætenière Patres.
Quid facerem ? per quod [h] fierem manifesta doloris ?
Exigerem nostræ qualia damna [i] notæ ?
[k] Excidit officium tristi mihi. nulla tuebar
Ruta : nec in pretio fertilis hortus erat.
Lilia deciderant : violas arere videres,
Filáque punicei languida facta croci.
Sæpe mihi Zephyrus, [l] Dotes corrumpere noli
Ipsa tuas, dixit : dos mihi vilis erat.
Florebant oleæ ; venti nocuêre protervi.
Florebant segetes ; grandine læsa Ceres.
In spe vitis erat : cælum nigrescit ab Austris,
Et subitâ frondes decutiuntur aquâ.
Nec volui fieri, nec sum crudelis in irâ :
Cura repellendi sed mihi nulla fuit.
Convenêre Patres : &, si bene floreat annus,
Numinibus nostris annua festa [m] vovent.

INTERPRETATIO.

Vide Tantaliden ; eadem Dea remorabatur naves. Virgo est ; attamen bis quoque ulta aras neglectas. Miser Hippolyte, cuperes honeraße Dionen, cùm distraherer is ab equis efferatis. Longum est spatium narrare contemtus compositos cum pœnis. Patres Romani me etiam neglexerunt. Quid agerem, per quod dolor meus patesceret? Quales pœnas reposcerem nostri indicii! Mœsta oblita sum officii. Nullos agros defendebam, neque fœcundus hortus erat in pretio. Lilia deciderant: cerneres violas arescere, atque fila rubri croci facta languida. Zephyrus sæpe mihi dixit, ne ipsa perdas tuas dotes: dos mihi erat contemnenda. Oleæ florebant; venti sævi obfuerunt. Segetes florebant; Ceres corrupta grandine. Vitis erat in spe: cælum obscuratur ab Austris, atque folia proteruntur pluviâ repentinâ. Neque volui fieri, neque sum sæva in irâ, sed nullum fuit desiderium contrà nitendi. Patres coierunt; & polliciti sunt festa annua nostris numinibus, si annus feliciter floreat.

NOTÆ.

[b] *Tantaliden*] Agamemnonem dicit Tantali pronepotem, quem Diana eadem in Aulidis portu, ob interfectam cervam, ne in Trojam navigare posset, retinuit, donec Iphigeniæ sacrificio placaretur.

[c] *Virgo*] Adeòque leni ingenio.

[d] *Dionen*] Venerem ; quæ sæpe ex illâ matre, quam dederunt Hesiodus atque Homerus, venit intelligenda.

[e] *Diriperêris*] Sæpius jam miserum illum Thesei filium ab equis territis discerptum vidimus.

[f] *Oblivia*] Deorum contemtus.

[g] *Damnis*] Quibus afflicti Deorum contemtores.

[h] *Fierem manifesta*] Me ægrè ferre ludorum præteritionem omnes intelligerent.

[i] *Notæ*] Dedecoris, ex neglectis ludis Floralibus.

[k] *Excidit*] Quasi oblita est servandorum florum præ mœrore.

[l] *Dotes*] Arbitrium florum habuisse suprà vidimus.

[m] *Vovent*] Hoc factum anno ab Urbe 580. L. Posthumio Albino & M. Popilio Lænâ Consulibus.

Annuimus voto. Consul cum Consule ludos
Postumio Lænas persoluëre mihi.
Quærere conabar, quare lascivia major
His foret in Ludis, liberiórque jocus:
Sed mihi succurrit, numen non esse severum;
Aptáque [n] deliciis munera ferre Deam.
Tempora [o] sutilibus cinguntur tota coronis;
Et latet injectâ splendida mensa rosâ.
Ebrius incinctis [p] philyrâ conviva capillis
Saltat, & imprudens [q] utitur arte meri.
Ebrius ad durum formosæ limen amicæ
Cantat. habent unctæ mollia serta comæ.
Nulla coronatâ peraguntur seria fronte;
Nec liquidæ vinctis flore bibuntur [r] aquæ:
Donec eras mistus nullis, [s] Acheloë, racemis;
Gratia sumendæ non erat ulla [t] rosæ.
Bacchus amat flores: Baccho placuisse coronam
Ex [u] Ariadnæo sidere nosse potes.
Scena [x] levis decet hanc: non est, mihi credite, non est
Illa [y] cothurnatas inter habenda [z] Deas.
Turba quidem cur hos celebrent meretricia ludos,
[a] Non ex difficili caussa petenda subest.

INTERPRETATIO.

Favimus voto. Consul Lænas cum Consule Posthumio persolverunt mihi ludos. Volebam petere, quamobrem major lascivia, & jocus liberior esset in his Ludis: Verùm recordatus sum, numen non esse morosum, & Deam exhibere dona idonea ad voluptatem. Tota tempora decorantur sertis intextis; atque lauta mensa tegitur rosâ injectâ. Conviva bene potus saltat comâ ornatâ philyrâ, atque rudis utitur arte vini. Ebrius canit ad rigidas fores pulcra amicæ: capilli odoribus delibuti habent teneras coronas. Nulla res graves absolvuntur fronte coronatâ; neque pura aqua potantur ab illis qui sunt ornati floribus. Quandiu nullis uvis eras mistus, Acheloë, nulla erat causa rosæ capiendæ. Bacchus diligit flores: potes intelligere ex stellis Ariadnæis coronam gratam fuisse Baccho. Scena levis huic convenit; illa, fidem mihi habete, non est reponenda in Deabus cothurnatis. Ratio verò non est quærenda longè, quamobrem agmen meretricium frequentet hos ludos.

NOTÆ.

[n] *Deliciis*] Seu ad Bacchum, seu ad Cupidinem aut Venerem spectant.

[o] *Sutilibus*] Quæ ex floribus nectebantur.

[p] *Philyrâ*] Eo quippe tiliæ cortice veteres pro lemniscis in coronarum plexione utebantur.

[q] *Utitur arte*] Agitat choreas magis ex vini impetu, quàm artis solertiâ.

[r] *Aquæ*] Vinum potiùs coronati bibebant.

[s] *Acheloë*] Ætoliæ istum fluvium pro aquâ posuit, ad illud alludens quòd ad ejus ripas primò dicuntur vites cultæ.

[t] *Rosæ*] Cujus multus usus in conviviis, ad bacchantium coronas præsertim.

[u] *Ariadnæo*] Ariadnes coronam in cœlum à Baccho translatam jam sæpe vidimus.

[x] *Levis*] Ubi levia & lasciva referuntur.

[y] *Cothurnatas*] Quæ su cothurno, esset cujusmodi in tragœdiis, grandioris argumenti, & personarum dignitatis ratione habitâ, utebantur.

[z] *Deas*] Musas severiores.

[a] *Non ex difficili*] Scilicet ipsa Flora fuit meretrix. Verùm sanè rem ipsam quàm elegantes & pudicè narret, attendas.

Non est de tetricis, non est de magna professis;
Vult sua plebeio sacra patere choro.
Et monet ætatis specie, dum floreat, uti;
Contemni [b] spinam, cùm cecidêre rosæ.
Cur tamen, ut dantur vestes Cerealibus albæ,
Sic hæc est cultu versicolore decens?
An quia maturis albescit messis aristis;
Et color & species floribus omnis inest?
[c] Annuit; & motis flores cecidêre capillis:
[d] Accidere in mensas ut rosa missa solet.
[e] Lumina restabant; quorum me caussa latebat,
Cùm sic errores abstulit illa meos.
Vel quia purpureis collucent floribus agri;
Lumina sunt [f] nostros visa decêre dies:
Vel quia nec flos est hebeti, nec flamma, colore;
Atque oculos in se splendor uterque trahit;
Vel quia deliciis nocturna licentia nostris
Convenit. à vero tertia caussa venit.
Est breve præterea, de quo mihi quærere restat,
Si liceat dixi. (dixit & illa, Licet)
Cur tibi pro Libycis [g] claudantur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitúsque lepus.
Non sibi, respondit, silvas cessisse; sed hortos,
Arváque pugnaci non adeunda feræ.

INTERPRETATIO.

Non est de crudelibus, non est de professis magna: vult sacra sua aperta esse turba plebeia. Atque decet uti elegantiâ annorum, quandiu virent; spinam negligi, postquam rosa defluxerunt. Quamobrem tamen, sicuti amictus candidi exhibentur Cerealibus, ità hec grata habitu vario. An quia messis albicat aristis maturis, & color atque species omnis inest floribus? Nutu affirmavit, atque flores defluxerunt comâ agitatâ; ut rosa sparsa solet decidere in mensas. Lampades supererant, quarum nesciebam originem; cùm illa sic sustulit meos errores. Lumina sunt credita convenire nostris diebus, vel quia campi splendent floribus purpureis; vel quia neque flos, neque ignis est colore languido, atque uterque fulgor flectit oculos ad se. Vel quia licentia nocturna apta est nostris deliciis. Tertia ratio petitur ex veritate. Est insuper exiguum quid, *inquam, de quo superest mihi ut percontor, si concedatur: atque illa respondit, Conceditur. Quamobrem caprea placida atque lepus pavidus tibi claudantur pro leænis Libycis. Retulit non silvas sibi obtigisse, sed hortos, atque agros non intrandos fera bellicosa.*

NOTÆ.

[b] *Spinam*]. Atque adeò vetulam, cui ætatis flos defluxerit.

[c] *Annuit*] Verùm insuper luxuriosorum fuit habitus versicolor.

[d] *Accidere*] Non temerè ad rosarum sparsionem, quæ de tecto & desuper fiebat, allusum scripsit illustriss. Neapolis.

[e] *Lumina*] Accensæ *scilicet* faces per noctem, in quam protracti ludi, illecebris aptissimâ licentiâ.

[f] *Nostros*] Florales *scil.*

[g] *Claudantur*] Ità verò in theatrum ferebantur, tum fiebat venatio quædam.

Omnia finierat : tenues secessit in auras.
Mansit odor. posses scire fuisse Deam.
Floreat ut toto carmen Nasonis in ævo ;
Sparge, precor, donis pectora nostra tuis.
NOcte [h] minùs quartâ promet sua sidera Chiron
Semivir, & flavi corpore mistus equi.
[i] Pelion Hæmoniæ mons est obversus in [k] Austros:
Summa virent pinu : cætera quercus habet.
[l] Phillyrides tenuit. saxo stant antra vetusto,
Quæ justum memorant incoluisse senem.
Ille manus olim missuras Hectora letho
Creditur in lyricis [m] detinuisse modis.
Venerat [n] Alcides exhaustâ parte laborum ;
[o] Jussáque restabant [p] ultima pæne viro.
Stare simul casu Trojæ duo [q] fata videres :
[r] Hinc puer [s] Æacides, hinc [t] Jove natus erat.
Excipit hospitio [t] juvenem Philyreïus heros ;
Et causam adventûs hic rogat, ille docet.
Perspicit interea [u] clavam spoliúmque [x] leonis:
Virque, ait, his armis, armáque digna viro.

INTERPRETATIO.

Absolverat omnia. dilapsa est in aërem subtilem. Odor superfuit : posses intelligere fuisse Deam. O conspersa corda nostra tuis muneribus, ut versus Nasonis vigeant omni tempore

NOcte minùs quartâ Chiron semivir, & junctus corpori equi flavi proferet sua sidera. Pelion est collis Hæmoniæ patens in Austros. Vertex viret pinu ; quercus occupat reliqua. Phillyrides incoluit. Spelunca sunt in rupe antiquâ, quas dicunt justum senem tenuisse. Ille dicitur detinuisse in numeris lyricis manus aliquando daturas neci Hectorem. Alcides accesserat parte laborum exhaustâ, atque ferè novissima mandata supererant. Cerneres duos eversores Troiæ fortè simul consistere ; hinc erat puer Æacides, hinc filius Jovis. Heros Philyreïus accipit hunc hospitio. atque hic petit rationem accessus ille reddit. Interea cernit clavam, atque exuvias leonis ; & dicit, Vir dignus his armis, armaque digna viro.

NOTÆ.

[h] *Minùs*] Tertiâ adeòque Maii, seu quinto Nonas, oritur Chiron Centaurus, Saturni & Philyræ filius, in cœlum translatus.

[i] *Pelion*] Mons Thessaliæ, in quo Chironis sedes, quam describit Naso.

[k] *Austros*] Adeòque & ... idiem, quâ ex parte flat Auster.

[l] *Phillyrides*] Chiron, à Philyra matre, Oceani & Tethyos filiâ, sic dictus.

[m] *Detinuisse*] Namque Achillis præceptor fuit.

[n] *Alcides*] Hercules.

[o] *Jussa*] Junonis odio Eurysthei imperiis obnoxium fuisse Herculem nihil opus toties repetere.

[p] *Ultima*] Ut Cerberum canem ex Inferis pertraheret ; ut quidem nonnullis placet.

[q] *Fata*] Herculem dicit atque Achillem; quorum ille Troiam sub Laomedonte diruit: hic, qui tum apud Chironem erat, sub Priamo eandem erat expugnaturus.

[r] *Æacides*] Achilles Æaci nepos.

[s] *Jove natus*] Hercules ex Alcmenâ.

[t] *Juvenem*] Herculem *scil.*

[u] *Clavam*] Herculis gestamen.

[x] *Leonis*] Nemei *scil.* ab Hercule interfecti.

Nec se, quin horrens auderent tangere setis
Vellus, Achilleæ continuêre manus.
Dumque [y] senex tractat squallentia [z] tela venenis;
Excidit, & lævo fixa sagitta pede est.
Ingemuit Chiron, traxítque è corpore ferrum:
Adgemit Alcides, [a] Hæmoniúsque puer.
Ipse tamen lectas [b] Pagasæis collibus herbas
Temperat, & variâ vulnera mulcet ope.
Virus edax superabat opem: penitúsque recepta
Ossibus, & toto corpore pestis erat.
Sanguine Centauri Lernææ sanguis [c] Echidnæ
Mistus ad auxilium tempora nulla dabat.
Stabat, ut ante patrem, lacrymis perfusus Achilles:
Sic flendus [d] Peleus, si moreretur, erat.
Sæpe manus ægras manibus fingebat amicis:
[e] [Morum, quos fecit, præmia doctor habet.]
Oscula sæpe dedit. dixit quoque sæpe jacenti;
Vive, precor; nec me, care, relinque, pater.
Nona dies aderat; cùm tu, justissime Chiron,
[f] Bis septem stellis corpora cinctus eras.
HUnc lyra curva [g] sequi cuperet; sed idonea nondum
Est via. [h] nox aptum tertia tempus erit.

INTERPRETATIO.

Neque manus Achillea abstinuerunt, quin auderent tractare pellem hispidam setis. Et dum senex tenet spicula infecta venenis, excidit unum, atque adhæsit sinistro pedi. Chiron ingemuit, atque revellit ferrum ex corpore: Alcides, & puer Hæmonius adgemit. Ipse tamen miscet gramina collecta in montibus Pagasæis, & lenit vulnus diversis remediis. Venenum sævum vincebat remedia, & virus prorsus penetraverat in ossa & in totum corpus. Sanguis Echidna Lernaa junctus sanguini Centauri nullam patiebatur moram ad opem. Achilles madidus lacrymis stabat ut ante patrem: si Peleus fungeretur fato, sic erat lugendus. Sæpe mulcebat manus languidas manibus amicis; doctor obtinet mercedem morum, quos finxit. Sæpe deosculatus est: sæpe etiam dixit afflicto, Vive, quæso, neque me desere, dilecte pater. Nona dies venerat, cùm tu Chiron æquissime habebas corpus circumdatum quatuordecim stellis.

SInuosa Lyra optaret hunc sequi; at via nondum est apta; nox tertia erit tempus idoneum.

NOTÆ.

[y] *Senex*] Chiron.

[z] *Tela*] Sagittas Lernææ hydræ tabo infectas.

[a] *Hæmonius*] Achilles Thessalus.

[b] *Pagasæis*] *Thessalicis*: Pagasæ namque Thessaliæ oppidum haud procul à Pelio monte.

[c] *Echidnæ*] Viperæ, seu hydræ Lernææ, quam in Lernâ Peloponnesi palude Hercules confecit.

[d] *Peleus*] Achillis pater.

[e] *Morum quos*] Semibarbarum hunc versum non immeritò dixit clariss. Heinsius.

[f] *Bis septem*] Viginti recenset Germanici Scholiastes, Hyginus 24 in toto Chironis corpore.

[g] *Sequi*] Atque adeò exoriri.

[h] *Nox tertia*] Tertio adeòque Nonas Lyra oritur acronicè.

SCorpius in cœlo, [i] cùm cras lucescere Nonas
Dicimus, à mediâ parte notandus erit.
HInc ubi protulerit [k] formosa ter Hesperus ora,
[l] Ter dederint Phœbo sidera [m] victa locum;
Ritus erit veteris nocturna [n] Lemuria sacri:
[o] Inferias tacitis Manibus illa dabunt.
Annus erat [p] brevior; nec adhuc pia [q] Februa norant;
[r] Nec tu dux mensum, Jane biformis, eras.
Jam tamen exstincto [s] cineri sua dona ferebant;
Compositíque nepos busta piabat avi.
Mensis erat Majus majorum nomine dictus,
Qui partem prisci nunc quoque moris habet.
Nox ubi jam media est, somnóque silentia præbet;
Et canis, & variæ conticuistis aves;
[t] Ille memor veteris ritûs, timidúsque Deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.
[u] Signáque dat digitis medio cum pollice junctis;
Occurrat tacito ne levis umbra sibi.

INTERPRETATIO.

QUando dicimus Nonas cras lucescere Scorpius erit conspiciendus in cœlo à parte mediâ.

POstquam hinc Hesperus ter emiserit splendidos vultus, atque *astra superata ter cesserint loco Apollini, erit ritus antiqui sacri nocturna Lemuria: illa offerent Inferias silentibus Manibus. Annus erat brevior, neque adhuc capiebant pia Februa: neque tu eras dux mensium, Jane biformis. Jam tamen portabant sua munera cineri sopito; & nepos placabat sepulcra avi conditi. Mensis Majus erat appellatus nomine Majorum, qui obtinet nunc etiam partem antiqui moris. Cùm nox est jam media, atque præbet silentia somno, & canis, & aves diversæ siluistis, ille recordans antiqui ritus atque metuens Deos surgit; ambo pedes nullis vinculis constringuntur. Atque facit indicia digitis junctis cum medio pollice, ne levis umbra occurrant sibi silenti.*

NOTÆ.

[i] *Cùm cras*] Pridie ergo Nonas pars altera Scorpii occidit cosmicè: ut & tradit Columella.

[k] *Formosa*] Splendida quippe est Hesperi seu Luciferi stella.

[l] *Ter*] Septimo namque Idus Lemuria celebrabantur, quibus triduum insumebatur, diebus tamen n[illegible] continuatis, ut dicetur postea.

[m] *Victa*] Pro[illegible]ter majus Solis lumen, à quo cætera astra [illegible]antur.

[n] *Lemuria*] Hæc festa, quæ & *Lemuralia* dicuntur Lemuribus instituta fuerant; quo nomine communiter bonos atque noxios genios intelligebant; cùm *Lares* de propitiis tantùm dicerentur.

[o] *Inferiæ*] Eo nomine dicebantur sacrificia, quæ Diis Manibus inferebantur, aut justa quæ mortuorum Umbris persolvebantur.

[p] *Brevior*] Utpote decem tantùm mensium.

[q] *Februa*] Lustrationes postea Februario mense institutas.

[r] *Nec tu*] *Primus anni mensis tibi dicatus non erat.*

[s] *Cineri*] Mortuorum *scil.* compositorum.

[t] *Ille*] Nepos *scil.* aut quisquis Manibus sacra oblaturus.

[u] *Signaque*] Illud est quod faciunt Saltatores, cùm in volam collectis duobus ultimis digitis, pollice insuper cum medio pressè juncto, vi tantâ hunc per lapsum in palmam cogunt, ut ex ejus cum palmâ collisione sclopo non absimilem strepitum faciant.

Terque

Terque manus puras fontanâ [x] proluit undâ ;
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.
Aversúsque jacit : sed dum jacit, Hæc ego mitto ;
His, inquit, redimo meque meósque fabis.
Hoc novies dicit, nec respicit. umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente sequi.
Rursus aqua [y] tangit, [z] Temesæaque concrepat æra :
Et rogat ut tectis exeat umbra suis.
Cùm dixit novies, Manes exite paterni,
Respicit, & purè sacra [a] peracta putat.
Dicta sit unde dies, quæ nominis exstet origo,
Me fugit. ex aliquo est invenienda Deo.
[b] Pleïade nate, mone, [c] virga venerande potenti :
Sæpe tibi [d] Stygii regia visa Jovis.
Venit adoratus Caducifer. accipe caussam
Nominis. ex ipso cognita caussa Deo est.
Romulus ut tumulo fraternas condidit [e] umbras,
Et [f] malè veloci justa soluta Remo ;
Faustulus [g] infelix & passis [h] Acca capillis
Spargebant lacrymis ossa perusta suis.
Inde domum redeunt sub prima crepuscula mœsti,
Utque erat, in duro procubuêre toro.

INTERPRETATIO.

Atque ter abluit puras manus aquâ fontanâ ; Avertitur, atque accipit ore nigras fabas. Et aversus spargit : sed dum spargit, Ego inquit, jacio hac ; redimo me atque meos his fabis. Dicit hoc novies, neque respicit. Umbra creditur colligere, & sequi terga nullo conspiciente. Lustrat rursus aquâ ara Temesæa, atque ea pulsat ; & erat ut Umbra egrediatur suâ domo. Postquam dixit novies, Manes paterni egredimini, respicit, & arbitratur sacra piè perfecta. Nescio unde dies sit denominata, quave sit origo nominis : potenda est ab aliquo Deo. Edite Pliade, honorande virgâ potenti edoce : aula Jovis Stygii sæpe spectata à te. Caducifer invocatus adest ; disce rationem nominis : ratio est perspecta ex ipso Deo. Postquam Romulus composuit sepulcro Umbras fraternas, & inferia oblata Remo malè celeri, tristis Faustulus & Acca comâ sparsâ irrigabant ossa exusta lacrymis suis. Inde mœrore confecti revertuntur domum sub prima crepuscula, & procubuerunt in duro lecto, ut erat.

NOTÆ.

[x] *Proluit*] Sollemni ritu.

[y] *Tangit*] Abluendi caussâ.

[z] *Temesæa*] Temesâ seu Tempsâ aut Tamasso petita, seu in Brutiis Italiæ, seu in Cypro insulâ eam urbem quæsieris : namque in utrâque ærifodinæ. Temesæa autem æra pro quibusvis posita ; quæ quidem ad spectra fugienda apta esse credidit antiquitas.

[a] *Peracta*] Rem verò ridiculam !

[b] *Pleiade*] Mercurium vides invocari, qui Majam Pleiadem matrem habuit.

[c] *Virgâ*] *Caduceus* dicitur nomine proprio.

[d] *Stygii*] Plutonem esse jam alibi diximus.

[e] *Umbras*] Remi *scil.*

[f] *Malè vel.*] Quia saltu valli angustias increpuerat ; ut jam sæpe dictum.

[g] *Infelix*] Propter Remi mortem, quem unà cum Romulo educaverat.

[h] *Acca*] Laurentia nutrix Romuli atque Remi, Faustuli conjux.

Umbra cruenta Remi visa est assistere lecto,
Atque hæc exiguo murmure verba loqui:
En ego [i] dimidium vestri parsque altera voti
Cernite sim [k] qualis; qui modò [l] qualis eram!
Qui modò si [m] volucres habuissem regna jubentes;
In populo potui maximus esse meo:
Nunc elapsa rogi flammis & inanis imago.
Hæc est ex [n] illo forma relicta Remo.
Heu! ubi Mars pater est? [o] si vos modò vera locuti;
Uberáque expositis ille ferina dedit.
Quem lupa servavit, manus hunc temeraria civis
Perdidit. ô quanto mitior illa fuit!
Sæve Celer, crudelem animam per vulnera [p] reddas:
Utque ego, sub terras sanguinolentus eas.
Noluit [q] hoc frater. pietas [r] æqualis in illo est.
Quod potuit, lacrymas in mea fata dedit.
Hunc vos per lacrymas, per vestra alimenta rogate,
Ut celebrem festo signet honore diem.
Mandantem amplecti cupiunt, & brachia tendunt.
Lubrica prensantes effugit umbra manus.
Ut secum fugiens somnos abduxit imago;
Ad [s] regem voces fratris [t] uterque ferunt.

INTERPRETATIO.

Umbra sanguinolenta Remi visa est adesse tore, atque preferre has voces tenui murmure. En aspicite qualis ego sim dimidium & pars altera vestra cura qui modò qualis eram. Qui modò, si habuissem alites addicentes imperia, potui esse maximus in gente meâ; nunc sum imago vacua extracta ex flammis rogi. Hæc species est relicta ex illo Remo. Heu! ubi est Mars pater? si modò vos dixistis verum, atque ille obtulit mammas ferinas projectis. Dextra audax civis afflixit eum quem lupa servavit. O quantò illa fuit lenior! Crudelis Celer, effundas sævam animam per plagas; atque descendas sub terras cruentatus sicut ego. Frater noluit istud. Par amor est in illo. Præbuit quod potuit, fletus scilicet *in mea fata. Vos orate eum per lacrymas, & per vestros cibos, ut notet diem celebrem festo honore. Optant amplecti jubentem, & porrigunt lacertos. Umbra lubrica elabitur manibus captantibus. Postquam simulacrum excedens abduxit secum somnos, ambo referunt verba fratris ad regem.*

NOTÆ.

[i] *Dimidium*] Quia pari curâ à Faustulo cum fratre eductus.

[k] *Qualis*] Afflictus, &c.

[l] *Qualis*] Potens, &c.

[m] *Volucres*] Sex tantùm vidisse vultures ex Aventino quoties diximus?

[n] *Illo*] Claro, &c.

[o] *Si vos modo*] Hinc ergo petita fides generis.

[p] *Reddas*] Crudeli morte moriaris. Ad pacem verò Umbrarum, quibus sensitivas remanere potestates arbitrabantur, plurimùm faciebant interfectorum vel inimicorum cædes. Inferiæ illæ gratissimæ.

[q] *Hoc*] Me tam crudeliter de nihilo mactari.

[r] *Æqualis*] Par meæ.

[s] *Regem*] Romulum *scil.*

[t] *Uterque*] Faustulus *scil.* & Acca.

Romulus obſequitur, lucémque [u] Remuria dixit
Illam, qua poſitis juſta feruntur avis.
[x] Aſpera mutata eſt in lenem tempore longo
Litera, quæ toto nomine prima fuit.
Mox etiam Lemures animas dixêre ſilentum,
Is verbi ſenſus, vis ea vocis erat.
Fana tamen veteres illis clauſêre diebus;
Ut nunc [y] ferali tempore operta vides.
[z] Nec viduæ tædis eadem, nec virginis apta
Tempora. quæ nupſit, non diuturna fuit.
Hac quoque de cauſſa (ſi te proverbia tangunt)
Menſe [a] malas Majo nubere vulgus ait.
Sed tamen hæc tria ſunt ſub eodem tempore feſta
Inter ſe [b] nullo continuata die.
Quorum ſi [c] mediis [d] Bœoton Oriona quæres;
Falſus eris. [e] ſigni cauſſa canenda mihi.
Jupiter, & lato [f] qui regnat in æquore frater,
Carpebant ſocias, Mercuriúſque vias.
Tempus erat, [g] quo verſa jugo referuntur aratra;
Et pronum ſaturæ lac bibit agnus ovis.
Fortè ſenex [h] Hyrieus anguſti cultor agelli
Hos videt, exiguam ſtabat ut antè caſam.

INTERPRETATIO.

Romulus aſſentitur, atque vocavit eam diem, quâ inferia mittuntur avis ſepultis Remuria. Littera aſpera, qua fuit prima in toto nomine mutata eſt in lenem longo ſpatio. Mox appellarunt quoque animas mortuorum Lemures. Is erat ſenſus vocis, ea ſignificatio verbi. Antiqui tamen operuerunt templa illis diebus, ut cernis nunc clauſa tempore ferali. Neque iidem dies idonei facibus vidua, neque puella: qua nupſit non fuit longæva. Propter hanc etiam rationem (ſi proverbia te movent) vulgus dicit protervas nubere menſe Majo. Verùm tamen hæc tria feſta ſunt ſub eodem tempore, nullo die juncta inter ſe. Quorum mediis ſi quæres Orionem Bœoton, deceptus eris. Origo ſyderis eſt dicenda à me. Jupiter, & frater qui habet imperium in mare vaſtum atque Mercurius unà iter faciebant. Tempus erat, quo aratra inverſa reportantur jugo, & agnus bibit lac fluens ovis plena. Fortè ſenex Hyrieus cultor tenuis agelli eos aſpicit, cum ſtaret ante exile tugurium.

NOTÆ.

[u] *Remuria*] A Remo *ſcil.* Quæ vera eſt nominis ratio.

[x] *Aſpera*] R *ſcil.* in lenem L mutata, ut ex *Remuria Lemuria* dicerentur.

[y] *Ferali*] Per feralia, de quibus in Februario.

[z] *Nec vidua*] Eadem propè vidimus in Februario.

[a] *Malas*] Quas deinde neceſſe ſit repudiare.

[b] *Nullo*] Primus quia dies, qui 7 Idus, ſecundus, qui 5 Idus, & tertius qui 3 Idus, hoc eſt, Maij 9, 11, & 13 ex veteri Calendario Lemuribus ſacri. Somnia huc congeſſit vetus Commentator.

[c] *Mediis*] 5 Idus in vet. Calendario Orion occidit.

[d] *Bœoton*] Orion quippe Thebanus.

[e] *Signi*] Orionis *ſcil.* pulcherrimi atque vaſtiſſimi ſyderis.

[f] *Qui regnat*] Neptunus adeòque.

[g] *Quo*] Veſpertinum igitur fuit.

[h] *Hyrieus* Quem alii regem faciunt.

Atque ita, Longa via est, nec tempora longa supersunt,
Dixit; & hospitibus janua nostra patet.
Addidit & [i] vultum verbis; iterúmque rogavit.
Parent promissis; dissimulántque Deos.
Tecta senis subeunt nigro deformia fumo:
Ignis in hesterno stipite parvus erat.
Ipse genu posito flammas exsuscitat aurâ,
Et promit quassas [k] comminuítque faces.
Stant [l] calices. minor inde fabas, olus alter habebant:
Et fumant [m] testu pressus uterque suo.
Dumque [n] mora est, tremulâ dat vina rubentia dextrâ,
Accipit æquoreus pocula prima Deus.
Quæ simul exhausit; Da nunc bibat ordine, dixit,
Jupiter. audito palluit ille Jove.
Ut rediit animus; [o] cultorem pauperis agri
Immolat, & magno torret in igne bovem.
Quæque puer [p] quondam primis diffuderat annis,
Prodit fumoso condita vina cado.
Nec mora: flumineam lino celantibus [q] ulvam,
Sic quoque non altis, discubuêre toris.
Nunc dape, nunc posito mensæ nituêre Lyæo.
Terra rubens [r] crater, pocula fagus erant.
Verba fuêre Jovis; Si quid fert impetus, opta:
Omne feres. placidi verba fuêre senis:

INTERPRETATIO.

Atque sic inquit, Iter est longum, neque longa tempora restant, & porta nostra aperta est peregrinis. Adjecit insuper faciem vocibus, & denuo oravit. Obsequuntur promissis, & dissimulant esse Deos. Intrant domum senis turpem atro fumo; exiguus ignis erat in trunco hesterno. Ipse excitat flammas vento genu flexo, atque profert tædas fractas, & comminuit. Vasa erant, ex quibus minus habebat fabas, alterum olera; atque utrumque fumans tectum suo testu. Et dum mora est, præbet vina rubra manu tremente. Deus marinus sumit prima pocula. Quæ statim atque bibit, Da, inquit, nunc Jupiter potet ordine. Ille palluit Jove audito. Postquam animus rediit, mactat cultorem tenuis arvi, atque assat juvencum in magno igne. Atque promit vina servata cado fumoso, quæ puer olim condiderat primâ ætate. Et sine cunctatione discubuerunt lectis tegentibus lino ulvam flumineam, sic etiam non sublimibus. Mensæ ornatæ sunt nunc epulis, nunc vino apposito. Cantharus erat terra rubra, pocula fagus. Dicta Jovis fuerunt, Si votum tuum aliquid expetit, vove: consequeris omnia. Voces lenis senis fuerunt.

NOTÆ.

[i] *Vultum*] Ex quo maximè animi voluntas intelligitur.

[k] *Comminuit*] Ut *scilic.* faciliùs ignem conciperent.

[l] *Calices*] Vasa esse hîc vides cibis excoquendis, non pocula.

[m] *Testu pr.*] Testis calices operti.

[n] *Mora ƒ.*] Donec apparatæ essent dapes illæ lautæ.

[o] *Cultorem*] Bovem ergo.

[p] *Quondam*] Ætate æstimasse vinum veteres, illudque quod infumatum, quid attinet dicere? omnes sciunt.

[q] *Ulvam*] Herba est palustris, ex quâ splendidi isti tori.

[r] *Crater*] Vas vinarium erat fictile.

Cara fuit conjux primæ mihi cura juventæ
Cognita. nunc ubi sit quæritis? [s]urna tegit.
Huic ego [t]juratus, vobis in verba vocatis,
Conjugio dixi sola fruère meo.
Et dixi, & servo, sed enim diversa voluntas
Est mihi: nec conjux & pater esse volo.
Annuerant omnes: omnes ad [u]terga juvenci
Constiterant. [x]pudor est ulteriora loqui.
Tum superinjectâ texère [y]madentia terrâ.
Jamque decem menses; & puer ortus erat.
Hunc Hyrieus, quia [z]sic genitus, vocat Uriona.
[a]Perdidit antiquum littera prima sonum.
Creverat immensum: comitem sibi [b]Delia sumsit.
Ille Deæ custos, ille [c]satelles erat.
Verba movent iras non circumspecta Deorum.
Quam nequeam, dixit, vincere, nulla fera est.
Scorpion immisit Tellus. fuit impetus illi
Curva [d]gemelliparæ [e]spicula ferre Deæ.
Obstitit Orion. Latona nitentibus astris
Addidit; &, Meriti præmia, dixit, habe.
[f]SEd quid & Orion, & cetera sidera mundo
Cedere festinant, noxque coarctat iter?

INTERPRETATIO.

Uxor dilecta fuit cognita à me, cura prima juventutis. Petitis ubi nunc sit? Urna tenet. Ego juratus, vobis citatis in voces meas; pollicitus sum, Fruêris sola consortio meo. Et dixi, & præsto; verùm enim est mihi contrarium desiderium: Nolo esse maritus, & cupio esse parens. Omnes faverant; omnes constiterant ad corium tauri. Vereor proferre cætera. Tum operuerunt madidum terrâ superstratâ. Jamque decem menses, & puer erat natus. Hyrieus appellat hunc Urionem, quia sic generatus. Littera prima amisit veterem sonum. Auctus erat immensùm; Delia cepit sibi comitem. Ille erat custos, & satelles Deæ. Voces imprudentes provocant iras Deorum. Nulla, inquit, fera est, quam non possim domare. Terra protulit Scorpionem. Ille nixus est infigere curvos aculeos Deæ gemellipara. Orion prohibuit. Latona affixit sideribus splendentibus; atque dixit, Obtine mercedem beneficii.

VErùm quamobrem & Orion, & reliqua astra properant excedere mundo, noxq; breviat iter?

NOTÆ.

[s] *Urna*] Quâ condita & sepulta est.

[t] *Juratus dixi*] Jurejurando promisi.

[u] *Terga juv.*] Corium bovis immolati.

[x] *Pudor*] Corio quippe Dii illi immixerũt.

[y] *Madentia*] Terga scil. juvenci.

[z] *Sic genitus*] Ex urinâ scil.

[a] *Perdidit*] Quia Orion dictus.

[b] *Delia*] Diana.

[c] *Satelles*] Quin & illi voluisse nubere Hyginus ex auctore quodam scripsit.

[d] *Gemellipara*] *Diana*, inquit Commentator, quæ nunquam peperit. Dormitabat. Latonæ dixeris, quæ Apollinem & Dianam uno partu edidit, atque Orionem defensorem, peremtũ tamen pro beneficio Astris addidit.

[e] *Spicula*] Annon & credas *sagittas hamatas* Scorpioni affixisse Commentatorem, qui spiculis & aculeis à naturâ instructum illud genus non meminerit? Rideas saltem.

[f] *Sed quid*] Ex re ipsâ, quia Orion occidit; tum insuper noctes hoc tempore breviores, Augusto assentandi Naso ingeniosè captat occasionem. In veteri verò Calendario 4 Idus Maias Ludi Marti in Circo assignantur: quare illa ut dies illucesceret quâ Augustus in foro à se structo templum Martis Ultoris consecravit, cessisse nocturna sidera, haud quaquã temerè Poëtã scripsisse dixeris.

Quid ſolito citiùs liquido [g] jubar æquore tollit
Candida [h] Lucifero præveniente dies?
Fallor? an arma [i] ſonant? non fallimur: arma ſonabant.
Mars venit; & veniens bellica ſigna dedit.
[k] Ultor ad ipſe ſuos cælo deſcendit honores,
Templáque in Auguſto conſpicienda Foro.
Et [l] Deus eſt ingens, & [m] opus. debebat in Urbe
Non aliter nati Mars habitare ſui.
Digna [n] Giganteis hæc ſunt delubra tropæis:
Hinc fera Gradivum bella movere [o] decet;
Seu quis ab Eoo nos impius orbe laceſſet;
Seu quis ab Occiduo Sole domandus erit.
Proſpicit [p] armipotens operis faſtigia ſummi:
Et probat invictos ſumma tenere [q] Deos.
Proſpicit in foribus diverſæ [r] tela figuræ,
Armáque terrarum milite victa ſuo.
Hinc videt Ænean oneratum pondere [s] ſacro;
Et tot Iülêæ nobilitatis [t] avos.
Hinc videt [u] Iliaden humeris ducis arma ferentem;
Claráque diſpoſitis acta [x] ſubeſſe viris.

INTERPRETATIO.

Quare dies ſplendida profert lumen ex mari fluido citiùs ſolito, Lucifero præcurrente? Decipior? an arma ſtrepunt? non decipimur: arma ſtrepebant. Mars adeſt; atque accedens fecit indicia bellica. Ipſe vindex deſcendit ad ſuos honores, atque delubra videnda in Auguſto foro. Et Deus eſt magnus, & ædificium. Mars non debebat aliter excipi in Urbe filii ſui. Hæc templa ſunt digna tropæis Gigantæis: convenit Gradivum hinc ciere ſæva bella; ſive aliquis impius nos ſolicitet à plagâ orientis; ſive aliquis erit ſubigendus à Sole cadente. Armipotens proſpicit culmina ſupremi operis, & amat Deos invictos habere ſuprema. Proſpicit in valvis tela variæ formæ, atque arma orbis ſuperata milite ſuo. Hinc cernit Æneam preſſum onere ſacro; & tot avos nobilitatis Iulêæ. Hinc cernit Iliaden ferentem humeris arma ducis, & nobilia facinora ſubjecta viris ordine digeſtis.

NOTÆ.

[g] *Jubar*] Ex ſolis ſplendore.

[h] *Lucifero*] Qui Solis ortum præcedit.

[i] *Sonant*] Propter Martis feſtum.

[k] *Ultor*] Huic templum ſumtuoſiſſimum in foro ſuo Auguſtus, ratione habitâ belli, quod patris ſui ulciſcendi causâ ſuſceperat, additis donariis, ædificavit.

[l] *Deus*] Mars.

[m] *Opus*] Templum.

[n] *Giganteis*] De gigantibus reportatis, quibus tacitè pares indicat Naſo qui adverſus Auguſtam domum inſurrexerant.

[o] *Decet*] Ad illud alludit quod ſanxerat Auguſtus, ut Provincias perituri cum imperio inde deducerentur. Adeas Suetonium in ejus vitâ.

[p] *Armipotens*] Martis ſignum in templi aditu, ante fores poſitum.

[q] *Deos*] Alii habent *Deas*.

[r] *Tela*] In illud enim Martis templum qui victores eſſent, ut triumphorum inſignia inferrent, Auguſtus ſanxerat.

[s] *Sacro*] Patris Anchiſæ, quem humeris geſtabat.

[t] *Avos*] Eorum ſtatuas, quas triumphali effigie in utrâque fori ſui porticu Auguſtus dedicavit.

[u] *Iliaden*] Romulum Iliâ matre ortum, qui Acronis Ceninenſium ducis à ſe victi arma, Jovi Feretrio opima ſpolia reportavit & conſecravit.

[x] *Subeſſe*] Singulis quippe imaginibus additus index ſeu titulus rerum præclarè geſtarum.

Spectat & Augusto [y] prætextum nomine templum,
Et visum lecto [z] Cæsare majus opus.
Voverat hoc juvenis tunc cùm [a] pia sustulit arma.
A tantis Princeps incipiendus erat.
Ille manus tendens, [b] hinc stanti milite justo,
Hinc [c] conjuratis, talia dicta dedit:
Si mihi bellandi [d] pater est, [e] Vestæque sacerdos
[f] Auctor; & ulcisci numen utrumque paro:
Mars, ades; & satia scelerato sanguine ferrum;
Stetque favor caussâ pro meliore tuus.
Templa feres, & me victore vocaberis Ultor.
Voverat; & fuso lætus ab hoste redit.
Nec satis est meruisse semel [g] cognomina Marti:
Persequitur [h] Parthâ signa retenta manu.
Gens fuit & [i] campis, & [k] equis, & tuta sagittis;
Et circumfusis invia [l] fluminibus.
Addiderant animos [m] Crassorum funera genti;
Cùm periit miles, [n] signáque, duxque simul.

INTERPRETATIO.

Videt quoque delubrum decoratum nomine Augusto; atque edificium splendidius Cesare lecto. Juvenis istud voverat tunc cùm movit pia arma. Princeps erat incipiendus à tantis. Ille porrigens manus, milite justo hinc stante, hinc conjuratis, protulit talia verba; Si Parens & Sacerdos Vesta est mihi auctor belli, atque institui ulcisci utrumque numen; Mars fave, atque exple ferrum sanguine scelesto, & tuus nutus faveat caussa æquiori. Obtinebis delubra, & me superiore appellaberis Ultor. Pollicitus erat, & repetiit domum lætus ab hoste victo. Neque satis est meruisse semel cognomina Marti: persequitur signa retenta manu Parthâ. Fuit natio secura & agrorum vastitate, & equis, & spiculis; atque inaccessa fluviis undique cingentibus! Clades Crassorum auxerat ferociam genti, cùm exercitus, atque signa, itemque imperator unà sublata sunt.

NOTÆ.

[y] *Prætextum*] Atque adeò tanti Principis nomine insignitum atque ornatum. *Prætextum* verò Latini dicunt quidquid ornatus gratiâ assutum.

[z] *Cæsare*] Ejus nomine.

[a] *Pia*] Pro patris ultione, ut suprà diximus.

[b] *Hinc*] Ab Augusti partibus *scil.*

[c] *Conjuratis*] Bruto Cassioque, itemque aliis, qui bello Philippico adversus Augustum steterunt.

[d] *Pater*] Julius Cæsar, qui Augustum adoptavit.

[e] *Vestæ sacerd.*] Idem Julius Pontifex maximus.

[f] *Auctor*] Causa ut hæc bella geram.

[g] *Cognomina*] Ut ultor diceretur: quem Bisultorem structo in Capitolio novo templo, voluit appellari.

[h] *Parthâ*] Parthi verò Crassiana clade rapta signa, Augusti nominis magnitudine permoti ultrò retulerunt.

[i] *Campis*] Patentibus, ubi cominus cum illis certare non dabatur. Verùm Dionem Cassium ne pigeat sumere hujus loci interpretem.

[k] *Equis*] Adversus Crassum quidem Parthorum circumfusi undique equitatus, in modum grandinis atque nimborum densa pariter tela fuderunt: ut testatur Florus.

[l] *Fluminibus*] Euphratem puta, Tigrim, aliaque.

[m] *Crassorum*] Patris *scil.* Consulis cujus quidem cupiditas, dum Parthico inhiat auro, undecim strage legionum & ipsius capite mulctata est; filiis insuper pænè in conspectu patris telis oppressi.

[n] *Signa*] Aquilæ præsertim.

Signa decus belli Parthus Romana tenebat ;
Romanæque aquilæ fignifer hostis erat.
Isque pudor mansisset adhuc, nisi fortibus armis
Cæsaris Ausoniæ protegerentur opes.
Ille [o] notas veteres, & longi dedecus ævi
Sustulit. agnorunt signa recepta suos.
Quid tibi nunc solitæ mitti [p] post terga sagittæ ;
Quid [q] loca, quid rapidi profuit usus equi ?
Parthe, refers aquilas : [r] victos quoque porrigis arcus.
Pignora jam nostri [s] nulla pudoris habes.
Rite Deo templúmque datum noménque [t] bis ulto :
Et meritus votis debita solvit honos.
Solemni [u] Ludos circo celebrate, Quirites :
Non visa est fortem scena decere Deum.
PLiadas adspicies omnes, totúmque sororum
Agmen, [x] ubi ante Idus nox erit una super.
Tum mihi [y] non dubiis auctoribus incipit æstas ;
Et tepidi finem tempora veris habent.
[z] IDibus ora prior stellantia tollere Taurum
Indicat : huic signo fabula nota subest.
Præbuit ut [a] taurus [b] Tyriæ sua terga puellæ
Jupiter, & falsâ cornua fronte tulit ;

INTERPRETATIO.

Parthus servabat signa Romana honorem belli ; atque hostis erat signifer Aquila Romana. Quin illud dedecus restaret adhuc, nisi robur Italum defenderetur validis armis Cæsaris. Ille delevit antiquum pudorem, & probrum protracti ævi : signa recepta agnoverunt suos. Cujus usus tibi fuerunt spicula solita fundi post terga ; quid locorum vastitas profuit, quid usus equi celeris? Parthe refers Aquilas : offers etiam arcus subditos : jam nulla tenes indicia nostri dedecoris. Delubrum atque nomen rite exhibitum Deo bis Ulto, & honor meritus persolvit debita votis. Quirites celebrate Ludos solemni Circo : scena non credita est decere potentem Deum.

CUm nox una restabit ante Idus, videbis omnes Pleiadas, & totum chorum sororum. Tum æstas mihi incipit certis auctoribus ; & spatium veris tepidi consequutum est finem.

PRior Idibus indicat Taurum efferre caput micans : fabula trita assignatur huic syderi. Postquam Jupiter Taurus obtulit sua terga virgini Tyriæ, & gestavit cornua capite ficto ;

NOTÆ.

[o] *Notas*] Igno miniam ex sublatis signis, deletoque exercitu.

[p] *Post terga*] Ille verò usus gentis.

[q] *Loca*] Inaccessa *scil.*

[r] *Victos*] Magis tamen Augusti gloriâ quàm armis ; cui præterea accedit Nasonis eloquentia.

[s] *Nulla*] Legiones tamen undecim ?

[t] *Bis ulto*] De conjuratis bello Philippico, tum de Parthis.

[u] *Ludos*] Qui Marti quotannis in Circo exhibentur, atque in Augusti gloriam redundant.

[x] *Ubi ante*] Tertio Idus Majas Pleiades oriuntur Heliacè.

[y] *Non dubiis*] Columellæ tamen incipit æstas Maij die nonâ, Ptolomæo decimâ quintâ.

[z] *Idibus prior*] Pridie Idus Tauri caput oritur ante Solis ortum.

[a] *Taurus Jupiter*] Jupiter Tauri specie tectus.

[b] *Tyria*] Europæ, Tyro Phœniciæ oriundæ ; cujus fabulam non semel repetivimus in superioribus.

Illa [c] jubam dextrâ, lævâ retinebat amictus;
Et timor ipse novi caussa decoris erat.
Aura sinus implet: flavos movet aura capillos.
[d] Sidoni, [e] sic fueras accipienda Jovi.
Sæpe puellares [f] subduxit ab æquore plantas;
Et metuit tactus assilientis aquæ:
Sæpe Deus prudens tergum demittit in undas;
Hæreat ut collo fortius illa suo.
Littoribus tactis stabat sine cornibus ullis
Jupiter: inque Deum de bove versus erat.
Taurus init cælum. te, Sidoni, Jupiter [g] implet:
Parsque tuum terræ [h] tertia nomen habet.
Hoc alii signum [i] Phariam dixêre juvencam;
Quæ bos ex homine est, ex bove facta Dea.
Tum quoque priscorum [k] virgo simulacra virorum
Mittere [l] roboreo [m] scirpea ponte solet.
[n] Corpora post decies senos qui credidit annos
[o] Missa neci; sceleris crimine damnat avos.

INTERPRETATIO.

illa retinebat jubam dextrâ, vestes sinistrâ; & ipse metus erat caussa nova pulcritudinis. Ventus inflat sinus: ventus agitat flavam comam. Sidoni ità fueras rapienda à Jove. Sæpe retraxit ex mari pedes virgineos; & reformidavit tactus aquæ incurrentis. Sæpe Deus deprimit dorsum in fluctus de industriâ, ut illa insistat validiùs collo suo. Jupiter erat sine ullis cornibus littoribus tactis; atque erat mutatus in Deum de Tauro. Taurus tollitur in cœlum: Jupiter te facit gravidam, Sidoni; & pars tertia terræ habet tuum nomen. Alii dixerunt hoc sydus esse vaccam Phariam, quæ est facta vacca ex homine, ex vaccâ mutata est in Deam. Tum etiam virgo solet dejicere ponte roboreo imagines scirpeas veterum virorum. Qui arbitratus est corpora interfecta post annos sexaginta, damnat majores crimine sceleris.

NOTÆ.

[c] *Jubam*] Tauri villos; ne in mare, quà à Jove in taurum deformato avecta est, decideret.

[d] *Sidoni*] Europam ipsam compellat, quam Sidoniam, propter Sidonis urbis cum Tyro vicinitatem, appellat.

[e] *Sic*] Eâ specie & formâ, quâ gratior fuisses.

[f] *Subduxit*] Dum mari à Jove auferretur.

[g] *Implet*] Unde & natus Minos rex Cretæ.

[h] *Tertia*] Europa *scil.* tertia quidem quo tempore Americæ nulla mentio.

[i] *Phariam*] *Ægyptiam*, à Pharo, Canopico olim Nili ostio objectâ insulâ, eo nomine dictam. Atque ea Io seu Isis est, Inachi filia, quam toties jam vidimus.

[k] *Virgo*] Vestalis, quæ tamen non sola, sed cæteris stipata, cumque his Pontificibus, Prætoribus aliisque mystis.

[l] *Roboreo*] Sublicium dixerunt, à sublicis seu tignis, quibus solis, sine ære aut ferro, suffultus, diu stetit.

[m] *Scirpea*] Ex scirpis Intextis antiquorum illorum simulacra fingebantur.

[n] *Corpora*] Moris antequam rationem reddat Naso, opinionem quandam falsam Majoribus injuriosam refutat: quanquam haud equidem scio num verè.

[o] *Missa neci*] Apud Scythas quosdam, itemque Americanos barbarum eum morem, quo sexagenarii exturbarentur invaluisse, multi tradiderunt.

Fama vetus ; tum cùm Saturnia [p] terra vocata est,
Talia fatidici dicta fuère [q] Dei :
[r] Falcifero libata seni duo corpora, [f] gentes,
Mittite ; quæ [t] Tuscis excipiantur aquis.
Donec in hæc venit [u] Tirynthius arva, quotannis
Tristia [x] Leucadio sacra peracta modo.
[y] Illum stramineos in aquam misisse [z] Quirites.
Herculis exemplo corpora falsa jaci.
Pars putat ut [a] ferrent juvenes suffragia soli,
Pontibus infirmos præcipitasse senes.
[b] Tybri, doce verum : tua ripa vetustior Urbe.
Principium ritûs tu bene nosse potes.
Tybris [c] arundiferum medio caput extulit alveo ;
Raucáque dimovit talibus ora sonis ;
[d] Hæc loca desertas vidi sine mœnibus herbas ;
Pascebat sparsos utraque ripa boves.
Et quem nunc gentes Tyberin norúntque timéntque,
Tunc etiam pecori despiciendus eram.

INTERPRETATIO.

Fama antiqua ; tum cùm terra appellata est Saturnia, talia fuêrunt verba Dei fatidici ; Gentes offerte seni falcifero duo corpora libata, quæ excipiantur aquis Tuscis. Lugubria sacra quotannis perfecta ritu Leucadio, donec Tirynthius appulit his agris : Illum impulisse Romanos stramineos in aquam : exemplo Herculis corpora ficta deturbari. Pars credit juvenes devolvisse pontibus senes invalidos, ut soli ferrent suffragia. Tibri indica veritatem: tua ripa antiquior Urbe : tu potes bene nosse initium moris. Tybris sustulit caput arundiferum mediâ fossâ, atque aperuit rauca ora hujusmodi vocibus ; Aspexi hæc loca gramina sola sine muris : utraque ripa pascebat juvencos errantes : & quem nationes norunt & metuunt jam, eram tunc Tyberis contemnendus etiam pecori.

NOTÆ.

[p] *Terra*] Italia *scil.* quæ à Saturno Saturnia dicta.

[q] *Dei*] Apollinis Dodonæi, ut ex Macrobio atque Lactantio indicavit clariss. Heinsius. Græcos verius retulit Neapolis, quos tamen refert bere tanti non duxi.

[r] *Falcifero*] Saturno adeòque, cujus falx insigne est.

[f] *Gentes*] Ad Aborigenes istud spectat, qui primi Italiam reg. ante Saturno tenuerunt.

[t] *Tuscis*] Fluvii Tiberini ex Thuscia defluentis.

[u] *Tirynthius*] Hercules est, à Tyrintho Bœotiæ oppido.

[x] *Leucadio*] Apollini *scil.* qui in Leucate Ionii maris insulâ contra Epirum templum habuit. Leucadiis autem mos patrius fuit, ut Strabo refert, ut in Apollinis sacrificio quotannis fontem aliquem, avertendæ Deorum iræ causâ, è montis speculâ dejicerent.

[y] *Illum*] Herculem *scil.*

[z] *Quirites*] Per anticipationem Romanos eo appellat nomine, quorum posteri denique sic dicti.

[a] *Ferrent suff.*] Adeòque & soli, sine omni senum repugnantiâ, imperarent.

[b] *Tybri*] Tiberinum fluvium, aut ejus deum, totius rei conscium, invocat, à quo doceatur.

[c] *Arundif.*] Arundine, de more, coronatum.

[d] *Hæc loca*] Vide an non ista ex intimo antiqui œvi ingenio fluant. Ipsum quidem ego videor audire.

Arcadis Evandri nomen tibi [c] sæpe refertur:
Ille meas remis advena torsit aquas.
Venit & [f] Alcides turbâ comitatus Achivâ.
[g] Albula, si memini, tunc mihi nomen erat.
Excipit hospitio [h] juvenem [i] Pallantius heros:
Et tandem [k] Caco debita pœna venit.
[l] Victor abit, secúmque boves [m] Erytheïda prædam
Abstrahit. at comites [n] longiùs ire negant.
Magnáque pars horum desertis venerat [o] Argis:
Montibus [p] his ponunt spémque Larémque suum.
Sæpe tamen patriæ dulci [q] tanguntur amore;
Atque aliquis moriens hoc breve [r] mandat opus:
Mittite me Tyberi: Tyberinis vectus ut undis
Litus ad [s] Inachium pulvis inanis eam.
[t] Displicet hæredi mandati cura sepulchri:
Mortuus Ausoniâ conditur [u] hospes humo.
Scirpea pro domino Tyberi jactatur imago,
[x] Ut repetat Grajas per freta longa domos.

INTERPRETATIO.

Nomen Evandri Arcadis sæpe tibi repetitur: ille hospes agitavit meas aquas remis. Alcides quoque accessit stipatus agmine Græco. Si recordor, Albula erat tunc mihi nomen. Heros Pallantius excipit hospitio juvenem; atque denique supplicium debitum obtigit Caco: Victor discedit, & abducit secum boves prædam Erytheïda: at socii recusant ulteriùs procedere. Magnaque pars horum venerat Argis relictis: constituunt his collibus & spem suam & domum. Sæpe tamen moventur grato desiderio patriæ; atque aliquis obiens imperat hoc breve opus. Jacite me in Tyberim, ut latus fluctibus Tyberinis veniam pulvis vacuus ad littus Inachium. Cura sepulcri jussi ingrata est hæredi; peregrinus fato functus tumulatur in terrâ Italâ. Simulacrum scirpeum mittitur in Tiberim pro domino, ut redeat in sedes Græcas per vasta maria.

NOTÆ.

[c] *Sæpe*] Atque adeò eum hominem nosse debes, ne labor sit Deo inculcare.

[f] *Alcides*] Hercules; cujus etiam in Italiam adventum suprà vidimus.

[g] *Albula*] Ab aquarum, aut certè limi seu sabuli colore.

[h] *Juvenem*] Herculem.

[i] *Pallantius*] Evander à Pallante proavo, vel Pallantio Arcadiæ oppido, unde profectus, eo nomine appellatus.

[k] *Caco*] Famosissimo latroni, quem sustulisse Herculem ob surreptos boves sæpius diximus.

[l] *Victor*] Hercules.

[m] *Erith.*] Boves *scil.* ex Erytheâ insulâ ad Gades Geryoni ablatas in Italiâ non reliquit discedens Hercules.

[n] *Longiùs*] Remanserunt adeòque in Latio.

[o] *Argis*] Peloponnesi urbe, ex quâ etiam Antorem Herculis comitem missum, qui postea hæsit Evandro, testatur Virgil. *Æneid.* 10.

[p] *His*] Latii, ubi postea Roma fuit.

[q] *Tanguntur*] Græci *scilicet*, qui alienâ in terrâ situm, ineptè, mortuum credebant.

[r] *Mandat*] Hæredibus præscribit.

[s] *Inachium*] Fluvii Inachi, quem Argivi patrium habuerunt.

[t] *Displicet*] Quia mortuorum cineres sic temerè nolebant spargere.

[u] *Hospes*] Argivus, quisquis, patriæ amore, in Tyberim mittendos suos cineres hæredi mandasset.

[x] *Ut repetat*] Digna verò hæc narratio prisco Deo.

Hactenus : ut vivo subiit rorantia saxo
Antra, leves cursum [y] sustinuistis aquæ.

CLare [z] nepos Atlantis, ades: quem montibus olim
Edidit Arcadiis Pleïas [a] una Jovi.
Pacis & armorum [b] Superis imisque Deorum
Arbiter, alato qui pede carpis iter:
[c] Læte lyræ pulsu, [d] nitidâ quoque læte palæstrâ;
Quo didicit culte lingua favente loqui.
Templa tibi posuêre Patres spectantia [e] Circum
Idibus. ex illo est hæc tibi festa dies.
Te, quicunque suas profitetur vendere merces,
Thure dato, tribuas ut sibi lucra, rogat.
Est [f] aqua Mercurii portæ vicina Capenæ:
Si juvat expertis credere; numen habet.
Huc venit [g] incinctus tunicas mercator; & urna
Purus [h] suffita, quam ferat, haurit aquam.
Uda fit [i] hinc laurus: lauro sparguntur ab uda
Omnia, quæ dominos [k] sunt habitura novos.
Spargit & ipse suos lauro rorante capillos:
Et peragit [l] solitâ fallere voce preces.
Ablue præteriti perjuria temporis, inquit.
Ablue præteritâ perfida verba die.

INTERPRETATIO.

Hactenus loquutus Tyberis: *postquam intravit speluncas madidas ex saxo vivo, aquæ leves repressistis fluxum.*

ILlustris nepos Atlantis, quem Pleias una peperit quondam Jovi in collibus Arcadicis, ades: qui nuncius pacis atque armorum Diis superis & inferis, iter facis pede alato; hilaris pulsu lyræ, hilaris etiam splendidâ palæstrâ, quo propitio lingua didicit ornatè loqui. Idibus Patres condiderunt tibi ædem spectantem Circum: ex eo tempore *hæc dies est tibi festa. Quisquis profitetur vendere sua mercimonia orat thure oblato, ut procures sibi quæstum. Est aqua Mercurii juncta portæ Capenæ: si conducit fidem habere expertis, habet numen. Mercator habens tunicas cinctas huc accedit, & purus promit urnâ suffitâ aquam exportandam. Laurus fit hinc madida: omnia quæ sunt habitura dominos novos irrigantur à lauro madidâ. Ipse quoque irrorat crines suos lauro stillante, & absolvit preces voce assuetâ decipere. Purga, inquit, perjuria temporis anteacti; purga dicta perfida diei præterita.*

NOTÆ.

[y] *Sustinuistis*] Honoris & reverentiæ caussâ *scilicet.*

[z] *Nepos Atl.*] Mercurium, de ejus festis acturus alloquitur Naso.

[a] *Una*] Maja *scil.*

[b] *Super*] —— *Superis Deorum*
Gratus & imis dixit Horat.

[c] *Læte*] Quia ejus dicitur inventor.

[d] *Nitida*] Quia oleo perungebantur luctaturi.

[e] *Circum*] Maximum quidem.

[f] *Aqua Mercurii*] Eâ populus qui negotio & quæstui operam dabat Maii Idibus lustrabatur.

[g] *Incinctus*] Pro veteri mercatorum habitu, qui ex cingulo marsupium auri monetalis ferebant.

[h] *Suffita*] Suffitu purgatâ.

[i] *Hinc*] Ex hâc aquâ.

[k] *Sunt habit.*] Atque adeò quæ mercatores habent venalia.

[l] *Solitâ fall.*] Ad imitationem *scil.* Mercurii, qui furum quoque Deus.

Sive ego te feci testem, falsòve citavi
Non audituri numina magna Jovis;
Sive Deum prudens alium Divámve fefelli;
Abstulerint celeres improba dicta Noti.
Et [m] pateant veniente die perjuria nobis:
Nec curent Superi, si qua locutus ero.
[n] Da modò lucra mihi, da facto gaudia lucro:
Et face ut emtori verba dedisse juvet.
Talia Mercurius [o] poscentem ridet ab alto;
Se memor [p] Ortygias surripuisse boves.
AT mihi pande, precor, tantò [q] meliora petenti,
In [r] Geminos ex quo tempore Phœbus eat.
Cùm totidem de mense dies superesse videbis;
[s] Quot sunt Herculei facta laboris, ait.
Dic, ego respondi, caussam mihi sideris [t] hujus.
Caussam [u] facundo prodidit ore Deus.
Abstulerant raptas Phœben Phœbésque [x] sororem
[y] Tyndaridæ fratres, [z] hic eques, [a] ille pugil.
Bella parant, repetúntque [b] suas & [c] frater & Idas;
Leucippo fieri pactus uterque gener.

INTERPRETATIO.

Seu ego te adhibui testem, vel appellavi falsò magna numina Jovis non audituris, seu sciens imposui Deo cuipiam aut Deæ. Austri leves abripuerint voces scelestas. Atque perjuria nobis sint concessa tempore futuro, neque Dii moveantur si qua protulero. Tribue tantùm mihi quæstum, tribue gaudia quæstui parato, & facito ut bene vertat fefellisse emtorem. Mercurius non oblitus se suffuratum esse vaccas Ortygias ridet ab alto orantem talia.

AT doce me, quæso, orantem tantò æquiora, ex quo tempore Phœbus transeat in Geminos. Cùm, inquit, intelliges, totidem dies restare de mense, quot sunt acta laboris Herculei. Ego reposui, aperi caussam hujus syderis. Deus aperuit caussam ore diserto. Fratres Tyndaridæ, alter eques, alter pugil, rapuerant Phœben & sororem Phœbes sublatas. Idas atque frater, uterque gener promissus Leucippo movent bella, atque reposcunt suas.

NOTÆ.

[m] *Pateant*] Optimè. O hujusmodi lepidos Deos, si quos hodie terra habeat, quàm veros cultores nanciscerentur! At enim conscio nemine meliùs ac hæc res augetur.

[n] *Da modò*] Similem habes viri boni orationem ad Lavernam apud Horatium.

[o] *Poscentem*] Aut ejus scelus, quod ulcisci minimè curat.

[p] *Ortygias*] Admeti, quarum Apollo Deus Ortygius seu Delius custos erat. Fabula notissima.

[q] *Meliora*] Quàm petant *scilic.* mercatores.

[r] *Geminos*] Quod sydus, relicto Tauro, Sol ingreditur.

[s] *Quot*] Duodecim siquidem Herculei labores, 14 ergo Calendas Junias, seu Maij 19 die Mercurio seu Nasoni Sol in Geminis.

[t] *Hujus*] Geminorum *scil.*

[u] *Facundo*] Qui & alios cultè loqui docet facundus fuerit *scilic.* Quanquam hodie non valeret consequentia.

[x] *Sororem*] Phœben adeòque & Elairam Leucippi filias.

[y] *Tyndaridæ*] Castor & Pollux; de quibus toties.

[z] *Hic*] Castor.

[a] *Ille*] Pollux.

[b] *Suas*] Namque illis desponsatæ.

[c] *Frater*] Lynceus.

His amor, ut repetant, illis, ut reddere nolint,
Suadet: & ex caussâ pugnat uterque pari.
Effugere [d] Oebalidæ cursu potuêre sequentes:
Sed visum celeri vincere turpe fugâ.
Liber ab arboribus locus est, apta area pugnæ.
Constiterant illic: nomen [e] Aphidna loco.
Pectora trajectus Lyncêo Castor ab ense
Non exspectato vulnere pressit humum.
Ultor adest Pollux; & Lyncea perforat hastâ,
Qua cervix humeros continuata premit.
Ibat in hunc Idas, vixque est Jovis igne repulsus:
Tela tamen dextræ fulmine [f] rapta negant.
Jamque tibi, Pollux, cælum sublime patebat;
Cùm, Mea, dixisti, percipe verba pater.
Quod mihi das uni, cælum partire duobus:
Dimidium toto munere majus erit.
Dixit, & [g] alternâ fratrem statione redemit:
[h] Utile sollicitæ sidus uterque rati.
Ad Janum redeat, qui quærit [i] Agonia quid sint:
Quæ tamen in Fastis hoc quoque tempus habent.
Nocte [k] sequente diem canis [l] Erigoneïus exit.
Est alio signi reddita caussa loco.

INTERPRETATIO.

Amor impellit hos, ut reposcant, illos, ut nolint restituere; atque uterque certat ex caussâ simili. Oebalidæ potuerunt evitare fugâ persequentes: sed visum indecorum vincere levi fugâ. Locus est vacuus arboribus, Aphidna est nomen loco, planities idonea certamini: illic constiterant. Castor habens transfixum pectus à gladio Lyncei afflictus est humi vulnere non exspectato. Pollux vindex adest, & transfodit Lynceum hastâ, quâ parte cervix producta adhæret humeris. Idas ferebatur in hunc, vixque est prohibitus igne Jovis: dicunt tela non tamen excidisse manu per fulmen. Jamque, Pollux, cælum excelsum tibi apertum erat, cùm dixisti, Genitor, audi voces meas. Divide inter duos cœlum quod tribuit mihi soli: dimidium erit majus toto munere. Dixit, atque redemit germanum statione alternâ. Uterque sunt stella propitia nautis anxiis. Qui petit, quid sint Agonia, quæ tamen obtinent etiam hoc tempus in Fastis, revertatur ad Janum. Nocte sequente diem Canis Erigoneius prodit. Ratio sideris est assignata alio loco.

NOTÆ.

[d] *Oebalidæ*] Castor & Pollux Oebaliâ seu Laconiâ oriundi.

[e] *Aphidna*] In Laconiâ Aphidnas quoque ponit Stephanus; quanquam alii ad Apharei tumulum commissam fuisse hanc pugnam asseverant; Apollodorus in Messenio-rum tractu contendit.

[f] *Rapta*] Pertinaciter moriens retinuit.

[g] *Alternâ*] Quâ, alternis diebus cœlo frueretur qui ab Lynceo Castor interfectus fuerat.

[h] *Utile*] Ea quæ ad sidus pertinent, sicut & alii Poëtæ, cum fatuis illis ignibus confundit, quos, si duo apparent, nautæ etiam hodierni boni ominis esse arbitrantur.

[i] *Agonia*] 12 Calend. Junias Agonalia iterabantur; de quibus in Januario.

[k] *Sequente*] 11 Calendas.

[l] *Erigoneius*] Cujus operâ Erigone patris interfecti cadaver invenit; ut dictum suprà.

[m] PRoxima Vulcani lux es; Tubilustria dicunt.
Lustrantur puræ, quas [n] facit ille, tubæ.
QUatuor [o] inde [p] notis locus est; quibus ordine lectis
[q] Vel mos sacrorum; vel Fuga Regis inest.
NEc te prætereo, populi Fortuna potentis
Publica; cui templum luce [r] sequente datum.
Hanc ubi dives aquis acceperit [s] Amphitrite;
[t] Grata Jovi fulvæ rostra [u] videbis avis.
[x] AUferat ex oculis [y] veniens Aurora Booten:
[z] Continuâque die [a] sidus Hyantis erit.

INTERPRETATIO.

Dies sequens spectat ad Vulcanum; vocant Tubilustria. Pura tuba quas ille fabricat lustrantur.

INde locus est quatuor notis, quibus lectis ordine, vel ritus sacrorũ, vel fuga Regis inest.

NEque te omitto, Publica fortuna fortis Populi, cui delubrum attributum die sequente. Postquam Amphitrite potens aquis acceperit hanc, cernes rostra alitis fulva cara Jovi.

SEquens Aurora tollat ab oculis Booten; atque die proximâ signum Hyantis apparebit.

NOTÆ.

[m] *Proxima*] 10 Calendas Tubilustrium, quo die sacrorum tubæ lustrabantur, ut docet Varro.

[n] *Facit*] Quia fabrorum Deus, qui igne utuntur.

[o] *Inde*] 9 igitur Calendas.

[p] *Notis*] Hæ sunt Q. R. C. F. hoc est, ut interpretantur, *Quando Rex Comitio fugit.* Sciendum enim, Regi sacrorum neque Magistratum gerere, neque verba ad populum habere fas unquam fuisse. Ideirco, nisi hoc die, illi in comitium ire non licebat, atque id quidem sacrificii caussâ, quo perfecto, continuò sese fugâ inde proripiebat.

[q] *Vel mos*] Utramque, & sacrorum morem, & regis fugam significari non dubitaveris, postquam eorum refricueris memoriam quæ de Tarquiniorum fugâ in præcedentibus habuimus.

[r] *Sequente*] 8 Calendas.

[s] *Amphitrite*] Neptuni conjux, quæ & sidera, & dies dicitur, excipere cùm occidunt.

[t] *Grata*] Propter Ganymeden raptum præsertim.

[u] *Videbis*] Quia oritur Aquila vesperi.

[x] *Auferat*] Quia occidit heliacè.

[y] *Veniens*] 7 ergo Calendas Junias occidit Bootes seu Arctophylax.

[z] *Continuâ*] Sexto adeòque Calendas.

[a] *Sydus*] Hyades oriuntur heliacè; quæ *Hyantis sydus* ideò dicuntur, quòd Atlantis olim filiæ, dum fratris Hyantis ab apro aut leone occisi lugent mortem, in cœlum sunt relatæ. De iis verò jam sæpius.

FASTORUM
LIBER VI.

Hic quoque mensis habet dubias in nomine caussas :
Quæ placeant, positis omnibus, ipse leges.
Facta canam ; sed erunt qui me finxisse loquantur :
Nulláque mortali numina visa putent.
Est [a] Deus in nobis : agitante calescimus illo.
[b] Impetus hic [c] sacræ semina mentis habet.
Fas mihi præcipuè vultus vidisse Deorum :
Vel quia sum vates ; vel quia sacra cano.
[d] Est nemus arboribus densum, secretus ab omni
Voce locus ; si non obstreperetur aquis.
Hîc ego quærebam cœpti quæ mensis origo
Esset, & in curâ nominis hujus eram.
Ecce Deas vidi : non quas [e] præceptor arandi
Viderat ; [f] Ascræas cùm sequeretur oves.
Nec quas [g] Priamides in aquosæ vallibus Idæ
Contulit. ex illis sed tamen una fuit.
Ex illis fuit una, [h] sui germana mariti.
Hæc erat, agnovi, quæ stat in arce Jovis.

INTERPRETATIO.

Hic mensis habet etiam caussas incertas nominis : ipse eliges quæ arrideant, omnibus allatis. Cantabo quæ acta sunt ; verùm non deerunt, qui dicant me excogitasse, atque arbitrentur nullos Deos visos ab hominibus. Deus est in nobis ; vivimus illo movente. Hic furor habet scintillas sacræ mentis. Fas mihi præsertim intuitum esse faciem Deorum, vel quia sum Poëta, vel quia canto sacra. Est sylva spissa arboribus, locus sepositus ab omni sono, nisi turbaretur silentium ab aquis. Ego hîc meditabar quæ esset ratio mensis incœpti, & eram sollicitus de isto nomine. Ecce vidi Deas, non quas præceptor arandi viderat, cùm ageret pecudes Ascræas. Nec quas Priamides comparavit in vallibus Idæ aquosæ : sed tamen una fuit ex illis. Fuit una ex illis soror sui mariti : hæc erat, agnovi, quæ manet in arce Jovis.

NOTÆ.

[a] *Deus*] Instinctus quidam divinus.
[b] *Impetus*] Poëtarum furor.
[c] *Sacræ*] Divinæ.
[d] *Est nemus*] Locum describit quò ad scribendum secesserat.
[e] *Præceptor ar.*] Hesiodus est, qui de Re rusticâ librum scripsit, quem *Opera & Dies* appellavit.
[f] *Ascræas*] Quas ad Heliconem ex Bœotiæ vico Ascrâ pascebat, cùm a Musis captus dicitur.
[g] *Priamides*] Paris Priami filius, qui quidem de quibus deabus in Idâ monte tulerit judicium neminem latet.
[h] *Sui germ.*] Adeòque Juno.

Horrueram

Horrueram, tacitóque [i] animum pallore fatebar.
Cùm Dea, quos fecit, sustulit ipsa metus :
Namque, ait, O vates Romani conditor anni,
Ause per exiguos magna referre modos ;
Jus tibi fecisti numen cæleste videndi,
Cùm placuit numeris condere festa tuis.
Ne tamen ignores, vulgíque errore traharis ;
Junius [k] à nostro nomine nomen habet.
Est aliquid nupsisse Jovi, Jovis esse sororem.
Fratre magis, dubito, glorier, anne viro.
Si genus adspicitur ; Saturnum prima parentem.
Feci. Saturni sors ego prima fui.
A patre dicta meo quondam Saturnia Roma est :
Hæc illi à cælo [l] proxima terra fuit.
Si torus in pretio est ; dicor matrona Tonantis :
Junctáque [m] Tarpeio sunt mea templa Jovi.
An potuit Majo [n] pellex dare nomina mensi ?
Hic honor in nobis invidiosus erit ?
Cur igitur Regina vocor, Princepsque Dearum ?
Aurea cur dextræ sceptra dedere meæ ?
An faciant mensem luces, Lucináque ab [o] illis
Dicar ; & à nullo nomina mense traham ?
Tum Me pœniteat [p] posuisse fideliter iras
In [q] genus Electræ, Dardaniámque domum.

INTERPRETATIO.

Horrueram, & prodebam animum pallore tacito ; cùm Dea ipsa compesuit pavorem, quem creaverat : namque dicit, O poëta constituter anni Romani, non verite memorare magna per modos tenues, parasti tibi jus cernendi numen cæleste, cùm instituisti componere festa versibus tuis. Ne tamen nescias, atque ducaris errore plebis, Junius habet nomen à nostro nomine. Est aliquid nupsisse Jovi, esse germanam Jovis. Haud scio efferarne magìs germano an marito. Si soboles æstimatur, prima feci Saturnum genitorem : ego fui prima sors Saturni. Roma dicta est olim Saturnia à parente meo : Hæc terra fuit illi proxima à cœlo. Si lectus est in pretio, perhibeor uxor Tonantis : & mea delubra sunt proxima Jovi Tarpeio. An adultera potuit imponere nomen mensi Majo ? Hæc gloria erit nobis invidiosa? Quamobrem ergo feror Regina & prima Dearum: Quamobrem adhibuerunt sceptra dextræ meæ? Anne luces faciant mensem, atque vocer Lucina ab illis, & à nullo mense ducam nomina ? Tum me pœniteat sedasse fideliter iras in sobolem Electræ, & genus Dardanium.

NOTÆ.

[i] *Animum*] Animi metum.

[k] *A nostro*] Atque adeò *Junius* quasi *Junonius* dictus.

[l] *Proxima*] Namque, relicto cœlo, hanc ille terram, incoluit.

[m] *Tarpeio*] Qui in rupe Tarpeiâ seu Capitolio templum habuit, Junonis & Minervæ junctum.

[n] *Pellex*] Maïa *scil.*

[o] *Illis*] Lucibus *scil.* in quas & homines dicitur introducere.

[p] *Posuisse*] Cùm jure posset irasci, caussis quas subjicict.

[q] *Genus Elect.*] Trojanos, atque adeò Romanos qui ab Electrâ Dardani matre progeniti.

Caussa duplex iræ. rapto [r] Ganymede dolebam:
Forma quoque [s] Idæo judice victa mea est.
[t] Pœniteat, quòd [u] non foveo Carthaginis arces:
Cùm mea [x] sint illo currus & arma loco.
Pœniteat [y] Sparten, Argósque, meásque Mycenas,
Et veterem Latio supposuisse [z] Samon.
Adde senem [a] Tatium, Junonicolásque [b] Faliscos;
Quos ego Romanis succubuisse tuli.
Sed neque pœniteat: nec gens mihi carior ulla est.
Hîc colat, hîc teneam cum Jove templa meo.
Ipse mihi Mavors, Commendo mœnia, dixit,
Hæc tibi: tu pollens Urbe nepotis eris.
Dicta fides sequitur. [c] centum celebramur in aris:
Nec levior quovis est mihi mensis honor.
Nec tamen [d] hunc nobis tantummodò præstat honorem
Roma: suburbani dant mihi munus idem.
Inspice, quos habeat [e] nemoralis Aricia Fastos,
Et populus [f] Laurens, [g] Lanuviúmque meum:

INTERPRETATIO.

Ratio duplex iræ. Dolebam Ganymede sublato: Pulcritudo etiam mea superata est judice Idæo. Pœniteat quod non tueor arces Carthaginis; cùm currus & arma mea sint in ille loco. Pigeat submisisse Latio Sparten, & Argos, & meas Mycenas, & antiquam Samon. Adjice senem Tatium, & Faliscos Junonicolas, quos ego passa sum subjici Romanis. Verùm neque pigeat: neque ulla natio mihi amabilior. Hic celebrer, hic habeam delubra cum Jove meo. Mars ipse dixit mihi, Commendo tibi hos muros: tu eris potens in Urbe nepotis. Fides promissa rata est: colimur in centum altaribus neque gloria mensis est mihi minor quâvis aliâ. Neque tamen Roma sola nobis præbet hunc honorem: suburbani mihi præstant idem munus. Vide quos Fastos habeat Aricia nemoralis, & populus Laurens, atque meum Lanuvium.

NOTÆ.

[r] *Ganymede*] Qui Trois formosissimus puer Junonis toro erat exitialis.

[s] *Idæo*] Paride *scil.* qui in Idâ monte Veneris formam Junonis atque Minervæ formæ præposuit.

[t] *Pœniteat*] Siquidem nullam Junonis habeant rationem Romani, atque mensis honorem illi invideant.

[u] *Non foveo*] Atqui ad extremum fovit. Exquire modò à Marone.

[x] *Sint*] Istud quidem testatur quoque apud eundem Maronem.

[y] *Sparten*] Tres habuit istas carissimas, Sparten in Laconiâ Argos atque Mycenas in Argolide, in quibus religiosissime Juno colebatur.

[z] *Samon*] Illam intellige quæ in mari Icario, ubi nata Juno creditur, Poëtarum sententiâ.

[a] *Tatium*] Regem Sabinorum Junonis cultorem unà cum suis.

[b] *Faliscos*] Quos Hetruriæ populos toties jam vidimus.

[c] *Centum*] Plurimis saltem; namque illi diversis sub nominibus Caprotinæ, Jugæ, Juliæ, Lucinæ, Matutæ, Martialis, Monetæ, Reginæ, Sororiæ, Sospitæ, aliorum insuper quæ aliquot adhuc me fugiunt, templa, fana, ædes, ædiculæ, aræ per totam Urbem fuerunt positæ.

[d] *Hunc*] Mensis *scil.*

[e] *Nemoralis*] Propter nemus Dianæ. Sed de Aricia ejusque mysteriis actum suprà.

[f] *Laurens*] Laurenti oppidi, quod Latini fuit regia.

[g] *Lanuvium*] Hic ædes lucusque fuit Junoni sacer summæ religionis, quo Romani afflictâ Republicâ solebant confugere. Vide Livium lib. 22.

Est illic mensis Junonius. inspice Tibur,
Et [h] Prænestinæ mœnia sacra Deæ:
Junonale leges [i] tempus [k] nec Romulus illas
Condidit: at nostri Roma nepotis erat.
Finierat Juno. respeximus. [l] Herculis uxor
Stabat; & in vultu signa dolentis erant.
[m] Non ego, si toto mater me cedere cælo
Jusserit, invitâ matre morabor, ait.
Nunc quoque non luctor de nomine temporis hujus.
Blandior; & partes pæne rogantis ago.
Remque mei juris malim tenuisse precando;
Et faveas caussæ forsitan [n] ipse meæ.
Aurea possedit [o] socio Capitolia templo
Mater, & ut debet, cum Jove summa tenet.
[p] At decus omne mihi contingit origine mensis.
Unicus est, de quo sollicitamur, honor.
Quid grave, si titulum mensis, Romane, dedistis
Herculis uxori, posteritásque memor?
Hæc quoque terra aliquid debet mihi nomine magni
Conjugis. huc captas [q] appulit ille boves.
Hic male defensus flammis & dote [r] paternâ
Cacus Aventinam sanguine tinxit humum.

INTERPRETATIO.

Est illic mensis Junonius. Inspice Tibur, atque sacros muros Deæ Prænestinæ: videbis tempus Junonale. Neque Romulus illas statuit: at Roma erat nostri nepotis. Juno absolverat: Respeximus: conjux Herculis aderat, & indicia dolentis erant in facie. Ego, inquit, si genitrix imperaverit egredi toto cælo, non manebo genitrice nolente. Nunc etiam non contendo de nomine hujus temporis. Assentior, & ferè tueor partes orantis. Atque prætulerim obtinuisse orando rem mei juris: forsitan quoque ipse stes pro causâ meâ. Genitrix obtinuit aurea Capitolia templo conjuncto, & habet summa, cum Jove, ut par est. At omnis honos mihi tribuitur origine mensis: laus, de quâ lis mihi movetur, est sola. Quid molestum, Romane, atque posteri memores si tribuistis gloriam mensis conjugi Herculis? Hæc etiam tellus mihi debet aliquid nomine clari mariti: ille huc adduxit vaccas abactas. Cacus malè protectus igne & munere paterno hic infecit solum Aventinum sanguine.

NOTÆ.

[h] *Prænest.*] Præneste oppidum, ubi fortunæ templum oraculis suis celebre.

[i] *Tempus*] Mensem Junoni sacrum.

[k] *Nec Rom.*] Quasi dicat multò potiori jure sibi à Romulo nepote mensis honorem deberi.

[l] *Herculis ux.*] Hebe ergo seu Juventas Junonis filia.

[m] *Non ego*] Tam blandæ voces aliud quid post se trahent.

[n] *Ipse*] Poëtam alloquitur Hebe: atque ità sequentia postulant. Alii tamen habent *ipsa*, ut ad Junonem oratio dirigatur.

[o] *Socio*] Cum Jovis atque Minervæ fuisse Junonis templum in Capitolio modò diximus.

[p] *At decus*] Optimam hanc rationem vix diluat æqua mater.

[q] *Appulit*] Atque insuper quasdam, vocatis etiam ad epulas sacras principibus ejus temporis, immolavit.

[r] *Paternâ*] Vulcani *scil.*

Ad [f] propiora vocor. populum digeſſit ab annis
 Romulus, in partes diſtribuítque [t] duas.
Hæc dare conſilium, pugnare paratior illa eſt:
 Hæc ætas bellum ſuadet, at illa gerit.
Sic ſtatuit, menſéſque notâ ſecrevit eâdem.
 Junius eſt juvenum; [u] qui fuit antè, ſenum.
Dixit: & in litem ſtudio certaminis [x] iſſent;
 Atque irâ pietas diſſimulata foret.
Venit Apollineâ longas Concordia lauro
 Nexa comas, placidi numen opúſque [y] Ducis.
Hæc ubi narravit Tatium, fortémque Quirinum,
 [z] Bináque cum populis regna coîſſe ſuis;
Et Lare communi ſoceros generóſque receptos;
 [a] His nomen junctis Junius, inquit, habet.
Dicta triplex cauſſa eſt. at vos ignoſcite, Divæ:
 Res eſt arbitrio non dirimenda meo.
Ite pares à me. perierunt [b] judice formæ
 Pergama: [c] plus lædunt, quàm juvat una, duæ.
PRima dies tibi, [d] Carna, datur. Dea cardinis hæc eſt.
 Numine clauſa aperit. claudit aperta ſuo.
Unde datas habeat vires, obſcurior ævo
 Fama: ſed è noſtro carmine certus eris.

INTERPRETATIO.

Me confero ad propiora. Romulus diviſit populum pro ratione annorum, & digeſſit in duas partes. Hac aptior eſt ad conſulendum, illa ad certandum: hac ætas impellit ad bellum, at illa gerit. Sic decrevit; atque diſtinxit menſes eodem indicio. Junius eſt juvenum qui præcedit, majorum. Abſolvit: atque veniſſent ad jurgium, ardore contentionis; & pietas fuiſſet profligata per iram. Concordia habens prolixos capillos vinctos lauro Apollineâ, numen & opus Imperatoris acceſſit. Poſtquam iſta retulit, Tatium & ſtrenuum Quirinum, atque bina regna cum populis ſuis in unum veniſſe; atque ſoceros & generos receptos domo communi; Junius habet nomen, ait, ab his junctis. Ratio triplex eſt allata: at, vos Deæ, parcite: res non eſt ſecanda meo judicio. Diſcedite à me æquales; Ilium everſum eſt à judice pulcritudinis: duæ plus nocent, quàm una juvat.

PRima dies tibi aſſignatur, Carna. Hæc eſt Dea cardinis. Pandit obſerata, obſerat patentia ſuo numine. Fama eſt incertior propter vetuſtatem, unde obtineat poteſtatem aſſignatam; verùm eris certus ex noſtro carmine.

NOTÆ.

[f] *Propiora*] Quæ non tam ex arte, aut blanditiis, quàm ex vero ſunt petita.

[t] *Duas*] Seniorum atque juvenum.

[u] *Qui fuit antè*] Menſis *ſcil.* Majus Majoribus attributus. Verùm ambiguo ſermone uſus Naſo; quod non placet.

[x] *Iſſent*] Juno atque Hebe *ſcil.*

[y] *Ducis*] Tiberii crediderim, quem Concordiæ templum poſuiſſe Naſo ſuprà teſtatus eſt.

[z] *Bina*] Tatii atque Romuli, quorum nullus ignorat hiſtoriam, qui de Romanis aliquid audierit.

[a] *His junctis*] Atque adeò Junius quaſi *Unius* aut *Jungius* potiùs dictus fuerit, Concordiam ſi audis.

[b] *Judice*] Paride *ſcil.*

[c] *Plus lædunt*] Cautus factus eſt Naſo poſt pericula.

[d] *Carna*] Hanc ſtrigibus nocturnis abigendis qui præfecerunt me quidem certè lubentiſſimè ſuffragantem habuiſſent: namque multùm ridicula videtur. Verùm Naſo noſter bellam fecerit: lege modò.

Adjacet antiqui Tiberino lucus Helemi:
Pontifices illuc nunc quoque sacra ferunt.
Inde sata est Nymphe (Granen dixêre priores)
Nequicquam multis sæpe petita procis.
Rura sequi, jaculísque feras agitare solebat;
Nodosásque cavâ tendere valle plagas.
Non habuit pharetram: Phœbi tamen esse sororem
Credebant. nec erat, Phœbe, pudenda tibi.
Huic aliquis juvenum dixisset amantia verba;
Reddebat tales protinus illa sonos:
Hæc loca lucis habent nimis, & cum luce pudoris.
Si secreta magis ducis in antra, sequor.
Credulus antra subit. frutices hæc nacta resistit:
Et latet, & nullo est invenienda modo.
Viderat hanc Janus; visæque cupidine captus
Ad duram verbis mollibus usus erat.
Nympha jubet quæri de more [e] remotius antrum:
Utque comes sequitur, destituitque ducem.
Stulta, videt Janus quæ post sua terga gerantur.
Nil agis en: latebras respicit ille tuas.
Nil agis en: dixi. nam te sub rupe latentem
[f] Occupat amplexu; speque potitus ait:
Jus pro concubitu nostro tibi cardinis esto.
Hoc pretium positæ virginitatis habe.
Sic fatus, [g] spinam, quâ tristes pellere posset
A foribus noxas (hæc erat alba) dedit.

INTERPRETATIO.

Lucus antiqui Heleni adjacet Tiberino: Sacerdotes nunc etiam illuc portant sacra. Inde orta est Nympha (antiqui appellaverunt Granen) frustrà expetita à multis precis. Consueverat celebrare agros, atque persequi feras spiculis, atque ponere retia nodosa in valle depressâ. Non habuit pharetram: arbitrabantur tamen esse sororem Phœbi: neque erat tibi erubescenda Phœbe. Aliquis juvenum huic dixisset verba blanda, illa continuò reponebat hujusmodi voces; Hæc loca habent nimiùm lucis, & pudoris cum luce: si ducis in speluncas magìs remotas, sequor. Credulus intrat speluncas: hæc nacta virgulta hæret, & latitat, neque est reperienda ullo modo. Janus hanc adspexerat, & motus desiderio visæ usus erat blandis vocibus ad difficilem. Nympha imperat de more speluncam secretiorem investigari: atque ut comes sequitur, tum relinquit ducem. Inepta, Janus cernit quæ fiant post sua terga: ecce nihil promoves; ille respicit latibula tua. Ecce nihil promoves, inquam: namque invadit amplexu te latentem sub rupe. & potitus spe inquit, jus esto tibi cardinis pro nostro congressu: obtineas hanc mercedem virginitatis amissæ. Sic loquutus obtulit spinam, hæc erat alba, quâ posset avertere infaustas noxas à januis.

NOTÆ.

[e] *Remotius*] Secretius, ubi minùs lucis.

[f] *Occupat*] Hui, hui, tu ille Janus, de quo Augustinus 7 de Civitate Dei: *De Jano non mihi facilè quicquam occurrit, quod ad probrum pertineat.* Verba hæc sunt faceti Commentatoris.

[g] *Spinam*] Ex albâ spinâ virgam.

Sunt avidæ volucres; non [h] quæ Phineïa mensis
Guttura fraudabant: sed genus inde trahunt.
Grande caput: stantes oculi rostra apta rapinæ;
Canities pennis, unguibus hamus inest.
Nocte volant, puerósque petunt nutricis egentes;
Et vitiant cunis corpora rapta suis.
Carpere dicuntur [i] lactentia viscera rostris;
Et plenum poto sanguine guttur habent.
Est illis strigibus nomen; sed nominis hujus
Caussa; quòd horrendâ stridere nocte solent.
Sive igitur nascuntur aves, seu [k] carmine fiunt;
[l] Næniáque in volucres [m] Marsa figurat anus;
In thalamos venêre [n] Procæ. Proca natus in illis
Præda recens avium [o] quinque diebus erat.
Pectoráque exsorbent avidis infantia linguis.
At puer infelix vagit, opémque petit.
Territa voce sui nutrix accurrit alumni;
Et rigido sectas invenit ungue genas.
Quid faceret? color oris erat, qui frondibus olim
Esse solet seris, quas nova læsit hyems.
Pervenit ad Granen, & rem docet. illa, Timorem
Pone; tuus sospes, dixit, alumnus erit.
Venerat ad cunas: flebant matérque patérque.
Sistite vos lacrymas, ipsa medebor, ait.

INTERPRETATIO.

Sunt alites rapaces, non quæ privabant palatum Phinei mensis, sed ducunt inde originem. Caput magnum; oculi immoti; rostra apta ad prædandum, canities inest pennis, hamus unguibus. Nocte volant, & invadunt infantes destitutos nutrice, atque fœdant corpora ablata ex suis cunis. Dicuntur vellicare rostris viscera lactentia, atque habent fauces plenas sanguine hausto. Dicuntur striges; sed ratio hujus nominis, quòd solent stridere nocte tremendâ. Seu ergo nascuntur volucres, seu creantur incantamentis, atque nænia Marsa fingit anus in alites, subierunt cubiculum Procæ. Proca erat natus in eo præda recens quinque dierum volucribus. Atque exsugunt pectora puerilia linguis asperis. At infelix infans vagit, & poscit auxilium. Nutrix excita clamore sui alumni advolat, & reperit genas laceratas ungue sævo. Quid ageret? Color vultus erat, qui aliquando solet esse tardis foliis, quæ nova hyems corrupit. Accedit ad Granen, atque refert factum. Illa dixit, Omitte metum, tuus alumnus erit incolumis. Accesserat ad cunabula, genitor atque genitrix lacrymas fundebant. Vos, inquit, compescite fletus, ego sanabo.

NOTÆ.

[h] *Quæ Phineïa*] Phinei regis quæ mensas diripiebant Harpyias dicit, monstra de quibus antea.

[i] *Lactentia*] Infantum adeòque.

[k] *Carmine*] *Incantationibus.*

[l] *Nænia*] Carmina ipsa intelligit, aut ineptos sermones quos flebili ingratoque quodam proferat sono vetula, ut Strigis figuram induant. Atque hinc vides quàm à longo tempore invaluerint fabulæ, quas quotidie inculcant importunæ anus donec ipsæ in striges mutentur.

[m] *Marsa*] Scilicet illa gens, quæ Samnitibus finitima, ex Circes filio Marso derivata cantibus & næniis suis fuit celebris.

[n] *Proca*] Qui rex Albanus. Verùm hæc omnia fabulæ.

[o] *Quinque*] Quinque dies natus erat infans.

Protinus arbuteâ postes ter in ordine tangit
 Fronde : ter arbuteâ limina fronde notat.
Spargit aquis aditus, sed quæ medicamen habebant :
 Extáque de porcâ cruda bimestre tenet.
Atque ita, Noctis aves, extis puerilibus, inquit,
 Parcite : pro parvo victima parva cadit.
Cor pro corde, precor, pro fibris sumite fibras.
 Hanc animam vobis pro meliore damus.
Sic ubi libavit, [p] prosecta sub æthere ponit :
 Quique sacris adsunt, respicere illa vetat.
Virgáque Janalis de spinâ sumitur albâ :
 Quâ lumen thalamis parva fenestra dabat.
Post illud nec aves cunas violasse feruntur ;
 Et rediit puero, qui fuit antè, color.
Pinguia cur illis gustentur larda Kalendis,
 Mistáque cum calido sit faba farre, rogas?
Prisca Dea est ; alitúrque cibis, quibus antè solebat :
 Nec petit adscitas luxuriosa dapes.
Piscis adhuc illi populo [q] sine fraude natabat :
 Ostreáque in conchis tuta fuêre suis :
Nec Latium norat, [r] quam præbet Ionia dives,
 Nec [s] quæ [t] Pygmæo sanguine gaudet, avem.
Et præter pennas nihil in pavone placebat :
 Nec tellus captas miserat antè feras.

INTERPRETATIO.

Continuò ter tangit postes in ordine ramis arbuteis, ter notat limina ramis arbuteis. Irroraverat introitus aquis, sed quæ erant medicata, & tenet viscera cruda suis bimestris. Atque sic ait, Volucres noctivagæ abstinete visceribus puerilibus : parva victima mactatur pro parvo. Capite, quæso, cor pro corde, fibras pro fibris : exhibemus vobis hanc animam pro meliore. Postquam ità obtulit, ponit exta sub dio, & prohibet respicere illa eos qui adsunt sacris. Atque virga Janalis de spinâ albâ capitur, quâ parva fenestra admittebat lumen in cubiculum. Post illud neque volucres dicuntur temerasse cunabula, & color qui fuit priùs infanti renovatus est. Petis quamobrem larda pinguia edantur illis Calendis, atque faba sit mista cum calido farre? Dea est antiqua, & nutritur alimentis quibus priùs consueverat ; neque expetit molliter epulas exquisitas. Piscis natabat adhuc securus illi populo, & ostrea fuêre tuta in suis conchis : Neque Latium noverat alitem, quam opulenta Ionia mittit, nec quæ oblectatur sanguine Pygmæo. Et nihil gratum erat in pavone præter pennas ; neque priùs terra præbuerat feras captas.

NOTÆ.

[p] *Prosecta*] *Prosecta* seu *prosicia* dicebantur dissecta exta, quibus opponuntur solida animantium viscera.

[q] *Sine fraude*] Quia mensis non adhibebantur

[r] *Quam præb.*] Attagenes dicit, qui in Ioniâ saporis jucundioris.

[s] *Quæ*] Gruem dicit, quam ferunt cum Pygmæis in certamen descendere.

[t] *Pygmæo*] Pygmæos cubitales homunciones finxerunt, quos aliis atque aliis locis singuli propè autores habitasse scripserunt ; ut vel hinc nullam fuisse hujuscemodi gentem non temerè conjicias.

Sus erat in pretio: cæsâ sue festa colebant.
  Terra fabas tantùm, duráque farra dabat.
Quæ [u] duo mista simul [x] sextis quicunque Kalendis
  Ederit; huic lædi viscera posse negant.
[y] Arce quoque in summâ Junoni templa [z] Monetæ.
  Ex voto memorant facta, [a] Camille, tuo.
Ante domus [b] Manli fuerant; qui Gallica quondam
  A Capitolino reppulit arma Jove.
Quam [c] bene (Dî magni) pugnâ cecidisset in illâ
  Defensor [d] solii, Jupiter alte, tui!
Vixit, ut occideret damnatus crimine regni.
  Hunc illi [e] titulum longa senecta dabat.
Lux eadem Marti festa est; quem prospicit extra
  Appositum [f] Tectæ porta Capena viæ.
Te quoque, [g] Tempestas, meritam delubra fatemur;
  Cùm pæne est [h] Corsis obruta classis aquis.
[i] Hæc hominum monumenta patent. si quæritis astra;
  Tunc oritur magni [k] præpes adunca Jovis.

INTERPRETATIO.

Porca erat cara: celebrabant festa porcâ mactatâ. Tellus prebebat tantùm fabas & dura farra. Quæ duo simul intrita quisquis comederit sextis Calendis, negant præcordia posse huic corrumpi. Dicunt etiam templa posita Junoni Monetæ in supremâ arce ex tuo voto, Camille. Priùs fuerant domus Manlii, qui olim repulit arma Gallica à Jove Capitolino. Dii excelsi, quàm feliciter occubuisset in illo prælio propugnator solii tui, magne Jupiter! Superstes fuit, ut mereretur damnatus crimine regni. Longa senectus illi afferebat eam laudem. Eadem dies festa est Marti, quem porta Capena prospicit adjunctum viæ stratæ. Agnoscimus etiam, Tempestas, te dignam fuisse Templis, cùm Classis est pæne oppressa aquis Corsis. Hæc monumenta hominum apparent: si quæritis sidera; tunc emergit ales adunca, excelsi Jovis.

NOTÆ.

[u] *Duo*] Pultem dicit fabaceam cum farre.

[x] *Sextis*] Junii *scil.* Calendæ ordine sextæ sunt; quæ & *fabariæ* ex fabarum esu dictæ.

[y] *Arce*] Capitolinâ *scil.*

[z] *Monetæ*] A monendo Illud nomen Junoni impositum, quòd sue gravidâ procurandum esse terræ motum, quo Urbs concutiebatur, Voce ex ejus templo auditâ, Romani moniti sint.

[a] *Camille*] Hic ille est, qui ob ingentia merita alter Romulus dictus est.

[b] *Manli*] Capitolini, qui, Gallis olim de Capitolio deturbatis, de saxo Tarpeio ideò dejectus quod tyrannidem occupare vellet.

[c] *Bene*] Non enim postea turpiter bene factorum laudem maculasset, neque de eâdem, quam defenderat, arce dejectus esset.

[d] *Solii*] Capitolii, templique in eo positi.

[e] *Titulum*] Notam affectati regni. Nimiùm vixisse ironiâ quâdam innuit.

[f] *Tectæ*] Hinc Brundusium usque silicibus stratæ viæ Appiæ.

[g] *Tempestas*] Dea, cui bello Punico secundo, M. Marcellum, Oceani periculo liberatum, cùm in Corsicam & Sardiniam navigaret, ædem etiam vovisse scriptitarunt. Sed clariss. Heinsius, ex veteri lapide, ad L. Scipionem, qui Corsicam expugnavit, referendam esse non dubitavit.

[h] *Corsis*] Ad Corsicam insulam in mari Ligustico spectantibus.

[i] *Hæc*] Templa *scil.* recensita.

[k] *Præpes*] Præpetes dicuntur aves opportunè prævolantes, quæ volatu faciunt augurium: atque hic de Aquilâ agitur, quæ tota Calendis Juniis vesperi sese ostendit.

Postera

POsteta lux Hyadas Taurinæ [l] cornua frontis
Evocat: & multâ terra madescit aquâ.
MAnè [m] ubi bis fuerit, Phœbúsque iteravetit ortus;
Factáque erit posito rore bis uda seges;
Hac sactata die [n] Tusco [o] Bellona duëllo
Dieitur: & Latio prospeta semper adest.
[p] Appius est auctot: Pyrrho qui pace negatâ
Multùm animo vidit; lumine captus erat.
Prospicit à templo [q] summum brevis [r] area Circum.
Est ibi [s] non parvæ parva columna notæ.
Hinc solet hasta manu, belli prænuncia, mitti;
In regem & gentes cùm placet arma capi.
ALteta pars Circi [t] eustode sub Hercule tuta est:
Quod Deus [u] Euboïco carmine [x] munus habet.
Munetis est tempus, [y] qui Nonas Lucifet ante est.
Si titulos quæris: [z] Sylla probavit opus.

INTERPRETATIO.

SEquens dies ciet Hyadas cornua frontis Taurinæ; atque tellus spargitur multo imbre.

POstquam manè bis fuerit, atque Phœbus repetiverit ortus, & seges bis erit facta humida rore sparso, Bellona dicitur consecrata hâc die bello Tusco, & semper adest propitia Latio. Appius est auctor; qui, pace negatâ Pyrrho multum prospexit mente: captus erat oculis. Parva area prospicit ab æde summum Circum. Est ibi exigua columna non levis nota. Hinc solet jaci manu hasta præsaga belli, cùm decretum est arma indui adversus Regem & nationes.

ALtera pars Circi secura est sub Hercule defensore: quod munus Deus obtinet carmine Eubeïco. Dies qui præcedit Nonas est tempus muneris. Si petis titulos; Sylla probavit opus.

NOTÆ.

[l] *Cornua*] Hyades cornua appositio; quia illæ in froute Tauri sitæ.

[m] *Ubi bis*] Pridie Nonas Junii Bellonæ ædes conseerata in Cireo Flaminio versus portam Catmentalem. In hâe dabatur Senatus Legatis exterarum gentium quas in Urbem admittere nolebant; item dueibus & bello revertentibus. Atque hæc ab illustriss. Neapoli.

[n] *Tusco*] Anno ab Urbe 457, Appio Claudio Cæco, & L. Volumnio Flammâ Consulibus: atque tum hostium multa millia cæsa, captaque eorum castra.

[o] *Bellona*] Dea bellica, Martis comes, tum soror, aut conjux, vel utrumque simul.

[p] *Appius*] Hic ille cæcus est, qui fœdam cum Pyrrho pacem disturbavit, atque insuper, ne quosdam in Senatu audiret pessimè Reipublicæ consulentes, surdum fieri palam expetivit.

[q] *Summum*] Ultimum, aut extremam ejus partem.

[r] *Area*] Spatium fuit ante Deorum ædes.

[s] *Non parva*] Ob rationem sequenti versu expositam.

[t] *Custode*] In veteris Kalendarii fragmento sic habetur HERCULI MAGNO CUSTODI IN CIRCO FLAMINIO.

[u] *Euboico*] Cumæo Sibyllæ.

[x] *Munus*] Templum *scilicet.*

[y] *Qui Non.*] Pridie Nonas Junias, seu ejus mensis 4 die.

[z] *Sylla*] Dictator, qui, ex universis fortunis Herculi decimam sacrificans opipara populo fecit convivia.

QUærebam Nonas [a] Sanco Fidióne referrem,
An tibi, Semo pater: cùm mihi Sancus ait;
Cuicunque ex illis dederis; ego munus habebo.
Nomina trina fero: sic voluêre [b] Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde [c] Sabini;
Inque Quirinali constituêre jugo.
EST mihi (sitque, precor, nostris diuturnior annis)
[d] Filia: quâ felix sospite semper ero.
Hanc ego cùm vellem genero dare; tempora [e] tædis
Apta requirebam, quæque cavenda forent.
Tum mihi post [f] sacras monstratur Junius Idus
Utilis & nuptis, utilis esse viris.
Primáque pars [g] hujus thalamis aliena reperta est.
Nam mihi sic [h] conjux sancta Dialis ait:
Donec ab [i] Iliacâ placidus [k] purgamina Vestâ
Detulerit flavis in mare Tybris aquis;
Non mihi [l] dentosâ crinem depectere buxo,
Non ungues ferro subsecuisse licet;
Non tetigisse virum; quamvis Jovis ille sacerdos,
Quamvis [m] perpetuâ sit mihi lege datus.
Tu quoque ne propera: meliùs tua filia nubet,
Ignea cùm [n] purâ Vesta nitebit humo.

INTERPRETATIO.

INcertus eram assignaremne Nonas Sanco an Fidio, an tibi Seme pater; cùm Sancus mihi dixit: Cuicumque ex illis tribueris donum, ego consequar. Triplici nomine appellor: Cures sic jusserunt. Sabini antiqui igitur celebraverunt hunc templo, & posuerunt in colle Quirinali.

EST mihi filia, (atque oro sit firmior nostris annis) quâ incolumi semper ero beatus. Cùm ego cuperem eam tradere genero perquirebam tempus idoneum facibus, quodve esset fugiendum. Tum Junius indicatur mihi esse utilis & nuptis & maritis, post sacras Idus. Atque pars prima hujus inventa est minùs apta nuptiis: nam sancta conjux Dialis sic mihi, dixit; Donec levis Tybris devolverit in mare flavis aquis sordes à Vestâ Iliacâ, non mihi licet fingere comam buxo dentatâ, non secuisse ungues ferro, non tetigisse conjugem; tametsi ille sit sacerdos Jovis, tametsi junctus sit mihi lege inviolabili. Tu etiam ne festina; filia tua aptiùs nubet, cùm Vesta ignea fulgebit terrâ purgatâ.

NOTÆ.

[a] *Sanco*] Hic Sancus, Fidius, seu Semopater Sabinorum Deus, auctorque gentis fuit: quem non temerè Herculem credideris.

[b] *Cures*] Sabini; quorum Cures urbs opulentissima.

[c] *Sabini*] Qui, relictis suis sedibus, in Urbem commigrarunt: neque opinor ex Dionysii auctoritate satis cautè hunc locum à viro clariss. sollicitatum.

[d] *Filia*] Hujus nomen non legisse dicit vir doctissimus, quam non semel Trist lib. 3. Eleg. 7 *Perillam* vocat ipse Naso. Non tanti duxit *scil.* recordari.

[e] *Tædis*] Quæ nuptiis adhiberi solitæ.

[f] *Sacras*] Omnes enim Jovi sacræ.

[g] *Hujus*] Mensis Junii.

[h] *Conjux*] Flaminica, uxor flaminis Dialis.

[i] *Iliaca*] Ilio ab Æneâ Romam advectâ.

[k] *Purgamina*] Sordes in æquor deportandæ. Quanquam alii aliter: sed nihil ad nos.

[l] *Dentesâ buxo*] Pectine.

[m] *Perpetuâ*] Uxorem ab se non poterat segregare Dialis.

[n] *Purâ*] Sordibus exportatis.

[o] Tertia post Nonas removere [p] Lycaona [q] Phœbe
Fertur : [r] & à tergo non habet Ursa metum,
[s] Tunc ego me memini Ludos in gramine Campi
Adspicere : & didici, lubrice Tybri, [t] tuos.
Festa dies illis, qui lina madentia ducunt,
Quique tegunt parvis æra recurva cibis.
Mens quoque numen habet. Menti delubra videmus
[u] Vota metu belli, [x] perfide Pœne, tui.
Pœne, rebellaras ; & letho [y] Consulis omnes
Attoniti [z] Mauras pertimuêre manus.
Spem metus expulerat ; cùm Menti vota Senatus
Suscipit ; & [a] melior protinus illa venit.
[b] Adspicit instantes mediis sex lucibus Idus
Illa dies, quâ sunt vota soluta Deæ.
Vesta, fave ; tibi nunc operata resolvimus ora :
Ad tua [c] si nobis sacra venire licet.
In prece totus eram. [d] cœlestia numina sensi,
Lætáque [e] purpureâ luce refulsit humus.

INTERPRETATIO.

Tertia dies post Nonas dicitur expellere Lycaonem : atque Ursa non metuit à tergo. Recordor me tunc spectare Ludos in gramine Campi ; atque doctus sum esse tuos, Tybri fluide. Dies sacra illis qui trahunt lina humida, quique operiunt æra adunca exiguis escis.

Mens habet etiam numen. Cernimus templa vota Menti timore belli tui, Pœne perfide. Pœne, rebellaveras ; atque omnes exterriti morte Consulis metuerunt manus Mauras. Timor spem resciderat, cùm Senatus suscipit vota Menti ; atque continuò illa adest melior. Illa dies, quâ vota sunt exhibita Deæ videt Idus instantes sex diebus interjectis.

Vesta esto propitia : nunc aperimus ora tibi operata ; si conceditur nobis accedere ad tua sacra. Totus eram in prece, sensi numina cœlestia, & terra læta splenduit luce purpureâ.

NOTÆ.

[o] *Tertia post*] Inclusivè tamen ut aiunt ; hoc est, 7 Idus Arctophylax occidit manè.

[p] *Lycaona*] Lycaonem pro Lycaonide nepote, Arcade *scil.* Calystonis filio posuit, qui in cœlum translatus Arctophylax appellatus fuit.

[q] *Phœbe*] Luna.

[r] *Et à t.*] Ad illud alludit, quod in Metam. scripsit de Arcade, qui matrem in Ursam mutatam est insequutus.

[s] *Tunc*] 7 Idus.

[t] *Tuos*] Tybrales dicti sunt in honorem Tibridis instituti. Quod festum à piscatoribus in primis celebratum.

[u] *Vota*] Suasu Decemvirûm. Post inspectos libros fatales, ædem vovit Attilius Prætor, dedicavit T. Octacilius Crassus. Videsis Livium.

[x] *Perfide*] Pœnorum seu Carthaginensium proprium elogium.

[y] *Consulis*] Q. Flaminii ad Trasimenum lacum.

[z] *Mauras*] Pro Pœnis posuit : namque hi belli duces.

[a] *Melior*] Quippe opes suas libens Senatus in medium protulit : Eques sequutus exemplum ; imitatæque equitem tribus. In eligendis Magistratibus centuriarum magna sapientia, quum juniores à senioribus consilium de creandis Consulibus peterent, &c.

[b] *Adspicit*] Adeòque 7 Idus vota soluta.

[c] *Si nobis*] Vestalium virginum fuisse curam Vestæ focis assidere, atque ejus sacra curare omnes sciunt. Ideo dixit Naso, *si licet.*

[d] *Cœlestia*] Vestæ *scilicet.*

[e] *Purpureâ*] Utpote Vestæ seu Ignis.

Non equidem vidi [f] (valeant mendacia vatum)
Te, Dea; nec fueras adspicienda viro.
Sed quæ nescieram, quorumque errore tenebar,
Cognita sunt [g] nullo præcipiente mihi.
[h] Dena quater memorant habuisse Palilia Romam,
Cùm [i] flammæ custos æde recepta suâ est.
Regis opus [k] placidi, quo non metuentius ullum
Numinis ingenium terra [l] Sabina tulit.
[m] Quæ nunc ære vides, stipulâ tunc tecta videres:
Et paries lento vimine textus erat.
Hic locus exiguus, qui sustinet [n] atria Vestæ,
Tunc erat intonsi regia magna Numæ.
Forma tamen templi, [o] quæ nunc manet, antè fuisse
Dicitur: & formæ caussa probanda subest.
Vesta eadem est, quæ Terra: subest vigil ignis [p] utrique.
[q] Significant sedem terra focúsque suam.
Terra pilæ similis nullo fulcimine nixa
Aëre subjecto tam grave pendet onus.
[r] Ipsa volubilitas libratum sustinet orbem:
Quique premat partes, angulus omnis abest.

INTERPRETATIO.

Te equidem non vidi, Dea; (absint fictiones Poëtarum) neque fueras videnda viro. Verùm quæ non perceperam, & quorum errore tenebar, sunt perspecta à me nullo docente. Dicunt Romam celebrasse quadragies Palilia, cùm custos flammæ recepta est suo templo. Opus Regis mansueti, quo terra Sabina non produxit ingenium ullum reverentius Dei. Quæ cernis nunc tecta ære, vidisses tunc operta culmo; atque paries erat textus flexili vimine. Hic parvus locus, qui sustinet atria Vestæ tunc erat ampla aula Numæ intonsi. Attamen figura ædis, quæ stat hodie, dicitur prius fuisse: atque ratio figuræ non contemnenda. Vesta eadem est quæ Tellus: ignis inextinctus subest utrique. Terra atque focus indicant sedem suam. Terra similis pilæ nullo fulcro sustentata, pondus tam magnum libratur in aëre ambiente. Ipsa volubilitas sustentat orbem libratum: & omnis angulus abest qui urgeat partes.

NOTÆ.

[f] *Valeant*] *Nolim mentiri.*

[g] *Nullo*] Adeòque Deæ instinctu.

[h] *Dena quater*] 40 ergo anno ab Urbe conditâ.

[i] *Flammæ custos*] Vesta *scilic.* quam & imperii custodem voluerunt.

[k] *Placidi*] Pius namque Numa sacra & ceremonias, omnemque Deorum immortalium cultum docuit: in primis focum Vestæ virginibus colendum dedit.

[l] *Sabina*] Hujus meminit, quia Curibus Sabinis agentem Numam ultro, ob inclytam viri relligionem petiverunt.

[m] *Quæ nunc*] De Vestæ templo agitur.

[n] *Atria*] Ubi degebant Vestales ;. quæ virgines, ut ait Plinius, cùm vi morbi atrio Vestæ excedere cogebantur, matronarum curæ custodiæque mandabantur.

[o] *Quæ nunc*] Rotunda *scil.* quemadmodum & Terræ, quam Vestam esse voluerunt.

[p] *Utrique*] Terræ quæ habet Ignis elementum, atque Vestæ, in quâ Ignis inextinctus.

[q] *Significant*] Terra enim in medio totius orbis; Vestæ focus in medio templo, siquidem rotundum.

[r] *Ipsa volubil.*] Sex proximi versus in plerisque libris non leguntur, ut testatur clariss. Heins.

Cùmque sit in mediâ rerum regione locata,
Et tangat nullum plusve minúsve latus;
Ni convexa foret, parti vicinior esset;
Nec medium terram mundus haberet onus.
Arte [f] Syracosiâ suspensus in aëre clauso
Stat [t] globus, immensi parva figura poli.
Et quantùm à summis, tantùm secessit ab imis
Terra. quod ut fiat, forma rotunda facit.
Par facies [u] templi: nullus procurrit in illo
Angulus. à pluvio vindicat imbre [x] tholus.
Cur sit virgineis, quæris, Dea culta ministris?
Inveniam caussas [y] hac quoque parte suas.
Ex Ope Junonem memorant Cererémque creatas
Semine Saturni; tertia Vesta fuit.
[z] Utraque nupserunt; ambæ peperisse feruntur;
De tribus impatiens restitit [a] una viri.
Quid mirum, virgo si virgine læta ministrâ
Admittit castas in sua sacra manus?
Nec tu aliud Vestam, quàm vivam intellige flammam,
Natáque de flammâ corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit: & comites virginitatis habet.
Esse diu stultus Vestæ simulacra putavi;
Mox didici curvo nulla subesse tholo.

INTERPRETATIO.

Cùmque sit posita in mediâ regione rerum, & nullum tangat latus plus aut minus, nisi esset rotunda, esset propior parti, neque mundus haberet terram pondus medium. Est globus libratus in aëre clauso arte Syracusiâ, imago exigua vasti mundi. Et quantùm terra distat à supremis, tantùm distat *ab infimis: quod ut fiat figura orbiculata facit. Forma templi* est *æqualis: nullus angulus eminet in illo: tholus defendit à nimbis cadentibus. Petis quamobrem Dea sit culta à Sacerdotibus virgineis? Reperiam etiam rationes suas in hâc parte. Aiunt Junonem atque Cererem satas semine Saturni ex Ope: Vesta fuit tertia. Utraque nupserunt; ambæ dicuntur partus edidisse: una ex tribus mansit impatiens viri. Quid mirum, si virgo gaudens sacerdote virgine admovet manus castas in sua sacra? Nec tu concipe Vestam* esse *aliud, quàm ardentem flammam: atque nulla adspicis corpora orta ex flammâ. Meritò ergo est virgo, quæ nulla semina reddit, nec concipit; & habet comites virginitatis.* Ego *ineptus diu credidi esse imaginem Vestæ: deinde edoctus sum nullam subesse convexo tholo.*

NOTÆ.

[f] *Syracosiâ*] Archimedis Syracusani, qui mechanico artificio sphæram vitream composuit in quâ mirâ conversione dissimiles circulorum motus visebantur.

Jura poli, rerumq; fidem, legesque Deorum,
Ecce Syracusius transtulit arte senex.

inquit Claudianus.

[t] *Globus*] Solidam Archimedis sphæram designat.

[u] *Templi*] Vestalis *scil.* qui formâ etiam rotundus.

[x] *Tholus*] Qui media ac suprema pars tecti orbiculata, in quam cæteræ omnes partes coëunt.

[y] *Hâc quoque*] Sicut præcedenti.

[z] *Utraque*] Juno & Ceres *scil.*

[a] *Una*] Vesta.

Ignis inexſtinctus templo celatur in illo.
Effigiem nullam Veſta nec ignis habent.
Stat vi terra ſuâ : vi ſtando Veſta vocatur.
Cauſſáque [b] par Graji nominis eſſe poteſt.
At focus à flammis, & quod fovet omnia [c] dictus :
Qui tamen [d] in primis ædibus antè fuit.
[e] Hinc quoque veſtibulum dici reor : inde precando
Adfamur [f] Veſtam, Quæ loca prima tenes.
Ante focos olim longis conſidere ſcamnis
Mos erat ; & menſæ credere [g] adeſſe Deos,
Nunc quoque, cùm fiunt antiquæ ſacra [h] Vacunæ ;
Ante Vacunales ſtantque ſedéntque focos.
Venit in hos annos aliquid de more [i] vetuſto :
Fert [k] miſſos Veſtæ [l] pura patella cibos.
[m] Ecce, coronatis panis dependet aſellis ;
Et velant [n] ſcabras florida ſerta molas.
Sola priùs furnis torrebant farra coloni ;
Et [o] Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ.

INTERPRETATIO.

Ignis æternus ſervatur in illâ æde. Veſta nec Ignis nullam habent imaginem. Tellus ſtat vi ſuâ ; Veſta dicitur vi ſtando : atque ratio nominis Græci poteſt eſſe ſimilis. At focus appellatus à flammis, & quia fovet omnia ; qui tamen priùs fuit in primis ædibus. Hinc etiam opinor veſtibulum appellari ; inde alloquimur Veſtam precando, Quæ obtines prima loca. Conſuetudo fuit quondam ſedere ante focos in longis ſcamnis, & credere Deos adeſſe menſæ. Nunc etiam cùm ſacra priſca Vacunæ celebrantur, ſtant atque ſedent ante aras Vacunales. Aliquid de more antiquo tranſivit in hanc ætatem : patella nitida tenet dapes miſſas Veſtæ. Ecce panis dependet aſinis coronatis, & ſerta florida tegunt aſperas molas. Agricolæ olim torrebant furnis ſola farra ; atque ſunt ſua ſacra Deæ Fornacali.

NOTÆ.

[b] *Par Graii*] Ἑςίαν enim Græci ab ἱςάναι deducunt.

[c] *Dictus*] Quia igni ſuo focus nos, aliaque fovet. Quanquam ſunt qui potiùs verbum *fovee* à foco derivent.

[d] *in primis*] In primori domus parte.

[e] *Hinc*] A Veſtâ, quòd in Veſtibulo eſſet focus.

[f] *Veſtam, quæ*] Diſcrepant hìc multùm codices. Senſus apertus eſt : mendum tamen quòd lateat facilè non eſt dicere. Cæterùm notandum quod & Servius docet, ſicut Jani, ità & Veſtæ, omnibus ſacrificiis nomen invocari.

[g] *Adeſſe*] Propterea quòd ante focos conſiderent, ubi Veſta atque Penates.

[h] *Vacunæ*] Dea quæ vacantibus præerat ; cuique adeò in templo illi dicato agricolæ à laboribus ruris ceſſantes per hyemem vota ſolvebant. Eam Varro Minervam eſſe dixit, quòd eâ maximè hi gaudeant qui ſapientiæ vacant. Alii Dianam aut Cererem credidère.

[i] *Vetuſto*] De quo in ſequentibus : neque ad præcedentia referes, ut ſuadet Commentator.

[k] *Miſſos*] A piis civibus ipſi Veſtæ numini litantibus. Boni quippe civis fuit, Varrone auctore, Legibus parere, Deos colere, in patellam dare.

[l] *Pura*] Purgata & deterſa.

[m] *Ecce*] In Veſtæ honorem Aſini molitorii hoc tempore à piſtoribus coronabantur.

[n] *Scabras*] Sint verò neceſſe eſt ad conterendum triticum.

[o] *Fornacali*] De eâ in præcedentibus.

Suppositum cineri panem focus ipse parabat;
[p] Strataque erat tepido tegula quassa solo.
Inde focum [q] servat pistor, dominámque focorum,
Et quæ [r] pumiceas versat asella molas.
[s] Prætercam, referámne tuum, rubicunde Priape,
Dedecus? est multi fabula plena joci.
[t] Turrigerâ frontem Cybele redimita coronâ
Convocat æternos ad sua festa Deos.
Convocat & Satyros, & rustica numina Nymphas.
Silenus, quamvis nemo vocarat, adest.
Nec licet, & longum est epulas narrare Deorum:
In multo nox est pervigilata mero.
Hi temerè errabant in opacæ vallibus [u] Idæ:
Pars jacet, & molli gramine membra levat.
Hi ludunt, hos somnus habet; pars brachia [x] nectit,
Et viridem celeri ter pede pulsat humum.
Vesta jacet, placidámque capit secura quietem,
Sicut erat positum cespite fulta caput.
At ruber hortorum [y] custos Nympháſque Deáſque
Captat; & errantes fertque refértque pedes.
Adspicit & Vestam dubium, Nymphámne putarit,
An scierit Vestam: scisse sed ipse [z] negat.

INTERPRETATIO.

Ipse focus parabat panem substratum cineri; & lateres fracti erant positi in solo calido. Inde pistor, & asella, quæ agitat molas puniceas, observat focum & dominam focorum. Omittamne, an memorem tuum probrum, Priape rubicunde? Fabula est referta multi joci. Cybele habens caput cinctum coronâ turriferâ congregat Deos æternos ad sua festa. Convocat etiam Satyros, & Nymphas numina rustica. Silenus adest, quamvis nullus invitasset. Neque fas est, & prolixum foret referre dapes Deorum: nox est exhausta in multo vino. Hi passim vagabantur in vallibus Idæ umbrosæ: pars strata est, & quietem præbet artubus in herbâ tenerâ. Hi ludunt; sopor tenet istos; pars jungit lacertos, & ter percutit terram viridem pede levi. Vesta jacet, atque indulget tranquillè leni quieti, habens caput sustentatum cespite, sicut erat positum. At ruber custos hortorum insidiatur & Nymphis & Deabus; & fert atque refert pedes vagantes. Videt quoque Vestam, incertum crediderit ne Nympham, an compertum habuerit esse Vestam: verùm ipse negat scisse.

NOTÆ.

[p] *Strataque*] Focus stratus erat latericiis ad coquendum panem. Atque adeò nihil mirum Vestæ, focorum Dominæ, pistores quòd festum colerent.

[q] *Servat*] Observat & celebrat Vestam in foco.

[r] *Pumiceas*] Instar pumicis scabras atque asperas

[s] *Prætercam*] Coronandorum asinorum caussam est redditurus Naso.

[t] *Turrigera*] Nota hæc sunt omnia ex præcedentibus. Primis urbibus turres quia addiderat Cybele turrita exhibetur.

[u] *Idæ*] Festum fingit in Phrygiâ ad Cybelæ dilectos colles.

[x] *Nectit*] Implicat ad choreas agitandas.

[y] *Custos*] Priapus *scil.*

[z] *Negat*] Ne audentior videretur.

Jamque Suburbanos, Hetruſcáque [k] contudit arma.
 Spes erat in curſu. nunc [l] Lare pulſa ſuo eſt.
Vidimus ornatos [m] ærata per atria pictâ
 Veſte triumphales occubuiſſe ſenes.
Vidimus Iliacæ [n] transferri pignora Veſtæ
 Sede. [o] putant aliquos ſcilicet eſſe Deos?
At ſi reſpicerent, [p] quâ vos habitatis in arce,
 Totque domos veſtras obſidione premi;
Nil opis in curâ ſcirent ſupereſſe Deorum,
 Et data ſollicitâ thura perire manu.
Atque [q] utinam pugnæ pateat locus! arma capeſſant;
 Et, ſi non poterunt exſuperare, cadant.
Nunc inopes victus [r] ignaváque fata timentes
 Monte ſuo clauſos barbara turba premit.
Tum Venus, & [ſ] lituo pulcher trabeâque Quirinus,
 Veſtáque pro Latio multa locuta ſuo.
[t] Publica, reſpondit, cura eſt pro mœnibus iſtis,
 Jupiter: & pœnas Gallia victa dabit.
Tu modò, quæ deſunt fruges, ſupereſſe putentur,
 Effice: nec ſedes deſere, Veſta, tuas.

INTERPRETATIO.

Jamque ſubegit ſuburbanos & arma Tuſca. Spes erat in curſu: nunc ejecta eſt domo ſuâ. Conſpeximus per atria ærata ſenes triumphales inſignes veſte pictâ morti traditos. Vidimus pignora Veſtæ Iliaca moveri loco. Credunt ſcilicet aliquos Deos eſſe? At ſi cogitarent, quâ in arce vos degitis, totque veſtras ſedes urgeri obſidione intelligerent nihil reſtare auxilii in curâ Deorum, & thura oblata manu piâ fruſtrà eſſe. Atque utinam locus detur prælio! Sumant arma; atque, ſi non poterunt vincere, occumbant. Nunc agmen barbarum urget coactos in monte ſuo, deſtitutos alimentis, atque metuentes mortem inertem. Tum Venus & Quirinus decorus lituo & trabeâ, atque Veſta protulerunt multa pro Latio ſuo. Jupiter repoſuit, Cura eſt publica pro muris iſtis, & Gallia ſubacta perſolvet pœnas. Tu tantùm, Veſta, fac fruges, quæ deſiderantur, credantur abundare, neque relinque tuas domos.

NOTÆ.

[k] *Contudit*] Roma *ſcil.*

[l] *Lare*] Pro domo, ut paſſim.

[m] *Ærata*] In veſtibulis ædium ante æratas januas. Per eam verò à Gallis calamitatem, majores natu, ampliſſimis uſi honoribus, in forum coëunt. Ibi devovente Pontifice diis ſe Manibus conſecrant: ſtatimque in ſuas quiſque ædes regreſſi, ſicut in trabeis erant, & ampliſſimo cultu, in curulibus ſellis ſeſe poſuerunt, ut quum veniret hoſtis in ſuâ dignitate morerentur. Quanquam paulò aliter ab aliis res iſta refertur.

[n] *Transferri*] Ad Cerites ſacra ſua Veſtæ Virgines abſtulerunt.

[o] *Putant*] Galli *ſcil.*

[p] *Qua in*] Capitolio *ſcil.* in primis.

[q] *Utinam*] Quaſi exprobret eſſe adhuc aliquid opis Romanis ſperandum, modò ne ſint in Deorum arce concluſi. Iratus loquitur Deus belli.

[r] *Ignava*] Fame mori.

[ſ] *Lituo*] Quo bacillo ſine nodo, adunco leviterque à ſummo inflexo, auguratus inſigni, uſus quoque Romulus cùm primùm Urbis regionem deſcripſit.

[t] *Publica*] Ad omnes Deos ſpectat.

Quodcunque est Cereris [w] solidæ, [x] cava machina frangat ;
Mollitámque manu [y] duret in igne focus.
Jusserat ; & fratris [z] virgo Saturnia jussis
Annuit ; & mediæ tempora noctis erant.
Jam ducibus somnum dederat labor. increpat illos
Jupiter : & sacro, quid velit, ore docet :
Surgite, & in medios de summis arcibus hostes
Mittite, [a] quam minimè tradere vultis, opem.
Somnus abit, quærúntque novis [b] ambagibus acti,
Tradere quam nolint, & jubeantur, opem.
Ecce, Ceres visa est. jaciunt Cerealia dona.
Jacta super galeas scutáque longa sonant.
Posse fame vinci spes excidit. hoste repulso
[c] Candida Pistori ponitur ara Jovi.
Fortè revertebar festis Vestalibus illac,
Quà Nova Romano nunc Via juncta Foro est.
Huc pede matronam vidi descendere nudo :
Obstupui tacitus sustinuíque gradum.
Sensit anus vicina loci : jussúmque sedere
Alloquitur, quatiens voce tremente caput.
Hoc, ubi nunc fora sunt, udæ tenuère paludes :
Amne redundatis fossa madebat aquis.
Curtius ille lacus, siccas qui sustinet [d] aras,
Nunc solida est tellus, sed lacus antè fuit.

INTERPRETATIO.

Cava machina conterat quodcunque est farru integri, atque focus solidet subactam manu. Monuerat, & virgo Saturnia obtemperat monitis fratris : atque tempora erant media noctis. Labor jam induxerat soporem ducibus. Jupiter objurgat illos, atque indicat ore sacro quid velit : Surgite, atque mittite in medios hostes, de supremis arcibus, auxilium, quod minimè vultis dare. Sopor recedit, atque ducti inauditis ambagibus, quærunt quod auxilium nolint dare, & moneantur. En fruges visæ sunt. Mittunt munera Cerealia. Missa super cassides & vastos clypeos strepunt. Spes periit posse subigi inopiâ: Hoste profligato altare splendidum statuitur Jovi Pistori. Fortè redibam festis Vestalibus illâc, quâ via Nova nunc juncta est foro Romano. Adverti matronam huc contendere pede nudo : Obstupui tacitus, & repressi gressum. Anus vicina loci vidit, atque concutiens caput alloquitur me monitum voce tremente. Paludes humidæ insederunt hoc, ubi nunc sunt fora : fossa madebat aquis exundantibus fluvio. Ille lacus Curtius, qui fert altaria sicca, est nunc terra firma, sed fuit priùs lacus.

NOTÆ.

[w] *Solida*] Fruges nondum contritas molæ sub,iciendas esse admonet.
[x] *Cava mac.*] Mola.
[y] *Duret*] Ut fiat panis.
[z] *Virgo Sat.*] Vesta.
[a] *Quam*] Panem *scil.* cujus magna erat inopia.
[b] *Ambag.*] Obscuris Jovis monitis.
[c] *Candida*] Marmorea.
[d] *Aras*] Pro arâ posuit Saturni, quæ in lacu Curt.i.

Quà [e] Velabra solent in Circum ducere pompas;
Nil præter salices cassáque canna fuit.
Sæpe [f] suburbanas rediens conviva per undas
Cantat, & ad nautas ebria verba jacit.
Nondum conveniens diversis iste figuris
Nomen ab averso ceperat amne [g] Deus.
Hîc quoque lucus erat juncis & arundine densus,
Et pede velato non adeunda palus.
Stagna recesserunt, & aquas sua ripa coërcet:
Siccáque nunc tellus, mos tamen inde manet.
Reddiderat caussam. Valeas, anus optima, dixi:
Quod superest ævi, molle sit omne, tui.
Cætera jam pridem didici puerilibus annis;
Non tamen idcirco prætereunda mihi.
Mœnia Dardanides nuper nova fecerat [h] Ilus:
Ilus adhuc Asiæ dives habebat opes.
Creditur armiferæ [i] signum cœleste Minervæ
Urbis in Iliacæ desiluisse juga.
Cura videre fuit: [k] vidi, templúmque locúmque.
Hoc superest illi: [l] Pallada Roma tenet.
Consulitur [m] Smintheus: lucóque obscurus opaco
Hos non mentito reddidit ore sonos:

INTERPRETATIO.

Nihil fuit præter salices, & arundines fracta quà Velabra consueverunt ducere pompas in Circum. Sæpe conviva revertens per undas suburbanas canit, & jactat dicta ebria nautis. Nondum iste Deus sumserat nomen aptum variis figuris à fluvio averso. Hic etiam erat lucus spissus juncis & cannis, & palus non penetranda pede tecto. Stagna recesserunt, & sua ripa continet aquas: atque terra nunc arida: tamen consuetudo inde superest. Ediderat rationem. Valeas anus optima dixi; omne quod superest temporis tui sit latum. Doctus sum jam diu reliqua ætate puerili; non tamen ideo sunt mihi silentio prætermittenda. Ilus Dardanides nuper posuerat novos muros: opulentus Ilus fruebatur adhuc divitiis Asiæ. Simulacrum cœleste Palladis armigeræ dicitur decidisse in colles Urbis Iliacæ. Desiderio ductus sum videndi; adspexi & delubrum & locum: Hoc manet adhuc illi: Roma habet Palladem. Smintheus consulitur; atque tectus luco obscuro, protulit has voces ore non mendaci.

NOTÆ.

[e] *Velabra*] Eo nomine à vehendo dictus ille locus per quem in Circum ibatur, quia olim fluvio crebrò exundante, eo loco trajectus esset in forum: trajectum autem Romani appellabant Velaturam.

[f] *Suburban.*] Tiberis exundantis.

[g] *Deus*] Vertumnus, quem ab amnis Tiberini mutato cursu sic dictum finxerunt etiam alii.

[h] *Ilus*] Troïs filius, Dardani pronepos, qui Ilium aut primus condidit, aut instauravit.

[i] *Signum*] Palladium *scilic.* quod nullâ mortali elaboratum industriâ vetustas credidit.

[k] *Vidi*] Quo tempore opinor in exilium profectus.

[l] *Pallada*] Palladium.

[m] *Smintheus*] Apollinem dicit qui in urbe Cyrissâ, ut Strabo refert, apud Troiam, delubrum habuit, ubi ejus statua, sub cujus pedibus σμίνθος mus erat, quòd illud genus aliquando sustulisset.

[n] Ætheream servate Deam; servabitis Urbem:
Imperium secum transferet illa loci.
Servat, & inclusam summâ tenet Ilus in arce:
Curáque ad hæredem [o] Laomedonta venit.
Sub Priamo servata parum. sic [p] ipsa volebat;
Ex quo judicio forma revicta suo est.
Seu [q] genus Adrasti, seu furtis aptus Ulysses,
Seu pius Æneas, eripuisse datur.
[Auctor in incerto. [r] res est Romana: tuetur
Vesta, quòd [s] assiduo lumine cuncta videt.]
Heu quantùm timuêre Patres, [t] quo tempore Vesta
Arsit, & est adytis obruta pæne suis!
Flagrabant sancti sceleratis ignibus ignes:
Mistáque erat flammæ flamma profana piæ.
Attonitæ flebant demisso crine ministræ:
Abstulerat vires corporis ipse timor.
Provolat in medium, & magnâ, Succurrite, voce,
Non est auxilium flere, [u] Metellus ait.
Pignora virgineis fatalia tollite palmis:
Non ea sunt voto, sed rapienda manu.
Me miserum! dubitatis? ait. dubitare videbat,
Et pavidas posito procubuisse genu.

INTERPRETATIO.

Custodite Deam cœlestem, custodietis Urbem: illa transportabit secum potestatem loci. Ilus custodit, & tenet clausam in supremâ arce: atque ea cura descendit ad hæredem Laomedontem. Sub Priamo incautè fuit custodita: Ipsa ità cupiebat, ex quo pulcritudo sua superata est judicio. Seu genus Adrasti, seu Ulysses paratus ad clandestina, seu pius Æneas dicitur sustulisse. Auctor est in dubio. Res est Romana: Vesta servat, cùm cernat omnia lumine inextincto. Heu quantùm Patres metuerunt, quo tempore Vesta flagravit, & est ferè oppressa suis sacrariis! Flammæ sacra absumebantur flammis scelestis; atque ignis impurus erat confusus cum igne sacro. Sacerdotes stupefactæ lacrymabantur capillis sparsis. ipse metus subtraxerat vires corporis. Metellus procurrit in medium, atque inquit elatâ voce, Opem ferte, lugere non est auxilium. Auferte pignora fatalia manibus virgineis: Ea non sunt tollenda voto sed manu. Me infelicem! Hæretis? inquit. Cernebat hærere, atque timidas procubuisse genu flexo.

NOTÆ.

[n] *Æthereum*] Palladis simulacrum cœlo delapsum, quod Troiani quandiu servassent, urbs sua capi non poterat.

[o] *Laomed.*] Qui Ili hæres & filius, cujus adeòque Palladium imperii pignus cura fuit servandi.

[p] *Ipsa*] Pallas *scil.* Troianis ob iniquum sibi Paridis judicium infensa.

[q] *Genus Adrasti*] Diomedes est Adrasti nepos, qui cum Ulysse Palladium Trojâ surripuisse dicitur.

[r] *Res*] *Palladium ad Romanos pertinet.* Quanquam & aliæ urbes sibi vendicarunt.

[s] *Assiduo*] Siquidem inextinctus Ignis.

[t] *Quo temp.*] Anno *scil.* Urbis 512 Q. Lutatio & A. Manlio Consulibus.

[u] *Metellus*] Qui Pontifex Maximus, divinitus quasi missus, ut videre est apud Valer. Maximum.

Haurit aquas: tollénsque manus, Ignoscite, dixit,
Sacra: vir intrabo [x] non adeunda viro.
Si scelus est; in me commissi pœna redundet.
Sit capitis damno Roma [y] soluta mei.
Dixit, & irrupit: factum [z] Dea rapta probavit;
Pontificisque sui munere tuta fuit.
Nunc bene luceris sacræ sub [a] Cæsare flammæ:
Ignis in [b] Iliacis nunc erit, estque, focis.
Nulláque dicetur vittas [c] temerasse sacerdos
Hoc Duce: nec [d] vivâ defodietur humo.
Sic incesta perit: quia quam violavit, in illam
Conditur: & Tellus Vestáque numen idem est.
Tum sibi [e] Callaïco Brutus cognomen in hoste
Fecit, & Hispanam sanguine tinxit humum.
[f] Scilicet interdum miscentur tristia lætis;
Ne populum toto pectore festa juvent.
[g] Crassus ad Euphraten Aquilas, natúmque, suósque
Perdidit. & leto est ultimus ipse datus.
Parthe, quid exsultas? dixit [h] Dea, signa remittes:
Quique necem Crassi vindicet, [i] ultor erit.

INTERPRETATIO.

Petit aquas; atque elevans palmas, Parcite Sacra, inquit: mas subibo non tangenda mari. Si flagitium est; supplicium facti recidat in me, Roma sit expers damni mei capitis. Dixit, atque irruit: Dea sublata probavit facinus: atque fuit in acta beneficio sui Pontificis. Nunc ignes sacri feliciter splendetis sub Cæsare: nunc flamma erit in aris Iliacis, atque est. Nulla ministra feretur violasse vittas hoc Duce; neque tegetur terrâ vivâ. Ità perit impudica; quia illâ tegitur quam inquinavit: atque Terra & Vesta est eadem Dea. Brutus tum paravit sibi cognomen in hoste Callaico, & infecit terram Hispanam sanguine. Verùm enimverò lugubria nonnunquam miscentur festivis, ne festa juvent populum toto corde. Crassus amisit ad Euphraten Aquilas, & filium, & suos: atque ipse est postremus interfectus. Parthe quamobrem triumphas? inquit Dea: Restitues signa: atque vindex erit, qui ulciscatur mortem Crassi.

NOTÆ.

[x] *Non adeunda*] Vetitus *scil.* maribus ingressus in Vestæ adyta, ubi Ignis, Palladium, aliaque arcana imperii pignora.

[y] *Soluta*] Libera ab omni scelere, atque omni periculo.

[z] *Dea*] Atque insuper Senatus, qui præter cætera, ut curru ad curiam veheretur, rem pretii quantivis, concessit.

[a] *Cæsare*] Qui Pontifex Maximus multa beneficia in Vestales contulit, quæ habes apud Sueton.

[b] *Iliacis*] Vestæ Iliacæ.

[c] *Temerasse*] Impudicitiâ *scil.*

[d] *Vivâ defod.*] Quo supplicio afficiebantur Vestales, quæ virginitatem suam prodidissent.

[e] *Callaico*] Anno Urbis 618 D. Junius Brutus sexaginta Gallœcorum seu Callaicorum millia, qui Lusitanis auxilio venerant aspero & difficili bello oppressit; ex quo *Callaicus* seu *Gallœcus* dictus.

[f] *Scilicet interd.*] Nescio quid mali istud apportabit.

[g] *Crassus*] De eo suprà.

[h] *Dea*] Vesta, cujus festum celebratur.

[i] *Ultor*] Ista in Augusti gratiam.

AT [k] ſimul auritis [l] violæ demuntur aſellis,
  Et cereris fruges aſpera [m] ſaxa terunt;
Navita puppe ſedens, [n] Delphina videbimus, inquit;
  Humida cùm pulſo nox erit orta die.
JAm, [o] Phryx, à nuptâ quereris, Tithone, [p] relinqui;
  Et vigil Eois [q] Lucifer exit aquis.
Ite, bonæ matres (veſtrum Matralia feſtum),
  Flaváque [r] Thebanæ reddite liba Deæ.
[s] Pontibus & magno juncta eſt celeberrima Circo
  Area: quæ poſito de bove [t] nomen habet.
Hac ibi luce ferunt Matutæ ſacra parenti
  Sceptriferas [u] Servi templa dediſſe manus.
Quæ Dea ſit: quare famulas à limine templi
  Arceat, [x] (arcet enim) libáque toſta petat;
Bacche, racemiferos hederâ redimite capillos,
  (Si domus [y] illa [z] tua eſt) dirige navis iter.
Arſerat [a] obſequio Semele Jovis. accipit Ino
  Te, puer; & ſummâ ſedula nutrit ope.

INTERPRETATIO.

AT cùm primùm violæ deripiuntur aſinis auritis, & ſcabra mola frangunt munera Cereris, nauta ſedens in puppe dicit, Adſpiciemus Delphinum, cùm nox uda erit orta, die exacto.

JAm doles Phryx Tithone, deſeri à conjuge, atque Lucifer experrectus prodit ex aquis Eois. Concedito, bonæ Matres, (Matralia veſtrum feſtum) atque offerte flava liba Deæ Thebanæ. Area celeberrima, quæ habet cognomen de tauro collocato, eſt contigua pontibus & magno Circo. Dicunt manus ſceptriferas Servii ibi poſuiſſe delubra hâc die matri Matutæ. Doce ſemitam navis, Bacche qui habes crines racemiferos coronatos hederâ (ſi illa domus eſt tua) doce inquam. Quæ Dea ſit; quamobrem prohibeat ancillas à limine ædis (namque prohibet) & poſcat liba toſta. Semele flagraverat obſequio Jovis. Ino accipit te, infans, atque diligens educat maximâ ope.

NOTÆ.

[k] *Simul*] Quarto Idus Columella etiam Delphini facit ortum veſpertinum.

[l] *Violæ*] Quæ, Veſtali die, coronatis pane aſinis affiguntur.

[m] *Saxa*] Molæ, quæ ab aſinis verſantur.

[n] *Delphina*] De quo ſidere videſis in ſuperioribus.

[n] *Phryx*] Trojanus enim Tithon Laomedontius.

[p] *Relinqui*] Quia exſurgit Aurora conjux.

[q] *Lucifer*] Veneris ſtella, de quâ toties, quæ Solis ortum præcedit.

[r] *Thebanæ*] Ino enim, quæ & *Leucothea* Græcis, Romanis *Matuta*, Cadmi Thebarum regis filia.

[s] *Pontibus*] Locum deſcribit, ubi Matutæ templum.

[t] *Nomen*] Boarium dicitur.

[u] *Servi*] Servium ipſum ſextum Romanorum regem.

[x] *Arcet enim*] Niſi quòd unam admittit, quam iterum matronæ pugnis cæſam à templi limine ejiciunt.

[y] *Illa*] Ex quâ Matuta fuit.

[z] *Tua*] Fuit Ino Bacchi matertera, ſiquidem Semeles, Bacchi matris, ſoror.

[a] *Obſequio*] Quia eâdem Majeſtate quâ ad Junonem, illud ipſâ petente Semele, Jupiter acceſſit, unde & flagravit.

Intumuit Juno, [c] raptâ quòd pellice natum
Educet. at [d] sanguis [e] ille sororis erat.
[f] Hinc agitur furiis [g] Athamas, & imagine [h] falsâ;
Tuque cadis patriâ, parve Learche, manu.
Mœsta Learchêas mater tumulaverat umbras;
Et dederat miseris omnia justa rogis.
Hæc quoque, funestos ut erat laniata capillos,
Prosilit; & cunis te, [i] Melicerta, rapit.
[k] Est spatio contracta brevi, freta [l] bina repellit;
Unaque pulsatur terra duabus aquis.
Huc venit insanis natum complexa lacertis;
Et secum è celso mittit in alta jugo.
Excipit illæsos [m] Panope centúmque sorores;
Et placido lapsu per sua [n] regna ferunt.
[o] Nondum Leucotheë, nondum puer [p] ille Palæmon
Vorticibus densi Tybridis [q] ora tenent.
[r] Lucus erat; dubium Semelæ Stimulæne vocetur;
[s] Mænadas Ausonias [t] incoluisse ferunt.

INTERPRETATIO.

Juno irata est, quòd alat filium sublata adulterâ. At ille erat sanguis germana. Hinc Athamas agitatur furiis, & fictu simulacris; tuque parve Learche procumbis manu paternâ. Tristis mater condiderat Umbras Learchêas, & miserat omnia justa tristibus pyris. Hæc etiam prevolat ut erat, habens comam funestam discerptam, & aufert te ex cunis, Melicerta. Una terra est coarctata in parvum spatium, arcet duo maria, & teritur duabus aquis. Huc venit complexa filium furiosis brachiis, atque dejicit secum in profundum ex sublimi vertice. Panope & centum sorores excipiunt incolumes, atque ferunt leni cursu per sua regna. Nondum Leucothea, nondum ille puer Palæmon possident ostia Tybridis frequentis verticibus. Lucus erat; incertum appelletur Semela an Stimula: dicunt Mænadas Ausonias celebrasse.

NOTÆ.

[c] *Raptâ*] Jovis igne extinctâ.
[d] *Sanguis*] Cujus lege tenebatur.
[e] *Ille*] Bacchus *scil.*
[f] *Hinc*] Ex eo quòd Bacchum Ino educabat; atque ideo Juno irâ intumuerat.
[g] *Athamas*] Qui Inûs maritus, Rex Thebarum.
[h] *Falsâ*] Cùm leænæ catulum existimaret.
[i] *Melicerta*] Filium suum alterum furiis quoque acta rapit.
[k] *Est spatio*] Isthmum Achaicum circumscribit, unde se cum nato in mare præcipitem dedit Ino.
[l] *Bina*] Ionium atque Ægeum.
[m] *Panope*] Nympha maris, Nerei & Doridis filia.
[n] *Regna*] Maria *scil.* ubi quoque in Deos mutati Ino & Melicerta.
[o] *Nondum Leucoth.*] Mortalis adhuc Ino, nec Dea facta nomine Leucothea.
[p] *Ille*] Melicerta *scilic.* qui neque adhuc Palæmon Græcorum, vel Portunus Latinorum.
[q] *Ora*] Ostia Tiberina.
[r] *Lucus*] De eo vetus memoria in Sexto Ruffo, & in hoc antiquo marmore

DIIS MANIBUS
M. CÆCILIO SP. F. SUO RUFO
SOLIARIO AB LUCO SEMELES, &c.

[s] *Mænadas*] Bacchi Sacerdotes Latinas, quæ Orgya celebrabant.
[t] *Incoluisse*] Ibi sacra celebrabant.

Quærit ab his Ino,[u] quæ gens foret. Arcadas esse
  Audit; & Evandrum sceptra tenere loci.
Dissimulata Deam Latias[x] Saturnia Bacchas
  Instimulat fictis insidiosa sonis:
O nimium faciles, ô toto pectore captæ,
  Non venit[y] hæc nostris hospes amica choris.
Fraude petit; sacríque parat cognoscere ritum.
  Quo possit pœnas pendere,[z] pignus habet.
Vix bene desierat; complent ululatibus auras
  [a] Thyades effusis per sua colla comis:
Injiciúntque manus, puerúmque revellere pugnant.
  Quos[b] ignorat adhuc, invocat illa Deos:
Dîque, virique loci, miseræ succurrite matri.
  Clamor Aventini saxa propinqua ferit.
Appulerat ripæ vaccas[c] Oetæus[d] Iberas.
  Audit; & ad vocem concitus urget iter.
Herculis adventu, quæ vim modò ferre parabant,
  Turpia fœmineæ terga dedêre fugæ.
[e] Quid petis hinc (cognorat enim),[f] matertera Bacchi?
  An[g] numen quod me, te quoque vexat, ait?
Illa docet partim; partim præsentia[h] nati.
  Continet: & furiis in scelus îsse pudet.

INTERPRETATIO.

Ino petit ab his, quæ natio esset; accipit esse Arcades, atque Evandrum tractare sceptra loci. Saturnia insidiosa, tectâ Divinitate, provocat Bacchas Latinas falsis vocibus: O nimiùm credula, ô insipientes totâ mente, hæc peregrina non adest favens nostris cœtibus. Dolo exquirit; & instituit cognoscere morem sacri. Habet pignus quo possit exsolvere pœnas. Vix bene absolverat: Thyades implent aërem vociferationibus capillis sparsis per sua colla: Atque immittunt manus, & certant abripere adolescentem. Illa implorat opem Deorum, quos adhuc non cognoscit; Diique, inquit, *virique loci, præbete auxilium infelici matri. Vox concutit rupes vicinas Aventini. Oetæus admoverat juvencas Iberas littori. Accipit vocem, & commotus accelerat gradus ad eam. Quæ modò incœperant vim facere verterunt terga turpia fugâ fœminea accessu Herculis. Quid hinc petis matertera Bacchi? namque agnoverat. An numen quod me torquet, inquit, urget te etiam? Illa refert partim; partim præsentia filii coërcet; atque pudet abreptam fuisse in facinus furiis.*

NOTÆ.

[u] *Quæ gens*] Quæ *scil.* ea loca teneret.

[x] *Saturnia*] Juno *scil.* quæ sub fœminæ larvâ latebat.

[y] *Hæc*] Ino *scil.*

[z] *Pignus*] Melicertam *scil.* Inûs filium.

[a] *Thyades*] Mænades, Bacchæ, quæ à θύω *sacrifico, impetu feror,* sic dictæ.

[b] *Ignorat*] Peregrina Ino Deos Italos non noverat.

[c] *Oetæus*] Hercules, qui post fata in Oetâ Thessaliæ monte combustus est.

[d] *Iberas*] Geryonis Iberi seu Hispani vaccas in Italiam egisse Herculem sæpius vidimus.

[e] *Quid petis*] Verba sunt Herculis ad Inonem.

[f] *Matertera*] Omnino siquidem Ino soror Semeles matris Bacchi.

[g] *Numen*] Juno *scil.* quæ utrique Herculi atque Inoni infesta.

[h] *Nati*] Melicertæ, in cujus conspectu de furiis suis nolebat verba facere.

Rumor

Rumor (ut eſt velox) agitatis pervolat alis :
Eſtque [i] frequens, Ino, nomen in ore tuum.
[k] Hoſpita Carmentis fidos intraſſe penates
Diceris, & longam depoſuiſſe famem.
Liba ſuâ properata manu [l] Tegeêa ſacerdos
Traditur in ſubito coćta dediſſe foco.
Nunc quoque liba juvant feſtis Matralibus [m] illam.
Ruſtica ſedulitas gratior arte fuit.
[n] Nunc, ait, ô [o] vates venientia fata [p] reſigna,
Quà licet : hoſpitiis hoc, precor, adde meis.
Parva mora eſt : [q] cælum vates ac numina ſumit ;
Fitque [r] ſui toto pećtore plena Dei.
Vix illam ſubitò poſſes cognoſcere ; tantò
[ſ] Sanćtior, & tantò, quàm modò, major erat.
Læta canam : gaude defunćta laboribus, Ino,
Dixit ; & huic populo dextera ſemper ades.
Numen eris pelagi : natum quoque pontus habebit.
In veſtris aliud ſumite nomen aquis.
Leucotheë Grajis, Matuta vocabere noſtris.
In portus nato jus erit omne tuo.
Quem nos Portunum, [t] ſua lingua Palæmona dicet.
Ite, precor, noſtris æquus uterque locis.
Annuerant : promiſſa fides : poſuêre labores.
Nomina mutarunt : hic Deus, illa Dea eſt.

INTERPRETATIO.

Fama, ut eſt levis, excurrit alis motis : atque nomen tuum, Ino, eſt crebrum in ore. Advena diceris ſubiiſſe fidam domum Carmentis, & ſedaſſe longam famem. Sacerdos Tegeæa creditur obtuliſſe liba properanter parata ſuâ manu, excocta in foco ſubitaneo. Nunc etiã liba placent illi feſtis Matralibus. Diligentia ruſtica magìs placuit arte. Nunc, inquit, ô Vates, aperi, quantùm conceditur fata futura, adjice,hoc, quaſo meis hoſpitiis. Exiguum excurrit ſpatium ; vates concipit cœlum ac numina, atque repletur ſuo Deo per totum pectus. Vix poſſes illam ſtatim cognoſcere, tantò erat ſanctior,& tantò major quàm modò. Cantabo feſtiva ; Lætare, inquit, Ino, exantlatis laboribus ; atque ades ſemper propitia huic genti. Dea eris maris : mare poſſidebit etiam filium. Capite aliud nomen in veſtris aquis. Appellaberis Leucothea à Græcis, Matuta à noſtris. Omne erit jus in portus filio tuo. Sua lingua vocabit Palæmonem, quem nos Portunum. Ite, oro, uterque favens noſtris ſedibus. Aſſenſum præbuerant : fides data : deſtiterunt à laboribus. Mutarunt nomina : hic eſt Deus, illa Dea.

NOTÆ.

[i] *Frequens*] Inûs fama per Latium ſparſa.
[k] *Hoſpita*] De Inone loquitur.
[l] *Tegeæa*] Carmentis, à Tegæà Arcadiæ oppido.
[m] *Illam*] Inonem *ſcil.* ſeu Matutam Deam.
[n] *Nunc*] Poſtquam ſedata fames.
[o] *Vates*] Carmentim alloquitur.
[p] *Reſigna*] Aperi.
[q] *Cœlum vat.*] Cœleſti afflata eſt numine.
[r] *Sui*] Apollinis *ſcil.*
[ſ] *Sanctior*] *Auguſtior.*
[t] *Sua*] Græca *ſcil.*

Cur vetet ancillas accedere, quæritis? odit.
Principiúmque odii, si sinat ipsa, canam.
Una ministrarum solita est, [u] Cadmei, tuarum
Sæpe sub amplexus conjugis ire tui.
Improbus hanc Athamas furtim dilexit: ab [x] illâ
Comperit agricolis semina tosta [y] dati.
[z] Ipsa quidem fecisse negat, sed fama recepit.
Hoc est cur odio sit tibi serva manus.
Non tamen hanc pro stirpe suâ pia mater adoret:
Ipsa [a] parùm felix visa fuisse parens.
[b] Alterius prolem meliùs mandabitis illi.
Utilior Baccho quàm fuit ipsa suis.
[c] Hanc tibi, quò properas, memorant dixisse, [d] Rutili?
Luce meâ [e] Marso Consul ab hoste cades.
Exitus accessit verbis: fluménque [f] Telonum
Purpureo mistis sanguine fluxit aquis.
Proximus annus erat: [g] Pallantide cæsus eâdem
[h] Didius hostiles ingeminavit opes.

INTERPRETATIO.

Petitis quamobrem prohibeat famulas adesse? Odio habet: atque, si ipsa patiatur, dicam causam odii. Cadmei, una tuarum famularum consuevit sæpe venire sub amplexus tui mariti. Scelestus Athamas hanc secretò amavit; intellexit ab illâ semina cocta tradi colonis. Ipsa quidem diffitetur: verùm rumor admisit. Hoc est quamobrem serva manus sit tibi odio. Genitrix tamen pia ne hanc invocet pro sua sobole: ipsa visa mater parùm beata. Feliciùs commendabitis illi stirpem alterius. Ipsa fuit melior Baccho, quàm suis. Dicunt hanc tibi dixisse, Rutili, Quò festinas? Procumbes ab hoste Marso, Consul, die meâ. Eventus additus dictis: atque amnis Telonus fluxit aquis mistis cruore purpureo. Sequens annus venerat: Didius mactatus eâdem die auxit vires hostiles.

NOTÆ.

[u] *Cadmei*] Ino Cadmi filia.

[x] *Illâ*] Ancillâ *scilic.* quam Antipheram dictam volunt.

[y] *Dari*] Inûs jussu: uti ex superioribus intelleximus.

[z] *Ipsa*] Ino.

[a] *Parùm*] Quia alterum filium à patre occisum vidit, cum altero ipsa in mare se præcipitem dedit.

[b] *Alter.*] Liberos fratrum aut sororum.

[c] *Hanc*] Matutam *scilic.* Fabulam incœptat.

[d] *Rutili*] Hic P.Rutilius Lupus Consul anno ab Urbe 663.

[e] *Marse*] Miratur clariss.Neapolis quamobrem Marsorum potiùs quàm Lucanorum aut aliorum sociorum qui adversus Romam insurrexerunt meminerit. Rationem habet Cicero, qui sociale bellum *Marsicum* quoque dici ait, quòd *Marsi* primùm arma sumsissent.

[f] *Telonum*] Hic Telonus aut Tolenus fluvius Marsorum, quem haud procul à Liri fuisse, aut in eum confluxisse ex eo conjicias, quòd ad hunc Rutilium cum 8 millibus Romanorum captum nonnulli scripserint.

[g] *Pallantide eâdem*] Eâdem Aurorâ. Eodem die.

[h] *Didius*] Neque clariss.vir.Neapolis atque Heinsius sese hinc expediunt, neque ipse quod certum sit huc possum adducere.

Lux eadem, [i] Fortuna, tua est, auctórque, locúsque.
Sed [k] superinjectis quis latet æde togis?
[l] Servius est: hoc constat enim, sed caussa latendi
Discrepat; & dubium me quoque mentis habet.
Dum [m] Dea furtivos timidè profitetur amores;
Cælestémque homini concubuisse pudet;
[n] (Arsit enim magno correpta cupidine Regis,
Cæcáque in hoc uno [o] non fuit illa viro)
Nocte domum parvâ solita est intrare fenestrâ;
Unde Fenestellæ nomina porta tenet.
Nunc pudet, & vultus velamine celat amatos:
Oráque sunt multâ regia tecta togâ.
An magis est verum, post Tullî funera plebem
[p] Confusam placidi morte fuisse ducis?
Nec modus ullus erat; crescebat [q] imagine luctus;
Donec eam positis occuluêre togis.
Tertia caussa mihi spatio majore canenda est:
Nos tamen adductos [r] intus agemus equos.
[s] Tullia, [t] conjugio sceleris mercede peracto,
His solita est dictis exstimulare virum:
Quid juvat esse pares, te nostræ [u] cæde sororis
Meque tui fratris, si pia vita placet?

INTERPRETATIO.

Fortuna, Dies eadem, atque auctor, & sedes sunt tibi. Verùm quis tegitur in tuo templo, vestibus superstratis? Servius est: istud enim certum est: verùm ratio latendi dissidet, & tenet me etiam incertum animi. Dum Dea cunctanter agnoscit secretos amores, & pudet divam conseruisse latus mortali: (Namque incensa est, mota magno desiderio Regis, atque illa non fuit cæca in illo solo viro:) consuevit ingredi domum nocte per exiguam fenestram; ex quo porta habet nomina Fenestella. Nunc pudet, & tegit faciem dilectam velamine, vultusque regii sunt conditi multâ veste. An certius est, populum turbatum fuisse obitu lenis regis, post fata Tullii? Neque ullus modus erat: dolor augebatur per simulacrum ejus, donec illud condiderunt vestibus superstratis. Tertia ratio proferenda est à me majore areâ: nos tamen agitabimus equos impulsos intus. Tullia, conjugio præmio facineris absoluto, solita est urgere maritum his verbis: Quid interest esse æquales, te nece nostra germana, meque tui fratris, si vita proba grata est?

NOTÆ.

[i] *Fortuna*] Cognomine Virilis, cui Servius Tullius delubrum in foro boario posuit.

[k] *Superinj.*] In fortunæ templo Servii Tullii ligneum simulacrum fuit velato togâ capite, caussis quas mox subjiciet Naso.

[l] *Servius*] Romanorum rex sextus.

[m] *Dea*] Fortuna *scil.*

[n] *Arsit*] Sic vulgò creditum, ex eo fortè, quòd illi regi maximè favit fortuna.

[o] *Non fuit*] Fortuna quæ cæca ideo dicitur, quòd merentes deprimat, indignos extollat, in Tullio non fuit cæca, quæ usque bene merenti propitia fuit.

[p] *Confusam*] Turbatam nimio mœrore.

[q] *Imagine*] Servii viso simulacro.

[r] *Intus*] Ut minori gyro currant. Metaph. à Circo, quâ, utcumque pluribus, quàm fieri possit tamen brevissimè acturum Nasonem, intelligitur.

[s] *Tullia*] Servii Tullii scelestissima filia.

[t] *Conjugio*] Quo moribus simili Tarquinio Superbo Tullia juncta est.

[u] *Cæde*] Veneno uterque sublati dicuntur.

Vivere debuerant & vir meus & tua conjux,
Si nullum ausuri majus eramus opus.
Et caput & regnum facio [x] dotale parentis.
Si vir es, i, dictas exige dotis opes.
[y] Regia res scelus est. socero cape regna necato:
Et nostras patrio sanguine tinge manus.
Talibus [z] instinctus solio privatus in alto
Sederat. attonitum vulgus ad arma ruit.
Hinc cruor, hinc cædes: [a] infirmáque vincitur ætas.
[b] Sceptra gener socero rapta Superbus habet.
Ipse [c] sub Esquiliis, ubi erat sua regia, cæsus
Concidit in durâ sanguinolentus humo.
[d] Filia carpento patrios initura penates,
Ibat per medias alta feroxque vias.
Corpus ut adspexit, lacrymis auriga profusis
Restitit. hunc tali corripit illa sono:
Vadis? an exspectas pretium pietatis amarum?
Duc, inquam, invitas ipsa per ora rotas.
[e] Certa fides facti: dictus Sceleratus ab illâ
Vicus, & æternâ res ea pressa notâ.
Post tamen hoc ausa est [f] templum monumenta parentis
Tangere: mira quidem, sed tamen acta loquar.
Signum erat in solio residens sub imagine Tullî:
Dicitur hoc oculis opposuisse manum.

INTERPRETATIO.

Si nullum majus facinus eramus incœpturi, maritus meus, & tua uxor debuerant vivere. Facio caput & regnum patris mei dotem. Si fortis es, ito, repete opes dotis. Facinus est res regia. Invade imperium socero mactato: & infice nostras manus sanguine patrio. Excitatus hujusmodi dictis privatus sederat in excelso solio: plebs trepida fertur in arma. Hinc cruor, hinc strages; atque ætas debilis superatur. Superbus gener obtinet sceptra sublata socero suo. Ipse mactatus sub Esquiliis, ubi sua basilica erat, cecidit sanguine infectus in terrâ asperâ. Nata ingressura domum paternam vehebatur pilento per medias vias sublimis atque superbiens. Auriga cùm vidit corpus restitit lacrymis sparsis: illa damnat hunc hujusmodi voce, Isne? an exspectas duram mercedem pietatis? Ducito, inquam rotas nolentes per ipsos vultus. Fides facinoris indubitata: via dicta Scelesta ab illâ; & factum illud signatum notâ indelebili. Non tamen verita est post hoc intrare ædem sui patris: dicam quidem stupenda, sed tamen facta. Imago vultu Tullii erat posita in solio: ea dicitur objecisse manum oculis.

NOTÆ.

[x] *Dotale*] Quod in dotem cedat.

[y] *Regia res*] Dictum impium: verùm quod hodie multos facit reges.

[z] *Instinctus*] Muliebribus furiis instinctum Tarquinium scripsit Livius, apud quem eadem propè quæ hìc legas, paulò tamen fusiùs.

[a] *Infirma*] Servli.

[b] *Sceptra*] Regnum quod rapere maluit quàm expectare.

[c] *Sub Esq.*] In vico Cyprio, ubi ab immissis percussoribus interfectus est, cùm se domum quam in Esquiliis habuit, semianimis reciperet.

[d] *Filia*] Tullia *scil.*

[e] *Certa fides*] Tullia, ut habet Florus, super cruentum patrem, vecta carpento, consternatos equos egit.

[f] *Templum*] Fortunæ templum à Servio consecratum.

Et vox audita est, Vultus abscondite nostros,
Ne natæ videant ora nefanda meæ.
Veste datâ teg.tur : vetat hanc Fortuna moveri :
Et si. è templo est ipsa locuta suo :
Ore revelato quâ primùm luce patebit
Servius, hæc [g] positi prima pudoris erit.
Parcite, matronæ, [h] vetitas attingere vestes
Sollemni satis est voce movere preces:
Sitque caput semper Romano tectus amictu,
Qui Rex in nostrâ [i] septimus Urbe fuit.
Arserat hoc templum : signo tamen ille pepercit
Ignis : [k] opem nato Mulciber ipse tulit.
Namque pater Tulli [l] Vulcanus, Ocresia mater
Præsignis facie [m] Corniculana fuit.
Hanc secum [n] Tanaquil, sacris de more paratis,
Jussit in ornatum fundere vina [o] focum.
Hîc inter cineres obsceni forma virilis
Aut fuit, aut visa est; sed fuit illa magis.
[p] Jussa foco captiva fovet. conceptus ab illâ
Servius à [q] cælo semina gentis habet.
Signa dedit genitor, tum cùm caput [r] igne corusco
Contigit, inque comâ flammeus arsit apex.

INTERPRETATIO.

Atque vox audita est, Tegite faciem nostram, ne adspiciat Vultus nefarios mea filia. Occulitur togâ oblatâ : fortuna prohibet hanc tolli : atque ipsa ità loquuta est ex delubro suo : Quâ die Servius primùm apparebit vultu nudato, hæc erit prima verecundiæ protrita. Nolite, matronæ, tangere amictus interdictos : satis est precari verbis sollemnibus : atque caput regis, qui fuit septimus in nostrâ Urbe sit semper velatum veste. Hæc ædes deflagraverat : tamen illa flamma pepercit simulacro : ipse Vulcanus præbuit auxilium filio. Namque ille genitor Tullii, Ocresia Corniculana fuit mater pulcherrima. Tanaquil, sacris adornatis pro consuetudine, jussit hanc spargere focum vina in focum decoratum. Hic figura pudendi virilis aut fuit, aut visa est inter favillas : verùm illa potiùs fuit. Ancilla monita fovet in foco : Servius ortus ex illâ habet primordia generis à cælo. Pater fecit indicia, cùm cùm lambit caput flammâ splendidâ, atque apex igneus flagravit in capillis.

NOTÆ.

[g] *Positi*] Ut neque Romanos tanti sceleris pudere credatur.

[h] *Vetitas*] Eas *scil.* quæ Servii vultus tegunt.

[i] *Septimus*] Sextum potiùs dixeris : verùm T.Tatium, qui cum Romulo regnavit, regibus annumerat Naso.

[k] *Opem*] Quia à Mulcibero seu Vulcano aut igne nullam labem sensit Tullii effigies lignea.

[l] *Vulcanus*] Ita suadet fabula ab Historicis etiam relata : verè autem vir quidam fuit princeps in Corniculi expugnatione occisus.

[m] *Cornicul.*] Corniculo Latinorum oppido oriunda.

[n] *Tanaquil*] Regina, Tarquinii Prisci conjux.

[o] *Focum*] Aram.

[p] *Jussa*] À Reginâ.

[q] *Cælo*] Atque adeò Vulcano.

[r] *Igne*] Clarum fore Tullium visa circa caput flamma promiserat, inquit Florus. Paria de Ascanio suo finxit Maro.

Te [f] quoque magnificâ, Concordia, dedicat æde
Livia, [t] quam caro præstitit illa viro.
Disce tamen, veniens ætas, ubi [u] Livia nunc est
Porticus, [x] immensæ tecta fuisse domûs.
Urbis opus domus una fuit: spatiúmque tenebat,
Quo brevius muris oppida multa tenent.
Hæc æquata solo est, [y] nullo sub crimine regni,
Sed quia luxuriâ visa nocere suâ.
Sustinuit tantas operum subvertere moles
Totque suas [z] hæres perdere Cæsar opes.
Sic agitur [a] censura, & sic exempla parantur;
Cùm vindex, alios quod monet, ipse facit.
Nulla [b] nota est veniente die, quam ducere possis.
Idibus [c] invicto sunt data templa Jovi.
Et jam Quinquatrus jubeor narrare [d] minores.
Nunc ades ô cœptis, flava Minerva, meis.
Cur vagus incedit totâ tibicen in Urbe?
Quid sibi [e] personæ, quid [f] stola longa, volunt?

INTERPRETATIO.

Livia, consecrat te etiam splendido templo, Concordia, quam illa fovit cum dilecto marito. Cæterum intelligas ætas futura, tecta fuisse domus vastissima ubi porticus Liviæ nunc est. Una domus fuit opus unius Urbis: atque complectebatur locum, quo multæ urbes occupant angustiorem mœnibus. Hæc excisa est funditus, sub nullo crimine regni, sed quia visa obesse suo splendore. Cæsar potuit dolere tantas moles ædificiorum, atque hæres amittere tot suas divitias. Censura eo modo exercetur, atque ità exempla proponuntur, cùm assertor ipse præstat quod jubet alios. Nulla est nota quam possis facere die sequenti Idibus templa sunt posita Jovi invicto. Atque nunc teneor referre Quinquatrus minores: flava Pallas, ô nunc fave meis conatibus. Quamobrem tibicen errans ambulas per totam Urbem? Quid significant Personæ, quid stola promissa?

NOTÆ.

[f] *Quoque*] Eodem 4 Idus Junias templum Concordiæ dedicatum, de quo jam suprà.

[t] *Quam*] Summâ enim concordiâ cum Augusto dicitur vixisse.

[u] *Livia*] Cui à Liviâ Augusti conjuge datum nomen.

[x] *Immensæ*] Hanc superbam domum Augusto legaverat Pollio, ut autor est Dio.

[y] *Nullo sub-*] *Non quòd harum ædium dominus affectati regni argueretur.* Valerius quidem Publicola, ne specie arcis offenderet, eminentes ædes suas in plana submisit.

[z] *Hæres*] Hæreditario jure ad Augustum pervenisse Pollionis domum diximus.

[a] *Censura*] Præfectura morum cum Censoriâ potestate Augusto fuerat decreta: adeòque, ne luxuriæ ansam cuiquam præberet amplissimam sibi legatam domum diruit.

[b] *Nota*] Titulus festorum, quo Fasti signentur.

[c] *Invicto*] Pro epithetône an cognomine positum sit istud nomen non liquet, adeò rara aut nulla hujus templi memoria.

[d] *Minores*] *Minuscula Quinquatrus appellabantur Idus Juniæ; quòd is dies festus erat tibicinum, qui Minervam colebant.* Verba sunt Festi.

[e] *Personæ*] Personati enim incedebant tibicines, ne temulentiæ suæ, de quâ postea, illos puderet.

[f] *Stola*] Vestis muliebris apud Romanos, quâ & viri utebantur in aliis gentibus, tibicinibus atque citharœdis præsertim in usu.

Sic ego: sic positâ [g] Tritonia [h] cuspide dixit.
Pace velim doctæ verba referre Deæ.
Temporibus veterum tibicinis usus avorum
Magnus, & in magno semper honore fuit.
Cantabat [i] fanis, cantabat tibia ludis:
Cantabat mœstis tibia funeribus.
Dulcis erat [k] mercede labor: [l] tempúsque secutum,
Quod subito Grajæ frangeret artis opus.
Adde quòd [m] Ædilis, pompam qui funeris irent,
Artifices solos jusserat esse decem.
[n] Exsilio mutant Urbem, Tibúrque recedunt:
[o] Exsilium quodam tempore Tibur erat:
[p] Quæritur in scenâ cava tibia; quæritur aris:
Ducit supremos [q] nænia nulla choros.
[r] Servierat quidam quantolibet ordine dignus
Tibure: sed longo tempore liber erat.
Rure dapes parat ille suo; [s] turbámque canoram
Convocat. ad festas convenit illa dapes.
Nox erat; & [t] vinis oculíque animíque natabant:
Cùm [u] præcomposito nuncius ore venit.

INTERPRETATIO.

Ità ego: Tritonia sic respondit mucrone terra infixo. Velim memorare dicta doctæ Deæ pace ejus. Ætate Majorum usus multus fuit tibicinum, atque semper in magnâ laude. Tibia canebat in templis, canebat in ludis, tibia adhibebatur tristibus exequiis. Labor erat suavis præmio; atque tempus ortum, quod repente minueret opus artis Græcæ. Adde quòd Ædilis imperaverat solos esse decē tibicines, qui præcederent pompam funeream. Mutant Urbem exsilio, atque concedunt Tibur: Tibur quodam tempore exsilium erat: Cava tibia expetitur in theatris; desideratur ad altaria; nulla nænia præit ultimis agminibus. Quidā dignus quantolibet ordine servierat Tibure; verùm manumissus erat à longo tempore. Ille adornat epulas rure suo, & invitat agmen sonorum: illud coit ad epulas festas. Nox erat; atque oculi & animi immersi erant mero, cùm nuncius accedit verbis præstitutis

NOTÆ.

[g] *Tritonia*] Pallas, cui à Tritone palude, ubi educata, illud nomen.

[h] *Cuspide*] Hastâ.

[i] *Fanis*] *Templis*: atque adeò festis diebus.

[k] *Mercede*] Iis qui in sacris præcinerent jus erat in æde vesci.

[l] *Tempus*] Non tempus, sed quod fecerunt Censores Appius Claudius & C. Plautius, anno ab Urbe 443, qui in æde Jovis vesci tibicines prohibuerunt.

[m] *Ædilis*] Appius Claudius, qui antea per Ædilitatis suæ tempus, damnoso quodam edicto, quo funebres sumptus coarctavit, statuitque ne quis plures quàm decem ex tibicinibus in exequiis adhiberet, eos valdè irritavit.

[n] *Exsilio*] Pulsi non fuerunt; sed ipsi irati Tibur se contulerunt.

[o] *Exsilium*] Pro se istud dixit Naso, qui tam longè actus; cùm olim Tibur, suburbanum propè oppidum, exsilium esset.

[p] *Quæritur*] Nulla fuit tibia in theatris atque ludis, quia tibicines abierant.

[q] *Nænia*] Carmen, quod in funere laudandi caussâ ad tibiam cantaretur, nullum erat.

[r] *Servierat*] In eo est Naso, ut, quomodo restituti fuerint tibicines, enarret. Sed aliter paulò habet Livius, qui per Legatos Tibure remissos scripsit.

[s] *Turbamque can.*] Tibicines Romanos *scilicet*.

[t] *Vinis*] Scilicet illud genus vini est avidissimum.

[u] *Præcomposito*] Verbis fictis.

Atque ita, [x] Quid cessas convivia solvere? dixit:
[y] Auctor [z] vindictæ jam venit, ecce, tuæ.
Nec mora; convivæ valido titubantia vino
Membra movent: dubii stántque labántque pedes.
At [a] dominus, Discedite, ait. plaustróque morantes
Sustulit. in plaustro [b] sirpea lata fuit.
Alliciunt somnos tempus motúsque merúmque
Potáque se Tibur turba redire putat.
Jamque per [c] Esquilias Romanam intraverat urbem;
Et manè in medio plaustra fuère Foro.
[d] Plautius, ut possent specie numeróque Senatum
Fallere, [e] personis imperat ora tegi.
Admiscétque alios; &, ut hunc [f] tibicina cœtum
Augeat, in [g] longis vestibus ire jubet.
Sic reduces bene posse tegi: ne fortè notentur
Contra [h] collegæ jussa redîsse sui.
Res placuit: cultúque novo libet Idibus uti;
Et canere ad veteres verba jocosa modos.
Hæc ubi [i] perdocuit, Superest mihi discere, dixi,
Cur sit Quinquatrus illa vocata dies.

INTERPRETATIO.

atque ità, Quamobrem, inquit, hares, neque mittis convivia? ecce auctor vindictæ tuæ jam adest. Et sine spatio, convivæ agitant artus suos labantes generoso mero: pedes incerti stant atque titubant. At dominus, Abite, inquit; atque imposuit restitantes vehiculo: sirpea lata fuit in vehiculo. Mora, & agitatio, & vinum conciliant soporem: atque agmen ebrium credit se reverti Tibur. Jamque subierat Urbem Romanam per Esquilias; & manè vehicula fuerunt in medio foro. Plautius, ut possent imponere Senatui specie & numero, jubet vultus occuli larvis; atque admiscet alios: &, ut tibicina augeat hanc turbam, imperat procedere in promissis vestibus. Arbitratus est *reduces posse sic tegi commodè; ne fortè videantur rediisse contra jussa collegæ sui. Res fuit accepta: atque placet uti ornatu novo Idibus; & cantare verba jocosa ad modos antiquos. Postquam ista perdocuit, Restat mihi discere, inquam, quamobrem illa dies sit appellata Quinquatrus.*

NOTÆ.

[x] *Quid cessas*] Verba sunt nuntii ad libertum, qui festum diem agebat.

[y] *Autor vind.*] Qui te manumisit, & liberum fecit.

[z] *Vindicta*] Virga, quâ supra caput à Prætore impositâ servi manumittebantur, pro libertate ipsâ hic posita est.

[a] *Dominus*] Libertus *scil.* seu ille potiùs à quo manumissus fuerat.

[b] *Sirpea*] Tegeticulâ ergo quâdam aut crate septa atque tecta fuit carruca. *La charrette étoit converte de quelque natte.*

[c] *Esquilias*] Portam Esquilinam, quam & Tiburtinam vocaverunt.

[d] *Plautius*] Qui quidem dedisse videtur operam, ut tibicines, quos non semel collega Appius Claudius offenderat, levatis gravaminibus, in integrum restituerentur.

[e] *Personis*] *De masques.*

[f] *Tibicina*] Mulier tibiâ canens, quæ hîc sola pro multis ponitur.

[g] *Longis*] Stolis, viris atque mulieribus pariter in usu.

[h] *Collega*] Appii Claudii. Crediderim in jocum hanc rem totam vertisse Plautium.

[i] *Perdocuit*] Minerva *scil.*

Martius

[k] Martius, inquit, agit [l] tali mea nomine festa;
Estque sub inventis [m] hæc quoque turba meis.
[n] Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret effeci tibia longa sonos.
[o] Vox placuit: liquidis faciem referentibus undis
Vidi [p] virgineas intumuisse genas.
Ars mihi non tanti est; valeas, mea tibia, dixi.
Excipit abjectam cespite [q] ripa suo.
Inventam [r] Satyrus primùm miratur: at usum
Nescit, & inflatam sentit habere sonum.
Et [s] modò dimittit digitis, modò concipit auras:
Jamque inter Nymphas arte superbus erat.
Provocat & Phœbum. Phœbo [t] superante pependit:
Cæsa recesserunt à cute membra suâ.
Sum tamen inventrix auctórque ego [u] carminis hujus.
Hoc est cur nostros ars colat ista dies.
[x] Tertia lux veniat, quâ tu [y] Dodoni [z] Thyene,
Stabis [a] Agenorei [b] fronte videnda bovis.

INTERPRETATIO.

Martius, ait, habet festa mea hujusmodi nomine: atque hic cœtus est etiam sub meis inventis. Prima effeci ut tibia longa ederet voces, buxo perforato per pauca foramina. Sonus gratus fuit: adverti malas virgineas inflatas, aquis limpidis repræsentantibus vultus meos. Ars non est mihi tanti; procul esto, inquam, mea tibia. Ripa excipit cespite suo projectam. Satyrus miratur primùm repertam: at ignorat usum, & intelligit inflatam reddere vocem. Atque nunc emittit ventos, nunc colligit digitis: jamque erat ferox arte inter Nymphas. Provocat quoque Apollinem. Apolline victore pependit: artus discerpti divisi sunt à pelle suâ. Attamen ego sum auctor & inventrix hujus carminis. Ista est caussa ob quam ars ista celebret nostros dies.

Tertia dies oriatur, quâ tu Dodoni Thyene eris conspicienda in capite tauri Agenorei.

NOTÆ.

[k] *Martius*] Mensis *scil.*

[l] *Tali*] *Quinquatrus*, ut vidimus in Martio.

[m] *Hæc turba*] Tibicinum *scil.*

[n] *Prima*] Tibiæ inventricem sese facit Minerva.

[o] *Vox*] Tibiæ sonus Minervæ gratus fuit.

[p] *Virgineas*] Palladis virginis.

[q] *Ripa*] Ejus fontis aut lacus *scilic.* ubi genas intumescere cantando tibiâ Minerva viderat.

[r] *Satyrus*] Marsyas, qui fistulam πολυκάλαμον invenisse dicitur.

[s] *Modò dimit.*] Artis est *scilicet* tibiæ sonum tollendo à foraminibus aut admovendo digitos variare.

[t] *Superante*] Marsias ab Apolline victus cute dereptâ mulctatus est.

[u] *Carminis*] Quod ad tibiam cantatur.

[x] *Tertia*] Ipsis tamen Idibus inclusis; hoc est 17 Cal. Julias, seu Junii 15 die.

[y] *Dodoni*] Dodonidas nymphas appellatas quoque scripsit Hyginus.

[z] *Thyene*] Nomen est ultimæ Hyadum, cujus mentione omnium Naso pleniorem ortum indicat.

[a] *Agenorei*] Quo usus Jupiter in vehendâ Europâ Agenoris Phœnicum regis filiâ; ut dictum sæpius.

[b] *Fronte*] In Tauri fronte positas Hyadas vidimus superiùs.

Hæc est illa dies, quâ tu purgamina Vestæ,
Tybri, per [c] Etruscas in mare mittis aquas.
SI qua fides ventis; Zephyro date carbasa, nautæ:
[d] Cras veniet vestris ille secundus aquis.
AT pater Heliadum, radios ubi [f] tinxerit undis,
Et cinget [g] geminos stella serena polos;
Tollet humo validos [h] proles Hyriêa lacertos:
[i] Continuâ Delphin nocte videndus erit.
Scilicet hic olim [k] Volscos Æquosque fugatos
Viderat in campis, [l] Algida terra, tuis.
[m] Unde [n] suburbano clarus, Tuberte, triumpho,
[o] Vectus es in niveis, Postume, victor equis.
[p] JAm sex, & totidem luces de mense supersunt:
Huic unum numero tu tamen adde diem.
[q] Sol abit è Geminis, & Cancri signa [r] rubescunt:
Cœpit Aventinâ Pallas in arce coli.
JAm tua, Laomedon, oritur [s] nurus: ortáque noctem
Pellit, & è pratis uda pruina [t] fugit.

INTERPRETATIO.

Hæc est illa dies, quâ tu, Tybri, devolvis in æquor sordes Vestæ per aquas Thuscas.

SI qua fides ventis, nautæ pandite vela Zephyro: ille cras aderit favens vestris aquis.

AT postquam parens Heliadum merserit radios fluctibus, & stella pura obierit utrumque polum, filius Hyriei elevabit à tellure fortia brachia: nocte continuâ Delphinus erit conspiciendus. Scilicet hic viderat olim Volscos atque Æquos fusos in campis tuis, terra Algida. Unde illustris triumpho suburbano, vectus es victor in equis candidis, Tuberte Posthume.

JAm sex & totidem dies restant de mense: adjice tamen unum diem huic numero. Sol recedit à Geminis, & signa Cancri rubent: Pallas cœpit invocari in arce Aventinâ.

JAm nurus tua surgit, Laomedon, atque orta fugat noctem, & pruina humida pellitur ex pratis.

NOTÆ.

[c] *Etruscas*] Ex Etruriâ enim in Urbem delabitur Tybris.

[d] *Cras*] 16 die Junii.

[e] *Pater Hel.*] Sol adeòque qui Phaëtontis sorores genuit, quibus à Sole, qui Græcis ἥλιος dicitur, illud datum nomen.

[f] *Tinxerit*] *Occiderit.*

[g] *Geminos*] Superius & inferius hemisphærium.

[h] *Proles*] Orion Hyrei filius exsurget cosmicè.

[i] *Continuâ*] 17 Junii Delphinus totus emergit.

[k] *Volscos*] Hi atque Æqui Latii populi fuerunt, qui anno Urbis 324 ab A. Postumo Tuberto Dictatore, ingenti strage, castris utrisque expugnatis, victi sunt.

[l] *Algida*] Quæ ad Algidum Latii oppidum spectabat.

[m] *Unde*] Ex quâ victoriâ.

[n] *Suburbano*] Quia victi populi suburbani.

[o] *Vectus*] Adeòque triumphavit.

[p] *Jam sex*] 18 ergo Junii.

[q] *Sol abit*] 19 tamen Junii, ut habet vetus Calendarium.

[r] *Rubescunt*] A Sole, qui Cancrum tunc temporis inibat; hodie undecimo Junii ingreditur.

[s] *Nurus*] Aurora ergo Tithoni conjux.

[t] *Fugit*] Adeòque 12 Calend. seu 20 Junii.

Reddita, quisquis is est, Summano templa feruntur,
Tum, cùm Romanis, [x] Pyrrhe, timendus eras.
[y] HAnc quoque cùm patris [z] Galatêa [a] receperit undis;
Plenáque securæ terra quietis erit;
Surgit humo [b] juvenis telis afflatus [c] avitis,
Et gemino nexas [d] porrigit angue manus.
[e] Notus amor Phædræ, nota est injuria Thesei:
Devovit [f] natum [g] credulus ille suum.
[h] [Non impune pius juvenis [i] Trœzena petebat.
[k] Dividit obstantes pectore taurus aquas.]
Solliciti terrentur equi, frustráque retenti
Per scopulos dominum duráque saxa trahunt.
Exciderat curru, lorísque morantibus artus
Hippolytus lacero corpore raptus erat:
Reddiderátque animam, multùm indignante [l] Dianâ.
Nulla, [m] Coronides, causa doloris, ait.

INTERPRETATIO.

Templa dicuntur dicata Summano, quisquis is est, tum cùm metuendus eras Romanis, Pyrrhe.

Postquam etiam Galatea receperit hanc diem fluctibus genitoris, & tellus fruetur tutâ quiete; juvenis tactus igne avito tollitur humo, & tendit manus implicitas gemino serpente. Amor Phædræ perspectus: injuria Thesei est cognita: ille facilis devovit filium suum. Adolescens non impune pius contendebat Trœzenam: Taurus findit pectore aquas oppositas. Equi turbati terrentur, & nequicquam repressi abripiunt dominum per scopulos & rupes asperas. Excussus erat curru; & corrigiis implicantibus membra, Hippolytus sublatus erat, corpore discerpto: Atq; efflaverat spiritum, Dianâ multùm iratâ. Coronides dicit, Nulla caussa luctus.

NOTÆ.

[u] *Summano*] Summum Manium Plutonem esse voluerunt.

[x] *Pyrrhe*] Hic Epirotarum rex anno Urbis 473, Tarentini belli tempore Romanorum castra diripuit, & propiùs Romam sua movit.

[y] *Hanc*] Auroram *scil.* quæ pro die posita est.

[z] *Galatêa*] Nympha maris, Nerei & Doridis filia.

[a] *Receperit*] Atque adeò ea dies præterierit.

[b] *Juvenis*] Æsculapium dicit Apollinis filium, atque adeò Jovis nepotem, quem Is tamen fulmine, quòd mortuos ad vitam revocaret, perimere non dubitavit.

[c] *Avitis*] Avi Jovis.

[d] *Porrigit*] Ab Hygino figuratur Ophineus seu Æsculapius in illud signum mutatus, anguem tenens, à quo medius præcingitur.

[e] *Notus*] Fabulam incipit narrare, quâ ex re in cœlum translatus Æsculapius. Sed alia multa ab Hygino memorantur.

[f] *Natum*] Hippolytum *scil.* quem falso crimine Phædra noverca perdidit; ut toties repetitum.

[g] *Credulus*] Qui Phædræ calumnianti fidem habuit.

[h] *Non impune*] Scillcet Nasonis non esse istud Distichon ultro agnosces.

[i] *Trœzena*] Quæ urbs Peloponnesi Pitthei olim regia, Thesei patria.

[k] *Dividit*] Ab immissis phocis territos equos Hippolytum distraxisse quoties diximus?

[l] *Diana*] Quæ casto juveni maximè favebat.

[m] *Coronides*] Æsculapius ex Coronide nymphâ natus.

Namque pio juveni vitam sine vulnere reddam;
Et [n] cedent arti tristia fata meæ.
Gramina continuò loculis depromit eburnis:
Profuerant [o] Glauci Manibus illa priùs:
[p] [Tunc, cùm observatas augur descendit in herbas;
Usus & auxilio est anguis ab angue dato.]
Pectora ter tetigit, ter verba salubria dixit:
Depositum terrâ sustulit [q] ille caput.
Lucus eum, nemorísque tui, [r] Dictynna, recessus
Celat: Aricino [s] Virbius ille lacu.
At Pluto [t] Clothóque dolent, hæc [u] fila reneri,
Et fieri regni jura [x] minora sui.
Jupiter exemplum veritus direxit in illum
Fulmina, qui nimiæ moverat artis opem.
Phœbe, [y] querebaris. [z] Deus est. [a] placare parenti.
Propter te, [b] fieri quod vetat, ipse facit.
[c] NOn ego te, quamvis properabis vincere, Cæsar,
Si vetet auspicium, signa movere velim.

INTERPRETATIO.

Namque restituam vitam casto adolescenti sine plagâ, & lugubria fata cedent arti meæ. Protinus extrahit herbas ex thecis eburnis: illa antea opem tulerant Umbris Glauci; tunc cùm augur descendit in gramina observata, atque serpens usus est ope exhibitâ à serpente. Ter tetigit pectora, ter protulit voces salutiferas: ille erigit caput stratum terrâ. Lucus, & recessus sylvæ tuæ, Dictynna, tegit eum: ille est Virbius in lacu Aricino. At Pluto & Clotho molestè ferunt hæc fila reneri, & jura sui regni fieri minora. Jupiter metuens exemplum misit fulmen in illum, qui attulerat auxilium nimiæ artis. Phœbe querebaris. Deus est: pacem ineas cum patre: Ipse facit tuâ causâ quod prohibet.

EGo nolim, Cæsar, tametsi festines vincere, te movere signa, si auspicium prohibeat.

NOTÆ.

[n] *Cedent*] Quia invitis fatis revivisceт Hippolytus. Revocabitur ex inferis.

[o] *Glauci*] Hunc quoque Minois filium excitasse & vitæ restituisse Æsculapium scripsit Hyginus.

[p] *Tunc*] Spuriæ notæ esse quoque hoc Distichon non temerè scripsit clariss. Heinsius. Prolixè tamen apud Hyginum Poët. Astron lib. 2. capite quod *Ophineus* inscribitur, sub finem, fabulæ hujus habes explicationem.

[q] *Ille*] Hippolytus vitæ ab Æsculapio restitutus.

[r] *Dictynna*] Diana; quam non semel Hippolytum suum in nemore Aricino abdidisse legimus.

[s] *Virbius*] Fabulam habes in Metam.

[t] *Clotho*] Parca, cui, in fata hominum jus fuit.

[u] *Fila*] Quibus hominum vitam contineri crediderunt.

[x] *Minora*] Siquidem ad vitam revocarentur, quorum fila abscidissent.

[y] *Querebaris*] Quia interfectus filius Æsculapius.

[z] *Deus est*] Relatus in Deos Æsculapius.

[a] *Placare*] Reconciliare Jovi patri tuo, ô Apollo.

[b] *Fieri*] Ne mortui excitentur cavet Jupiter, & tamen Æsculapium in cœlum transfert.

[c] *Non ego te*] 9 Calendas occubuit ad lacum Thrasymenum C. Flaminius Consul, clade insigni. Ob spreta auspicia crediderunt factum: quare ea Cæsari commendat Naso.

Sint tibi Flaminius [d] Trasymenáque littora testes;
Per volucres æquos multa monere Deos.
Tempora si veteris quæris [e] temeraria damni;
[f] Quartus ab extremo mense bis ille dies.
POstera lux melior. superat [g] Masinissa [h] Syphacem;
Et cecidit telis [i] Hasdrubal ipse [k] suis.
[l] TEmpora labuntur, tacitísque senescimus annis;
Et fugiunt fræno non remorante dies.
[m] Quàm citò venerunt Fortunæ Fortis honores!
Post septem luces Junius actus erit.
Ite, Deam læti Fortem celebrate, Quirites;
In [n] Tiberis ripâ munera Regis habet.
Pars [o] pede, pars etiam celeri decurrite cymbâ.
Nec pudeat potos inde redire domum.
Ferte coronatæ juvenum convivia lintres;
Multáque per medias vina bibantur aquas.
Plebs colit hanc; quia, qui posuit, de plebe fuisse
Fertur, & ex humili sceptra tulisse loco.

INTERPRETATIO.

Flaminius & ripa Thrasymena sint tibi testes, Deos faventes multa docere per aves. Si petis tempora temeraria antiquæ cladis, ille dies fuit octavus ab extremo mense.

SEquens dies felicior: Masinissa vincit Syphacem atque Hasdrubal ipse occubuit suis armis.

TEmpora diffluunt, atque senescimus annis tacitis; & dies auferuntur fræno non prohibente. Quàm festinanter honores Fortis Fortunæ recurrerunt. Post septem dies Junius erit elapsus. Concedite, Quirites, alacres colite Fortem Deam: habet dona regis in ripâ Tiberis. Pars accedite pede, pars etiam veloci navigio: nec pudeat reverti inde demum ebrios. Cymba coronata vehite convivia adolescentum: plurimaque vina potentur per medias aquas. Plebs celebrat istam, quia qui statuit dicitur fuisse de plebe, atque tractasse sceptra ex obscuro loco.

NOTÆ.

[d] *Thrasym.*] Lacus Thrasymeni in agro Perusino, qui Hetruriæ est, ubi ab Annibale fusus Romanorum exercitus.

[e] *Temeraria*] Temerarii ducis Flaminii.

[f] *Quartus*] 9 Cal. Jul. 23 Junii die.

[g] *Masinissa*] Cujus, Massiliorum in Africâ regis, Romanis bona firmaque semper amicitia fuit.

[h] *Syphacem*] Hic Numidiæ rex fuit perfidus, à Scipione atque Masinissâ, anno ab Urbe 550 victus, deinde in triumphum ductus.

[i] *Hasdrubal.*] Hic dux Pœnorum anno ab Urbe 546 a Claudio Nerone atque Livio Salinatore ad internecionem cæsus. Quam rem habes apud Livium.

[k] *Suis*] Dictum credo, quia dolis circumventus Claudii Neronis Hasdrubal homo dolosus. Ille enim relictis castris suis, ità ut & Hannibalem falleret, cum electâ manu Livii collegæ castra silentio ingressus Hasdrubalem invadit, cum quo ceciderunt hominum millia 57.

[l] *Tempora*] Quàm apposité, sententiam sanè egregiam interponit Naso, cùm se ad finem mensis properare videt!

[m] *Quam citò*] In octavum quippe Calendas Julias recurrebant fortunæ honores, cui templum Servius Tullius dedicavit.

[n] *Tiberis*] Trans Tiberim fuit.

[o] *Pede*] Per pontem scil.

Convenit & servis; [p] servâ quia Tullius ortus
Constituit [q] dubiæ templa propinqua Deæ.
Ecce suburbanâ rediens malè sobrius æde
Ad stellas aliquis talia verba jacit.
[r] Zona latet tua nunc, & cras fortasse latebit:
[s] Dehinc erit, Orion, adspicienda mihi.
At si non esset potus; dixisset [t] eâdem
Venturum tempus solstitiale die.
[u] Lucifero subeunte Lares delubra tulerunt,
Hîc [x] ubi fit doctâ multa corona manu.
Tempus idem Stator ædis habet, quam Romulus olim
Ante Palatini condidit ora jugi.
[y] Tot restant de mense dies, quot nomina Parcis,
Cùm data sunt trabeæ [z] templa, Quirine, tuæ.
Tempus [a] Iüleis [b] cras est natale Kalendis:
[c] Piërides, cœptis addite [d] summa meis.
Dicite Piërides, quis vos [e] adjunxerit isti,
[f] Cui dedit invitas victa noverca manus.

INTERPRETATIO.

Competit etiam servis, quia Tullius natus ex captivâ posuit delubra juncta Deæ incerta.

Ecce aliquis ebrius revertens à templo suburbano mittit hujusmodi voces ad stellas. Cingulum tuum nunc abscenditur, Orion, & fortè cras abscondetur; dehinc erit mihi videndum. At, si non esset ebrius, dixisset tempus solstitiale eriturum eâdē die.

Lares consequuti sunt templa sequenti die, hic ubi multa corona nectitur doctâ manu. Stator habet idem tempus delubri, quod Romulus posuit quondam in prospectu collis Palatina.

Tot dies supersunt de mense, quot nomina Parcis, cùm templa sunt assigna tua trabea, Quirine.

Cras tempus est natale Kalendis Juleis Pierides imponite finem meis incæptis. Docete, Pierides, quis vos addiderit isti, cu noverca superata obtulit manus invitas.

NOTÆ.

[p] *Servâ*] Eâ *scil.* quam vidimus suprà, Ocrisiâ Ocriculanâ.

[q] *Dubiæ*] Fortunæ *scil.* cujus inconstantia proprium omni modo.

[r] *Zonâ*] In quâ tres stellas affinxerunt.

[s] *Dehinc*] 6 ergo Calendas oritur heliacè.

[t] *Eadem*] 6 *scilic.* Cal. Jul. seu Junii 26 die. Sed à nostris ad 21 Junii retractum Solstitium.

[u] *Lucif.*] 5 Calendas dicata Larium, Jovisque cognomento Statoris ædes, quam Romulus bello Sabino, cùm Romana acies inclinasset, voto consecravit.

[x] *Ubi fit*] Ubi habitant corollarum artifices.

[y] *Tot rest.*] Tres adeòque.

[z] *Templa*] De antiquo illo agitur, quod statim, audito Proculi testimonio, Quirino seu Romulo in colle Quirinali positum: ab Octaviano deinde multis columnis decoratum, iterumque dedicatum est.

[a] *Juleis*] Quibus à Julio Cæsare honoris causâ datum nomen, cùm priùs Quintilis Julius mensis diceretur.

[b] *Cras est*] Vacuum adeòque reliquit diem Naso, atque, inquit, sumus in ultimâ mensis luce.

[c] *Pierides*] Musæ.

[d] *Summa*] Quasi dicat ultimam manum.

[e] *Adjunxerit*] Dicit istud, quia commune cum Hercule templum habuerunt Musæ, quod Herculis Musarum dictum, atque ultimo Junii die reparatum.

[f] *Cui dedit*] Hercules est *scilicet.*

Sic ego ; sic [g] Clio, Clari monumenta [h] Philippi
Adspicis : unde trahit [i] Marcia casta genus.
Marcia [k] sacrifico deductum nomen ab [l] Anco ;
In qua par facies nobilitate suâ.
Par animo quoque forma suo respondet in illâ :
Et genus, & facies, ingeniúmque simul.
Nec quod laudamus formam, tam turpe putaris.
Laudamus magnas hac quoque parte Deas.
Nupta fuit quondam matertera Cæsaris [m] illi.
O decus, ô sacra fœmina digna domo !
Sic cecinit Clio ; doctæ assensêre sorores.
Annuit [n] Alcides, [o] increpuítque lyram.

INTERPRETATIO.

Ità ego ; sic Clio respondit: *Cernis monumenta illustris Philippi, ex quo pudica Marcia ducit genus. Marcia* est *nomen derivatum ab Anco pio, in quâ vultus aqualis nobilitati sua. Pulcritudo par est etiam suo ingenio in illâ ; & nobilitas, & forma, & ingenium* sunt *simul. Neque credideris tam indecorum, quòd celebramus pulcritudinem : celebramus etiam Deas hac parte. Matertera Casaris fuit olim juncta illi. O decus, ô fœmina digna sacrâ domo ! Clio ità cantavit : sorores docta annuerunt : Hercules approbavit, & pulsavit lyram.*

NOTÆ.

g *Clio*] Quæ una ex Musis.

h *Philippi*] Hic Augusti fuit vitricus, qui à Fulvio Nobiliore primùm positum templum vetustate collapsum restituit.

i *Marcia*] Hæc illa est eadem de qua in epistolis de Ponto, quæ Maximo nupsit, atque Nasonis nostri conjugem in carissimis habuit.

k *Sacrifico*] Quia Pompilii religiosissimi viri nepos, parique ingenio.

l *Anco*] Martio quarto Romanorum rege.

m *Illi*] Martio Philippo *scilic.* qui antè quàm Acciam Augusti matrem uxorem duxisset, Cæsaris matris sororem conjugem habuit.

n *Alcides*] Hercules.

o *Increpuit*] In testimonium applausus.

FINIS.

